5629



Scriptus Tomas de Villanova.

21
118

Este Libro
pertenece á la Libreria de N. S.
Agustin de la Nobilisima Ciudad de Burgos.

S. THOMÆ
A VILLANOVA
ARCHIEPISCOPI VALENTINI
ORDINIS EREMITARUM
S. AUGUSTINI
CONCIONES
IN DOMINICIS TOTIUS ANNI, ET FERIIS QUADRAGESIMALIBUS: NEC NON IN FESTIS D. N. JESU CHRISTI; BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ; ET SANCTORUM:

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTÆ.

Editio omnium quotquot præceſſerunt auctior, & locupletior; additis nimirum Concionibus ſupra centum, quæ in Brixienſi, Colonienſibus, Romana, ac Veneta deſiderantur: adjectis quoque Concionibus decem & ſeptem in Bruxellenſi Editione prætermiſſis.

ACCEDUNT

Præfatio; Vita S. Præſulis; ac demum notæ ad Conciones.

OPERA P. LAURENTII A S. BARBARA

Congregationis FF. Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini Italiæ & Germaniæ, ex Provincia Mediolanenſi.

TOMUS SECUNDUS

COMPLECTENS CONCIONES IN FESTIS D. N. JESU CHRISTI; BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ; ET SANCTORUM: INSUPER BREVIA EJUSDEM S. THOMÆ COMMENTARIA IN CANTICA CANTICORUM: IN APOCALYPSIM: IN CAP. XXVIII. JOB.



Ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8.

MEDIOLANI MDCCLX.
Ex Typographia Bibliothecæ Ambrosianæ
APUD JOSEPHUM MARELLUM.
Superiorum Facultate, ac Privilegio.

BIBLIOTECA PROVINCIAL DE BURGOS



Ab infantia mea crevit mecum miseratio. Job. 31.

IN CONCEPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS CONCIO.

DE ILLIUS IMMACULATA CONCEPTIONE.

Admirabile opus Excelsi. Eccli. 43. v. 2.

I. DUo in opere præclaro notantur, scilicet materiæ excellentia, & pulchritudo formæ; solet etiam ponderari, quod in materia rebelli & dura perfecta figura sculpatur. Exemplum de centauro sculpto in silice vel lapide duro, plus quam in argento vel auro. In Virgine Maria nolo tam consideres materiam, id est, naturam, quam formam, id est, gratiam. *Cant.* 1. *Nolite*, inquit, *me considerare quod fusca sim.* Filia Adæ sum, puella similis aliis sum: licet Virgo decora, licet de stirpe regia, licet intacta, licet pura, licet viro incognita. *Ps.* 44. *Omnis* enim *pulchritudo* hujus *Filiæ Regis ab intus* in anima: exterior enim natura in ea *Gen.* 2. de luto formata, in Adam vilis & nullius *Cant.* 1. valoris apparet. *Nigra sum*, inquit, *sed formosa. Nigra*, inquam, *sicut tabernacula Cedar:* id est, sicut aliæ mulieres sæculi: *sed formosa*, inquam, *sicut pelles Salomonis.* Pelles vocavit virtutes humanas in Christo, quas, licet nemo imitari possit, nemo tamen ut Virgo assecuta est. Potest igitur dici de hoc opere: *Materiam superabat opus* (a). *Equitatui*, inquit, *meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* Equitatus Dei, Angeli, Archangeli, Throni Dei: sicut currus, quibus Deus insidet. *Qui sedes super Cherubim*, ait Psalmista. Et iterum: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis.* Currus Pharaonis, caro & sanguis, homines perditi, quibus insidet Pharao, id est dæmon. Hoc igitur mirum in Virgine, hoc valde artificis sapientiam commendat, quod filia Adæ aliis mulieribus in natura similis, puritate, decore, gratia & valore, Angelicis spiritibus, non solum assimiletur; verum etiam superemineat. Stupendum omnino miraculum & prodigium, puella Angelis omnibus præfertur illustrior & formosior. Hoc magis magnificat artis excellentiam: nam in rebelli natura humana, talem imprimere formam, est præclarius, quam in auro naturæ Angelicæ. Aliter: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* Currus Pharaonis caro effera & indomita, qua vehitur dæmon propter mille ejus concupiscentias. Et currus etiam Pharaonis, omnes qui vivunt secundum

* Concio cxiv. (a) *Cant.* 1. *Ps.* 79. *Ps.* 67. *Cant.* 1.

(a) Ovid. Metamorph. lib. 2. sub initium.

dum carnales ſuas concupiſcentias, quorum ſeſſor eſt diabolus. Equitatus Dei, Angelici chori. *In curribus* igitur *Pharaonis*; id eſt, in mortali carne, mortalibus hominibus & mundanis, quibus inſidet dæmon, Virgo corpore ſimilis: id eſt, in ipſa natura humana fragilitatis, quæ vehiculum eſt dæmonis in pluribus; in hac, inquam, natura, *aſſimilavi te* o Virgo puriſſima; per gratiam & puritatem, & innocentiam, *equitatui meo*; id eſt, Angelicæ naturæ cui inſideo. Miraculum ſtupendum, & *admirabile opus Excelſi*; puella, filia Adæ, Angelis purior, Angelis pulchior, Angelis præſtantior. Thronus Salomonis fuit ex ebore & auro puriſſimo, habens ſex gradus: & ſupra, duo brachiola. *Fecit Rex ſolium eburneum grande, & veſtivit illud auro mundiſſimo, ſex quoque gradus quibus aſcendebatur ad ſolium, & brachiola duo altrinſecus*. Thronus pacifici noſtri Salomonis, noſtri, inquam, Domini Jeſu Chriſti ſecundum carnem, Virgo eſt; quam fecit ex ebore & auro puriſſimo, ac mundiſſimo, quia creavit illam puriſſimam, & immaculatam. Sex quoque gradus, virtutes ſunt omnium graduum Eccleſiaſticorum quas in ſe habuit: ſcilicet, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Anachoretarum. Duo etiam brachiola: creationis videlicet, & præſervationis a peccato. Sculptura mirabilis, & *admirabile opus Excelſi*.

Eccli.43.

2. Paral. 9.

Pſal.75.

II. *Aggæi ſecundo*: In ſtructura ſecundi templi Dominus conſolatur populum & ſacerdotes mœſtos (quoniam domus illa in comparatione primæ nulla apparebat) dicens: *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes: & veniet Deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria. Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ plus quam primæ: & in loco iſto dabo pacem*. Domus prima, Eva in ſtatu innocentiæ, pulchra, decora, innocens, ſapiens. Domus ſecunda, Virgo Maria humilis, & mortalis. Sed o peccatores nolite contriſtari: major *erit gloria domus iſtius noviſſimæ plus quam primæ*. Illa nos occidit, iſta nos vivificabit; illa mortem adduxit, iſta vitam; illa creatura Dei, iſta Mater Dei; illa mundi excidium, iſta mundi remedium; illa ſine peccato ex coſta formata, iſta ſine peccato concepta & a parentibus progenita. *Et in* templo *iſto dabo pacem*. Non fuit rebellio, non tumultus ſenſualitatis, non fomes peccati. Quoniam ut ait Pſalmus: *Factus eſt in pace locus ejus*. Quis locus niſi virginalis uterus? In pace formatus in utero, in pace vixit extra uterum. In ædificatione namque templi Salomonis non audiebatur malleus, nec ſtrepitus, quoniam bene quadrati lapides ſine malleo jungebantur. *Domus*, inquit

Eccli.43.

Aggæi 2.

Scriptura, *cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt: & malleus & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo cum ædificaretur*. Siquidem, ut ait Propheta: *Confractus eſt* in ea *& contritus malleus univerſæ terræ*, id eſt, univerſæ carnis: de quo Pſalmiſta: *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. In pace igitur formatus eſt in utero, ut ſemper haberet pacem in vita. Si enim non caruiſſet originali, non utique caruiſſet actuali peccato; ut inquit S. P. Auguſtinus (*a*) de Chriſto contra Julianum, *libro quinto capite decimoquinto*; cujus verba ſunt: Profecto enim, peccatum etiam major feciſſet, ſi parvulus habuiſſet: & propterea, nullus eſt homo præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu; quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exordio. Hoc idem videtur innuere Pſalmus dicens: *Deus in medio ejus non commovebitur*. Et adjungit quaſi cauſam aſſignans, & proſequitur: *Adjuvabit eam Deus mane diluculo*. Pro cujus declaratione, nota: quia, ut ait Propheta, dies hominis ſunt dies ſæculi. Eſt enim mane nativitas; meridies virilitas; veſpere ſenectus; occaſus mors. Sic enim de mane ad veſperam finitur homo. *De mane*, inquit, *uſque ad veſperam finies me*. *Adjuvabit* ergo *eam Deus mane*, ſed non ſolum, *mane* nativitatis, ſed & *diluculo* primo conceptionis. Et propter hoc: *Deus in medio ejus* corde *non commovebitur*. Recedit Deus a corde totaliter per mortale peccatum: movetur autem paululum, licet non deſerat cor, per veniale peccatum. A medio igitur ejus, nec ad punctum Deus per veniale commovebitur. Propter quid? Quoniam *adjuvabit eam Deus mane diluculo*: præſervando ab originali.

3. Reg. 6.

Jer. 50.

Pſal. 50.

(*a*)

Pſal. 45.

Ibidem.

Iſaiæ 38.

III. Nec putes parum pertinere ad Virginem, quod non fuerit concepta in peccato: hæc enim gloria non minor eſt nec ſpecialior, quam quod Mater Dei ſit ſecundum carnem. Parvum putas Virginis detrimentum, ſi dicas, eam vel per momentum fuiſſe captivam peccati, filiam perditionis, dæmonio ſubjectam, communi macula infectam? Quomodo ipſa caput diaboli contrivit, ſi prius ab eodem contrita eſt? Abſit, abſit: ut talem maculam inferamus gloriæ noſtræ. De immunitate a peccato. Terra ſacerdotalis tempore famis non fuit Regi Pharaoni tributaria, ſed libera. Ita nec Virgo fuit diabolo tributaria, de qua ortus eſt *Sacerdos in æternum* Chriſtus Dominus *ſecundum ordinem Melchiſedech*. *Factus eſt* ergo *in pace locus ejus*, id eſt: Virgo in pace formata eſt: neque malleus, uti ſupra commemoratum eſt, auditus eſt in ædificatione excelſi hujus templi. Malleus, inquam, ille de quo dictum

Gen. 3.

Eccli. 33.

Gen. 47.

Pſ. 109.

Pſal. 75.

(*a*) Contra Jul. lib. 5. cap. 15. num. 57., non cap. 39. ut habet Bruxellenſis editio. In teſtimonio allato nonnihil varietatis eſt, ſed quæ ad verba non ad ſententias refertur.

dictum est: *Confractus est malleus universæ terræ*; id est: peccatum inficiens totam naturam humanam, in Virgine habuit exceptionem: id est; *confractus & contritus est. Unum opus feci, & omnes admiramini*. Quare? Utique, quia dignum opus admiratione, & *admirabile opus Excelsi*. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Sed quando? nisi (juxta superius allegata) quando adjuvit *eam Deus mane diluculo?* Idcirco Christopolitanus (*a*) super illo versu Psalmi ait: In Virgine, nox, formatio corporis: diluculum, animatio: mane, nativitas. In formatione ergo corporis, in animatione, in nativitate; *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Sicut ex pœna arguitur culpa, ut ait Gregorius (*b*): ita etiam ex defectu pœnæ potest argui defectus culpæ. Incineratio autem fuit pœna peccati. Sic enim dixit Deus Adæ postquam peccaverat: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Quia ergo vere credimus, Virginem non incineratam, sed corpore & anima in cœlis glorioſam; vere etiam credimus & pie: sine macula conceptam. Si enim non caruisset vitio, non caruisset supplicio.

Jer. 50. *Jo. 7.* *Eccli. 43.* *Psal. 45.* (*a*) (*b*) *Gen. 3.*

IV. Et, si dicas: Virgo mortua est, & famem & sitim & alias pœnas nonnullas peccati passa est. Respondeo: Christus sine peccato has contraxit, ut nobis mereretur: Virgo etiam ad meritum sibi. Non enim decuit, ut Mater careret istis pœnalitatibus, quas pro nobis accepit Filius. Ideo potest ipsa dicere nobis iterum: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol:* Ut essem adjutorium simile sibi per omnia. Ut dicat etiam de se: *Nigra sum sed formosa* ut *pelles Salomonis*. *Nigra* in pœnalitatibus: *formosa* in meritis. *Ut pelles Salomonis:* id est, propter humanitatem. Propter quod in eisdem Canticis dicitur, *pulchra ut luna*. Luna enim cum sit candida, in medio quandam habet obscuritatem, propter raritatem majorem, quæ non sufficit reflectere radios solis. Sic ergo Virgo, tota in circuitu lucida in vita ista mortali; pœnalitatum nostrarum fuscari colore non contempsit; ut quanto ex illa parte minus terrenis aspectibus lucet: in sublimioribus illustrior ac clarior oculis Angelicis appareat. Pars enim lunæ, quæ nobis propter diaphaneitatem minus lucet, superioribus splendidor est & lucidior. Ambrosius (*c*): hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis peccati fuit. Bene cortex veniali, & nodus originali assimilatur. Nam virga facile decorticatur, sed a nodis non sic potest purgari: veniale enim facile tollitur; sed originale, licet tollatur ad culpam; manet tamen infixus naturæ fomes peccati rursum pullulans, & hoc est quod ait *Nahum primo capite: Mundans non faciet innocentem:* quoniam mundatus a culpa, adhuc manet infectus fomite. Ideo Job conqueritur: *Si peccavi*, inquit, *& ad horam pepercisti mihi: cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?* id est, a radice peccati. Hæc est igitur virga quæ floruit sine humore, id est, sine virili semine. Hæc est, quæ *divisit mare rubrum in divisiones*. Hæc aquam nobis de petra quotidie propinat. Hæc est quæ omnes colubros peccatorum in nobis quotidie devorat, aut colubros hæresum; juxta illud: Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. Hæc est purpura Regis, de qua fuit facta illa vestis sine macula, sine ruga, *inconsutilis, desuper contexta per totum*, id est, humanitas Christi. Fuit, inquam, tunica, quæ in lana & ex ipsamet lana purpurea, & sine tinctura purpurea fuit; ut ait Plinius (*d*) *de purpura*. Nos vero sumus ut aliqui panni, qui per & post tincturam tinguntur. Virgo a principio tinctura gratiæ tincta, sic illam imbibit, ut non possit eam amittere. Nos vero, sæpius tincturam gratiæ, quam sero recipimus, cito amittimus. Virgo dicitur speculum sine macula: quoniam sicut in speculo, ut imago repræsentetur, duo sunt; vitrum scilicet & plumbum: ita in Virgine vitrum puritatis, & plumbum humilitatis fuit: propter quæ, in ea imago illa Dei Patris visibilis apparuit in carne. Bernardus (*e*): omnibus Virgo regia supereminens est, inquit.

Nahum 1. *Job 10.* *Num. 17.* *Exodi 14.* *Ps. 135.* *Exodi 17.* *Ibid. 7.* *Jo. 19.* (*c*) (*d*) (*e*)

V. Notandum quod sicuti in opere præclaro notantur materia & forma, opus etiam artificiosum debere fieri ab artifice secundum exemplar. Datur vero duplex exemplar: vivum & mortuum. Verbi gratia, in pictore: exemplar vivum est ars, sive imago, quam ipse intus habet. Exemplar mortuum, est imago exterior, quam respicit. In Deo non est ponendum exemplar exterius dirigens, quia est imperfectio. Exemplar vivum, est Verbum ejus, omnium rerum ratio idealis.

Cant. 1. *Ibid. 6.*

(*a*) Jacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus loco citato, nimirum in Psal. 45. v. 5. *Et sic*, inquit, *nox Virginis fuit totum tempus ab ejus conceptione carnis usque ad animationem. Aurora autem ejus, sive diluculum fuit primum instans sui esse, & creationis, in quo anima ejus fuit creata, & corpori infusa. Mane autem ejus fuit sua nativitas. Dies vero fuit totus discursus suæ vitæ. Ergo si Virgo Maria fuit sanctificata mane diluculo, in ortu matutino, ut asserit Propheta: ergo fuit facta illa sanctificatio in primo instanti sui esse, & creationis animæ, in quo incœpit vivere in hoc mundo, & per consequens illa anima simul fuit creata, & sanctificata, & gratificata, & e converso; quæ quidem sanctificatio redundavit in carnem, ex qua debebat Christus carnem assumere.*

(*b*) Vide lib. 8. Moral. cap. 10.

(*c*) Nihil apud S. Ambrosium de hoc invenire licuit inter genuina ejus opera. Inter opera in Append. rejecta aliquid affine legitur Serm. 28. postremæ edit. Paris. *Exiit virga de radice Jesse, & flos de radice ejus adscendet: virga enim erat Maria, nitida, subtilis, & Virgo, quæ Christum velut florem, integritate sui corporis germinavit.*

(*d*) De purpura agit Plinius Hist. natur. lib. 9. cap. 36. & seq. Sed quid hoc loco Plinii allegatio ad rem conferat, plane non video. Opinor aliqua in textu esse prætermissa.

(*e*) B. V. Mariæ supra omnes Angelos eminentiam asserit S. Bernardus Serm. in Nativ. ejusdem B. V. num. 12.

Joannis primo: *Omnia per ipſum facta ſunt:* A
Jo. 1. *& ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat lux hominum, &c.* Verbum,
(a) ſecundum Platonem (*a*), eſt mundus intelligibilis, ex quo derivatus eſt totus iſte mundus ſenſibilis. Geneſis primo: *Vidit Deus*
Gen. 1. *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Bona in naturæ perfectione, meliora in operatione virtutis, optima in obedientia Creatoris. S. Thomas (*b*): An potuerunt eſſe
(b) meliora? Dico quod ſic, in ſe: tamen conformiter ad artem, optime facta ſunt, & forte in ordine ad univerſi ordinem. Sed quid eſt, quod de ſingulo quoque opere additum B
Ibidem. eſt: *Vidit Deus quod eſſet bonum:* & non de ho-
(c) mine? S. P. Auguſtinus (*c*) *de Geneſi ad literam, capite ultimo, libro tertio:* Cur, inquit, de pecoribus, & beſtiis, & reptibilibus terræ dictum eſt: *Vidit Deus, quod eſſet bonum;* & non de homine, qui cum animalibus eadem die ſexta creatus eſt? An quia perfectus nondum erat, quia nondum erat in paradiſo conſtitutus? An quia præſciebat Deus hominem peccaturum, nec in ſuæ imaginis perfectione manſurum, eum dicere noluit bonum, velut intimans quid eſſet futurum? Ideo ergo non per ſe laudatus eſt homo, quia erat caſurus.

VI. De Virgine poſſunt verificari verba
Eccli. 24. Eccleſiaſtici: *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.* Tres conditiones luminis:
Gen. 1. prima, quod ſit prima creaturarum. *In principio creavit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: fiat lux.* SS.
(d) Virgo prima eſt dignitate. Anſelmus (*d*): Nihil, ait, tibi Domina æquale, nihil comparabile: omne enim quod eſt, aut ſupra te eſt: Deus eſt. Quod infra te eſt, omne id D
(e) eſt, quod Deus non eſt. S. Thomas (*e*): Habet, inquit, aliquam infinitatem. In omni populo *& in omni gente primatum habui. Ab*
Eccli. 24. *initio & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad futurum ſæculum non deſinam.* Quomodo *ab initio* creata fuit Virgo? Solutio: non dicit *ab initio* temporis; ſed modi conditionem. Non quod *ab initio* fuerit creata; ſed quod ſecuta ſit modum & conditionem creaturarum primo & *ab initio* creatarum: quia ſcilicet, ſine defectu & peccato. Creati ſunt enim Angelus & homo in gratia. De Angelo dicitur Lucifero: *In deliciis Paradiſi Dei*
Ezech. 28. *fuiſti.* De homine dicitur: *Creavit Dominus*
Eccl. 7. *hominem rectum.* Sicut ergo Angelus & Adam in gratia formati ſunt: ita Virgo in gratia concepta eſt. Non ergo modum & conditionem naturæ corruptæ habuit, ſed naturæ inſtitutæ. Sicut dicimus exercitus Aragoniæ, qui a regno Aragoniæ ſolvitur, non quia ſit ipſe de Aragonia; & exercitus Caſtellæ ſimiliter. Sed Angelus & Adam ſimiliter creati fuerunt; ſed eeciderunt. Ideo additur: *ab*
Eccli. 24. *initio & ante ſæcula creata ſum: & uſque ad futurum ſæculum non deſinam:* quia ipſa, gratiam quam ab initio recepit, uſque in ſæculum illæſam conſervavit, nec eam expulit peccando. S. P. Auguſtinus: Charitas feciſti, ut non ſolum Maria non peccaret: ſed nec peccatum cogitare potuit. Fecit hoc charitas. Sicut enim magnes attrahit ferrum; ita peccatum animam & voluntatem ferream. Sed ſi e contrario ponatur adamas gratiæ: non permittit, quod magnes peccati attrahat ad ſe voluntatem. Gratia ergo, quæ alios a peccato purgat, Mariam a peccato præſervavit, ne peccaret, nec peccatum contraheret; ex ſpeciali privilegio illius, qui eam ſpecialiter elegit in Matrem.

VII. Secunda conditio lucis. Eſt pulcher- C
rima creaturarum corporalium; nam ſine illa nihil eſt pulchrum, & ſunt tetra omnia.
(f) Bernardus (*f*): Tolle ſolem, & quid manebit niſi tenebræ: tolle Mariam, & quid niſi obſcuritas & obnubilatio animi? Sponſus:
Cant. 1. *Ecce tu pulchra es Amica mea, ecce tu pulchra es.* Pulchra, pulchritudine innocentiæ; pulchra, pulchritudine gratiæ; pulchra corpore, pulchra mente: præclaris his dotibus tamquam gemmis & ſtellis Virgo regia ornata eſt. *Mulier amicta ſole, & luna ſub pe-*
Apoc. 12. *dibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Mulier amicta ſole.* Sicut enim ſol univerſa cœli lumina præcellit prærogativa claritatis eximiæ: ſic Maria totam rationalem creaturam, poſt filium, præcellit ſplendore & pulchritudine virtutis & gratiæ. *Et luna ſub pedibus ejus.* Nam defectus omnis ſub Virgine: & quidquid fragilitatis ſeu corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate præ cæteris omnibus excedit, & ſupergreditur creaturis, ut merito ſub pedibus ejus luna eſſe dicatur. *Et in capite ejus*
(g) *corona ſtellarum duodecim.* Bernardus (*g*): Dignum plane ſtellis coronari caput, quod ipſis longe clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quis illas æſtimet gemmas, quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium

(*a*) In Timæo pag. 526. edit. Lugd. an. 1590.

(*b*) 1. p. quæſt. 47. art. 2. ad 1. *Dicendum, quod optimi agentis eſt producere totum effectum ſuum optimum, non tamen quod quamlibet partem totius faciat optimam ſimpliciter, ſed optimam ſecundum proportionem ad totum: tolleretur enim bonum animalis, ſi quælibet pars ejus, oculi haberet dignitatem. Sic igitur & Deus totum univerſum conſtituit optimum ſecundum modum creaturæ, non autem ſingulas creaturas: ſed unam alia meliorem.*

(*c*) De Geneſ. ad lit. lib. 3. cap. ultimo, non primo, ut mendoſe habet Bruxellenſis editio. Non verba, ſed S. Patris hic affertur ſententia.

(*d*) Opuſc. de excell. B. V. Mariæ cap. 1. *Supereminentem omni, quod poſt hominem Deum creatum eſt excellentiam Beatæ Matris Dei*, appellat S. Anſelmus.

(*e*) Vide S. Thom. in 1. Sent. diſt. 44. quæſt. 1. art. 3., ubi infinitatem, quæ B. V. Mariæ convenit, luculenter explicat.

(*f*) Serm. in Nativ. B. V. Mariæ num. 6. *Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, maris utique magni, & ſpatioſi, quid niſi caligo involvens, & umbra mortis, ac denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?*

(*g*) Serm. in Dom. infra Oct. Aſſumpt. B. V. M. num. 7. Prima tantum periodus eſt Bernardi.

gium diadema compactum est, quibus Maria singulariter adornatur & pulchrificatur? ita ut, vel solus mirabilis ille conceptionis modus, quo non in iniquitate quemadmodum cæteræ, Maria concepta est, omnium vehementer reverberet aciem mentis: neque facile dixerim, quod vel Angelicus oculus ad hujus Conceptionis prærogativam, fulgorem, nitorem ac decorem non caliget. Figura Judith; quæ cum in periculosum certamen descenderet contra Holofernem ad *ortum diei; erat in oculis* omnium *stupor*, *quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis*; ita Virgo cum in singulare certamen procederet contra diabolum, cujus ut altera Judith, si non præcidit, caput ejus contrivit; in ortu diei, in animatione vitæ, in Conceptione sua, fuit & manet *in oculis* omnium *stupor*; *quoniam pulchritudinem ejus* mirantur *nimis*. Alia figura: pulchritudine Dalilæ captus est Samson, & illusus occiditur. Virgo, Dalila: Samson, fortis Deus ultionum, qui captus formositate Virginis, & ex ea factus Homo, a judæis crucifixus est. *Tota ergo pulchra es amica mea, tota pulchra es, & macula non est in te.*

Judith 10.

Gen. 3.

*Judic.*16.

Cant. 4.

VIII. Tertia conditio luminis. Est universalis, totum occupans. Ambrosius (*a*) *in Exameron*. Non est facta in pondere & mensura Virgo. Omnibus dedit, omnia replevit. Et quemadmodum Sol justitiæ Christus Deus noster oriri facit lumen suum super bonos & malos: sic lumen indeficiens Virgo sacratissima, radios evibrans misericordiæ suæ; omnibus indifferenter sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet; omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.

(*a*)

Malach. 4.

Mat. 5.

(*b*) Bernardus (*b*): Omnibus omnia facta est: sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit: omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam: denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam: ut non sit *qui se abscondat a calore ejus*. O lampas lucidissima quantos lætificasti, quando divino splendore illustrata in utero matris immaculata apparuisti! Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo. Merito epithalamii præcentor ille a longe, in ortu tuo, te intuitus: *Quæ*, inquit, *est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Sicut *aurora* valde rutilans in mundum prodiisti o Maria! quando veri Solis fulgore adumbrata in Conceptione tua Immaculata fuisti; ipse enim Sol justitiæ de te processurus, ortum tuum, quadam matutina irradiatione præveniens in te, suæ lucis radios copiosissime transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat, in fugam convertisti. Tu *pulchra ut luna* diceris, eique non immerito compararis; illa enim omnium astrorum sola, soli simillima, comparatione & candore venusta, inter millia astrorum Deo assistentium, omnigena puritate in cœlo glorioſa præfulges. Tu ergo *pulchra es ut luna*, imo & pulchrior luna: quia tota pulchra es, & maculæ, neque originalis, neque actualis umbra non est in te. Tu *electa* es *ut sol*. Ille, inquam, Sol solis conditor, ille electus est ex millibus virorum. Tu electa ex millibus fœminarum. Tu *terribilis ut castrorum acies ordinata*. An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem immaculate conceptam, armatura omni fortiore instructam contra se procedere fœminam? Quin & in animatione tua, acies validas spiritualium virtutum, & innumerabilium beatorum Spirituum militiam delegatam fuisse nullatenus ambigimus; utpote qui custodirent lectulum Salomonis purissimum: ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes invaderet; sed dicerent: Ecce, plusquam Eva hæc: *castra Dei sunt hæc:* fugiamus castra Israel.

Cant. 4.

Gen. 32.

IX. Potest etiam alio modo demonstrari hoc privilegium speciale Conceptionis Immaculatæ. Primo ex illa authoritate Geneseos secundo: ubi, cum Dominus malediceret terram, dixit: *Maledicta terra in opere tuo: spinas & tribulos germinabit tibi*. Quæ maledictio, non solum de terra ista quam pedibus calcamus, sed etiam de corpore terreno, quod gestamus, secundum Bernardum (*c*) intelligitur; quia corpus in opere Adæ infectum est; & spinas concupiscentiarum, & tribulos appetituum inordinatorum germinat post peccatum. Sed ante istam generalem maledictionem, Virginem excepit a regula, dicens serpenti: *Ipsa conteret caput tuum*. Quod enim est caput serpentis, nisi peccatum originale, ex quo derivantur & descendunt omnia peccata? *Ipsa* ergo *conteret caput:* quia in ipsa, ait Propheta, ut jam superius monstratum est: *Confractus est & contritus malleus universæ terræ:* & originalis culpa cessavit. Sed, licet ista authoritas supradicta satis sit expressa: alia adhuc authoritas expressius id designat apud Job capite tertio; ubi sic dicitur: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Obtenebrentur stellæ caligine ejus: expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ*. Nox ista, secun-

Ibid. 3.

(*c*)

Ibid.

Jer. 50.

Job 3.

Jo. 1.

*Psal.*18.

Cant. 6.

(*a*) Exam. lib. 1. cap. 9. num. 34. *Lucis natura hujusmodi est, ut non in numero, non in mensura, non in pondere, ut alia, sed omnis ejus in aspectu gratia sit.*

(*b*) Serm. in Dom. infra Oct. Assumpt. B. V. M. num. 2. Ejus verba sunt usque ad ea: *Ut non sit, qui se abscondat a calore ejus.*

(*c*) Terræ nomine corpus intelligit S. Bernardus in Serm. 1. in fest. Omn. Sanctor. num. 9. ad ea verba: Beati mites quoniam possidebunt terram. *Hanc ergo terram*, inquit, *corpus nostrum intelligo, quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, &c.*

(a) dum Gregorium (a), culpa originalis est, in qua omnis homo concipitur: quam Propheta desiderat destrui & perire. Sequitur: *Obtenebrentur stellæ caligine ejus*; id est: omnes sancti & justi concipiuntur, & obscurantur in labe originali. Nox ista *expectet lucem, & non videat*; id est: peccatum originale non habuit Christus, *lux vera, quæ* Jo. 1. *illuminat omnem hominem*. Ideo enim non vidit: quia in luce noctis istius macula non fuit. Sequitur: *Nec ortum surgentis auroræ*. Quænam aurora alia nisi Virgo Maria, quæ genuit lucem Christum? Ortum ejus neque in utero neque ex utero, non vidit nox ista tenebrosa. Ecce, ex sanctis nullus excipitur: sed sola lux, id est, Christus ex natura: & aurora, id est, Virgo Maria ex privilegio. Non ergo de ortu ex utero, sed de ortu auroræ in utero intelligitur. Nam, Lucæ 1. & Joannes, & Jeremias in ortu nativitatis Jer. 1. erant mundi.

X. Est etiam in Psalmis alia authoritas; licet non tam expressa, quæ tamen potest ad hoc applicari, ubi dicitur: *Si dormiatis in* Psal. 67. *ter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri*. Columba deargentata est sacratissima Virgo Maria. Columba propter simplicitatem; deargentata, propter puritatem virginalem: duæ alæ autem quibus totam Ecclesiam protegit & tuetur ab omni impetu inimicorum: sunt ejus benignitas & humilitas. Nam, quia misericors est, compatitur nostris infirmitatibus: quia humilis est, non dedignatur succurrere his, quibus compatitur. Bernar-
(b) dus (b): Aliis aliæ virtutes tuæ placent: miseris misericordia tua magis placet. *Si dormiatis inter medios cleros*. Clerus sors est. Applica hoc ad Beatam Virginem. *Pennæ columbæ deargentatæ* cujus *posteriora dorsi in pallore auri*. In dorso est, quod dicimus retro: & quanto longius ac diutius vivimus, tanto magis vel longius ortus post tergum relinquitur. Ipsa ergo conceptio janua est, qua eximus ad vitam istam, & quæ magis retro post tergum relinquitur. Ista Conceptio in Virgine fuit in pallore auri, in fulgore gratiæ. Nam gratia aurum est; secundum illud *suadeo tibi emere a me aurum igni-* Apoc. 3. *tum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris: & non appareat confusio nuditatis tuæ*. Potest etiam ad id illa communis figura Esther applicari. Lex generalis erat de non ingrediendo. Venit Esther & ingressa est: Rex extendit sceptrum & tetigit eam & ait: *Quid habes Esther? ego* Esther 15. *sum frater tuus, noli metuere. Non morieris:*

A *non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*. Non pro te hæc lex constituta est: non morieris o Virgo in ingressu. Licet ingressus vitæ reliquis omnibus sit in morte, & mors peccati janitor sit, in janua vitæ omnes jugulans, non morieris tamen, quia Rex sceptrum extendit. Sceptrum regium, crux Christi: extenditur crux, id est, virtus crucis a primo peccatore Adam, usque ad ultimum futurum. Ecce, quam extensa! Quos in extensione sceptri tetigit virtus crucis, a mortis contagio mundavit; sed Virgo, ad ingressum etiam animationis suæ, tetigit sceptrum: ergo super omnes præservata est: non ut reliqui sublevata, post animationem. Quod ut stabiliatur firmius: notandum, quod de Præcursore Dominus: *Non surrexit*, inquit, *inter natos mulierum major Joanne Bap-* Mat. 11. *tista*. Quæro: nonne & Virgo nata ex muliere? Ergo Baptista ille major est Virgine Maria? Solutio: *Inter natos mulierum* qui in animatione ceciderunt & contraxerunt, ac postmodum mundati & sublevati surrexerunt, *non surrexit major Joanne Baptista*. Sed Virgo præservata inter omnes, ne caderet, cum non eguerit sublevari; authoritas illa Scripturæ sacræ in nullo derogat illius excellentiæ, quasi minor haberetur Præcursore.

XI. Possunt etiam ad id adduci duæ comparationes communes. Prima: nam hæredi majori natu, etiam priusquam habeat actu hæreditatem: verbi gratia, filio unius Regis vel Imperatoris moris est parari magnificum domicilium, omnis generis pretiosissimis utensilibus ornatum & refertum. Hæres major natu, Primogenitus & Unigenitus Dei Christus est. Hæreditavit in passione, & accepit possessionem in resurrectione. *Data est* Ibid. 28. *ei omnis potestas in cœlo & in terra*. Ideo D Pater, antequam veniret tempus hæreditatis, erexit ei domicilium particulare, domum auream, Virginem sacratissimam virtutibus omnibus tamquam utensilibus pretiosissimis ornatam. Non propter pretium exhibitum, sed propter pretium exhibendum: præveniendo Matrem, de qua erat assumpturus carnem, & quasi eam inhabitando, carne vestiendus. Secunda comparatio: solet Rex filio bellicoso regnum patri recuperaturo, ac glorioſissimum de fatali hoste victoriam reportaturo, copiosissimum auri & argenti pondus, tamquam exercitus robur illi liberalissime impertiri ante prælium. Strenuus belli Dux Christus venit fortis armatus diripere arma fortis, & alligare ipsum, Lucæ 11. scilicet dæmonem, & recuperare regnum & gentem, quam per invidiam diabolus surripue-

(a) Interpretationem hanc apud S. Gregorium non legi. Immo ubi de hoc Scripturæ loco is ex professo agit, nimirum Moral. lib. 3. & 4. culpam potius actualem, & mentis cæcitatem subaudit, ut notavit etiam Pineda. Magis accedit ad sensum a S. Oratore indicatum S. Thomas 2. 2. quæst. 76. art. 2. *Maledixit Job diei nativitatis suæ propter culpam originalem, quam nascendo contraxit:* ubi pro eodem diem, ac noctem accipit.

(b) Aurea sunt S. Bernardi verba Serm. 4. in Assumpt. B. V. M. num. 8. *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui, cæteris in virtutibus congaudemus tibi; sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur: sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus.*

puerat, ac injuſte ſibi uſurpaverat: præliando fortiter in Calvariæ monte, equo crucis forti, ex quo ligno diabolica fraude deceptus, proſtratus fuerat Adam. De fatali ergo infernali illo hoſte triumphaturo Filio ſuo dedit Pater cœleſtis ante congreſſum nummum abundantiſſimum: ſcilicet Matris gratiam præſervantem in merito futuræ paſſionis. Poteſt etiam adduci ex pluribus una ratio fortis. Talis hæc dignitas, ſcilicet, non habuiſſe peccatum, eſt maxima; & major, quam peperiſſe Deum. Ergo ſi id non repugnet, & probabile appareat, Virgini non eſt neganda: ſed Eccleſia id permiſit, imo favet: nulla ſacræ Scripturæ authoritas omnino urget ad oppoſitum: ergo pertribuendum eſt hoc Virgini: & temerarium eſt ac impium, licet non hæreticum, pertinaci animo hodierna die publicare oppoſitum, & Virginis excellentiam non credere (*a*).

(*a*)

XII. Admiramur ea, quæ præter communem curſum inſolita fiunt. Tota eſt Virgo admirabilis, tota eſt prodigioſa. Nam præter communem modum ſine peccato concepta Virgo eſt ſine exemplo: Virgo & Mater, Mater ſui creatoris, ſine gravamine gravida, ſine dolore puerpera, ſine corruptione, Spiritu ſancto, non viro operante imprægnata, ſine concupiſcentia generans, & in omni opere ſuo ac virtute ſtupenda: Dionyſius (*b*) eam pro Deo adoraret, ſi non eſſet fides. Non eſt admirandum, eam non fuiſſe tactam levi cogitatione peccati, vel levi motu, vel levi ſurreptione; ſed totam puram ſine aliqua interiore tentatione, vel impulſu, vel ſenſu peccati manſiſſe; ſed admirandum pœnitus: carnem habere, & nihil carnis ſentire. Ideo Pſalmiſta ſtupens de hac ejus innocentia & puritate ſine peccato veniali vel leviſſimo; ſic ait: *Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram* illam benedictam, de qua Veritas orta eſt; ſed unum prorſus ſtupendum, quod ſequitur: *Auferens bella uſque ad finem terræ.*

(*b*)

Pſal.45.

Pſal.84.

Pſal.45.

A Iſta ergo eſt terra, de qua bella omnia finetenus auferuntur: de hac terra omnis pugna tollitur, in hac terra pax plena reperitur. Dicta ergo prophetiæ verba de Virgine Maria intelligenda ſunt, in qua ſane ab omni vitiorum impugnatione terra miſeræ conditionis noſtræ perfectam pacem obtinuit quantum ad ipſam. Quia plenitudo gratiæ nihil ſpiritualis infirmitatis, nihil imperfectionis in ea reliquit: adeoque in omni bono eam ſolidavit, ut vel minimus umquam defectus in eam incidere omnino non poſſet, nec aliquid, quod qualicumque excuſationi ſubjaB ceret. In cæteris Sanctis magnificum habetur, quod a vitiis non poſſint expugnari: in Virgine mirificum videtur, quod a vitiis non potuerit vel in modico impugnari. Cæteris Sanctis in commune præcipitur, ut in mortali eorum corpore peccatum non regnet: ſoli Virgini ſingulariter datur, ut, quemadmodum Filii ſui, ita nec ejus mortale corpus peccatum momorderit etiam leviſſimum. Adeoque de exterminio peccati in beata Virgine Maria factum credatur id, quod in omnibus Sanctis ſperatur. Futurum, inquam: ſed non in corpore eorum adhuc mortali; ſed C in corpore eorum jam facto immortali, quod ſane in beata Virgine ſupra modum extitit mirabile, & præ cæteris Sanctis omnibus fuit ſingulare. Quemadmodum in opere præclaro notantur materia & forma: & quod opus artificioſum fiat ab artifice ſecundum exemplar: ita etiam maximum & ſtupendum opus eſt in artifice, ſi in parva materia pictor vel ſculptor compingant hiſtoriam integram, totam, verbi gratia, paſſionem Chriſti. *Venite* ergo *& videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram*, videte *admirabile opus Excelſi*: opus admirabile! In una D anima, ſola, inquam, Virgine omnes virtutes Sanctorum depinxit ſupremus Artifex ille cœleſtis. Sanctus Hieronymus (*c*): Nihil eſt candoris, nihil eſt ſplendoris, quod non reſplendeat in Virgine glorioſa.

Pſal.45.

Eccli.43.

(*c*)

IN

(*a*) Revocanda nunc ſunt, quæ hic tradit S. Orator, ad Conſtitutiones Pontificias, ipſo vita functo hac de re editas, nec non ad Concil. Trident. decretum.

(*b*) Hauſta ſunt hæc ex S. Dionyſii Epiſtola ad S. Paulum, quam exhibet inter alios Novatus tom. 1. de Emin. Virg. pag. 297. *Teſtor*, inquit, *qui aderat in Virgine Deum, ſi tua doctrina non me docuiſſet, hanc verum Deum eſſe credidiſſem, quoniam nulla videri poſſet, major gloria Beatorum, quam felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc vero feliciſſimus deguſtavi*. Verum Epiſtolam hujuſmodi nec ii quidem, qui cætera Dionyſii opera veluti genuina amplectuntur, admittendam putant. Bellarminus de Script. Eccleſ. num. 71. de Dionyſii ſcriptis loquens: *Ferebatur*, ait, *& una Epiſtola ad Beatum Paulum, ſed merito ab omnibus rejicitur*. Nec ſane inter ejuſdem Dionyſii Epiſtolas in Bibl. Patr. tom. 2. editas legitur.

(*c*) Serm. ad Paulam, & Euſtoch. de Aſſumpt. B. M. Virginis, qui tamen Sermo Hieronymi non eſt. Rejicitur inter apocripha a Martianæo tom. 5. pag. 82.; ita ibi pag. 92. in fin. *Quam ſi diligentius aſpicias, nihil virtutis eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris, gloriæque, quod ex ea non reſplendeat.*

IN EXPECTATIONE PARTUS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS CONCIO.

DE PARTU VIRGINALI ET SPIRITUALI.

Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile?
Isaiæ 66. v. 7., & 8.

CONCIO CXV. *Ps.* 105.

I. PROPHETA David sic ait: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* O Propheta: non utique Angeli, non Archangeli, nec Cherubim, neque Seraphim: solus potest dicere omnes laudes, qui novit omnes excellentias, & virtutes: solus se potest perfecte laudare. Omnis laus creaturæ, ad id quod Deus est, quasi nihil est. Utinam vel illas laudes exhiberemus, quas sub pœna ingratorum, & perfidorum tenemur ei exhibere. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.* Ipsa eum sua beneficia laudent; nam homines non sufficimus. Verumtamen pius, ac misericors Dominus, qui dignatus est nobis exhibere ingentia beneficia, ipse dignatus est ea quoque manifestare. Duplicatum beneficium; & quia dedit, & quia revelavit. Psalmus: *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo: ut det illis hæreditatem gentium.* Nam in naturalibus, Creator qui herbis, & lapidibus pretiosis dedit virtutes ad sanitatem hominum, ipse manifestavit eas; alias frustra eas dedisset. Neque enim putandum est Avicennam, Hippocratem, & Galenum, propriis viribus tanta de natura herbarum attigisse; sed quodam supernaturali instinctu, propter bonum hominum forte hanc peritiam consequuti sunt. Quod si quis contendat, ad hæc assequenda satis illis fuisse lumen rationis, & suam ac majorum experientiam; proculdubio in fidei mysteriis aliter dicendum est. Quis enim non dicam hominum, sed vel Angelorum cogitare potuit, quod Deus homo fieri dignaretur? quod de puella nasci vellet, ipsa manente virgine? quod in præsepio reclinari, & pannis involvi se permitteret? Hæc nisi Deus revelasset, homo non cognovisset. Unde Psalmista: *Nunquid Sion dicet: homo, & homo natus est in ea: & ipse fecit eam Altissimus?* Id est: estne aliquis inter homines, qui præsumat dicere vel cogitare, quod Creator de puella, quam ipse creaverat, nasci dignaretur, & habere in matrem creaturam suam vellet? Non utique quispiam hoc auderet. Sed *Dominus* ipse narravit *in Scripturis populorum*, & ipso narrante cognovimus, ipso revelante credidimus. Rogemus ergo Dominum, ut qui tanta, & tam grandia nobis dignatus est facere beneficia, ipse ea nobis revelet, ipse clarificet intellectum ad intelligendum, purificet cor ad sentiendum, inflammet affectum ad laudandum, doceat linguam ad dicendum. Sed quem ponemus mediatorem, nisi Virginem gloriosam? Ipsa sit medium ad intelligendum hæc mysteria, quæ fuit medium ad præstandum. Et ut velit hoc facere, offeramus ei consuetam salutationem.

Ps. 106. *Ps.* 110. *Psal.* 86. *Psal.* 86.

AVE MARIA.

II. De duplici partu locuturi sumus; scilicet: De partu Virginali, de partu spirituali; hoc est: de duplici nativitate. Prima, qua Christus nascitur ex Virgine. Secunda, qua Verbum nascitur in anima. Isaias Propheta, viso in spiritu per donum prophetiæ hoc tam alto, & tam mirifico Dominicæ nativitatis mysterio, admirans, ac stupens ait: *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile?* Nunquam profecto auditus, neque visus est talis partus ab initio, neque unquam videbitur in æternum: partus sine dolore, partus sine corruptione, partus sine anxietate, partus, ut ita dicam, sine partu, partus, denique omni gaudio & jucunditate plenissimus. Et quidem in statu innocentiæ fuisset partus omnino sine dolore; & si Patri Augustino (*a*) creditur, sine corruptione: parerent namque, secundum eum, mulieres integræ & incorruptæ, sed nullus partus fuisset ita mundus, ita purus, ita sacer, & miraculosus. Quam pulchre describit hunc partum idem Propheta in alio loco, dicens: *Germinans germinabit florebit quasi lilium. Et exultabit lætabunda, & laudans. Germinans germinabit:* quia sola germinabit, quia sine viro *germinabit. Sicut lilium.* Optima similitudo: quam pulchre editus Salvator ex Virgine, spiramini odoris ex

Isaiæ 66. (*a*) *Ibid.* 35.

(*a*) Vide cap. 26. libri 14. de Civit. Dei.

ex flore comparatur. Nam, ſicut flos propter odorem ſuum non perdit decorem, cum odor emittitur; ſic illa propter Salvatorem virginitatis candorem non perdit, cum naſcitur. *Et exultabit lætabunda, & laudans*, id eſt cum jubilo & cantico inenarrabili. O Virgo ſacra! Quis explicare ſufficiat tuorum gaudiorum exuberantiam in hac hora? Quis vel mente recolere fluctus illos inundantes cœleſtium deliciarum, & ſuavitatum, quibus cor tuum fluctuat in hoc partu? O quibus æſtibus, & fervoribus inflammaris, quibus radiis, & fulgoribus ab illo ſole juſtitiæ ex tuo utero prodeunte illuſtraris! Quibus undis, & torrentibus divinorum chariſmatum ab illo fonte perenni, & Deitatis abyſſo, in tuo ſacro ſinu inhabitante concuteris! O pectus virgineum pluſquam æneum, & adamantinum, quales ſpiritus ſuſtines impetus, quibus deliciarum fluctibus agitaris! Dic nobis o Beata, quid ſenſiſti, quando Parvulum illum ſpecioſiſſimum, coram te in pavimento jacentem, tam mirabiliter natum vidiſti? Quando te matrem & virginem, virginem & matrem Dei ſenſiſti? Quando te ſuper omnem creaturam ſublimatam, & exaltatam, utpote Creatoris genitricem, liquido cognoviſti? Dic, obſecro, quibus eum verbis ſalutaſti, quibus laudibus ſublimaſti, quo jubilo, quo tripudio, quo cantico in hac hora exultaſti? Et quod magis ſtupeo: cum ardores illos pluſquam ſeraphicos pectore ſuſtineres, & cor tuum ſicut Spiritus ſancti caminus mirificis æſtibus undique deflagraret, non tamen in ecſtaſim rapta aut a ſenſibus alienata es. Magnum profecto ſtupendumque miraculum, & ſupra modum memoriæ commendandum.

III. Quid enim? Una gutta dulcedinis, una ſcintilla ſpiritus, viros fortiſſimos, ac graviſſimos rapit penitus, & abſorbet: & virgo tenerrima, & delicatiſſima, tali ſpiritus impetu non raperetur? Non fuit certe hæc virtus humanæ fortitudinis, ſed divinæ: ipſe namque Filius, qui talibus eam motibus impetebat interius, ipſe eam roborabat exterius, ut matris officium exhiberet, & ex ſe genito deſerviret. Quid enim eſſet, ſi tanto novi partus miraculo attonita Virgo, in ecſtaſim raperetur, & Filius Dei nudus ſolo ſtratus, interim frigore moreretur? Exiſtimo enim non ſolum modo, ſed & omni alio tempore, poſtquam Filium Dei utero concepit, totam ejus vitam ecſtaſim continuam futuram fuiſſe, niſi grandi miraculo, ad ſimilitudinem Filii, ſpiritualium chariſmatum redundantia, ſuperiore mentis portione clauderetur: ne ſi redundaret in corpus, exteriori eam officio, ac vitæ munere defraudaret. Sed quid in ſacroſancto iſto partu mirabile non fuit? Mirabilis mater, mirabilis Filius, mirabilis partus, mirabile tempus, mirabilis locus, mirabile obſequium. Mater virgo eſt: virgo & mater Dei: habens Filium, & neſciens virum. Filius puer tenerrimus, & Deus æternus: infans unius diei, & Verbum Dei. Partus, ut diximus, ſine dolore, ſine corruptione, ſine anxietate. Hora nativitatis cum eſſet prius atra nox, in meridiem verſa eſt, ſicut Propheta prædixerat: *Et nox ſicut dies illuminabitur*. Locus nativitatis ex ſtabulo in paradiſum verſus eſt: ex hoſpitio jumentorum factus eſt palatium Angelorum. O locus ſacerrimus, locus devotiſſimus, locus a Deo ad tantum myſterium a principio ſæculi deſtinatus! Quanto ſacratior es templo illo magnifico Salomonis cum omnibus divitiis ſuis, quanto pretioſior es illo ſancta ſanctorum, tot ſæculis a Prophetis, & Patribus venerato? Bernardus (*a*). Lætare Bethlehem, & per omnes vicos tuos feſtivum hodie Alleluja cantetur. Quæ tibi civitas, ſi audiat, non invideat pretioſum illud ſtabulum, & illius præſepii gloriam? In univerſa ſiquidem terra jam celebre eſt nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes, ſcilicet propter ſtabulum illud toto terrarum orbe exaltata, & uſque ad cœlos laudibus ſublimata. Obſequium vero quanta admiratione digniſſimum? Procidunt coram Domino ſuo jumenta muta, & cum ratione careant, officium exhibent intellectus: notitiam, & venerationem Creatoris ſui, quam natura negavit, Divinitas præſtitit: & quem Judæorum Sacerdotes, & Pontifices ignorabant, humili, prout poſſunt, venerantur obſequio.

Pſ. 138.

(*a*)

Tob. 13.

IV. Quid de Angelorum officio dicam? Aſtant cœlorum Principes: velut examina apum ſuper favum, ita ſuper Puerum agglomerati & conglobati mirificas alternatim perſonant laudes. Nullus ſiquidem, ut creditur, in cœlo remanſit Angelus; nec ex illis quidem, qui ad nos deſcendere non conſueverunt: qui ad tantum ſpectaculum videndum, & adorandum, non deſcenderit, & ſicut par erat, Principi ſuo noviter nato, propter quem conditi fuerant, obedientiam, & reverentiam debitam non exhibuerit, ſicut Propheta prius prædixerat: *Et adorent eum omnes Angeli ejus*. Ibi Principatus, & Poteſtates, Cherubim, ac Seraphim, ibi Reges, paſtores, & jumenta communem Creatorem adorant. Nullus contemnit alium, nullus ibi dicit, quis es tu: & quis ſum ego? Sed mirabili concordia Angelici Principatus ſuæ celſitudinis & dignitatis obliti, jumentis aſſociati, non dedignantur Dominum ſuum inter ruſticos adorare. Quis enim tunc ſuæ dignitatis meminiſſe deberet, cum Divinam majeſtatem coram oculis ſuis videret in præſepio reclinatam, pannis involutam, in puero tenero præ frigore vagientem? Nunquid non mirabilia ſunt omnia hæc? Nunquid non merito his omnibus in ſpiritu perſpectis, Propheta exclamat: *Quis audivit unquam tale! Et quis vidit huic ſimile!* Siquidem Mulier

Pſal. 96.

Heb. 1.

Iſaiæ 66. *Lucæ* 15.

(*a*) Uſque ad ea verba: *Omnes generationes*, Bernardi oratio eſt Serm. 1. in Vigil. Nativ. Dom. num. 4.

lier illa ſapiens, id eſt Divina Sapientia, ut drachmam decimam quam perdiderat inveniret, totam univerſi domum evertit, divina humanis, cœleſtia terrenis, æterna tranſitoriis aſſocians & immiſcens. Deſcendens, ſecum traxit cœlos, ſicut ſcriptum eſt: *Inclinavit cœlos, & deſcendit.* Aſcendens ſecum evexit abyſſos, ſicut ſcriptum eſt: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem.* Sic namque ſe facturum olim promiſerat per Prophetam dicens: *Adhuc modicum & ego movebo cœlum & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes: & veniet Deſideratus cunctis gentibus.* Movit cœlos: quia omnes Angelorum ordines, & choros ſecum traxit ad terram; niſi forte motio hæc admirationis, & ſtuporis in Angelicis Spiritibus potius intelligenda ſit. Movit terras, & commovit omnes gentes in adventu ſuo, quia veniens ad terras grandis perturbatio per univerſum mundum ubique terrarum facta eſt. Et quis eam valeat explicare?

Pſal. 17. *Epheſ.* 4. *Aggæi* 2.

V. O puer tenerrime, & delicate? O infans tecte & diſſimulate, quanta latet virtus ſub hac infirmitate! Quanta potentia & majeſtas his pannis involvitur! Quam humilis & abjectus naſceris, & quam potens & glorioſus poſtmodum apparebis! Hic puer ſceptra Regum, coronas Imperatorum ad terram dejiciet. Hic regna potentiſſima, & civitates opulentiſſimas, populos ferociſſimos, & univerſas terrarum nationes ſuo ſubjugabit imperio. Hic mundi ſapientes, & ſæculi philoſophos turgidos, ſtultiſſimos comprobabit, eorum ſcientiam deſtruet, & novam ſapientiam dabit mundo. Hic leges antiquas, ritus nationum inolitos, amores vetuſtos, & omnem mundi ordinem & ſtatum permutabit: ſacrificia, & ſacerdotia tollet, idolorum cultum toto orbe, tot ſæculis ante receptum deſtruet: novaſque mundo leges ſtatuet, & novum vivendi modum, & ordinem introducet. Hic totum univerſum veluti pellem quandam evolvet, renovabit, & reformabit. O nova ſæcula, nova tempora, novum populum, novum mundum! Nec ſola exteriora, ſed & ſenſus, affectus, cogitationes, deſideria, & corda hominum penitus permutabit: ut ament, quæ prius oderant, & oderint, quæ prius amabant. Novos homines faciens ex veteribus, e terrenis cœleſtes, ex carnalibus ſpirituales, ex humanis Angelicos, in novam quandam formam eos recreans, & regenerans. Quanta putas commotio, quantum diſſidium, & altercatio erit in toto orbe ſuper iſto puero? Quot bella, quot contradictiones, quot impugnationes, quot millia hominum, mulierum, virginum, juvenum diſſecabuntur, & trucidabuntur ubique terrarum ſponte ſe offerentium morti, pro fide & honore hujus pueri? Denique hic puer parvulus præſepio reclinatus cum toto orbe ſolus luctabitur, & ad pedes ſuos victor eum proſternet; & ab omnibus gentibus adorabitur.

VI. Quam bene, quam apte hoc de ipſo & prævidit, & vaticinatus eſt ſenex Simeon, qui eum in ulnis tenens, ad puriſſimam Matrem ait: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur.* Extat de hoc figura ſolemnis, & notiſſima apud Danielem, illius ſtatuæ horribilis, quam vidit Nabuchodonoſor Rex Babylonis; cujus caput erat aureum; pectus, & brachia argentea; venter & femora ærea; tibiæ, & pedes ferrei: quam lapillus quidam de monte ſine manibus abſciſſus, ſponte cadens ex alto, attritis pedibus comminuit, ac in favillam penitus redegit: qui deinceps creſcens in montem magnum, univerſam terram replevit. Cujus tam admirabilis ac ſtupendæ viſionis interpretationem nullus inventus eſt ex ſapientibus Babylonis, qui Regi exponere valeret, niſi ſolus ille magnus Propheta Daniel; qui Spiritu Dei plenus, & ſomnium, & interpretationem ejus inſinuavit Regi: eſt autem talis expoſitio. Statua illa grandis & ſublimis, monſtrum illud varium & horribile, ſæculi hujus pompam & gloriam, terrenumque principatum deſignat, quem homines tam perdite affectant, & quærunt. Caput aureum imperium deſignat Chaldæorum primum, & maximum, quod pluſquam mille centum annis duravit. Pectus argenteum imperium ſequens Medorum ſignificat, quod & minus fuit priore, & multo minore tempore duravit. Venter æreus Græcorum imperium deſignat ſub Alexandro; quod ſicut æs per totum orbem ſubito inſonuit, & poſt modicum velut æreum confractum eſt; ſolum namque annis duodecim Alexander imperavit. Tibiæ & pedes ferrei imperium Romanorum longe lateque diffuſum ſignificant: quia ſicut ferrum omnia domat, & comminuit, ita hæc ultima monarchia priores ſua poteſtate commihuit & contrivit: quo florente *ſuſcitabit*, inquit, *Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.*

Lucæ 2. *Dan.* 2. *Ibidem. Mat.* 7. *Ibid.* 16. *Lucæ* 1.

VII. De lapillo autem illo omnia confringente quis futurus eſſet, non expoſuit Regi, quia indignus erat idololatra tantum cognoſcere ſacramentum, neque margarita porco tradenda erat: ſed ſolum in genere expoſuit de regno perpetuo quinto loco ſucceſſuro. Sed nobis fidelibus viam dedit, ut quibus datum eſt noſſe myſteria regni Dei, palam, & abſque omni dubitatione intelligamus, quis ſit iſte lapillus. Quis enim alius fuit iſte lapis, niſi de quo ſcriptum eſt per Prophetam: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?* Et per alium Prophetam: *Mittam in fundamentis Sion lapidem probatum angularem, &c.* Lapillus exciſus de monte illo altiſſimo, & faſtigio Deitatis ſine vi, ſine manibus: id eſt non cogentibus meritis, neque *ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos:* ſed ſponte ſua deſcendens in hanc miſe-

Mat. 7. *Lucæ* 8. *Pſ.* 117. *Iſaiæ* 28. *Tit.* 3.

riæ

riæ vallem, ut ſalvaret nos: neque enim tantæ dignationis donum ab aliquo potuit promereri; ſuperat omne meritum tam ſublime, & ineffabile beneficium. Deſcendit autem florente quarto imperio Romanorum, quando ab Imperatore Auguſto totius orbis monarcha, Euangelio teſte, *exiit edictum, ut deſcriberetur univerſus orbis*; ut videlicet ab omnibus gentibus, vel iſto modo, Dominus, & Imperator orbis recognoſceretur: ad hoc enim maxime conducebat iſta profeſſio. Hic autem lapillus pretioſiſſimus, qui pannis involvitur, & præſepio reclinatur, ut diximus, non ſolum Romanum imperium, ſed & omnia regna mundi, tam Chaldæorum, quam Medorum, quam Græcorum ſibi ſubjecit: omnemque mundi faſtum, & pompam monſtro illo deſignatum, ſua doctrina penitus evertit, & in nihilum redegit, docens homines non amare temporalia, quæ videntur, ſed æterna & ſpiritualia, quæ non videntur. Sic namque de illo ſæpius fuerat prophetatum, dicente Pſalmographo: *Omnis terra adoret te, & pſallat tibi*; & iterum: *Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine*; & iterum: *Et adorabunt eum omnes Reges terræ omnes gentes ſervient ei*. Nulla namque fuit natio, neque regnum, neque provincia, quæ aliquando non ſervierit Chriſto Domino, teſte ejus Diſcipulo, qui ait: *Ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, feciſti nos Deo noſtro regnum*. Hæc potentia, hæc virtus, & magnitudo hujus pueri, qui in tugurio naſcitur, & velut fœnum jumentis in præſepio reponitur.

Lucæ 2.
Pſal.65.
Pſal.85.
Pſal.71.
Apoc. 5.

VIII. Sed quibus armis hæc tam potentia regna, & univerſum orbem expugnaverit, audiamus. Propheta illum ſic alloquitur in Pſalmo: *Speciоſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda*. Optimus caſus cordis, caſus ſpontaneus, & voluntarius, quando non corpora ſolum, ſed corda potius poſternuntur. Alii Reges cum vincunt, victores ſunt corporum: hic novus Rex victor eſt animorum. Totus mundus coram eo victus procidit, non tam corpore, quam corde. Sed propter quid? Utique propter ſagittas ejus acutas, ſagittas ardentes, ſagittas penetrantes, ſagittas, dico, amoris & affectionis, ſagittas ſpiritus & devotionis, ſagittas fulgoris & fulminis. His corda hominum ſagittavit, & vulneravit vulnere lætiſſimo, & jucundiſſimo, vulnere dulciſſimo, vulnere gratiſſimo, quali ſe Sponſa in Canticis vulneratam jactabat dicens: Vulnerata charitate (*a*) ego ſum. Gladio itaque, & arcu ſuo, rhomphæa, & ſagitta mundum ſibi ſubjecit Dominus. Unde Bernardus (*b*): Pars tua ſumus Domine, quam tuliſti de manu Amorrhæi in gladio, & arcu tuo. Gladius tuus ſermo tuus vivus, & efficax. Arcus tuus incarnatio tua. His duobus mundum ſuperaſti; verbo ſcilicet & beneficio: verbo prædicationis, & beneficio incarnationis. Non enim potuit mundus portare tantum pondus, tam eximiæ pietatis: ceſſit victus tam immenſo munere, tam indebitæ dignationis. Quis enim vel ferreus, vel lapideus non molleſceret tam ingenti calore flagrantiſſimæ charitatis? Ceſſit dono, qui reſtiterat flagello; ceſſit amori, qui non ceſſerat prius timori. Unde Ambroſius (*c*) exponens illud Apoſtoli: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*; multa, inquit, Domine feciſti ab initio, & non genuflexi: feciſti cœlos, & terram propter me, & non genuflexi; feciſti mirabilia in Ægypto, diviſiſti mare, ſiccaſti Jordanem, apparuiſti in Sina mirabilis, & terribilis, in flamma, & tuba, & tonitruo, & corruſcatione, & non genuflexi: at poſtquam te vidi pro me humiliatum, naſcentem, vagientem, & morientem, non potui amplius ſtare, ſed ſtatim procidens adoravi. Viciſti me Domine, & victus ſum; fortior me fuiſti, & invaluiſti. Quæ namque potentia, quæ altitudo, quæ ſublimitas non caderet coram Divina majeſtate? Dominus in mundo: quis ſtabit contra eum? Divinæ poteſtati quis reſiſtet? Unde Pſal. *montes ſicut cera fluxerunt a facie Dei*. Quid ni molleſcerent, & fluerent rupes a tam potentis ignis camino liquefactæ? *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi*. Illæ utique aquæ, de quibus Joannes in Apocalypſi: Aquæ multæ populi multi. Et iterum idem Propheta, admirans, & ſtupens ait: *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Jordanis, quia converſus es retrorſum?* ac ſi diceret. O inſtabile ſæculum! O fluida mortalis naturæ conditio, quæ poſt delicias, & vanitates rapidiſſimo quodam impetu ferebaris, quomodo ſtetiſti? Quis te cohibuit, quis te frænavit? Cui quæſtioni reſpondens, ait: *A facie Domini mota eſt terra, a facie Dei Jacob*. Quaſi dicat. Ad ejus præſentiam cordis noſtri ma-

Pſal.44.
Cant. 2. (*a*)
(*b*)
(*c*)
Philipp. 2.
Gen. 1.
Pſal.77.
Exodi 14.
Joſue 3.
Exodi 19.
Pſal.96.
Pſal.76.
Apoc.17.
Pſ. 113.

re

(*a*) Ita Septuaginta, ubi Vulgata legit: *Amore langueo*, Cant. 2. v. 5.

(*b*) In Sententiis, quas primo loco poſt Sermones de Diverſis collocavit Mabillonius num. 13. poſt ea verba: *Arcus tuus incarnatio tua*, ita proſequitur: *Ibi enim velut curvato ſapientiæ ligno, & pio quodam modo flexa divinitate, nervus carnis vehementer extenſus, & humanitas ineffabiliter aucta cognoſcitur. Pars ergo tua ſumus, & populus acquiſitionis tuæ, quem acquiſiſti verbo prædicationis, & myſterio incarnationis.*

(*c*) In Pſal. 118. Serm. 14. num. 20. *Quanta fecit Dominus, audeo dicere, & non flexi ei genu? ſed flexi ei, poſtquam ſe humiliavit.*

re ſiccatum eſt: & per ejus adventum noſtræ ſenſualitatis fluxus ſtetit. Non enim incaſſum cedere debuit tantæ majeſtatis adventu, neque ſine grandi hominum commodo Deus inter homines converſatus eſt. Ab illo igitur Dominicæ incarnationis arcu ſagittæ flammantes prodierunt, quæ hominum corda vulnerarunt, & ſubjecerunt. *Etenim ſagittæ tuæ* pertranſeunt. Unde merito, ut inquit Bernardus (*a*), incarnatio Domini arcui comparatur. Ibi enim, velut curvato Sapientiæ ligno, & pio quodam modo flexa Divinitate, nervus carnis vehementer extenſus, & humanitas ineffabiliter aucta cognoſcitur. Curvatus eſt Deus uſque ad hominem, extenſus eſt homo uſque ad Deum: proprietates carnis Deus aſſumpſit, ut caro, Dei functionibus potiretur.

Pſal.76.

(*a*)

IX. Quam apte hæc Dei exinanitio in libro Regum præfigurata eſt in illa Eliſei Prophetæ ſuper puerum curvatione? Eſt autem hæc figura: mulier quædam Sunamitis hoſpita Eliſei, precibus ejus a Domino filium impetravit, quo præ dolore capitis extincto, ſapiens mulier ad Prophetam vadit in montem deprecatura pro filio. Mittitur a Propheta famulus Giezi cum baculo, quem poneret ſuper puerum; ſed non ſurrexit puer, neque erat ei ſenſus neque vita. Mulier autem prudens inſtabat dicens, vivit Dominus, quia non derelinquam te. Precibus itaque illius Propheta inclinatus deſcendit cum ea in domum ſuam, & accubans ſuper puerum; *poſuit os ſuper os ejus, & oculos ſuper oculos ejus, & manus ſuper manus ejus*, & cum puero dimenſus eſt, atque hoc modo concaluit caro pueri, *& oſcitavit ſepties*, & vixit, vivumque tradidit matri ſuæ. O magnum, & evidens myſterium! Ad quid Propheta menſus eſt cum puero? Quid ad vitam iſta dimenſio? Nunquid ut caro pueri calefieret: poterat ad hoc ignis commodius applicari, cujus calore, & fortius & citius incaleſceret; ſi non ibi aliud lateret ſacramentum? Cujus namque typum habuit puer ille, niſi humani generis præ capitis dolore, id eſt ſuperbiæ elatione præmortui? Mittitur famulus Dei Moyſes cum baculo, id eſt lege veteri, qui eum ſuſcitet, & vivificet; ſed virga vivum perimere poteſt, non mortuum ſuſcitare; baculus ad occidendum, quam ad vivificandum aptius inſtrumentum. Denique, ut ait Apoſtolus: *Lex iram operatur*, neque data eſt lex, quæ poſſet hominem juſtificare. Inſtat igitur precibus, lacrymis, & clamoribus, ad Prophetam mulier illa magna, & ſapiens Sunamitis, id eſt Eccleſia, vel potius ſacra Virgo Maria, ut deſcendat & ſua præſentia, & flatu ſuo vivificet, quem baculus ſuſcitare nequivit. Non enim lege ſcripta, ſed Spiritu Dei vivificandus erat mundus. Hæc Virgo ſuis eum precibus traxit e cœlo, hæc ſuis meritis & virtutibus, ut inquit Bernardus (*b*), cœlum invaſit, & in ſui amorem Prophetæ cœleſtis animum inclinavit, quem in ſui uteri domicilium novem menſibus hoſpitavit, ſicut ipſe fatetur in Canticis clamans ad eam: *Averte oculos tuos a me, quia ipſi me avolare fecerunt*. Unde, aut quo avolare, niſi a ſinu patris in uterum matris? Quam ſapienter, quam eleganter ille Propheta regius hoc totum uno verbo in Pſalmo deſignavit, dicens: *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*. Mira & propriiſſima comparatio dilecto, & unicornis filio. Dicitur namque a Philoſophis, ut refert Iſidorus (*c*) *in Ætymologiarum libro*, quod unicornis a venatoribus ob feritatem nimiam nulla vi, nulla arte capi poſſit; capiatur autem hoc modo: ille naturali quodam inſtinctu mulieres diligit, & admiratur. Opponunt ergo ei venatores puellam decoram, belle ornatam, in deſerto in quo degit, ſolitariam: quam ille videns hæret ſtatim, ac ſtupet admiratus ejus decorem, paſſimque ad eam, illius attractus amore accedit, atque depoſita feritate ſuper ejus gremium caput reclinat: quem illa leniens ligat, & ligatum venatoribus ibidem latitantibus tradit.

4.Reg.4.

Exodi 4.

Rom. 4.

Cant. 6

Pſal.28.

(*b*)

(*c*)

X. Quid dilecto, quid Filio Dei ſimilius in toto orbe reperiri potuit? Ferox ille atque terribilis, qui antiquitus Deus ultionum merito vocabatur, omni hac feritate depoſita: unius Virginis amore, & pulchritudine tractus, mitis, manſuetus in ejus uterum reclinatus, quem illa carneis nexibus ligatum, pro ſalute mundi ſacrificandum quærentibus eum venatoribus, id eſt Judæis, tradidit. Non enim teneretur niſi homo; aut traderetur niſi homo; aut crucifigeretur, & moreretur, niſi homo. Deſcendit ergo magnus Propheta de monte, id eſt, Filius Dei de cœlo, magnæ illius Sunamitis precibus inclinatus; de qua in Canticis: *Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum*, id eſt, virtutum, & gratiarum ordines invictiſſimos? Deſcendit autem, mortuum, quem lex non poterat, vivificaturus: ſed vivificari non poterat, niſi dimenſus. O Propheta glorioſe, quam magnus, quam amplus, quam longus, & latus es! Humiliare, incurvare, exinanire. Ecce, ut ſuſcites hominem peccato mortificatum, cum eo dimetiendus es. O mirabilem, o ſtupendam Dei cum puero dimenſionem! Quomodo dicam, quomodo explicabo eam? Lingua deficit, intellectus hæret, ſenſus ſtupet, non valet animus explicare quod ſentit. Quid dicam Fratres? Deus ille omnipotens,

Pſal.93.

Cant. 7

(*a*) Ejus verba paulo ante recitavimus.

(*b*) Aliquid hujuſmodi legere eſt in Sermone Panegyrico, olim S. Bernardo adſcripto, & a Mabillonio inter apocripha rejecto vol. 3. pag. 763. ita num. 2. *Ibi* (in utero ſcilicet B. V. M.) *Magnus Eliſeus in menſuram ſuſcitandi pueri ſeſe contraxit.*

(*c*) Ætymol. lib. 12. cap. 2. ita de Unicornu. *Tantæ autem eſt fortitudinis, ut nulla venantium virtute capiatur, ſed ſicut aſſerunt, qui naturas animalium ſcripſerunt, virgo puella proponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille omni ferocitate, depoſita caput ponit, ſicque ſoporatus velut inermis capitur.*

tens, infinitus, æternus, ſumme bonus, ſumme beatus, cum omni ſua ſapientia, potentia, fortitudine, majeſtate, cum tenerrimo puero unius diei in animalium præſepio menſuratus apparuit. Quis ſatis mirari queat intra teneritudinem illam infantilem, tantam potentiam, virtutem, & majeſtatem incluſam? & Dei attributa, perfectiones, affectus, cogitationes, intellectum, ſapientiam, infantilibus ſenſibus, affectibus, cogitationibus permiſceri? cum ipſe per Prophetam
Iſaiæ 55. dicat: *Sicut exaltantur cœli a terra, ſic exaltatæ ſunt cogitationes meæ ſuper cogitationes veſtras*. Infans ille, qui in præſepio vagit, ſapit ut Deus, & ſapit ut infans: cogitat ut Deus, & cogitat ut infans: vult ut Deus, vult ut infans: amat ut Deus, amat ut infans.

XI. Quem non terreat iſta connexio? Vident Angeli, conſiderant cœleſtes Principatus, inſpiciunt Cherubim, atque Seraphim, aſtant cœli cives, & tanto prodigio ſupra quam dici poteſt ſtupefacti, mutuo ſe aſpicientes, prius attoniti tacent, deinde in mirabiles laudes, & dulciſſimas cantiones prorumpunt. Hoc non noſtrum eſt commentum:
Lucæ 2. Euangeliſtam audiamus. *Facta eſt*, inquit, *cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. O quis audiſſet, o vel ſaltem quis noſceret, qualia cantica, & quibus ea modulis, & vocibus perſonarunt! O Euangeliſtæ ſacri cur nos tanto gaudio, & conſolatione fraudaſtis? Cur non ad longum Angelicos iſtos cantus, & cœleſtia tripudia recenſuiſtis? Una tantum a Beato Luca cantilena expreſſa eſt, quam diximus: hanc, ſi placet, exponamus. Neque enim exigua, aut contemnenda eſt, quæ a talibus cantoribus, in tanto myſterio, cum tanto gaudio decantatur. Unde merito eam Eccleſia inter ſacra quotidie pro ſua excellentia, alta voce cantari jubet: *Gloria Deo, pax hominibus*. Optima & nimis acceptanda diviſio. Quid miſeri mortales, tam anxie quæritis, & tam impie vobis arrogatis, quod Dei eſt? *Soli Deo*
1. Tim. 1. *honor, & gloria:* quippe a quo, & in quo, & per quem omne bonum eſt. Ad quid tibi gloria? Tu potius, ſi vis vitam, ſi cupis dies
Pſal. 33. videre bonos: *Inquire pacem, & perſequere eam*. Hæc tua pars: ſeda turgidos cordis tui fluctus, mitiga fervidos appetituum tuorum motus; & invenies tibi vitam bonam, & felicem. Sed non poteris habere pacem,
Iſaiæ 48. niſi prius adſit bona voluntas. *Non eſt pax*
Ibid. 57. *impiis, dicit Dominus. Cor autem impii quaſi mare fervens*. Quomodo enim habebit pacem, in cujus corde contraria acies cogitationum, invicem accuſantium, & defendentium, & deſideriorum in contraria diſſidentium, inceſſanter dimicant contra ſe; quibus miſerabiliter diſtractus animus totus intra ſe diri-
3. Reg. 19. pitur, & dilaniatur? Sed non in turbine Dominus: *Non in commotione Dominus*. Non dignatur Deus hujuſmodi inquietas, & perturbatas animas inhabitare: *Quoniam factus eſt*
Pſal. 75. *in pace locus ejus*. Super quem enim requieſcit Spiritus Domini, niſi ſuper humilem, &
Iſaiæ 66. quietum, & timentem ſermones ejus?

XII. Anima, quæ Chriſtum ſpiritualiter concipere cupit, ſimilis eſſe debet Mariæ Virgini, quæ ipſum carne concepit, quieta, pacifica, devota, ſolitaria, tranquilla, ab Angelicis Spiritibus ſæpius viſitata. Angeli enim animas fœtas Verbo Dei, ſua viſitatione fœcundant: propter quod in Pſalmo arietes nominantur: Quæ vero commercium deſiderat Angelorum, oportet, ut quantum valet, declinet, & fugiat colloquia hominum. O partus deſiderabilis, & dulcis, virgineo quam ſimilis! Partus ſine dolore, & anxietate, omni gaudio, & exultatione pleniſſimus. Nulla anima vere læta, & jucunda eſt, niſi quæ Chriſto gravida, ipſam jucunditatem geſtat in ventre. Sed tamen varius eſt partus hujuſmodi animarum. Quædam enim animæ Chriſtum concipiunt, quem nunquam pariunt. Hæ ſunt, quæ bonum deſiderium, quod animo geſtant, præ ignavia, & deſidia, opere non complent; de quibus Propheta: *Venerunt filii uſque ad*
4. Reg. 19. *partum, & vires non habet parturiens. Væ*
Mat. 24. *autem prægnantibus in illis diebus*. Aliæ autem Chriſtum abortiuntur. Hæ ſunt, quæ bonum deſiderium utero animæ conceptum, curarum ac negotiorum pondere oppreſſæ, informe, & intempeſtivum, abortientium more fœminarum, opus educunt, in quibus Chriſtus propter frequentes cordis anxietates, perfecte formari, ac effigiari non poteſt. De his Apoſtolus ait: *Filioli mei, quos*
Galat. 4. *iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. Aliæ autem male pariunt, & in partu ipſo periclitantur, & moriuntur. Hæ ſunt, quæ bona deſideria viriliter opere exequuntur: ſed tamen propter inanem gloriam, vel perverſam intentionem, vel propter peccatum aliquod, quod opus ipſum bonum, vel comitatur, vel continuo ſequitur; & fœtus boni operis perit, & anima pariens peccato moritur. Aliæ vero bene quidem pariunt: ſed ſteriles ſunt, neque habent lac ad fœtum nutriendum; de quibus in Canticis: *Soror*
Cant. 8. *noſtra parva eſt, & ubera non habet*. Hæ ſunt, quæ opus bene incœptum, ex nimia tepiditate, & devotionis defectu proſequi non poſſunt; quæ licet fortiter inchoant, tamen in bono opere minime perſeverant: atque ita paulatim exſiccato devotionis fonte, & primo illo ſpiritus fervore conſumpto, Chriſtus in eorum corde veluti infans, lactis defectu moritur. Sunt etiam nonnullæ, quæ Chriſtum nutrire, aut præ deſidia, aut præ inopia nolunt: ſed cum ipſum ſtudioſe peperint ad portas alienas nutriendum exponunt. Tales ſunt nonnulli prædicatores, qui Chriſtum, quem verbo veritatis, & doctrinæ feliciter pariunt, exemplo, & vita nutrire deſpiciunt: ſed eum populo bonis operibus fovendum, ac alendum relinquunt.

Quæ autem vera Chriſti mater eſt, ipſum cum gaudio concipit, cum fortitudine parit, cum ſpiritu, & devotione nutrit, & ad perfectam ætatem cum perſeverantia ducit; cui per charitatem, & amorem ecſtaticum adhærens, fit ſponſa ex matre. Talis erat quæ dicebat: *Tenui eum, nec dimittam, donec, introducam illum in cubiculum genitricis meæ*, id eſt, ſupernæ Jeruſalem, quæ eſt mater noſtra. Itane o ſponſa tu eum introduces in gloriam, an potius ipſe te? Quanto modeſtius prius dixeras: *Introduxit me rex in cellaria ſua*. Arroganter loqui viſa eſt: amor fecit: ſed utrumque verum eſt: introducta, introducam; & ego illum, & ille me: ille me gratia, ego ipſum merito: ille me fide, ego ipſum opere: ille me dono, ego ipſum obſequio: ille me in inſpirationibus, ego ipſum laboribus: ille me aſſiduis beneficiis, & ego ipſum ardentiſſimis deſideriis; quibus veluti brachiis tenaciter ipſum ligabo, & fortiter tenebo, atque cum ipſo pariter in illud ſecretum cubiculum genitricis meæ, in illud tabernaculum admirabile, in illum thalamum ditiſſimum, & pulcherrimum, deliciis affluentiſſimum perpetuæ felicitatis introibo.

Cant. 3. Galat. 4. Cant. 1.

IN FESTO NATALIS DOMINI

CONCIO PRIMA.

DE CHRISTI NATIVITATE JUXTA EUANGELIUM.

Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt.
Lucæ 2. v. 15.

CONCIO CXVI.

I. HODIERNÆ feſtivitatis ſacramentum, Fratres, ſacrumque myſterium, non tam lingua, quam affectu colendum eſt: non tam verbis, quam gaudiis celebrandum. Obſecrandus eſt Deus, ut præſtet homini ſentire quod colit, colere quod accepit: & qui tantum homini præſtitit donum, præſtet & ſenſum, ne tanto beneficio ingratus inveniatur. Quid enim proderit grandia recepiſſe donaria, & hoc ipſum ignorare quod accepit, niſi ad ingratitudinis labem? O felicem, o ſacrum diem, quo Deus Homo factus, ex utero virginali veluti novus ſol oriens illuxit mundo! O jucundiſſimam lucem, quæ unico ictu, & paſtorum, & Magorum oculos ſubito radio perſtrinxit; hos ſtellæ lumine, illos divina claritate ducens ad præſepium! Ut enim ait Euangeliſta: *Claritas Dei circumfulſit illos*. Quis hujus diei ſacram venerandamque lætitiam valeat explicare ſermone? Vidit in ſpiritu Propheta diem iſtum, & gaudio repletus, ponduſque lætitiæ ferre non valens, exæſtuans ſpiritu, gratulabundus erupit in exultationis præconium, omnes invitans creaturas ad laudem, omnes invocans in adjutorium ſibi, ut ad perſolvendas tanti beneficii laudes ipſum adjuvare conveniant. *Lætentur*, inquit, *cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: orbis terrarum & univerſi, qui habitant in eo. Jubilate Deo omnis terra: cantate, exultate, & pſallite. Pſallite Domino in cithara, in cithara & voce Pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Jubilate in conſpectu Regis Domini: moveatur mare, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo. Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt a conſpectu Domini*. Propter quid o Propheta, & ad quid tam univerſalis omnium, & immoderata lætitia? Quia venit, inquit, *quoniam venit. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael*. Implevit quod promiſerat antiquis Patribus Deus, mittens *deſideratum gentibus* Filium ſuum in carne: *Ut Prophetæ* ejus *fideles inveniantur. Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*. Et qualis Parvulus? Cujus celſitudinem admirentur Angeli, ſtupeant Cherubim, paveant gentes, populi contremiſcant. Siquidem vocabitur nomen ejus: *Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis*. Hæc ſunt Fratres, quæ vobis hodie enarranda ſuſcepimus: hæc ſunt, quæ vivo magis quam ornato ſermone dicere concupiſcimus. Rem ipſam prout geſta eſt, ex ſacra Euangelii hiſtoria compilantes, proprioque & nativo, ut geſta eſt, ordine proponentes. Aſtate, & omnibus vos animo exhibete præſentes: quo enim faciliora ſunt intellectu, quæ dicimus, eo ardentiora ſunt affectu, ſi digno, ut par eſt, fervore animi penſitentur.

II. Naſciturum Dominum in Bethlehem longe ante Propheta prædixerat, neque hoc populi illius ſcribas, & magiſtros latebat. Sed, ne omnibus palam eſſet altitudo myſterii, veluti caſu Prophetia impleta eſt. Deſcriptio præcipitur ab Auguſto: & dum Maria & Joſeph deſcribendi veniunt in Bethlehem, diſponen-

Pſal. 95. Pſal. 23. Pſal. 97. Pſal. 97. Aggæi 2. Eccli. 36. Iſaiæ 9. Lucæ 2.

ponente Deo, Christus ibidem nascitur, & vaticinium impletur. Cur hoc ita? Cur non potius Virgo Bethlehemitica fuit, & illius incola civitatis, ne in tenero saltem corpore, partui proxima tam longam peregrinationem subire cogeretur? Nempe, ut sigillato mysterio admitterentur digni, arcerentur indigni. Hoc namque plurimos illius gentis Domini æmulos vehementer scandalizabat, quoniam Nazaræus erat eorum judicio, illum in Nazareth ortum esse putantes, & non in Nazareth, sed in Bethlehem nascituros erat Christus. Unde & Nathanael hujus vaticinii non ignarus, Philippo, Joseph filium a Nazareth Christum sibi prædicanti: *A Nazareth*, *Jo. 1.* respondit, *potest aliquid boni esse?* Et cum Gamaliel partis Domini fautor in concilio pro Domino responderet, ab æmulis Domini dictum est illi: *Scrutare Scripturas & vide* *Ibid. 7.* *quia a Galilæa Propheta non surgit*. Impingebant enim jam in illum *lapidem offensionis*, *Isaiæ 8.* *& petram scandali*, quam prophetans olim prædixerat Isaias. Altissimo ergo Dei profundoque consilio hoc ita dispositum esse cognoscamus: *Mat. 7.* non enim dandum erat sanctum canibus, neque margaritæ porcis committendæ. Neque hic leviter prætereunda Virginis angustia est, cum vicina partui lares proprios dimittere, & alienas petere cogitur ædes, longam terere viam, & per montosam exulare regionem. Virgo, inquam, tenera, & gravida, virgo publici nescia, domi assueta, virgo super omnes fœminas prudentissima. Neque Viri sancti anxietas, & afflictio dissimulanda: cum, pervagatis singulis quibusque domibus, nullum Virgini reperit domicilium, nullum sibi & sponsæ invenit hospitium. Tristabatur utique, & seipsum forte de talibus infortuniis arguebat, sibique uni hospitii repulsam attribuebat, & quanto magis illam omni honore digniſſimam cogitabat, tanto magis illam videns inhonoratam dolebat. Sed sacræ Virginis temperabatur eloquio, illum adhortantis, ut libenti, forti, & alacri animo ista pateretur: sciens sine decreto Dei nihil fieri posse; & quod vir bonus quicquid ei acciderit æquo animo debet sustinere. Sive igitur necessitate cogente, sive quia advenarum tumultum, & frequentiam diversorii Virgo horrebat, in porticum quandam civitatis muro proximam hospitari consilium fuit.

III. Est locus sub rupe cava, non hominum manibus (a), sed Deo fabricante con- (a) structus, quem tanto mysterio ab initio natura formaverat: & ne unquam sacra deficeret ædes, eam non ex lapidibus, non ex lateribus, sed ex fortissima & durissima rupe omnium Creator defixerat. Unde & hodie omnium sacrarum illius temporis ædium sola permansit, cæteris aut bello, aut vetustate consumptis. O locum sacrum! O locum benedictum! O porticum cœlo parem, mystico illo tabernaculo digniorem, sanctorum sancta sanctiorem! Quem tibi, & Angeli, & homines non debent honorem, cum in te nascatur Dominus, & Angelorum, & hominum? O quanta, purpuratum, inauratum & gemmatum, dignitate superas templum! Templum, inquam, illud magnificum Salomonis, tanta mole constructum, toto orbe celeberrimum, cunctisque mortalibus admirandum! Felix Bethlehem tanti Regis ditata natali: felix creatoris tui patria, quæ de tanto filio gloriaris! Lætare Bethlehem, & per omnes vicos tuos festivum ho- *Tob. 13.* die Alleluja cantetur. Quæ tibi civitas, quæ regio, quod regnum pretiosum illud stabulum non invideat? Hoc te toto orbe celebrem fecit: hoc famam nomenque tuum cunctis gentibus ubique terrarum publicavit: hoc tuam super astra gloriam evexit. Propter hoc ubique laudaris, ubique desideraris, undique terrarum confluentibus in te gentibus avidissime frequentaris. Non oriens suos detinet Indos, & occidens ad te suos mittit Iberos, ut a solis ortu usque ad occasum tua gloria decurrat. Hoc sacrum sacellum sæpius, ut existimo, regius Propheta Deum adoraturus intrabat. Prænoverat enim spiritu monstrante loci dignitatem, & sanctitatem: & quorum futurum esset quandoque hospitium, non ignorabat. Hoc est quod in Psalmo legimus. *Ecce audivimus eam in Ephra-* *Ps. 131.* *ta, invenimus eam in campis sylvæ. Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Et infra: *Illuc producam cornu David*, id est, Salvatorem Messiam, per quem regnum, & potentia David in sæculum confirmabitur. Quibus utique verbis, & futuram in Bethlehem Domini Nativitatem apertissime Prophetam cognovisse, atque in illo sacro Natalis Domini loco sæpius eundem adorasse, monstratur. Neque te moveat, quod de præterito enunciat: *Steterunt pedes ejus*; hoc enim commune est Prophetis, propter certitudinem Prophetiæ, futurum tempus in præteritum commutare.

IV. Intrat igitur Virgo regia pauperis hospitii incompositas angustias: intrat domicilium paleis, & animalium stercore sordidatum: domunculamque vento, & frigore perviam gratanter inhabitat. Non ibi sella, non lectus, non mensa, non ignis, non denique alia supellex, præter humile præsepium pascendis animalibus aptum. Hæ sunt bone Jesu partus solatia, quæ Matri puerperæ præparas? Hæc deliciæ, hæc ampla palatia, hæ opes, hic ministrantium apparatus? Quis jam de adversa fortuna conqueratur? Quis de sua sorte audeat indignari? Quis, quantumlibet adversa patiatur, non æquo ferat animo? Mater Dei hæc sustinet: mundi Domina, & Regina cœlorum tali hospitatur hospitio: &

(a) Speluncam fuisse, non rusticæ alicujus domunculæ stabulum, locum ubi natus est Christus, testantur antiqui Scriptores, quos adducunt Baronius Annal. Eccles. tom. 1. §. 2., & Sery Exercit. 30.

indignabitur vilis vermiculus quicquid illi accidat, quomodocunque tractetur: & pauper non gratias aget, in tam despecto loco Filium Dei videns, se similem Dei nostri in paupertate cognoscens? Et si dura sibi acciderint, nonne in ipsis gloriabitur, cum tam dura & aspera Matrem, & Filium, pro seipso pati perspiciat? Aderat jam hora illa sacra, hora aurea, hora rutilans, super omnia tempora benedicta, hora mundi solatio ab initio destinata, *& nox in suo cursu medium iter* agebat, cum ecce virgineus undique vultus immutatur: rubent genæ coloribus, candidaque alioquin facies tota purpuratur, ita ut liliis candidis assimilare illam posses, purpureis mixtis rosis. Fervido agitatur spiritu, insuetisque ardoribus beatissima illius anima inflammatur, æstuabat intus deliciis, inundantesque gaudiorum impetus tenerum pectus portare nequibat. O Virgo benedicta? Anne isti sunt sacri partus dolores? Istæ puerperii intolerabiles anxietates, hæ torsiones, quas solent tali tempore sustinere prægnantes? Prænovit alma puerpera sui partus indicia, & Spiritu Dei plena, devotione fervida, manibus oculisque in cœlum levatis, flexisque genibus totam se Deo devovens, ipsius beneplacitum expectabat.

Sap. 18.

V. Aderat & Sanctus Joseph rerum novitate perterritus, oransque & ipse silentio, rei exitum attendebat; cum ecce virgineo elapsus utero decorus Infans, nuda terra coram eis ejulans palpitabat: Infans omnipotens, mirandus Infans, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei:* Infans parvulus, & Deus immensus. Qualis ex purpureæ gremio auroræ cum rutilans oritur sol, qualis radius, cum vitream penetrat fenestram integramque relinquit: qualis stella fulgorem, aut vernans rosa placidum ex se mittit odorem, talis decora Puella suo utero edidit Salvatorem. Adorat Mater, quem peperit Filium, & prius ut Deo devotum offert mentis obsequium, quam ut puero necessarium exhibeat matris officium. Quis tuam Virgo nunc explicet mentem? Quis tui cordis gaudium valeat referare, cum Dei tui, Creatoris tui matrem te vides, & virginem, gaudium matris habentem cum virginitatis honore? O partum stupendum, o partum mirandum, o partum denique qualem decet omnium Conditorem! Hunc partum admirans Propheta, in mentis stuporem actus exclamat: *Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic simile? Antequam parturiret peperit, & antequam veniret partus ejus, peperit masculum.* Et ne illius partus modum ignorasse ipsum existimes, alio in loco dicit: *Germinans germinabit & florebit quasi lilium, & exultabit lætabunda, & laudans.* Apertissime immunitatem, lætitiamque parientis designans. Quo me vertam Fratres? Quid prius dicam? Extra me, me positum inter tanta miracula cerno. Deus nascitur, Virgo parit, partus dolorem non affert, Virgo lacte cibat, alitur Omnipotens, pannis involvitur, obmutescit Verbum, lætitia plorat, & manibus portatur ille, qui sustinet orbem. Hoc spectaculo attonitus Joseph, tremebundus adstat, contremiscit, & gaudet, turbatur & exultat, nec suum in Virginem audet attollere vultum. Lacta o Virgo beata, lacta Deum tuum, Panem Angelorum o Benedicta refice ubere de cœlo pleno. Involutum ergo Infantem Mater in præsepio locat, quoniam non erat ei locus in diversorio. Non erat, inquit, in alieno hospitio locus illi, qui condidit locum: illi qui omnem replet locum, illi qui cunctorum est ipse locus. O extremam paupertatem & loci indigentiam, cui deest in orbe locus! Quid mirum si cuncta desint, cui etiam in diversorio alieno deerat locus? Alieno nascitur loco, alieno conditur sepulchro, alieno in vita utitur hospitio, & *nihil* penitus *differt a servo, cum sit Dominus omnium.*

Coloss. 2.

Isaiæ 66.

Ibid. 35.

Galat. 4.

VI. Age jam Infans decore, nostras incipe sentire miserias, nostros incipe portare dolores, salutis nostræ aggredere præludia, major postmodum majora facturus. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* *Exulta ut gigas* alacriter *ad percurrendam* laboriosam vitæ mortalis *viam*, laboriosum iter aggredere, & opus incipe ad quod venisti. *Grandis enim tibi restat via:* plura remanent periculosa discrimina, innumera tibi vincenda certamina, acerrimique pro nobis subeundi dolores. O elegantem Puerum! O Puerum pulcherrimum tantis laboribus natum! Felices lacrymæ quibus nostra abluuntur crimina: felices ploratus quibus æterna gaudia possidemus: felices panni quibus nostra nuditas operitur, & gloria nos immortalitatis vestimur: felix arctitudo præsepii, qua nobis cœli amplitudo donatur. Tu enim Domine jaces in præsepio, ut nos sedeamus in gloriæ & honoris throno. Tu brutis animalibus associaris, ut nos Angelicis inseramur cuneis. Tu virgineo lacte cibaris, ut perpetuas nos mereamur degustare delicias. Meum tua paupertas patrimonium est, & mea virtus infirmitas tua: mea gloria dejectio tua, & meum est totum, quod pro me pati dignatus es. Mei sunt ploratus, meæ sunt lacrymæ, meum est, quod sustines frigus, & mea, quam pateris omnium indigentia. Totus es meus bone Jesu, totus es meus, & in meos usus expenderis. Me illa arctitudo dilatat, me illa indigentia ditat, me vagitus ille lætificat, me stabuli abjectio sublimat. Quanta mihi in his omnibus fiducia, quanta gloria! Plus namque Domine injuriis tuis debeo, quibus redemptus sum, quam operibus tuis, quibus conditus sum; & plus me tibi subditum facit humilis hæc dejectio tua, quam portentosa illa maris divisio, & mirabilium operum apud Ægyptios perpetratio. Longe enim plus est, minimum quodque pro homine Impassibilem pati; quam mirabilia cuncta pro homine Omnipotentem perpetrare.

Psal. 44.

Psal. 18.

3. Reg. 19.

Exodi 14.

Ibid. 7.

VII.

VII. Sed jam ad hiſtoriam redeamus. Jacet in præſepio totius mundi gaudium & honor, & veluti fœnum brutis exponitur animalibus. Sic enim olim fuerat per Prophetam (*a*) dictum: *Conſideravi opera tua, & expavi: in medio duorum animalium cognoſceris*. Mira res & cui ſimilis a ſæculo non eſt audita. Agnoſcunt ſupernaturali inſtinctu Creatorem ſuum irrationales beſtiæ (*b*), genua flectunt bruta, & inſuetis naturæ motibus reverentiam exhibent Conditori, rudis alioquin aſina coram illo trepidat reverenter; & qui eloquio neſcit, mugitu bos divinam perſonat laudem: proſternitur, inquam, brutum Factori ſuo. Quid facturus eſt rationalis homo? Deus pro homine homo factus eſt, brutum proſternitur, jumentum adorat, & non ſua beneficia recognoſcens ſtabit homo? Silebit homo, pro quo Deus factus eſt homo? Quantum de extrema hac ingratitudine conqueritur Dominus per Prophetam dicens: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognovit*. Iſrael, inquam, pro quo veni, pro quo hæc omnia pertuli, me cæteris omnibus adorantibus ignoravit, abjecit, & vilipendit; cum inſenſibilia omnia, in majorem ejus infamiam venienti mihi in mundum, reverentiam & obedientiam præſtiterint. Me Magis cœlum ſtella radiante monſtravit; aer me jubente conticuit; mare pedibus meis ſe ſolidum & calcabile præbuit; terra me moriente contremuit; ſol ut meam nuditatem palliaret radios ſuos abſcondit; ſaxa etiam duriſſima, ut meam ſentire mortem viderentur, me moriente ſunt ſciſſa; aruit juſſa ficus; piſces me imperante glomerantur ad rete; animalia muta expoſito mihi genuflectunt infanti; me omnia Creatorem ſuum ſuo modo venerata ſunt, & coluerunt: ſolus me carnalis populus, ad quem, & propter quem veneram, ignoravit. O cæcam nimium ſtoliditatem, o ſtolidam ſupra modum cæcitatem, o ingratitudinem inauditam, digno utique ſupplicio vindicandam! Accede ad præſepium iſtud, & qui peccando jumentis inſipientior es, *& ſimilis factus es illis*, Creatorem tuum, vel inter ipſa jumenta recognoſce: ne ipſis etiam jumentis poſteriorem te vilioremque demonſtres. In præſepio tibi Angelorum cibus apponitur, ut conditionis tuæ dejectioniſque memineris, dignitatiſque priſtinæ recorderis. Grandis clementia Conditoris! Quia enim tu brutalem tibi ſuperinduiſti figuram, & mutaſti gloriam tuam *in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*; ipſe quoque fœni locum non abhorruit, & gloriam ſuam tranſtulit in ſimilitudinem fœni, vitulo ad comedendum expoſiti. *Verbum* enim *caro factum eſt*. *Et omnis caro*, juxta Prophetam, *fœnum*.

VIII. Accede igitur devote, & reverenter, & perſpicaci intuitu præſepium iſtud intuere. Neque enim caſu putandum eſt accidiſſe, quod Puer Jeſus in præſepio poneretur: non deerant Virgini vires ad ſuſtentandum Puerum: neque illum utique tali loco poſuiſſet, niſi magnum aliquod in illo præſepio myſterium ageretur. Altiſſima namque nobis inde paratur eruditio, magna cathedra præſepium illud, ex quo cunctis mortalibus Dei loquitur ſapientia, cœleſtis in ſtabulo Magiſter legit. Venite ergo gentes, & ad tanti Magiſtri ſcholam undique properate, ſtate *omnes docibiles Dei*. Quid miſeri, quid ſtolidi, inanes Philoſophorum ſcholas aviditſime frequentatis? Quid humanas tenebras, falſas hominum inventiones tam alacriter ſequimini? Quid labruſcam acerbam tam placitis præponitis uvis? Veritatis vobis Magiſter adeſt, nova de cœlo proponitur diſciplina. *Accedite ad eum, & illuminamini*: accedite, & erudimini, *& facies veſtræ non confundentur*. *Venite properate, & haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Aquas limpidiſſimas, aquas dulciſſimas, aquas puriſſimas, aquas ſalubres; non turbidas, non infectas, non venenatas, quales vobis philoſophici fontes, non ſine magno labore propinant; ſed aquas vivas in vitam æternam ſalientes, aquas ſalutis & vitæ, aquas veritatis & gratiæ. *Omnes* igitur *ſitienſtes venite ad aquas* iſtas: *venite, emite absque ulla commutatione vinum, & lac*. Vinum ſpiritus, & lac doctrinæ: gratis vobis propinatur cœleſtis ſapientiæ dulciſſimum poculum. Nihil pro illo a vobis exigitur, niſi ſola voluntas. Audite nunc exemplo docentem, quod poſtea docturus eſt verbo. Quicquid enim vobis poſtmodum Euangelica perſonat tuba, humilis nunc oſtentat abjecti præſepii anguſtia. Diſcite paupertatem, diſcite humilitatem, diſcite patientiam, diſcite obedientiam, diſcite charitatem, diſcite virtutum omnium, juſtitiæ, & charitatis normam: diſcite denique verum bonorum omnium hujus ſæculi contemptum. Probate quod probat, reprobate quod reprobat ſapientiſſimus Infans: qui ideo ab initio ſuæ conceptionis *butyrum, & mel* comedit, *ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*.

IX. Non vobis contemptibilis appareat Infans ſacerrimus, quia pannis involvitur, & præſepio reclinatur: veſtros ſurſum levate oculos, & videte deſuper Angelorum cuneos, velut apum examina, circa puerum volitantes, & inter novi tripudia partus mira Deo ſuo laudum præconia perſonantes. Erigite ſurſum aures, & dulciſſimam percipite harmoniam, quam nato Regi cœlorum intonant Poteſtates. Videte tripudium, attendite gaudium, ſentite jubilum, quo univerſum undique perſonat cœlum; rutilat ingenti lumine

(*a*) Habac. 3. v. 2. ex verſione Septuaginta.

(*b*) Etſi ab Euangeliſtis minime narretur, quod de bove, & aſino aſſerit infra S. Orator, id tamen auctoritatis, & conjecturæ ſufficienti non caret fundamento; nec proinde tamquam anilis fabella rejici debet, juxta Criticorum nonnullorum ſententiam.

atra prius nox, depulsisque tenebris meridianum claritate sua vincit fulgorem. Admirantur nimis cœlestis curiæ Principes immensam intra tenerrimi corporis sacellum inhabitantem Domini majestatem. Et ut
4.*Reg.*4. quondam Elisæum Prophetam puero: ita nunc infinitum Deum infanti exiguo commensuratum. Et sicut scriptum est:
Jo. 1. ascendunt, & descendunt super filium hominis. Intrant, & exeunt; intus potentiam, foris clementiam admirantes. Stupent oceanum infinitum modico vase concluſum: lucidissimum, ardentissimumque solem levi nubecula circumvelatum. Se mutuo respiciunt expavescentes, neque est præ stupore proferre sermonem. Quam miro divinæ sapientiæ artificio, humanis divina, terrenis cœlestia, abjectis sublimia in hoc Natalitio copulantur: quomodo vicissim permixta humilibus cœlestia resplendent! Vere attigit Dei sapientia
Sap. 8. *a fine usque ad finem fortiter*, ut disponeret cuncta *suaviter*. Et ut ex ipsis primordialibus gestis, conditionem modumque nascentis possis deprehendere Infantis, majestas ejus, & humilitas simul eodem spectaculo proponuntur. Nascitur ex muliere, sed ex Virgine. Jacet in præsepio, & fulget in cœlo. Sociatur brutis, & adoratur ab Angelis. Pannis involvitur, & a prostratis coram se Regibus colitur. Obmutescit in gremio, & proditur radiante cœlo. Absconditur in stabulo, & cœlestibus hymnis ejus Natalitia celebrantur. Quanta majestas, quanta humilitas! Facta sunt hæc, ut in una eademque persona duplicem naturam, Divinam, & humanam, ex gestis nequeas ignorare. Homo namque est, qui ex muliere nascitur, sed Deus est, qui ab Angelis adoratur. Homo est, qui pannis vestitur, sed Deus qui summa devotione a Regibus colitur. Homo est, qui vagit in puellæ gremio, sed Deus qui gentibus prædicatur a cœlo. Homo est, qui propter famem lactatur a Matre, sed Deus qui propter hominem gignitur sine patre. Ab ipsis igitur incunabulis statim congruenti testimonio nostra fulcitur fides; ut sequentibus signis initia quoque ipsa respondeant; & fidelis habeat, unde in fide glorietur; & infidelis, unde de sua pertinacia non excusetur.

X. Sed inter hæc omnia illud maxime ponderandum; quod non scribis, & pharisæis, non sacerdotibus, & doctoribus, non principibus, & divitibus, sed rusticis pastoribus, apud Bethlehem hoc secretum revelatum est, quos Dei claritas circumfulsit. Unusque ex tripudiantibus Angelis ad illos: *Euangelizo*, inquit, *vobis gaudium magnum: quia natus*
‖ *Lucæ* 2. *est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David*. Quantum, & quam evidens de Christo testimonium? Et ne ab uno tantum dictum esse videretur: *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Ut, si de unius verbo forte dubitas, plurium te multitudo confirmet. Erubescat Judæorum perfidia, quibus ad Christi fidem nec tantum sufficit Angelorum oraculum. Properant alacriter simplices videre natum Regem præsepio recumbentem, inveniunt, agnoscunt, adorant, jubilant, cœlestibusque hymnis rusticas interserunt laudes. Hi sunt primi ecclesiastici lapides ædificii, hi prima Ecclesiæ surgentis initia, quos Pastor pastorum pascendis gregibus aptos ab ipso natalis exordio ad sui ovilis curam conduxit. Quia enim magnum sibi emere ovium gregem postmodum suo sanguine destinaverat, a principio pastores locat, quibus sui postea ovilis curam committat. Quantum horum devotione simplicium Virgo lætata est, quantum de illorum præconio jucundata! Gaudebat, quia Deo prodente notum cœperat esse hominibus divinæ dignationis mysterium, quod pro illorum salute in ejus utero gestum est. Gaudebat, quia cœlestium unguentorum odorem jam mundus odorabat, & in eorum fragrantiam, sicut scriptum est, sponsa currebat. *Cant.* 1
Gaudebat notam hominibus hanc supernæ civitatis filiorum lætitiam, quam jam dudum ipsa beatis auribus audierat. Gaudebat, & tacito intus animo cuncta volvebat, conservans *omnia verba hæc*, ut ait Euangelista, *Lucæ* 2. *& conferens in corde suo*. Sicut prudentissima, sicut sapientissima, sicut honoris Dei communisque utilitatis vera zelatrix, cuncta mysteria cordis armario reservabat suo tempore revelanda; Prophetarumque oraculum conferebat. Non tam, ut sibi faceret fidem, cui plurima suppetebant veritatis testimonia omni fide majora; quam, ut cum opus esset, ad omnium utilitatem rei ordinem, prout gesta est, fidelibus aperiret. Unde ab illa, ut creditur, post Domini passionem discipuli Domini & Apostoli, eorum quæ nunc de his Euangelica narrat historia, multa didicerunt.

XI. Imitentur hodie pastores Ecclesiæ pastores istos, qui illorum typum figuramque gesserunt. Vigilent super gregem Domini, *Ibidem.* & custodiant vigilias noctis super ovile commissum: ut divino perfundantur lumine, & secretorum cœlestium participes fiant. Quærant mentis fervore alacres in spiritus gaudio puerum Jesum, non jam cum animalibus in humili præsepio jacentem, sed cum Angelis ad Patris dexteram in gloriæ & majestatis throno sedentem. Ad modicum oves relinquant, ut Jesum in legis gremio, & Scripturarum abditum perscrutentur: & cum invenerint & adoraverint, redeant statim ad gregem sibi commissum, & illius solicite curam gerant. Atque hoc, non ut isti semel, sed sæpius, iteratis vicibus adeant, euntes & redeuntes, *ascendentes, & descendentes* *Jo.* 1. *supra filium hominis*. Proh dolor! non enim ita fit: super reditus, & primitias ab omnibus maxime vigilatur, de ovibus ultima cura est. Ex pastoribus namque, alius in Principum curia degit, alius negotiis sæcularibus

bus implicatur, alius ludis, & venationibus vacat: alius ampliandæ dignitatis gratia Romam petit, & ovile Chriſti mercenariis relinquitur ſpoliandum, & dilaniandum, & diſpergendum: lupis ovium cura committitur. Quid facturus eſt eſuriens lupus, niſi laniare, perdere, & mactare? Hinc eſt, quod divinorum ſecreta, & ſpiritualium revelationum lumina, a Prælatis hodie ad ultimas gregis oviculas tranſierunt. Ubi hodie Epiſcopus miraculis clarus, ſanctitate conſpicuus, ſpiritu fervidus, Scripturarum indagator, doctrina fulgidus, cœleſtium ſcrutator, temporalium contemptor? qui propter nimiam ad Deum familiaritatem, & ſecretorum ejus conſcius ſit, & velut alter Moyſes irato Domino, murum ſe opponere poſſit pro domo Iſrael, & propter vitæ eximiam ſanctitatem, ſingularemque doctrinam, gregis Dominici forma factus ſit, & virtutum exemplar? Rarus nunc in Eccleſia talis, & qui digito monſtrari poſſit. Heu! *Sicut populus*, ita & *ſacerdos*. Imo, quod ſanguineis deflendum eſt lacrymis, nonnunquam ultimus de populo, vita & moribus Sacerdos eſt. Poſita eſt hodie Jeruſalem in pomorum cuſtodiam, & pueri dominati ſunt ejus; pueri, inquam, non ætate, ſed ſenſu. Rara ſapientiæ canities in Prælatis. Antiſtes Eccleſiæ, qui virtutibus, & ſapientia fulgere debuerat, auro nitet, & ſerico; & animarum ornatus hodie in corporis cultum permutatus eſt. Favore non merito Eccleſia regitur: & ad curam gregis non ſapiens paſtor, ſed potens quæritur. Non innocens, ſed dives, & qui populum Dei magis potentia opprimat, quam vita ædificet, & ſapientia doceat.

Jo. 10. *Exodi* 32. *Ezech.* 13. 1. *Petr.* 5. *Iſaiæ* 24. *Pſal.* 8. *Thren.* 5.

XII. Sed de his hactenus: hoc enim ad nos, ſicut dicere attinet, ita providere non ſpectat. Magis autem, & nos *tranſeamus* cum paſtoribus iſtis, Fratres, *uſque Bethlehem*, *& videamus hoc verbum*, *quod factum eſt*. Videamus divinæ dignationis beneficium gratis nobis præſtitum; videamus immenſum charitatis pondus, quo dilexit nos Deus; & totis præcordiis, & ex intimis medullis immenſas ei gratias cum jubilo mentis reddamus. Quid retribuam tibi Deus, quid retribuam pro omnibus, quæ dediſti mihi? Superat enim omnem ſenſum, excedit omne judicium pietas tua, dilectio tua, clementia tua. Sacrificium laudis reddam tibi: non quia ſufficere exiſtimem, ſed quia aliud quod tibi reddere poſſim, in promptu non habeo. Suſcipe Domine libenter, quia quod habui, hoc dedi: quod potui, hoc feci. Hoc totis his diebus, imo omnibus diebus vitæ noſtræ agamus, Fratres, hoc continue meditemur: ſemper quærentes puerum Jeſum in via, donec tranſeamus in Bethlehem iſtam, & videamus eum non a Matre jam temporaliter naſcentem, ſed a Patre æternaliter orientem. Bethlehem domus panis interpretatur, & illam ſignificat de qua dictum eſt: *Beatus qui manducat panem in* domo *Dei*. Illa domus panis eſt, in qua cœleſtes Spiritus & Beatorum animæ frumenti adipe ſatiantur, & epularum opulentia ſaginantur. Tranſeamus, Fratres, in iſtam Bethlehem ſpiritu interim, dum non licet corpore. Tranſeamus a terrenis, & caducis iſtis voluptatibus ad cœleſtes illius civitatis. Tranſeamus a vetuſtate carnis in ſpiritus novitatem. Ignominioſas carnis illecebras relinquamus, & cœleſtibus nos epulis inſeramus. Pudeat, pudeat ſanguinibus vitiorum humanam ſordidare naturam, quam Deus ſibi in unam hypoſtaſim ſociavit. Deferamus naturæ noſtræ propter hoc vel maxime, quia ita in Chriſto ſublimata eſt. Meminerimus, quia fratres ejus ſumus, os de oſſibus ejus, & caro de carne illius, & unius cum illo naturæ conſortes: & valde pertimeſcamus in nobis illam fœdare naturam, quam in Chriſto ſociatam Deo, non ignoramus.

Pſ. 147. *Rom.* 6. *Gen.* 2.

XIII. Quam terribiliter Dominus per Prophetam hujuſmodi naturæ humanæ violatoribus comminatur dicens: *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu*, *& veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem*, *& cibus ignis*. Et hujus cauſam aſſignans, addidit: *Parvulus enim natus eſt nobis*, *& filius datus eſt nobis*, *&c.* Veſtimentum mixtum ſanguine, caro eſt luxuriæ ſordibus maculata, qua animus veluti indumento veſtitur: quæ ab omni contagione ſanguinis hujus, & fœdæ coinquinationis ſi ſervata non fuerit, erit in perpetuam gehennæ conbuſtionem, & cibum ignis: non ſolum quia Domini templum in ea violatum eſt, ut inquit Apoſtolus; ſed etiam, quia naturæ, cujus tantus hic Parvulus factus eſt particeps, gravis injuria irrogata eſt. Tranſeamus igitur mare rubrum carnalium concupiſcentiarum cum ſpirituali Iſrael, inundanteſque earum fluctus diſciplinæ virga flectamus. Neque tranſeuntes, apud Hierico civitatem, id eſt ſæculi pompam, & vanam inanemque hujus mundi gloriam reſideamus; ſed uſque in Bethlehem iſtam civitatem Domini opulentam, greſſu celeri feſtinantes, tranſeamus celeriter, tranſeamus viriliter: quia niſi tranſierimus, non videbimus. Defixis enim in fæcibus, & ſepultis in terra cordibus, Verbi hujus non panditur ſacramentum; ſicut ſcriptum eſt: *Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro*, ſcilicet vitiorum, *miſericordiam tuam in perditione? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua*, *& juſtitia tua in terra oblivionis?* Vere terra oblivionis ſæculum iſtud; in quo tam immenſa Dei beneficia oblivioni tradita ſunt, & quaſi nihilum a memoria hominum exciderunt. Non ita in terra illa viventium, in Bethlehem illa civitate præclara, ubi pro his omnibus, indefinenter perpetua continuo redditur Deo laus, & gratiarum actio, perpetuus jubilus, & perpetua benedictio cum inenarrabili omnium lætitia & gloria: ad quam nos perducat ipſe Jeſus Chriſtus Dominus noſter, cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Exodi 14. *Lucæ* 2. *Pſal.* 87. 1. *Cor.* 3.

Lucæ 2. *Lucæ* 14.

IN

IN FESTO NATALIS DOMINI

CONCIO SECUNDA.

DE VERBIS THEMATIS.

Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.
Cantic. 3. v. 11.

CONCIO CXVII.

I. GRandis festivitas hæc Fratres, & eximio cordis jubilo celebranda: occurrendum est cum gaudio, & tympanis adventanti Regi in hanc nostram miseriæ vallem, & tota veneratione & honore possibili, tanta est a nobis suscipienda Majestas. Nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur, quia una cunctis lætitiæ communis est ratio. Quis tam ferreus, quis tam mortuus a corde, ut in hac sacra *Psal.30.* die, lætitia & exultatione non repleatur? Si enim natalitia Principum apud domesticos & servulos tanto gaudio celebrantur; Regis Regum, & æterni Principis Natale, quo tripudio colendum est? Domesticum se negat, quisquis hujus lætitiæ participem non se præbet. Vacemus igitur tanto my- (a) sterio (a): nulla nos cura, nulla nos terrena solicitudo impediat. Liberos huic sacramento animos, liberos exhibeamus affectus: nihil nos ab hujus mysterii contemplatione disturbet, vacuumque ab omnibus cor huic meditando, venerando, colendoque præstemus. Hoc est, quod adolescentulas fervida Sponsa in assumpto themate commonet, dicens: *Egre-* *Cant. 3.* *dimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Non ignara mysterii, sed experta suavitatis abundantiam, dulcedinis copiam, quam de hujusmodi susceperat contemplatione sacramenti, filias provocat in idipsum, cupiens & ipsas similia experiri, consimilia degustare: & ideo illas invitans clamat, & dicit.

II. *Egredimini filiæ Sion. Egredimini*, in- *Ibidem.* quit, ab hujus sæculi præpedientibus curis. *Egredimini* a torquentibus, & tumultuantibus mundani hujus fori negotiis. *Egredimini* a carnis hujus demulcentibus illecebris, & temporariis voluptatibus. *Egredimini* ab inexplebilibus fallacium divitiarum desideriis. *Egredimini* a prava morum consuetudine, & peccatorum onere vos in infima deprimentibus. *Egredimini* demum de medio Babylonis hujus, ut tantis possitis interesse mysteriis, A & nectareos e cœlo percipere haustus. Si enim non egressæ fueritis, non gustabitis, non gaudebitis. *Vacate* ergo, *& videte quam suavis est Dominus:* ejus enim suavitas, nisi a *Psal.45.* vacantibus non gustatur. Unde & magnus ille Moyses cum ad ardentem, & incombustum rubum accederet, divino prohibitus est eulogio dicente: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas,* sanctus est. Sed *Exodi 3.* quid ad locum sanctum calceamenti solutio? Quid sanctitati cum calceo? Locus spinosus est Domine, & calceamentum deponere jubes? Non ait: tolle pilleum, genua flecte, B prosterne te coram Domino: quæ insignia solent esse cultus, & reverentiæ: sed calceamentum solve. O magnum ibi latens sacramentum! Rubum enim quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem Sancta Dei Genitrix. Tu Virgo beata, tu es ille rubus ardens, & inconsumptus; tui typum umbra illa gerebat; tuam, partu non violatam, sed sacratam Virginitatem rubus ille signabat, te demonstrabat illa figura. O igitur quisquis non jam ad umbram, sed ad ipsam veritatem passibus cordis accedis; vide ne pro- C caciter irruas. Accede reverenter, accede devote. Si enim umbra sic colitur, si ab umbra Sanctus arcetur; tu peccator, & sordidus ad veritatem ipsam qua audacia properabis? Accede ergo, sed cum timore multo, & reverentia. Et si vis intelligere mysterium, solve calceamentum: calceatis pedibus, non acceditur ad sacra. Pedes animæ affectus sunt & cogitatus: horum calceamenta pedum, carnis passiones, appetitus, cupiditates, & illecebræ. Hæc ergo calceamenta de pedibus tuis solve: exue affectus tuos ab his: dimitte eos liberos, & accede. Cal- D ceato non conceditur accessus ad sacra: canibus non datur sanctum, neque mittit Deus *margaritas* suas *ante porcos*. Terrenis curis *Mat. 7.* oppressus animus, cœlestia non degustat. Multo pulvere fœdatus oculus magnum Salomonem non poterit videre coronatum. Excute ergo de pedibus calceos, si ardentem, si incombustum rubum cupis videre. Quid enim Deus in carne nisi ignis in rubo? An non rubus spinosa caro, quam assumpsit, plena doloribus, plena punctionibus, plena pœnalitatibus? Credite mihi Fratres, hæc sunt, quæ nos a cœlestibus avocant. *Corpus enim, quod* E *corrumpitur, aggravat animam, & terrena* hæc *Sap. 9.* *inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Si has excutimus passiones, statim ad cœlestia sponte rapietur affectus: spiritualis enim est animus, & spiritualibus delectatur; si tam ponderosa mole non ad hæc infima & vilia traheretur. Unde sicut accipitres depositio oculorum capitio, & solutis pedicis, statim visa præda in illam cum impetu volitantes ferun-

(a) Quo mentis ardore, quibusve pietatis significationibus recurrentem nativitatis Christi Domini solemnitatem prosequi soleret S. Præsul noster, satis fuse narrat Salonius vitæ lib. 1. cap. 5. Id forte in causa est, cur concionum numerus ad hanc festivitatem spectantium auctior præ cæteris habeatur. Octo enim Bruxellensis editor vulgavit, ac totidem ex eo nos damus. Quinque ediderat Uzeda.

feruntur; ita ſi ab oculis cordis capitium terrenæ affectionis tollamus, & de affectibus noſtris pedicas paſſionum carnalium diſſolvamus; cogitatus noſtri ſtatim evolant ad ſuperna. *Egredimini* igitur *filiæ Sion*, vos inquam quæ toto animi deſiderio Sponſum die ac nocte requiritis, vos quæ pro ipſo omnia contempſiſtis, vos quæ ad ipſum totis viſceribus anhelatis, & faciem ejus ſemper quæritis. Non filias Babylonis alloquor; quarum affectus omnis in terra; quarum omne ſtudium vanis, & ſpurcis voluptatibus indulget; quarum mens ſopita cupidine nullum poteſt veri luminis intueri fulgorem. Vos igitur filiæ Sion, vos regni cœleſtis hæredes, Deo nubiles, amabiles Domino, Sponſi famulæ, Jeruſalem civitatis incolæ, Deo devotæ: eja *egredimini*, expedite vos curis, vacate myſteriis.

III. *Et videte Regem Salomonem* pacificum, *Cant. 3.* Regem ſapientiſſimum, Dei ſapientiam, & veram pacem omnium: qui ad hoc natus, & ad hoc miſſus eſt, ut omnia pacificaret, & pacem omnibus daret. Noſter enim hic Salomon uſque adeo Salomon eſt; ut non ſolum pacificus, ſed & ipſa pax ſit. O vere *Epheſ.2.* magnum Salomonem, & pacificum Regem, qui hominem Deo, hominem Angelo, hominem homini fœderavit, per crucem *interficiens inimicitias in ſemetipſo*, Deo debitam rependens delicti ſatisfactionem in proprio ſanguine; ut Deus homini illam, ad quam conditus fuerat *Ibidem.* gloriam, condonaret. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*, & populum in unam fidem coadunavit, *medium parietem maceriæ ſolvens*, & in ſuo ſanguine faciens pacem, pacem his qui longe, pacem his qui prope. Hunc ergo magnum Salomonem videte *in diademate, quo coronavit illum Mater ſua*. Mater beata, Mater ſancta, Mater virginea, Mater ſuper omnes fœminas benedicta: *Diademate*, inquam, non aureo, non argenteo, ſed carneo ex viſceribus ſuis artifice Spiritu ſancto fabricato: *Diademate* decoro, florido, vernante, omniumque odorum varietate fragrante. Videte nunc in præſepio *Salomonem* hunc a Matre ſua *Diademate* laureatum, viſuræ quandoque eundem in throno a Patre ſuo magnifice coronatum. O præclaram coronam, quæ capiti impoſita totum corpus venuſtat, & decorat! O diadema glorioſum, quo cuncti mortales titulum, & jus in regnum cœlorum ſortiti ſunt! Corona noſtra Caro Chriſti eſt; per hanc in regnum cœlorum ingreſſum habuimus: nullus enim quantumvis perfectus & ſanctus, ante hanc potuit regni cœlorum gloriam poſſidere, neque Propheta egregius, nec Patriarcha primus, neque ipſe Domini præcurſor Joannes, quo major non ſurrexit in orbe. *Hoc Diademate coronavit illum Mater ſua in* *Mat.11.* *die deſponſationis illius* cum humana natura: *Epheſ.5.* quando in virgineo ejus thalamo ſponſam ſibi ſine macula, & ſine ruga, ſociavit in conjugem fœdere ſempiterno; a quo nunc thalamo egreſſus in mundum, ſuæque ſponſæ, id eſt, Eccleſiæ conſpectibus præſentatus, *Pſal.18.* miro eam ſua pulchritudine inflammavit amore. Quippe, quia *ſpecioſus forma* non ſolum *præ filiis hominum*, ſed etiam præ millibus *Pſal.44.* Angelorum. Unde ad ipſum ſtatim in paſtoribus properat, & in Regibus dexteram conjungere dexteræ, confirmare connubium, ratificare conjugium, ſibique eum in ſempiternum, & Sponſum, & Dominum indiſſolubili fœdere ſociare. Hæc eſt Regina illa Saba, quæ a finibus terræ venit videre ſapientiam *3. Reg.* Salomonis. Hæc eſt Æthiopiſſa illa conjux *10.* Moyſi, propter quam Aaron, & Maria cum *Num.10.* ipſo rixati ſunt. Sed magnus iſte noſter Moyſes, qui venit non per aquam ſolum, ſed per aquam, & ſanguinem, qui etiam Sponſus *Exodi 2.* ſanguinum factus eſt illi, dilectam ſuam Æ- *1. Jo. 5.* thiopiſſam non dimittet. Murmuret Aaron, *Exodi 4.* rixetur Maria, id eſt Judæorum ſacerdotium, & ſynagoga: non abjiciet magnus Dux Æthiopiſſam, quam amavit, quam ſuo ſanguine candidavit, ſuo corpore ſubarrhavit. *Ni-* *Cant. 1.* *gra ſum*, inquit, fateor, *ſed formoſa*, ſed decora, decorante me Deo, *ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nolite me conſiderare quod fuſca ſum:* ſed conſiderate etiam, quia *formoſa* ſum. Nolite aſpicere idololatriæ præcedentis nigredinem, ſed inſpicite magis ſuccedentis fidei eximium decorem. Hic dies deſponſationis illius cum Eccleſia; hic dies quoque lætitiæ matris ejus.

IV. *In die deſponſationis illius, & in die* *Ibid. 3.* *lætitiæ cordis ejus*. O Virgo beata, quis tuam hodie valeat explicare lætitiam? Quis æſtimare gaudium poterit cordis tui, cum Dei, & Creatoris tui Matrem te conſpicis, cum virginitatem tuam illibatam, & integram ſentis, cum omni creaturæ prælatam jure te vides, mundi Dominam, Angelorum Reginam, hominum Advocatam? Neque enim dignitatem tuam ignorabas, quando prophetico Spiritu in Deo ſalutari tuo exultans, *Lucæ 1.* beatam te ab omnibus prædicandam præcinuiſti. Attendite Fratres. Si cui noſtrum infallibili ſigno ſua panderetur prædeſtinatio, & quod cœleſtis illius Jeruſalem domeſticus, & indubitatus civis eſſet futurus: quo gaudio jubilaret, qua lætitia exultaret, quam longe ab eo triſtes extarent & lacrymæ & luctus? Cui ergo palam erat, ſe non quidem unam ex cœleſtibus incolis, aut ex civibus illis ſupernis futuram ſolum, ſed maximam, & Reginam; ponderate quo perfundatur gaudio; ſentite quo exultet tripudio. Hoc eſt ſpectaculum Virginis, ad quod vos hodie alma invitat Eccleſia. Spectaculum grande, ſpectaculum glorioſum, ſpectaculum omnium maximum, & viſu digniſſimum, prodigium ſuper omnia prodigia, magnus ille noſter Salomon. *Egredimini, & videte* Deum in puero: æternum in tenero: Dei majeſtatem in *Cant. 3.* vagiente. Videte leonem in agno: gigantem in parvulo: Dei potentiam teneræ carnis ergaſtulo circumcluſam: videte cibum eſurientem:

tem: fortitudinem trepidantem: portatum manibus, qui sustinet orbem. Deus pendet ab ubere: omnipotens pannis involvitur: & animalium fœnum factus est cibus Angelorum. *Egredimini, & videte* potentissimum illum Samsonem ligatum manibus, capillis scissum, in Dalilæ gremio quiescentem. Hæc eum nobis de cœlo traxit, hæc suo decore captum, carneis nexibus ligatum & infirmum, nobis tradidit pro populi sui salute irridendum, & occidendum. Decora Dalila, cujus pulchritudo ita placuit Altissimo. Estne aliquot spectaculum in mundo, quod huic valeat comparari? Obstupescite virgines super hoc admiramini vehementer! *Egredimini* rationis metas, *egredimini* præfixos humanæ cognitionis terminos, transcendite humanos sensus, & in profundam ecstasim deducimini, super tantam, & tam inæstimabilem pietatem, super tam admirabilem Dei nostri dignationem. Amore hominum hæc omnia sustinet Deus, pro vili vermiculo hæc portat Altissimus, pro creatura sua Creator mortalis nascitur, pannis involvitur, ubere lactatur, præsepio jacet, animalibus sociatur. Hæc die noctuque animo volvite, hæc assidue contemplamini, hæc ubique & semper in cordibus ruminate. Talia enim, & tanta sunt hæc, ut merito e memoria nostra nunquam excidere debeant.

Judic.16.

Jer. 2.

V. Videte etiam Regis hospitium, videte cunas, videte comitatum, videte regium apparatum: non sub poplite ostrum regale, nec ejus membra, ut decebat Regem, purpura teguntur, non diadema fulget in capite: non ibi multitudo famulorum, non regia domus, non aureæ cunæ; in stabulo nascitur, in præsepio reclinatur, jumentis associatur. O extremam omnium paupertatem, ultimam egestatem! Venite Principes, venite potentes, qui vestibus pretiosis, auro & gemmis intextis induimini, qui mollibus stratis recumbitis, qui pretiosis, & delicatis cibis perituram brevi corpus, & vermibus esca futurum, tam avide impinguatis. Venite, & *videte Regem* Regum omnium *Salomonem*, quo nascitur palatio, quo residet throno. Audite primam ejus lectionem, quam in silentio docet: *Et discite* ab eo *quia mitis est, & humilis corde*. Discite humilitatem, discite paupertatem, discite asperitatem, discite patientiam, discite obedientiam, discite indigentiam, discite charitatem, discite tandem omnium, quæ in hoc mundo bona putantur, verum contemptum, cum sic illa videatis ab hoc summo Rege contemni, quia vere illa contemptu digna sciebat. O magna cathedra præsepium illud, in quo residet divina Sapientia Magister orbis! Totum ibi legitur Euangelium. Quicquid enim o bone Jesu, postea verbo docuisti, hic statim ortus, opere demonstrasti. Quid enim aliud homines quærunt, nisi delicias, divitias, & honores? Quod cœlestis Magister damnat, mundus probat. Quod ille probat, mundus condemnat. Vide cujus vis esse discipulus. Et, si opere mundanus es, ne dicam paganus; noli de Christi nomine gloriari: si autem Christianus es, Christum tuum sequere, Christum imitare, Christi tui adhære doctrinæ. *Respice in faciem Christi tui*, & consimilia operare. Si Christum non sequeris, qua ratione Christianus nuncuparis? Cur te Christi discipulum esse mentiris? Novimus Athenis plures philosophorum sectas, alios Platonicos, alios Pytagoricos, alios Epicuræos, alios Stoicos, quisque juxta opinionem suam, & nomen sortiebatur, & vitam consimilem sectabatur. Si tu igitur Christianus es nomine: esto & re. Cur Christi doctrinam amplecteris, & vitam in contrarium agis? Nomine Christianus, vita mundanus. O nimiam cæcitatem, o maximam mundanorum stoliditatem! Christo applaudunt vocabulo, & opere contradicunt: quasi non ipse cum venerit, veros a falsis noverit discipulos separare.

Psal.83.

Isaiæ66.

Mat. 11.

Mat. 1.

VI. Sed jam ad propositum redeamus. Postquam igitur videritis Regem Salomonem pannis involutum, in præsepio recumbentem, ipsumque adoraveritis, & vos illi toto corde obtuleritis in obsequium: videte etiam ipsius præclarissimam Matrem nimio gaudio lætabundam. Aspicite, qua devotione adoret, qua reverentia tractet, quam solerti diligentia serviat. Videte lactantem, quem adorat: adorantem, quem lactat. Animadvertite Virginem Puerperam, evacuatam neque vitiatam, gaudium matris habentem cum virginitatis honore. Videte partum admirandum, partum stupendum, partum sacrum, partum Deo dignissimum, & obstupescite cum Propheta, dicentes: *Quis audivit umquam tale, quis vidit huic simile? Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum*. Neque post hæc omnia dedignemini illum cernere sanctissimum virum Joseph in tam prodigiosa re trepidantem, hærentem, & ad tanta, & tam nova miracula expavescentem. Stupet, & gaudet; admiratur, & lætatur; fervet intus spiritu, neque audet in tantam majestatem attollere vultum. O feliciſſime Joseph! quam verum esse cernis, quod dictum est tibi ab Angelo: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est!* Vidisti certe sacri partus prodigium: vidisti, & omnium quæ gesta sunt, testis fuisti. Vide quantam sortitus es a Deo gloriam: attende quo ministerio serviendum est illi, cui pro Fescenninis (*a*) Angeli concinunt. Videte quoque post hæc prostrata jumenta in præsentia Creatoris: videte mugientem bovem; & quia humani eloquii expers, mugitus pro laudibus referentem. Pudeat pudeat conticescere, ubi jumenta loquuntur. Nemo sit mutus

(*a*)

(*a*) Idest pro nuptialibus carminibus. *Fescennini enim versus*, ut inquit Festus, *dicebantur, qui in nuptiis canebantur; dicti quod ex urbe Fescennina allati essent, sive quod fascinum putantur arcere.*

mutus loquentibus illis. Deus pro homine homo factus est. Bos agnoscit, & asinus adorat, jumentum prosternitur; & stabit homo, & silebit, & genua non flectet ingratissimus homo? O quam vera, & justa est Domine querimonia tua per Prophetam, quando per ipsum dixisti: *Cognovit bos possessorem suum,* Isaiæ 1. *& asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Solus ille ingratus est, pro quo hæc omnia pertuli. Accede igitur homo, & adora; accede, & lauda; noli dicere, peccator ego sum, iniquus sum, factus sum quasi ju- Psal. 72. mentum coram illo; nam ecce inter jumenta positus, jumenta non abijcit. Videte etiam pastores adorantes, & rusticos illos spiritu plenos gaudio lætantes, Deo suo, Christo suo rusticis laudibus concinentes. Levate quoque oculos, & videte desuper Angelorum cuneos, velut apum examina circa Puerum stupentes quidem primo, deinde laudantes. Cernunt namque abyssum luminis in laterna; solem in nubecula; oceanum infinitum parvo corpusculi vase concluſum. O quanta in supernis illis Spiritibus admiratio, quantus stupor! Et forte illæ sunt filiæ Jerusalem, quas hortatur Sponsa egredi de paradiso, ad videndum suum Salomonem diademate laureatum. Quis enim in cœlo mansit Angelus, qui ad tantum spectaculum non veniret? Festivum Natalis Domini sui celebrant diem, corporeoque Domino, ipsi quoque in assumptis corporibus mirificas concinunt laudes. Resonat undique cœlestis harmonia, & clangore tubarum, & organorum musica personat cœlum. Alii autem per aera volitantes, canoro jubilo iteratis vocibus dicunt: *Gloria in* excelsis *Deo, & in terra pax homi-* Lucæ 2. *bus bonæ voluntatis.*

VII. Hæc sunt Virgines Deo devotæ, quæ in hac sacra die videre admonemini, non quidem corporeis oculis; hoc enim paucis datum est. Quantum hoc Prophetæ desideraverunt, & quibus hoc lacrymis postularunt, ut Deum inter homines commorantem, & colloquentem in hac vita videre & audire mererentur! Testis est ipse Dominus qui ad Apostolos suos de hoc loquitur dicens: *Beati* Ibid. 10. *oculi qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis, quod multi reges, & Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.* Unde & quidam Propheta hoc æstuans desiderio dicebat: *Ecce veniet dicit Dominus, &* Malach. 3. *quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis stabit ad videndum eum?* Sed & hodie quid non pateremur; quibus non periculis nos exponeremus, quid non daremus, si tanta nobis mysteria cernere possibile foret? Testes sunt hujus, qui non modico vitæ suæ periculo, inter tot discrimina rerum per mare, per terras, cavatam rupem illam, & sacrum hujus Natalis locum, ex longinquo videre festinant, tanta cum cordis aviditate, ut se in hoc adipiscendo felicissimos reputent etiam hic viventes. Sed quia hoc jam sperare non licet: *Egredimini* mentis excessu, si forte videre possitis in spiritu, qui corporali oculo non jam videtur. Verum enim est, quod devotis mentibus, & in ipsum valde anhelantibus, hoc etiam nonnunquam largitur Christus: sicut illi devotissimæ Paulæ, teste Hieronymo (*a*) præstitum est: quæ quoniam pro (*a*) Christo omnia dimiserat, & relicta urbe in Bethlehem sitibunda permanserat, videre meruit quod optavit, scilicet nascentem Dominum, gratulantem Virginem, ovantes Angelos, Magos cum pastoribus adorantes, & cætera omnia per ordinem, quæ hac sacra nocte ibidem gesta fuere. Quid pro suis Sanctis non facit Dominus? Quid dilectoribus suis non præstat omnipotens? Bernardus quoque (*b*) devotus Virginis famulus hac nocte, hora (*b*) Nativitatis, Infantem meruit videre nascentem, & gratulatus est. Neque dubium, quin aliis pluribus hoc fuerit aliquando concessum. Quod si vobis sic tantis non contigerit interesse mysteriis, saltem videte animo, videte oculo mentis, & profunda hæc meditatione pensate, totos hos dies his sacris meditationibus incumbentes: & quia corpore non potestis, præsentes vos singulis mente & spiritu exhibete. Hæc est enim vera solemnitas, hæc placita Deo festivitas, quæ non vestibus, & cibis, non ludis, & cachinnis; sed spirituali gaudio intra cordis cubiculum celebratur. Sicut scriptum est: *Lætabun-* Ps. 149. *tur in cubilibus suis.* Et rursus: *Reliquiæ* Psal. 75. *cogitationis diem festum agent tibi*: hæc spiritualis, & jucunda festivitas sine mentis excessu non agitur. *Egredimini* igitur, & lætamini, & jucundamini. Sed non est in hominis potestate egressio ista: non egreditur, nisi qui manu Domini extra ducitur. Nemo intrat cellam vinariam, si manu Regis non fuerit introductus. Sic enim ait: *Introduxit me* Rex *in cellam vinariam.* Unde Cant. 2. conscius Propheta clamat ad Dominum: *Educ* Ps. 141. *de* carcere Deus *animam meam.* Solve, inquam, intellectum ergastulo sensus alligatum, ut libero volatu rapiatur ad alta: corporeis enim sensibus immersus, spirituales nescit discernere gustus. *Educ* ergo de carcere, non morte, sed spiritu, Deus, *ani-* Ps. 105. *mam meam.* Sed ad quid? *Ad videndum,* inquit, *in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ:* ad laudandum *cum hæreditate tua.* Ut videam mysteria hæc ea perspicacia, & devotione, qua vident electi tui: & videndo gaudeam, non temporali gaudio, sed lætitia gentis tuæ, & videndo, & gaudendo, laudem te sicut te laudat

(*a*) Hoc refert Hieronymus Epist. 86., alias 27. ad Eustochium virginem Epitaph. Paulæ matris.

(*b*) Cœlestem hujusmodi favorem Bernardo adhuc puero concessum narrat Guillelmus Abbas S. Theodorici in ejus vita cap. 2. ad calcem operum S. Bernardi in edit. Mabillonii.

dat hæreditas tua Domine; hæreditas illa, quam & hic temporaliter poſſides per gratiam, & in cœlo æternaliter per gloriam: ad quam nos perducat ipſe qui natus eſt pro nobis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus: cui cum Patre, & Spiritu ſancto, eſt honor, & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO NATALIS DOMINI

CONCIO TERTIA.

De Admirabili ejusdem Nativitate.

Deus docuiſti me a juventute mea, & uſque nunc pronuntiabo mirabilia tua, &c.
Pſal. 70. v. 17.

I. PRopheta regius hujus noſtræ ſolemnitatis gaudio inebriatus, ſpiritu fervens, devotione ſuccenſus, ita inquit: *Deus docuiſti me a juventute mea, & uſque nunc pronuntiabo mirabilia tua. Et uſque in ſenectam, & ſenium, Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt: potentiam tuam, & juſtitiam tuam Deus uſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia: Deus quis ſimilis tibi?* O miram eloquii cœleſtis phraſim, o ardentiſſimam ſpiritus elocutionem! Operæ pretium erit, Fratres, in ea exponenda, vel ad modicum demorari. *Declaratio* enim *ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Deus*, inquit, *docuiſti me a juventute mea, & uſque nunc:* toto vitæ meæ tempore. Tu ſolus mihi Magiſter, tu Doctor meus; ex ore tuo didici quicquid ſcio: alienam doctrinam penitus ignoro, alterius me non miſcui diſciplinæ: tu meus ſol, mea lux, & mea ſapientia ſolus. Tu pro tua in me benevolentia, & charitate in ſchola cordis mei, *incerta, & occulta ſapientiæ tuæ*, dignatus es aperire mihi. Propter quod, non tacebo: ſed pro mea virili *pronuntiabo* hominibus *mirabilia tua*, quæ te Magiſtro cognovi. Non uno quidem, aut duobus menſibus, aut annis: ſed *uſque ad ſenectam, & ſenium*, dum vita durat, quam diu vixero, & quouſque ſpiritus hic meos rexerit artus. O *Deus* meus! Te obſecro, te deprecor *ne derelinquas me:* non auferas gratiam tuam, lucem tuam, & ſapientiam tuam a me: *donec annuntiem brachium tuum*, Filium tuum, *generationi omni quæ ventura eſt*. Nam populus iſte Judaicus, rudis, carnalis, ruſticus, & terrenus, non ſapit quæ Dei ſunt, cœleſtium ſacramentorum capax non eſt: veniet autem, ſcio, futuris temporibus generatio alia multum ab iſta differens; generatio fidelis, generatio ſapiens, ſpiritualis, & pulchra, populus docilis, prudens, ſanctus, & perfectus. Huic ego vehementer ſitio pronuntiare, & aperire mirabilia tua, operumque tuorum miranda myſteria.

Concio CXVIII.

Pſal. 70.

Pſ. 118.

Pſal. 70.

Pſal. 50.

Mat. 16.

II. Quænam, obſecro Rex, quænam ſunt iſta *mirabilia*, quæ narrare cupis? Nunquid portenta illa Ægypti, incombuſtum rubum, verſas in ſanguine aquas, ſerpentem devorantem colubros, primogenitoſque mactatos, diviſum virga mare, ſubmerſos fluctibus equos, cœlo cibatum populum, ortygometris, id eſt coturnicibus compluta caſtra, ſiccatum flumen, ruenteſque tubicine muros? Suntne hæc, quæ tanto tempore venturæ generationi, ſæculiſque futuris pronunciare cupis? Audivimus olim ea, & Scriptura narrante didicimus. Non, inquit, non: *Sed potentiam tuam, & juſtitiam tuam Deus uſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia*. Majora multo, & præclariora ſunt, quæ pronuncio ſtupenda timendaque prodigia, ſuper quæ cœlum ſtupeat, & terra contremiſcat. Deus carne velatur, Deus de virgine naſcitur, Deus pannis involvitur, uberibus paſcitur, præſepio reclinatur, virgo concipit, virgo parit, virgo in partu dolorem non ſentit. Menſuratur puero Majeſtas immenſa, & intra tenerrimi corpuſculi vaſculum clauditur, qui continet orbem. O mirabilem Infantem, o prodigioſum Puerum, o unicum omnium miraculorum, & prodigiorum portentiſſimum, & maximum! Hæc ſunt myſteria, quæ ardenti deſiderio cupit enarrare Propheta, in quorum conſideratione liqueſcit omnis anima: non antiqua illa portenta, quæ ad hæc comparata, minima ſunt. Unde in Iſaia Dominus ait: *Ne memineris priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoſcetis ea*, id eſt, faciam ego alia nova opera multo illuſtriora, & clariora, quorum magnitudine, & claritate obſcurentur antiqua, & oblivioni tradantur, ac pro nihilo reputentur.

Exodi 3. Ibid. 7. Ibidem. Ibid. 12. Ibid. 14. Num. 11. Joſue 3. Ibid. 6.

Iſaiæ 43.

III. Venit nunc dies hæc. Ubi nunc, obſecro, memoria Ægypti? ubi arca teſtamenti? ubi urna manna? Phaſe antiquum, & illorum monumenta factorum? Quis hodie pro illis canticum canit? quis pro illis nunc gratias agit? Succedentibus utique novis incomparabiliter majoribus antiqua ceſſerunt, & obliterata ſunt. Sicut Jeremias Propheta prædixerat: *In diebus illis*, ait, *non dicent ultra: Arca teſtamenti Domini: Neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius*. Tantum enim noſtra ab illis diſtant, quantum res ab umbra, veritas a figura. Unde te hodie o Judæa cæca convenio, tuamque conſcientiam intus interrogo: Quænam, obſecro, iſta ſunt nova, quæ facturus erat Deus, quorum magnitudine obſcurentur antiqua? Quænam facta ſunt poſtmodum illis miraculis clariora? Quando vobis poſtmodum, aut mare diviſum, aut ſiccatum eſt flumen? Quod manna de cœlo datum? Quando petra vobis fudit aquas, aut aliquid ſimile, ne dicam majus, præſtitum eſt prodigium; cum tamen promittat per Prophetam Dominus, ſe majora multo facturum, quorum reſpectu non memo-

Jer. 3.

more-

morentur antiqua? Si dixeris, quia ventura sunt; obstat promissio: *Nunc orientur*, id est: cito. Si dicis, quia in secreto facta sunt; litera contradicit, cum ait: *Utique cognoscetis ea*. Quia ergo signare non poteris: veni mecum in Bethlehem, & his multo majora videbis. Miraris populo divisum mare? Modicum
Exodi 14. est; ecce oceanus infinitus modico corpusculi
Ibid. 3. vase concluditur. Miraris quod rubus arserit incombustus? Parum est: ecce Virgo parit intacta. Miraris quod virga Aaron sine ali-
Num. 17. quo humore fronduerit? Nihil est: ecce Virgo regia sine virili opere Deum atque Hominem parit. Miraris eximium Prophetam
Exodi 2. Moysen positum in canistro? Parum est: mirare amplius Regem cœlorum positum in præsepio. Miraris columnam ignis, & nubem
Ibid. 13. populum per deserta ducentem? Mirare potius ignem Deitatis flagrantissimum, tenui nubecula clausum, ducem, & magistrum orbis exortum. Quid dicam amplius? Miraris retro actum solem Gabaone devicto? Mirare
Josue 10. potius humiliatum Deum, diabolo superato. Miraris Eliam Prophetam magnum exiguo
3. *Reg.* 17. puero commensuratum: oculos oculis, manibus manus, & os ori, & pedes pedibus aplicantem? Mirare potius divinam illam Majestatem in exiguo puero incurvatam, virtutesque divinas pueri viribus commensuratas.

IV. Sed quid moror? Dies nos sufficeret ad dicendum, si singula singulis applicarem, ut horum ad illa innotescat excessus. Umbra illa erant, ut diximus, & veritas ista;
1. *Cor.* 10. & in horum typum, & figuram illa facta sunt. Unde sapiens quidam sapienter orat:
Coloss. 2. *Eccli.* 36. *Innova signa, immuta mirabilia. Glorifica manum, & brachium dextrum*, id est: renova, & reitera, quæ facta sunt signa: sed non sicut facta sunt; sed immuta in rem ipsam, umbram, & in ipsam veritatem, figuram. Sed in quo innovabuntur, in quo immutabuntur? Utique in brachio dextero tuo Filio tuo. Ideo sequitur: *Glorifica manum, & brachium dextrum*. Hæc sunt mirabilia tua Domine, quorum memoria non delebitur in æternum: de quibus cœlum, & terra, & omnis stupeat creatura. O mirandum sæculis omnibus spectaculum! Videre Angelorum cuneos rusticis hominibus & jumentis permixtos, solo prostratos, reclinatam in præsepio adorare Majestatem. Nulla in eis ambitio dignitatis, ubi tanta inspicitur humiliatio Majestatis. Admirantur attoniti, stupent, hærent, respiciunt se mutuo, neque valent præ stupore proferre sermonem. Harmonicis alii canticis foris resonant, & laudibus modulantur amœnis. Agglomerantur ad puerum sicut apes ad favum, ascendunt, & descendunt super filium
Jo. 5. hominis, ingrediuntur, & exeunt: intus potentiam, foris infantiam; intus Deitatis thesauros, foris paupertatis pannos, oculis linceis inspiciunt; alternantibusque concinunt epigrammata choris. Impletum est, quod per Prophetam de Messia Dominus prædixerat:
Isaiæ 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas.* Nam ecce Angelus cum bove, & rustico pastore astat ad præsepium, & inde cum illis suo pascitur cibo. Nam quod sequitur; *Et delectabitur infans ab ubere, super formine aspidis: & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*, nemo dubitat in Magorum vocatione fuisse completum, quos a faucibus draconis, ab uberibus Virginis Infans recens potenter eripuit.

V. Nam etsi nulla sit creatura, in qua Dei potentia non reluceat, quia creare ad solam omnipotentiam pertinet, & infinitam vitutem arguit in creante; neque posset unicum folium aut florem universitas Angelorum ex nihilo producere: sed non sic patuit in cæteris, quid possit Deus, sicut patuit in hoc facto. Quid mirum enim si Deus Angelos, aut cœlos creat? Quis etiam admiretur, si Creator pulchras, & novas ediderit creaturas? Illa utique supra modum admiranda potentia, qua Creatrix essentia & creata, impassibilis & passibilis, immortalis & mortalis, Deus & homo intimo, & indissolubili nexu mirifice sic in uno suppositio conjuncti sunt, ut quicquid Deo convenit, conveniat homini, & e converso: hoc est quod Angelicos illos spiritus in ecstasim rapit, videre tam dispares naturas, tam intima, & indissolubili connexione ligatas. Deus meus quid non potes, qui hoc potes? Miraculum grande! In natura conditus fuerat homo, in quo omnipotens Conditor spiritum corpori, & animam carni miro quodam artificio connexuit a principio, atque sic concordi affectione ligavit, ut terribilis, & amara nimis eorum per mortem dissolutio fiat. Sed quid hoc ad hanc Verbi & carnis in uno supposito unionem? Quæ utique tanto mirabilior est, quanto plus Deus ab homine, quam anima distat a carne. Unde in Euangelio Dominus ait: *Unum opus feci,*
Jo. 7. *& omnes admiramini*. Hominem ex limo facere insignis est potentiæ; sed multo potentius, hominem facere ex Deo quam ex limo: non sicut ex materia, sed sicut ex termino. Unde si superior quædam Potestas, Angelus, Archangelus, aut Cherubim, cyniphi, aut formicæ sic uniretur, ut idem esset Angelus, & formica; miraretur universum opus insigne: quanto ergo mirabilius, quanto potentius est, quod limo profundi conjunctus est Deus? sicut ipse in Psalmo commemorat, dicens: *Infixus sum in limo profundi*.
Psal. 68. Admirandum vere opus Excelsi, in quo Dei omnipotentia clarissime eluceat, & virtutis ejus celsitudo insigniter appareat.
Eccli 43. VI. Neque potentia solum, sed & justitia. A sæculo non est auditum, neque audietur in posterum talis justitiæ rigor, qualis in hoc opere monstratus est. Monstratur tremenda severitas in Angelorum punitione, quorum

multitudo innumera, tumore quodam superbiæ a cœlo depulsa, & miseriæ barathro perpetuo dejecta est: sed non sic me hæc ultio turbat, non sic consternit, sicut ea quæ in hominis delicto facta est. Severior mihi Domine parcendo, quam ulciscendo visus es: atque plus me hominis pia redemptio, quam Angeli dura perditio terret. O inæstimabilem divinæ severitatis rigorem! Quia homo deliquit, occiditur Deus: & pro quadam hominis culpa Filius Dei Unigenitus morte mulctatur. Quid hac severitate severius, quid hac justitia humano sensu rigidius? Terribilior utique apparuisti redimendo Deus, quam si nunquam redimeres: & justior miserando, quam si perpetuo perderes. Quis enim hujus justitiæ tuæ modum intelligat? Quis de ultionis hujus æquitate non stupescit? Ignosce Domine, obsecro, ignosce huic peccatori, honoris, & gloriæ tuæ ardentissime cupido! Nam de hac tua justitia, nisi blasphemando, nequeo explicare quod sentio. Excessisti factis: excedam verbis. Dicam audacter, & licet cum stupore, & tremore, tamen cum magna fiducia dicam: excessisti supra modum omnis justitiæ metas; & dum nimis videri vis justus, plus justo factus es justus. Imo, si dicere auderem, præ nimia justitia, nisi quia Deus es, dicerem utique, quia appareres injustus. Quænam enim est hæc justitia, ut Filius moriatur pro servo, innocens pro reo, omnipotens pro vermiculo? An non plus ponderat judicii hujus pœna, quam culpa? Non plus redditur offenso, quam debitum fuerat? Vere supra modum adjectum est ad delicti mensuram in vindicta: excessus est iste, non æquitas. Ubi ergo non æquitas, quomodo erit justitia? Utinam, rectissime Judex, utinam appenderes peccata nostra, quibus iram tuam meruimus, & Filii tui acerbissimam mortem, in statera utique *quasi* *Job 6.* *arena maris hæc gravior appareret*. Sed nunquid apud Deum injustitia? Absit. Justitia hæc est Domine, sed apud te. Nos enim non intelligimus eam, sed veneramur, sed colimus, sed miramur, & omni qua possumus dilectione, & devotione illam amplectimur. Ecce *potentiam*, ecce *justitiam tuam Deus*, *Psal.70.* quam pronuntiare populis exoptat Propheta Regius, *usque in altissima quæ fecisti magnalia*. Vere altissima, vere magnalia, quæ nemo comprehendere valeat, sed eis inspectis exclamare cogatur: *Domine quis similis tibi?* *Psal.34.*

VII. Sed nunquid sola potentia, & justitia in hoc splendet mysterio: & non potius omnis divinæ virtutis, & majestatis celsitudo? In hoc Dei bonitas, sapientia, charitas, misericordia, clementia, magnificentia, pietas, & quicquid aliud divinæ virtutis insigne, monstrari potest, copiosius innotuit. Amplius Deus innotuisti in Filio quam in mundo, & perfectius in homine quam in orbe. In hoc monstrasti quis esses, quid saperes quid posses; quantum amares, quantum ignosceres, quam pius, quam bonus, quam misericors, & quam

A magnificus esses: in hoc omnium tuarum virtutum infinitas, & immensitas quædam, plus quam in cæteris omnibus relucet apertius. Quis enim, non dicam hominum, sed Angelorum, qui a sæculo vident te, amoris tui immensum pondus & ardentissimam vim tam plene cognosceret? Quis eorum, vel suspicari posset a longe, tantæ charitatis ardorem? quod sic amares, ita diligeres, ut te ipsum cruci & morti exponeres pro vermiculo? Excedit, exuperat supra modum hæc charitas tua Domine, quam in nostra redemptione monstrasti, omnem scientiam, & omnem
B sensum, non solum humanum, sed etiam angelicum. Et, ut Apostolus ait, etiam illis, qui te ab initio speculantur, *Principatibus*, *Ephes.3.* *& Potestatibus*, ex hoc utique mysterio innotuit *per Ecclesiam multiformis sapientia* tua, sed & benignitas tua & charitas tua in homines, non solum hominibus, sed etiam Angelis innotuit. Si quidem: cum sis in cæteris honorabilis, & amabilis, in homine admirabilis apparuisti; & sicut Propheta inquit: *Terribilis in consiliis super filios hominum*. *Psal.65.* Unde super hoc sacramento mirabili, & abscondito admirans idem Propheta, in-
C quit: *Domine quid est homo, quia innotuisti* *Ps. 143.* *ei? aut filius hominis, quia reputas eum?* Innotuisti ei, innotuisti in eo. Neque enim quid posses in cæteris omnibus, ut diximus, ut in homine demonstrasti. In hoc divitias gloriæ, & bonitatis tuæ investigabiles aperuisti: in hoc splendidius quam in aliis effulsisti: in hoc ardentia pectoris tui desideria (ut stylo hominis scribam) abundantius ex- *Isaiæ 8.* plesti. Quia enim bonus natura es, ardentissime bonitatem tuam diffundis: neque erat in quo ardorem hunc benefaciendi pro libito expleres, donec homo conditus est, qui tibi,
D ut dicitur, manus plenas, & largam præstitit benefaciendi materiam. Ideoque cum Angelorum innumeras differentias creasses; cœlos, astra, terram, maria, corporumque varias naturas condidisses; in his omnibus non quievisti; sed homine condito, ut Scriptura ait: *Quievit* Deus *ab universo opere, quod pa-* *trarat*. In homine quievit Deus, non in *Gen. 2.* Angelo, non in cœlo, quia benefaciendi innotescendique sufficientem, affluentemque sibi in eo materiam dari prospexit. Cum enim, Salomone teste, *universa propter semetipsum* *Prov.16.*
E *operatus est Dominus*; non quidem in servitium, quia non indiget, sed ut innotescat in eis; homine condito quievit; quoniam innotescendi in eo plenam reperit facultatem. Hæc sunt mirabilia tua piissime Deus, hæc sunt altissima magnalia, quæ hodie colimus, & quibus debitum exhibemus non tantum obsequium, sed amorem, sed gratulationem, sed exultationem, sed laudem, sed gloriam, & honorem. Hæc usque in senectam & senium pronuntiare cupit Propheta egregius: hæc nos quoque diebus, & noctibus, ubique, & semper totis viribus, toto corde, tota mente, cum omni devotione, & amore

rumi-

ruminare, ſentire, eloqui & laudare concupiſcimus. Deus ne derelinquas nos: ſed illumina, & inflamma corda noſtra, ut tanti amoris & pietatis dignationem, & agnoſcamus & ſentiamus. Et quia condignas nequimus, debitas ſaltem pro tanto amore gratias referamus: ne ingrati tanto, ac tam inenarrabili beneficio coram te inveniamur, & vertatur in damnum, quod præſtitum eſt in remedium.

VIII. *Væ genti peccatrici, populo gravi* *Iſaiæ 1.* *iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis!* Væ ſæculo ingrato, tepido, & tantorum beneficiorum oblito! Refrixit hodie, Fratres, devotio illa Sanctorum antiqua, ardentiſſimus fervor & ferventiſſimus ardor. Illi quidem, quoniam rogo cœleſti proximi fuerunt, amore calebant: nos vero, velut diſtantes elongatique ab igne, mentis gelicidio laboramus. Recens Chriſti ſanguis, ut Hieronymus ait, tunc in cordibus hominum fervebat; hodie in noſtris cordibus antiquatus deferbuit, & gelatus eſt. Quid dicam de temporis hujus miſerabili gelicidio? *A majori uſ-* *Jer. 6.* *que ad minorem, omnes avaritiæ ſtudent: & a Propheta uſque ad Sacerdotem, cuncti faciunt dolum.* Negotiis implicantur humanis, laſciviis & libidinibus vacant, honoribus & *Pſal.30.* favoribus inhiant: *oblivioni datus es* Domine *tanquam mortuus a corde.* Ubi fervor ille antiquus? Ubi illa populi devotio? Ubi flagrans charitatis incendium? Ubi indefeſſa laus, & gratiarum actio? Ubi ſtillans dulcedinem horum tuorum operum jugis & *Pſ. 142.* perpetua meditatio? Hoc unicum & maximum fidelibus tunc erat negotium: diebus, ac noctibus in operibus manuum tuarum meditari, & immenſas pro eis Deo gratias reddere. O ingratiſſimam gentem, quæ talium ſuſtinet donorum & beneficiorum obliviſci! Conqueritur, & merito, de hac noſtra oblivione Dominus per Prophetam dicens: *Nun-* *Jer. 2.* *quid obliviſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus vero meus oblitus eſt mei diebus innumeris.* Et adhuc acrius *Iſaiæ 5.* per Iſaiam Prophetam redarguit, dicens: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, neque opera manuum ejus conſideratis.* Hoc, inquam, opus, & illa opera, de quibus Angeli admirantur, & dæmones contremiſcunt. Quid enim in hac feſtivitate magis oblitum quam ipſa feſtivitas? Ludo non laude feſtivitas ſacra recolitur. Quod etſi omnes fideles hæc Domini increpatio pungat; ſed eos maxime, quibus hoc competit ex officio; quos ſtipendiatos populus fidelis habet ad hoc, ut pro eis debitas Deo gratias reddant. Quia enim ſæculares ad vitæ neceſſaria ſibi, & ſuæ familiæ perquirenda temporalibus lucris deſervire coguntur, occupatique negotiis, divinis laudibus vacare non poſſunt, decimarum ſti-

A pendio clericos in hoc opus conducunt, ut per eos expleant, quod per ſe non poſſunt; quibus durius judicium in fine reſervatum eſt, ſi in tanto negotio egerint negligenter: nullam enim pro ſe afferre poterunt excuſationem, qui duplici debito ad hoc aſtringuntur, Dei ſcilicet beneficio, & populi ſtipendio.

IX. Felices vos, o Virgines Deo gratæ, quibus datum eſt, ut in his ruminandis, ſpeculandis, deguſtandiſque myſteriis totam vitam expendatis; quarum omne officium eſt, pro his donis, diebus, ac noctibus, cum om-
B ni cordis gaudio & jubilo, Redemptori Chriſto laudes & gratias perſonare. Moneo ergo vos, & exhortor in Domino, ardenter tam pio, tam juſto, tam debito, tam ſancto operi *Iſaiæ 23.* inſtare. Laudate cum gaudio, frequentate *Pſal. 97.* canticum, repetite laudem. *Cantate, & exultate, & pſallite. Pſallite Domino in cithara, in cithara, & voce Pſalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Jubilate in conſpectu regis Domini a facie ejus, quoniam venit, quoniam venit judicare terram:* id eſt, potenti eam judicio ab oppreſſione dæmonis liberare. Hæc ſit lætitia veſtra, hæc exultatio
C veſtra, hæc omnis cura, & meditatio veſtra. Gaudeant alii in divitiis, & deliciis, in cibis, & potibus, & veſtibus pretioſis: laſciviant in conviviis ſuis, & lectis eburneis: vobis alia lætitiæ ratio eſt; de qua dicitur: *Ego* autem *delectabor in Domino: & exultabo* *Pſ. 103.* *in Deo Jeſu meo.* Lætamini ergo cum Sponſo veſtro, qui vobis tantam contulit dignitatem. *Præcinite Domino in confeſſione*, ut *Pſ. 164.* *Iſaiæ 66.* ſatiemini ab uberibus conſolationis ejus; & inebriemini vino exultationis illius. Audite Prophetam ſedulo hoc ipſum vos admonen-
D tem: *Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis,* *Ibid. 62.* *& ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Jeruſalem laudem in terra.* Vos, inquam, quæ *reminiſcimini Domini:* id eſt, quæ in hoc opus in hac clauſura deputatæ eſtis, quæ in hoc vitam & animas devoviſtis, non vobis hoc opus excidat a memoria: & quod memoria tenetis, aſſiduis laudibus perſonate. Ne taceatis ore, neque detis ei ſilentium corde: aliquando enim tacendo loquimur, & loquendo tacemus. Laudate ergo ore, laudate mente, a laudibus nolite ceſſare, donec ſtabiliat in terra veſtra, carne veſtra hanc laudem, ne laudando ſicut modo
E fatigemini: id eſt, donec a corporali hac, & alternante laude ad æternam, & inceſſabilem cœleſtis Jeruſalem laudem transferamini: ad quam nos perducere dignetur ipſe Dominus, & Redemptor noſter Jeſus Chriſtus: cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO NATALIS DOMINI

CONCIO QUARTA.

De Divina et Humana Generatione Verbi.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Joann. 1. v. 14.

Concio CXIX. *Isaiæ 6.*

I. VIdit Isaias *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum:* & plena erat omnis domus a majestate ejus. Et *Seraphim* sex alis alati juxta eum, *duabus* alis *velabant caput ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant:* quibus acclamantibus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, liminaria domus commota sunt, *& domus repleta est fumo.* Hac visione percitus Propheta clamavit: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Quo mundatus calculo, ad prophetandum quod viderat ipse se obtulit, dicens: *Ecce ego, mitte me.* Nostro proposito, Fratres, hæc omnia valde consonant: nam ecce annis superioribus de corpore Domini nudo & aperto, id est, de Nativitate ejus secundum carnem, historico more, plano & intelligibili modo, quam devote potuimus, vobis sermonem fecimus: hodie jam de velato capite & pedibus, id est, de generationis æternæ, & Incarnationis mysterio, juxta Euangelium Joannis lo-

Ibidem. cuturi sumus. *Væ mihi quia vir pollutus la-*
Ps. 138. *biis ego sum. Mirabilis facta est* hæc *scientia tua* a *me, confortata est & non potero*
1. Cor. 2. *ad eam.* Non homo animalis hæc vobis mysteria personare debui: sed si quis mundus, si quis sanctus, si quis in populo, Angelico pollens intellectu & seraphica lingua; ille nobis hæc tanta & tam profunda mysteria debuit publicare. Limpidissimus quidam intellectus in hoc pulpito statuendus erat, unde nobis claritatis suæ radios potentissimus ille Sol mirifice quasi a luna quadam reverberaret. Sed quoniam, licet impulsus & coactus, hunc locum, hæc vobis sacramenta expositurus ascendi, deprecor vos, Regem illum majestatis, de quo nobis futurus est sermo, obsecrate mecum, ut mittat aliquem ex Seraphim, qui calculo ignito de altari, polluta & sordida labia mea purificet. De altari, inquam, illo sacro Virgineo, de ara illa candenti, in qua mundi sacrificium novem mensibus reconditum est? O quibus ardoribus hodie flagrat! O quanto spiritus igne sacerrima illa ara succenditur hodie! O Virgo sacra quis impressiones illas ferventissimas & lucidissimas infusiones, quis ignitos illos influxus & micantes fulgores, quibus undique tota perfunderis, valeat explicare? Sol enim ille justitiæ ex tuo utero jam jam proditurus, te quasi auroram, & purpurantibus coloribus decoravit, & fulgurantibus radiis illustravit. Hæ sunt partus angustiæ, hi dolores quos pateris Virgo, his anxietatibus torqueris? Crediderim ego, neque me fallit opinio, non potuisse ullo modo Virginis corpusculum tenerrimum, tam fortes, tam fervidas, tam potentes impressiones sustinere, nisi ille qui eam talibus spiculis, & fulgoribus percellebat, grandi eam miraculo sustentaret interius. Quid enim? *Montes* & *Psal. 96.* petræ *sicut cera fluxerunt a facie* ejus, & tetenerrima Virginis caro, ejus præsentiam sustinebit? Utinam, utinam ab hoc altari candenti, & flagrantissimo nobis hodie scintillæ quædam prosiliant, quæ & labia dicentis mundent, & cor illuminent, & inflamment! Alias ad hæc proferenda quis idoneus? Profundum, & vastum pelagus hodierni Euangelii intraturi sumus, in quo quivis & quantumvis magnus elephas submergatur. Pelagus quod om- *Ezech.* nino non potest transvadari, quia supra mo- 40. dum intumuerunt aquæ illius: in quo, fateor, margaritæ pretiosæ sunt; sed nisi desuper fundatur oleum, quod clarificet cœruleam & profundam aquam, eas videre minime poterimus. Oremus igitur devote & humiliter Christum Dominum, quem Pater oleo isto *Psal. 44.* lætitiæ unxit præ participibus suis: qui cum oleo, & unctionibus in terris hodie apparuit; ut sacram nobis e cœlo proferat unctionem, quæ mihi prolaturo, labia mundet & cor illuminet ad dicendum; & vobis audituris cor & aures aperiat ad audiendum. Sed quem mittemus: aut quis ibit nobis apud Christum mediator & intercessor, nisi ipsa pia & humilis Virgo, quæ eum nobis hodie ex viscеribus suis protulit? Huic igitur devote supplicemus, ut legationem nostram suscipiat; offerentes consuetum servitium, salutationem Angelicam,

AVE MARIA.

II. Multo aliter Christi Nativitatem, quam cæteri Euangelistæ nobis Joannes personuit: illi enim longam atavorum seriem, prosapiam nobilem, & antiquum genus, Angelicam annuntiationem, admirabilem conceptionem, virgineum partum, & cætera quæ ad humanitatem Christi pertinent, historico more, tanquam pueri cujusdam illustris, potentis, & prodigiosi, qui verus esset Messias in lege promissus, longa narratione prosecuti, de illius Divinitate brevissime attigerunt. Joannes autem novo tunc in Ecclesia Ebionitarum errore (*a*) super hoc pullulan- (*a*)

te,

(*a*) Hac de causa Euangelium suum scripsisse Joannem tradit Hieronymus de Script. Eccles. in Jo. *Scripsit Euan-*

te, ad ſcribendum percitus: velut Aquila grandis, expanſis alis ſuper nubes levatur, non modo cæteros, ſed & ſeipſum ſupergrediens, ſicut ſcriptum eſt: *Et* aquila *deſuper ipſorum quatuor*. Unde ſupra humanam æſtimationem & facultatem in altum progreſſus, *aſcendit ſuper Cherubim, & volavit: volavit ſuper pennas ventorum:* qui carnis parentibus Abraham, Iſaac, & Jacob, cum cæteris prætermiſſis, altiorem infantis originem ex ſublimi Divinitatis ſtirpe deducens, qualis & quantus ſit iſte qui naſcitur, profundo nimis eloquio ita pertonuit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, &c.* Modum vero hodiernæ generationis arctiſſimo compendio deſcribens, conſequenter adjungit: *Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Ac ſi diceret: Ita ſentite de Chriſto o Ebionitæ. Non ſatis eſt quod de Spiritu ſancto conceptum, & de Virgine natum (*a*) confiteamini. Non ſufficit ſanctiſſimum, & maximum omnium qui ſunt, & fuerunt, & futuri ſunt, & verum Meſſiam iſtum Puerum profiteri: ſed & verum Dei Filium, a Deo æternaliter genitum, Patri coæqualem, conſubſtantialem, & coæternum, Deum de Deo, lumen de lumine, oportet ut credatis eum. Agnoſcite latentem majeſtatem in Puero, & in ſacculo carnis teneræ, Divinitatis theſauros omnes reconditos intuemini. Niſi enim Deus eſſet iſte qui naſcitur, non cœlum & terra in ejus natalitio moverentur, non proderetur a cœlo, non coleretur ab Angelis, non adoraretur a Regibus, non agnoſceretur a beſtiis, non tot canticis, & laudibus illius feſcennina cœleſtium chori cum jubilo perſonarent.

Ezech. 1. *Pſal.* 17. *Jo.* 1. (*a*) *Coloſ.* 2.

III. Ita dico vobis o Ebionitæ, ita ſentite de Chriſto. Sic antiquiſſimi Vates, quorum oraculis catholica fides fulcitur, intelligere docuerunt. Unde Iſaias: *Parvulus*, inquit, *natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis*. Et Michæas: *Tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui ſit* ſalvator *in Iſrael; & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Et Pſalmiſta: *Ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultavit ut gigas ad currendam viam, a ſummo cœlo egreſſio ejus*. Quam aperte hæc omnia vati-

Iſaiæ 9. *Michææ* 5. *Pſal.* 18.

cinia & humanam Chriſti Nativitatem, & divinam ejus potentiam profitentur. *Parvulus natus eſt nobis:* ſed *vocabitur nomen ejus Deus, fortis*. Ex Bethlehem Ephrata egredietur: ſed *egreſſus ejus a diebus æternitatis. Tanquam ſponſus de thalamo ſuo*, id eſt a Virginis utero: ſed *a ſummo cœlo egreſſio ejus*. Quid eſt a ſummo cœlo, niſi quod Euangeliſta pertonuit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum?* Inde primam ſuam originem traxit iſte Puer, non ab Abraham, Iſaac, & Jacob. Hoc magnum eſt fidei noſtræ myſterium, & unicum fundamentum, cui quiſquis vera dilectione innixus fuerit, ſalvabitur; & qui illud ignoraverit, ignorabitur. In hoc omnis animarum ſalus, & vita conſiſtit: hoc eſt inſigne illud amoris indicium, & inexplicabile beneficium, quo nos ſibi devinxit Divinitas: hæc maxima, & ſuprema gratia, quam contulit orbi: quia ſic hominem exaltavit, & ſublimavit, ut qui erat Deus noſter, fieret Frater noſter; os de oſſibus noſtris, & caro de carne noſtra. Quanta nobis inde ſpes, quanta vitæ fiducia, Fratres. Hoc eſt myſterium illud abſconditum a ſæculo, quod nemo principum hujus mundi cognovit; non doctus Plato, non eloquens & verboſus Demoſthenes, non argutus & ingenioſus Ariſtoteles, non denique ſuperba philoſophorum caterva, vacuo ſapientiæ ſupercilio turgida. Sed quid de hominibus loquor? Etiam Angelis Dei a principio non fuit cognitum, ſicut revelatum eſt ſanctis Prophetis amicis Dei, a quibus illud plures Angeli didicerunt, Apoſtolo teſte: *Ut innoteſcat principatibus, & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*. Quia enim propter homines maxime, hoc tam inſigne & præclarum opus a Deo diſpoſitum eſt, prius eis oportuit innoteſcere. Sciebatur in pago, & neſciebatur in palatio: innotuerat in villa, & ignorabatur in curia. In hoc myſterio Angelos diſcipulos habuimus: in hoc magiſterium noſtrum dedignati non ſunt magiſtri noſtri. Didicerunt ab oraculo, quod nondum viderant in Verbo: Deo etiam pro nobis ſic melius providente, ut eis contemptibiles non eſſemus. Neque tamen hoc de omnibus Angelis dixerim, ſicut de aliquibus non dubitaverim. Noverant quippe omnes Angeli a principio beatitudinis ſuæ, a quo, in quo, & per quem conditi fuerant; ſed propter quem, non ita forte ſciebant (*b*). Nondum eis innotuerat Hæres ille univerſorum, cujus obſequio deſti-

Jo. 1. 1. *Cor.* 14. *Gen.* 2. 1. *Cor.* 2. *Epheſ.* 3. *Hebr.* 11. (*b*)

Euangelium rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, adverſus Cerinthum, alioſque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Unde & compulſus eſt divinam ejus nativitatem edicere.

(*a*) Duo Ebionitarum genera poſt Origenem memorat Euſebius Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 3. cap. 27., nam alios aſſerit dixiſſe, Chriſtum ex viri cum Maria concubitu procreatum: quod ab Ebione ipſo traditum memorant Epiphanius, Philaſtrius, S. P. Auguſtinus, Theodoretus; alios vero ex Virgine, & Spiritu Sancto genitum non negaſſe, cum tamen non ſecus ac primi, Chriſtum ante nativitatem Deum, ac Dei Verbum, & ſapientiam extitiſſe non admitterent. De poſteriori hac Ebionitarum ſecta loquitur S. Orator noſter.

(*b*) Myſterium incarnationis omnibus Angelis ab initio

Heb. 1. nati sunt. *Omnes* enim *sunt administratorii*
3.*Reg.*4. *spiritus*: omnes domus magni Salomonis secundum varia officia deputati sunt officiarii. Et quemadmodum si Rex quidam dives & potens, domum ignoto filio suo insignem ædificet, regale palatium construat, officiarios eligat, officia distinguat; alios œconomos, alios camerarios, alios secretarios, alios repositarios, alios pincernas, & cubicularios, sicut magnum principem decet, statuat; ampliſſimam supellectilem comparet, superbum equorum, & famulorum apparatum exquirat; mirabuntur omnes curiales quid sibi velint hæc omnia, donec prodente patre pusillus Princeps omnibus innotescat: sic omnino in Filio Dei Unigenito contigisse putandum est. Omnis hæc mundialis machina tam ampla & mirifica domus illius est, quam illi construxit Pater. Angeli sunt officiarii secundum suos ordines, prout illius ministerio congruit, distributi. Hominum etiam di-
*Ephes.*4. versi in Ecclesia gradus juxta Apostolum: *In opus ministerii* distincti sunt. Cœli cœlorum, & quicquid supra cœlum, & sub cœlo est, in hujus sacerrimi Infantis obsequium conditi sunt; propter ipsum sunt omnia, ipse est finis omnium.

IV. Hic inquam infans, qui pannis involvitur, & in præsepio jacet, hic est Princeps, & Dominus, & hæres universorum, & quæ in cœlo, & quæ in terra, & quæ in abyssо sunt: sicut in epistola Apostolus com-
Heb. 1. memorat: *Quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula*. Innotuit autem in fine temporum, cum Patri libuit illum mundo manifestare. Usque tunc mundus ipse vacuus quodammodo, & otiosus erat, quo-
Gen. 1. niam illius finis nondum apparebat. Sicut enim quando Deus condidit mundum; cum cœlos, terram, maria, arbores, & jumenta creasset, hæc omnia otiosa videbantur, donec homo, qui omnium illorum proximus finis erat, creatus est: sic de omnibus judicandum, donec incarnatus est Christus.
Jo. 1. Quod & Joannes insinuat cum ait: *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*. Quasi Unigeniti, quasi prin-
*Galat.*4. cipis, & hæredis omnium. Et Paulus: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*. Plenitudo temporum illa est, in qua ostenso omnium fine, consummatus est mundus: nam usque tunc vacuus erat, & imperfe-
Isaiæ 41. ctus. Cui etiam consonat Isaias dicens: *Quis*

A *suscitavit ab oriente justum?* Et sequitur: *Quis hæc operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio?* id est, consummans omnia, quæ ab exordio condita sunt. *De-* *Heb.* 2.
cebat enim eum, propter quem omnia, sicut ait Apostolus, *qui multos filios in gloria adduxerat, Authorem salutis per passionem consummare*. Et alibi: *Omnia vestra sunt: vos* 1.*Cor.*3.
autem Christi: Christus autem Dei. Et iterum: *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne,* 1.*Tim.*3.
B *justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria*. Unde quam primum egressus de Virginis utero, quasi Sponsus de thalamo, cœlestis Princeps mundo innotuit; statim ei sicut Domino cœlestia, & terrena famulantur. Properant Angeli Regem suum adorare, sicut scriptum est: *Et adorent eum omnes Angeli* ejus. Fe- *Heb.* 1.
stinant Reges a longinquo, totius gentilitatis nomine, novo Principi famulatum & obedientiam exhibere: pastores etiam ex propinquo Israelis nomine servitutem profitentur: omnia sicut Domino, sicut Deo,
C sicut Patris æterni Unigenito obtemperant & obediunt. Hoc cunctis in Euangelio Joannes Euangelista intimat, hoc docet, ut digne de Puero sicut de Dei Unigenito sentiamus. Cui Apostolus mirifice consonat in epistola dicens: *Qui cum sit splendor glo-* *Ibidem.*
riæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. O cœlestes fistulæ Joannes & Paulus, quam concorditer, quam sublimiter personatis! O Spiritus sancti lyræ, quam potenter, quam dulciter concinitis! Quænam
D est, obsecro, aut esse potest hac harmonia concinnior, quæ jucundior, quæ suavior?

V. Sed jam abyssum hanc profundissimam cum omni humilitate, duce Spiritu subintremus, sacrosanctæ Matris Ecclesiæ examini & judicio submittentes (*a*) quicquid & (*a*)
hic, & alibi, sive dicto, sive scripto exponere & docere tentaverimus. Primo igitur inquiramus quænam est causa, quod Dei Filius in Scripturis sanctis *Verbum* soleat nuncupari. Non enim Joannes primus hoc nomen invenit: nam prior Psalmographus dixerat olim: *Verbo Domini cœli firmati sunt*. *Psal.*32.
Et iterum: *Eructavit cor meum verbum bo-* *Psal.*44.
E *num*, & iterum: *Misit Verbum suum, &* *Ps.* 106.
sanavit eos. Et Isaias: *Verbum autem Domini* *Isaiæ* 40.
manet in æternum, & iterum: *Videbit omnis*

caro

---

initio revelatum fuisse sentiunt Doctores non pauci, ut S. Thomas, Rupertus, Catherinus, Viguerius, Valentia, Lyranus, Cartusiensis, neque ab hac opinione alieni sunt S. P. Augustinus, & S. Bernardus, licet eam non satis expresse docuerint. Non desunt tamen magni nominis Auctores oppositum asserentes, ut Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, Hieronymus, & Nyssenus, quibus hac in parte adhæret S. Præsul noster. Lege, si plura desideras, Gabrielem Vazquez in 1. part. S. Thomæ disp. 215. cap. 2., ubi loca omnia Scriptorum, quos allegavimus, indicat & expendit.

(*a*) Quanti fecerit Ecclesiæ judicium S. Orator, nedum his verbis testatum voluit, sed alia etiam protestatione, quam Autographi fol. 7. adjecit. Eam Bruxellensis Editor initio tomi 1. edidit, estque hujusmodi. *Ego Frater Thomas de Villanova protestor, quod in omnibus, quæ hic, & alibi scripsi, & scripsero, intendo sequi sensum Sanctæ Matris Ecclesiæ: cujus examini, & correctioni omnia mea sive dicta, sive scripta subjicio, in cujus fidem nomen meum subscribo: Frater Thomas de Villanova.*

caro pariter quod os Domini locutum eſt, id eſt, Verbum Dei. Antiquitus ergo hoc Filii Dei vocabulum Prophetis ſanctis fuerat revelatum, in quo non modica divinæ generationis notitia hominibus data eſt. Si enim Filius Verbum eſt, ipſa generatio proculdubio per intellectum eſt. Verbum namque intellectu gignitur & concipitur. Quantas ex hujus nominis revelatione Divinitati gratias homines debeamus, non facile dici poſſet: plus enim uno hoc vocabulo, quam uno libro integro continetur, ut ex ſequentibus patebit. Neque tamen per hoc illi quæſtioni nos ſatisfeciſſe credimus, qua apud Sapien-
Prov.30. tem inquiritur: *Quod nomen eſt ejus, aut quod eſt nomen Filii ejus, ſi noſti?* Itaque quod Filius Dei Verbum ſit, ex ſacris literis irrefragabiliter convincimus: ſed quomodo verbum ſit, diffuſius exponamus. Eſt enim apud nos duplex verbum, oris ſcilicet, & cordis; unum quod profertur exterius, alterum quod concipitur interius. Sed de quo iſtorum in Divinis intelligendum ſit, Propheta expoſuit cum ex perſona Patris
Pſal.44. in Pſalmo ait: *Eructavit cor meum Verbum bonum*. Unde miror, cur Neotericus quiſ-
(*a*) piam (*a*) in hoc loco tranſtulerit, in principio erat Sermo: licet enim, ὁ λόγος utramque ſignificationem admittat; tamen Verbum Dei non tam ſermoni, quem proferimus, quam interiori verbo cordis aſſimilari exiſtimandum eſt. Eſt autem verbum cordis imago quedam & ſimilitudo rei, per intellectum producta, ei immanens: id eſt, quoddam ſimulacrum intellectu formatum, & ei inhærens. Unde merito partus cordis, & filius mentis poterit nuncupari. Eſt enim a natura vis talis inſita menti, ut poſſit omnium rerum exteriorum in ſeipſa, velut in tabula quadam, imagines depingere, atque formare; ac propterea cum intelligimus, imaginari dicimus: quia per intellectum rerum imagines cognoſcendo formamus. Mira profecto intellectus facultas: ut in ſe ipſo producat in eſſe cognito, quicquid Deus extra produxit in eſſe reali: & ſicut Deus omnium creator eſt, ita quoque omnium plaſmator quodammodo intellectus ſit. Quod majus prodigium, quam ut in mente alius mundus intelligibilis ſit, qualis ad extra eſt iſte ſenſibilis? Ibi cœlum, ſol, aſtra, maria, terra, arbores, animalia, arbuſta, montes, petræ, flumina: ibi leones, urſi, equi, elephantes, aquilæ, & cætera omnia, quæ exterius vide-
(*b*) mus, effigiata ſunt. Unde Ariſtoteles (*b*): Intellectus agens eſt, quo eſt omnia agere: intellectus paſſibilis, quo eſt omnia pati: id eſt, recipere imagines. Ergo rerum & ſimulacra intellectu producta, & in eo manentia, ſicut diximus, verba dicuntur.

VI. Ponamus ergo intellectum quemdam tanti vigoris & efficaciæ, ut intelligendo rerum omnium eſſentias, non fictitias & imaginarias, quales noſter intellectus format, ſed veras, reales, & eſſentiales formas ad extra producat; exempli gratia, veros leones, veros elephantos, veras aquilas, & veras columbas: ita ut ſi ego, exempli gratia, modo ex hoc pulpito campum iſtum leonibus, urſis, equis, aquilis, intelligendo replerem; & extra me non imagines rerum, ſed formas iſtas veras, & reales ex quadam mentis plenitudine, foras dicendo ſpuerem: quæro a vobis: nonne tunc omnes illæ formæ ad extra per intellectum productæ verba etiam dicerentur? Utique: nam omne quod dicitur, verbum eſt: & illa intellectu dicuntur, quæ intelligendo producuntur. Talis eſt intellectus divinus. Unde merito Ambroſius, verbum leonis, verbum equi, verbum elephantis vocat, quia intelligendo producta ſunt. *Ipſe enim dixit, & facta ſunt.* *Pſ. 148.* Et in Geneſi. *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux. Dixit Deus fiat firmamentum, & factum eſt firmamentum:* & ita de aliis. *Gen. 1.* Qua, obſecro, lingua dixit? Non utique alia, quam intellectu: intelligendo enim dixit, & dicendo creavit. Et vide, ne forſitan ſic illud Angeli elogium intelligendum ſit: *Quia non erit impoſſibile apud* *Lucæ 1.* *Deum omne verbum*. Hæc itaque differentia eſt inter intellectum increatum, & creatum, quod formas fictitias & imaginarias, quas intelligendo noſter intellectus in ſeipſo fingit, intellectus divinus veras & reales, propter infinitam ejus virtutem & efficaciam, ad extra producat. Unde ſic intelligendus eſt Deus mundum iſtum ſenſibilem condidiſſe, ſicut tu apud te mundum alium in mente tua intelligendo formare ſoles: intellectus enim noſter intellectus divini ſimilitudinem quandam habet, ut ſit ipſe effigiativus, quorum eſt ille formativus. Sed procedamus ulterius inquirentes: Hic intellectus tam efficax & potens, qui non fictitia in ſeipſo, ſed realia ad extra verba intelligendo & dicendo producit, nunquid eſſentiam ipſam infinitam, increatam Divinitatis, ſicut creabiles eſſentias intelligit? Notum eſt, quod ſic. Rurſus petamus: nunquid Deus propriam eſſentiam intelligendo, ſicut in cæteris, per intellectum verbum producit, an non? Quis etiam protervus philoſophus Verbum in divinis negare audeat? Ridiculum enim eſſet, ut qui ad eſſentias creabiles & finitas tam potens & fœcundus eſt, ad ſe ipſum & eſſentiam ſuam infœcundus & ſterilis inveniatur. Unde per Iſaiam: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pa-* *Iſaiæ 66.* *riam?* & *qui cæteris generationem tribuo, ſterilis ero?* Simile nunc diceretur: Nunquid qui ad alias naturas fœcundus ſum, ad me ipſum & meam

(*a*) Nimirum Eraſmus Roterodamus, qui Joannis caput primum ita vertit: *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat ille Sermo.*

(*b*) De anima lib. 3. cap. 5. *Quidam eſt intellectus talis, ut omnia fiat; quidam talis, ut omnia agat, atque efficiat.*

meam naturam ſterilis ero? Producit ergo Verbum non utique fictitium & imaginarium, ſed veram, realem, eſſentialem imaginem Deitatis, quam intelligit, ſicut in cæteris naturis ſupra declaravimus. Nam ſicut intelligendo eſſentiam leonis, veram & realem formam leonis, id eſt, verum leonem; & intelligendo eſſentiam equi, veram & realem eſſentiam equi, id eſt, verum equum producit, & ita in cæteris: ita intelligendo eſſentiam Deitatis, veram & realem imaginem, & figuram Deitatis, id eſt, verum Deum producit: neque poteſt recte aſſignari diſcrimen. Hoc Verbum Dei ego voco Filium Dei. Verbum Dei, quia intellectu Deitatis productum; Filium Dei, quia in naturæ ſimilitudinem producenti ſimilis generatum: hoc enim eſt eſſe Filium. Cætera Dei opera, verba Dei quodammodo dici poſſunt, non objective, ſed productive, non intra dicta, ſed ad extra prolata; verba Dei, ſed non verba Deitatis, id eſt, non intellectu Divinitatis in ejus ſimilitudinem producta, ſicut Filius Dei.

VII. Vide quam concinne Euangeliſtæ Apoſtolus reſpondeat in epiſtola, de eodem verbo dicens: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*. Adde intellectu producta, & erit integra diffinitio Verbi: hoc enim ſupra diximus eſſe Verbum. *Figura*, inquit, *ſubſtantiæ ejus*, id eſt, imago non fictitia quidem, quales noſter intellectus intelligendo formare ſolet, ſed ſubſtantialis, realis, eſſentialis, & vera. Verbum igitur, quod Euangeliſta nuncupavit, Apoſtolus exponendo diffinivit. His tertiam Prophetæ vocem addamus, & integra erit harmonia. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi: lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*. Quam ſuccincte complectitur omnia quæ dicta ſunt, quam potenter utramque exprimit productionem! *Eructavit cor meum verbum bonum:* ecce productionem ad extra. Sed ſigillatim exponamus; nullum enim verbum a myſterio vacat. *Eructavit*, id eſt, ex illa plenitudine, ex illa immenſitate, ex illa abundantia Deitatis, ex memoria fœcunda, quaſi ex ampliſſimo quodam utero Dei, ex omnibus quæ ſunt in eſſentia, & notitia Patris, ut S. P. Auguſtinus (*a*) ait, plene, perfecte, infinite, ab intimis produxit. O pulcherrimam expreſſionem! O verbum ad exprimendam divinam generationem aptiſſimum: per quod & plenitudo illa naturæ, & productionis efficacia, vis & intimitas exprimitur! Ab intimis eructatum, non a foris creatum. Unde ſequitur: *Cor meum*, id eſt, non de nihilo, ſed de corde, de mea ſubſtantia productum: non de nihilo factum, de corde & utero Dei Verbum Dei eructatur. Sicut alibi ait: *Ex utero ante luciferum genui te*. Ex corde, quia per intellectum: ex utero, quia ex memoria fœcunda Patris. Ecce producendi modum. Et ſi per intellectum, ergo Verbum non quidem fictitium & imaginarium, ſed bonum, id eſt verum, reale, eſſentiale, perfectum, qualis eſt natura bonitatis, ex qua producitur. Sic, ad intra dico, & ſemel dico. Sic ſcriptum eſt: *Semel locutus eſt Deus*. Ad extra vero multipliciter. *Dico ego opera mei Regi*. Dico, id eſt, dicendo produco: opera ſunt, ſed quia dicta, verba quoque dici poſſunt, non quaſi immanentia, ſed quaſi prolata. *Dico opera*. O mirabilem locutionem! Nos opera noſtra facimus, non dicimus: Deo autem dicere, facere eſt. Sed cui dicat, & propter quem dicat, attendamus. *Regi*, Chriſto Domino ex Virgine nato: Regi, ad quem videndum filias Jeruſalem exire invitat, dicens: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua*. Regi, de quo in alio Pſalmo orat: *Deus judicium tuum Regi da*. Huic Regi, & propter hunc Regem, ſicut ſupra expoſuimus, omnia Dei opera dicta & condita ſunt: propter illum fecit omnia: ipſe eſt finis omnium. Sed quomodo dixit ea? Sequitur: *Lingua mea calamus ſcribe*. Si lingua, quomodo calamus; ſi calamus, quomodo lingua? Lingua eſt quæ dicit, & dicendo producit: ſed quia non verba tranſitoria, ſed realia & permanentia dicit, quia dicendo format ad extra quod dicit; ideo calamus ſcribæ: calamus enim verba exterius ſcriptura format, & tranſitoriis verbis permanentes effigies reddit. *Velociter ſcribentis*. Sed quam velociter! *Ipſe dixit, & facta ſunt*. In momento, ſubito, ſine mora, ſine labore, ſine tempore. Non me capio præ lætitia, quoties ſacrarum Literarum inter ſe, & cum ratione tantam conſonantiam intueor.

VIII. Ex his, ni fallor, qualiter in divinis Verbum intelligendum ſit, & quomodo a Patre generetur, ex parte quantum humana fragilitas attingere poteſt, declaratum eſt. Sed quid hujuſmodi Verbo Joannes attribuat, audiamus: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum*. Quam ſublimiter de Verbo ediſſerit, quam ſuccincte percurrit Deo coæternum, conſubſtantiale, coæquale principium! Vitam, lucem, aſſerit eſſe Verbum. *In principio*, ait, *erat Verbum*; id eſt, ab æterno. Audi rationem. Ab æterno fuit intellectus, ergo ab æterno erat Verbum: neque enim Deus ſine intellectu, neque intellectus ſine verbo eſſe poteſt: *Et Verbum erat apud Deum*; id eſt, in eſſentia Deitatis. Patet: nam ſi in cæteris naturis per intellectum divinum producitur verbum, ergo a fortiori in natura divina: Non enim ad propriam tantum naturam ſterilis erit intellectus divinus, ſicut ſupra diſſeruimus.

Et

Heb. 1. *Pſal.* 44. *Pſ.* 109. *Pſal.* 61. *Cant.* 3. *Pſal.* 71. *Pſal.* 44. *Pſ.* 148. *Jo.* 1.

(*a*) Vide Enarr. in Pſal. 109. num. 16.

Et Deus erat Verbum. Hoc etiam liquet: nam divinus intellectus, ſicut diximus, non fictitias rerum imagines, & intentionalia verba, ſed veras, eſſentiales, & reales formas intelligendo producit: ergo Verbum a Deo per intellectum Deitatis productum, imago realis, vera, ſubſtantialis eſt Deitatis, ergo Deus. Cum enim in forma Dei *Philipp.* 2. ſit, non rapinam Deo facit, eſſe & nominari ſe Deum: alioquin ſi alterius naturæ verbum Dei eſſet, jam non verum Deitatis verbum, ſed quaſi fictitium exiſteret: & creatæ & increatæ naturæ unum & idem verbum eſſet, quod eſt impoſſibile. Quod ſi *Deus erat Verbum*; ergo æquale & conſubſtantiale producenti: nam in Deo non eſt diſparitas. Et ſi in *principio*; ergo coæternum. Unde ſequitur: *Hoc erat in principio apud Deum*; id eſt, coæternum, conſubſtantiale, & coæquale producenti ſe Deo: diſtinctionem quoque in divinis ipſa productio aperte probat, cum nihil poſſit producere ſemetipſum: neque eſt inutilis iſta repetitio; nam prius Deus eſſentialiter, & poſtmodum notionaliter accipitur, ut reor. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Et merito quidem: nam cum Verbum ſit vera, plena, eſſentialis, & adæquata imago Deitatis, omnia quæ in abyſſo illa immenſa Deitatis continentur, Verbo referuntur. Omnium ergo creaturarum ideas in ſeipſo formaliter continet, ut primum earum exemplar, & prototypon. *Omnia* ergo *per ipſum*, ut per exemplarium facta ſunt: *& ſine ipſo factum eſt nihil: ſed quod factum eſt in ipſo vita erat*. Nemo de hoc dubitat: nam domus, quæ non vivit in ſe, vivit in artifice vivo. Sed ſi aliter legere literam iſtam juvat, grandior eſt ſententia. Lege autem (a) ſic (a): *Sine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*, & ſequitur: *In ipſo vita erat*; id eſt, Verbum eſt vita omnium, quia omnia ſuſtentat, & omnia ab eo habent dependentiam, ſicut Eccleſia canit: Pondus rei vertibilis verbo *Heb.* 1. virtutis ſuſtinens; & Apoſtolus: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*.

IX. Sed unde iſtam dependentiam comprobabimus? Utique quia *Deus erat Verbum*. Sed ex ratione Verbi magis ratio perquirenda eſt: Verbum Dei, ſicut deduximus, omnium creaturarum exemplar eſt, quæ per ipſum in ratione cujuſdam aſſimilationis, & quaſi veſtigia quædam fiunt. Sicut ergo imago ſpeculi ab objecti præſentia dependet, & radius a *Jo.* 1. luce; ita etiam a Verbo cuncta. *Et vita erat lux hominum*. Imo Angelorum, imo omnium intellectuum. Hoc ſatis aperte deducimus: objectum enim illuminat intellectum ſui præſentia, cum illum vitaliter in ſui cognitionem immutat. Cum itaque Verbum ſit primum, & univerſale omnium repræſentativum, omnium ideas in ſe ipſo continens, in omnium cognitionem omnem intellectum illuminare poteſt. Potentius utique & verius, quam objectum ipſum creatum in ſui cognitionem illuminet. Eſt ergo Verbum univerſalis lux omnium intellectuum: unde merito Beati omnia in Verbo videre dicuntur. Sed quia dixit, *vita erat lux*: inſinuatur per hoc, quod inde habeat Verbum quod ſit lux omnium intellectuum; unde quod ſit vita omnium exiſtentium propter rationem idealem: inde enim dependentiam, inde quoque illuſtrationem ſupra deduximus. *Et lux in tenebris lucet*: creaturas maxime corporeas, tenebras nominat; ſicut enim, quaſi illius veritatis & luminis umbræ quædam, formam ſpiritualis ideæ exteriori corpulentia præferentes: unde propter quandam ſimilitudinem cum exemplario ſuo, in quandam illius notitiam ducunt; ſicut Apoſtolus ait: *Inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Sed *tenebræ eam non comprehenderunt*: quia infinite melius eſt illa lux, quam per tenebras repræſentetur. Infinitos etiam mundos creabiles in ſe continet, quorum formas hic orbis non refert. Unde, quia naturalis hæc cognitio luminis, quæ per creaturas eſt hominum, non ſatis erat ad vitam; *fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Audiſtis quid de Verbo Dei Euangeliſta ſonuerit: audite nunc Apoſtolum prorſus ſimiliter concinentem. Euangelii enim, & Epiſtolæ mira eſt concordia. Joannes de Verbo Dei concinit, & Paulus Dei Verbum definit dicens: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*. Joannes ait: *Deus erat Verbum*. Et Apoſtolus ad filium: *Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi*. Joannes ait: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Et Paulus: *Quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula*. Joannes ait: *In ipſo vita erat lux*. Et Paulus: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*. Joannes ait: *Vita erat lux hominum*. Et Paulus: *Purgationem peccatorum faciens*. Eſt enim illuminatio purgatio quædam, ut Dionyſius (b) ait. Vidiſtis admirabilem concentum & harmoniam: non attenditis, quam dulciter cœleſtes fiſtulæ eodem ſpiritu perflatæ ſibi correſpondeant?

Rom. 1. *1. Jo.* 1. *Jo.* 1. *Heb.* 1. *Jo.* 1. (b)

X. Hæc omnia de Verbo Dei & ejus productione tam diffuſe deduximus: non quod fidem

(a) Utramque admittunt lectionem Biblia Romæ correcta, ut notat Lucas Brugenſis in Loc. inſign. Roman. correction. *Conſulto*, inquit, *illud (quod factum eſt) ita eſt interpunctum, ut & præcedentibus jungi poſſit, & ſubſequentibus*. Prior lectio, nimirum diſpuncta: *ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo vita erat*, placuit S. P. Auguſtino, Tertulliano contra Hermog. S. Ambroſio lib. 3. de Fid. cap. 3. S. Cyrillo, Clementi Alexandrino lib. 1. Pedag. cap. 6. Poſterior, veluti planior, eſt Syrorum, Arabicorum, Græcorum, S. Jo. Chryſoſtomi, Theophilacti, Nonnii, Euthymii, Leontii, Ariæ Montani, & Eraſmi.

(b) De Cœleſti Hierarch. cap. 7. §. 3. *Compendio denique non abs re dixerim divinæ ſcientiæ participationem eſſe purgationem, & illuminationem, atque perfectionem... per divinam vero cognitionem illuminat, qua etiam purgat mentem illam, quæ antea non viderat ea, quæ modo illi per ſublimiorem illuſtrationem elucidantur.*

fidem probare velimus, abſit, abſit a nobis tanta
Iſaiæ 53. vecordia; ſcriptum eſt enim: *Generationem*
Pſ. 130. *ejus quis enarrabit?* Non ambulabo *in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*. Infinite melius & perfectius Verbum & eſt, & gignitur, quam a nobis vel dici vel cogitari poſſit: ſed cum omni humilitate deſuper cœleſtibus ratiocinati ſumus; tum ut abyſſum ſapientiæ in hoc Euangelio abſconditam ex parte demonſtraremus, ut ſciant philoſophi quia non eſt ſine ſapientia fides; tum ut fidem rationi & veræ philoſophiæ non eſſe contrariam, contra inſultantes paganos oſtenderemus; tum etiam ut viam fidelibus panderemus ad intelligendum qualiter philoſophi fidei noſtræ ſimilia prædixerunt. Aſſerit enim S. P. Auguſtinus (*a*), in libris Platonicis eadem in ſententia, licet non eiſdem verbis, quæ in hoc Joannis Euangelico exordio, ſe legiſſe. Non Euangeliſta platocinavit, ſed Plato euangelizavit. Unde enim Joannes, inde Plato accepit: licet aliter per ſcalam intellectus noſtri, ſicut ſupra diximus, philoſophi ad divinum intellectum, & divinum Verbum conſcenderunt, & modo ſupradicto ratiocinantes de Verbo Dei, fidei ſimilia conſcripſerunt. Non ab eis accepimus, ſed omnes a veritate. Scripſit etiam ille Triſmegiſtus philoſophus antiquiſſimus, ut fertur, librum de Verbo Dei; & Platonici de eodem Verbo multa dixerunt, triplicem mundum ſtatuentes; idealem in Verbo, intelligibilem in intelligentia, ſenſibilem in rebus. Conſimiliter ad id
Jo. 1. quod Euangeliſta nunc ait: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus*
Exod. 8. *eum non cognovit*. Sed Magi Pharaonis in tertio ſigno, ſicut ait Iſidorus, defecerunt. Cum namque de Verbo Dei, & de ipſo Deo multa conſcripſerint, de Spiritu ſancto nihil penitus cognoverunt; quamvis Plato Trinitatem quandam poſuerit, a noſtra non longe diverſam, ſcilicet Deum, Verbum, & animam mundi, quæ anima Spiritui ſancto quodammodo reſpondere videtur; ſed non ſicut fides, homouſion, ſed ſubſtantia, perfectione, & dignitate inter ſe diſtantem; cujus philoſophicam inventionem ſtolide ſecutus eſt Arius.

XI. Quod autem Euangeliſta conſequenter
Jo. 1. adjunxit: *Et Verbum Caro factum eſt*; hoc philoſophicum ſupercilium penitus ignoravit. Non fuerunt digni ejus ſæculi ſapientes, quibus tantum myſterium panderetur; unde Salvator ipſe ſuper hoc Deo Patri ſuo
Mat. 11. gratias agens: *Confiteor*, inquit, *tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater: ſic fuit placitum ante te*. Verbi potentiam, & excellentiam ex parte attigerunt, ſed dejectionem & humiliationem penitus neſcierunt. Imo, cum poſtmodum in orbe ab Apoſtolis prædicare- 1. Cor.
tur, ſcandalum illis videbatur tanta digna- 1.
tio; & quod ad amorem & laudem provocare debuerat, incitabat ad riſum. Quam e contrario nunc noſter Euangeliſta, ut magnificaret amplius dignationem, ponderavit expreſſius dejectionem: non enim dixit, Verbum Homo factum eſt, ſed Caro; ut inter extrema diſtantiora admirabiliorem tranſitum denotaret. Quid enim Verbum? Quid Caro? In ſpiritualibus aſcende quantum potueris, per Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, & Poteſtates; *Tanto* *Heb.* 1.
utique melior omnibus effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. In corporalibus vero deſcende quantum poteris: nihil carne infirmius, nihil corruptibilius, nihil debilius. Denique ſicut Propheta ait: *Omnis* *Iſaiæ* 40.
caro fœnum, Verbum autem Domini manet in æternum. Filius Dei pro te, o homo, ſic humiliatus eſt; & ut Apoſtolus fortius ſonat: *Semet-* *Philip.* 2.
ipſum exinanivit: ideſt, fere ad nihilum ſe redegit: & ſicut ipſe in Pſalmo ad Patrem clamat: *Infixus ſum in limo profundi, & non* *Pſal.* 68.
eſt ſubſtantia. Attende, & conſidera quid pro tanta dignatione tuo rependere debeas Conditori; & non ſcandalizat, ſed inflammat, non perturbat, ſed humiliat nos iſta dejectio. Non cum philoſophis irridemus, ſed tanti beneficii pondere victi ſuccumbimus, ad hujus verbi ſonitum proſternentes noſmetipſos. Attigit vere ſapientia a fine uſque ad *Sap.* 8.
finem fortiter, ut diſponeret omnia ſuaviter: ſi enim potenter voluiſſet, multis aliis modis hominem redimere potuiſſet. Stupenda prorſus tam diſtantium naturarum tam intima & indiſſolubilis unio! ut ſicut in Divinis, in tribus Perſonis una eſt ſubſtantia; ita & in vero Deo & homine Chriſto, in tribus ſubſtantiis, Divinitate ſcilicet, Anima, & Corpore una ſit Perſona. Arcem quidem tenet unitas Trinitatis (*b*), qua tres (*b*)
Perſonæ una ſubſtantia ſunt; ſecundo tamen loco illa præcellit, qua e converſo tres ſubſtantiæ in una Chriſti Perſona ſunt. Quam mirifice in libro Regum hæc Verbi exina- *Reg.* 4.
nitio uſque ad carnem, per illam Prophetæ incurvationem ad puerum deſignata eſt! Expreſſa quidem hujus rei figura, qua in tota lege ſignantior non eſt ulla, ſed quia olim eam expoſuimus (*c*), nunc repetere non eſt (*c*)
opus.

XII. Mira Dei exinanitio uſque ad carnem, mira quoque carnis exaltatio uſque ad Deum. *Inclinavit cœlos*, id eſt, attribu- *Pſal.* 17.
ta divina, & *deſcendit*. Sed uſquequo? *Et caligo ſub pedibus ejus*. *Et aſcendit* quoque caro,

(*a*) Quæ de Platonicis ex S. P. Auguſtino afferuntur, & de Triſmegiſto, eadem ſunt cum his, quæ tradidit alibi, nimirum Conc. 1. in Dom. Pentecoſtes, & Conc. 1. in Dom. Trinitatis, niſi quod, quæ de Magis Pharaonis hic indicantur ex S. Iſidoro, ibi ex S. P. Auguſtino verius excerpta dicuntur. Conſule notas locis prædictis appoſitas.

(*b*) Hauſta ſunt hæc ex S. Bernardo lib. 5. de Conſid. cap. 8.

(*c*) Scilicet in Concione de Partu Virginali, & ſpirituali. Vide etiam S. Bernard. Serm. 16. in Cant. num. 2.

caro, *& volavit*. Sed usquequo? *Super Cherubim, super pennas ventorum*. Descendit Deus usque ad mortis caliginem, ascendit caro usque ad Dei æternitatem; descendit Deus usque ad passiones carnis, ascendit caro usque ad proprietates Dei; Deus humanatus est, ut caro deificaretur; Deus factus est Homo, ut homo fieret Deus. *Verbum Caro factum est*, ut nos a carnis onere & servitute liberaret. Erat enim ante importabile carnis onus, non tolerabile jugum. Gigantes gemebant sub passionum aquis, & inundantes carnis impetus viri etiam perfecti vix sustinere valebant. Sub gravissima sarcina debilis & infirma hominum natura premebatur, neque erat qui liberaret a jugo. Vidit Deus, & misertus est nostri; miseratus est vicem & sortem nostram; misit manum suam ex alto, & liberavit nos, & eripuit nos de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. O inæstimabilem dignationem, o ineffabilem charitatem! De throno majestatis suæ descendens piissimus ac clementissimus Rex, sarcinam, quæ infirmum ac debilem opprimebat hominem, humeris suis accepit, & eum ab onere sublevavit. Assumpsit in se carnem, & assumendo curavit, & curando levificavit. Ascendit Deus super nubem levem, & ingressus Ægyptum omnia simulacra Ægypti a facie ejus mota sunt; id est, Deo carnem assumente, & mundum intrante, turpia carnis idola, & lubricitatis simulacra corruerunt. Quam mirifice hoc Dei erga nos tam insigne beneficium Isaias cecinerat olim; qui postquam Verbi Incarnationem & Nativitatem spiritualem enarraverat, dicens: *Consolamini, consolamini populi meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam; quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis, &c.* Et infra: *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est;* adjungit illico: *Vox dicentis, clama;* quasi diceretur ei: O ingrate! hæc vides & taces, hæc agnoscis & sines? Tale hoc beneficium est, ut possis sustinere silentium, & non potius viscera rumpantur præ gaudio, & fauces a laude rauceſcant? *Clama. Et dixi: Quid clamabo?* Superat omnem linguam ista dignatio, vincitur a majestate locutio. *Clama*, inquit, sicut potes; & dic: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Et exponens adjungit: *Vere fœnum est populus: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: Verbum autem Domini manet in æternum.* Quid lucidius, quid apertius? Fœnum est populus, fœnum est caro: *Verbum Caro factum est.* Et exsiccatum est fœnum; & exaruit caro.

XIII. Sed quomodo siccatum est? *Quia Spiritus Domini sufflavit in eo*. Effudit de Spiritu suo super omnem carnem, & exsiccata est, & flos ejus cecidit. Olim homo per peccatum totus degeneraverat in carnem, sicut scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*. Carnem illam assumpsit Deus, & totus homo mutatus est in spiritum. Deo facto homine, homines ex carnalibus in spirituales, ex terrenis in cœlestes, ex bestialibus in angelicos demutati sunt. Factus est Deus filius hominis, ut filios hominum filios Dei faceret. Unde Joannes dicturus quia *Verbum Caro factum est;* ut hujus tanti operis finem utilitatemque monstraret, præmisit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Non omnibus; sed *his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Sed quid solum authoritatibus agimus? Experientiam, si placet, consulamus, & apertius innotescet. Dicite, Fratres, ante Christi adventum, Verbo nondum incarnato, quales genuit natura homines, quales filios humanitas procreavit? In tanto temporum curriculo quos legistis virgines? quos cælibes invenistis? Vix duo, vel tres; Elias, & famulus ejus Elisæus: neque hos virgines quidem legimus, sed uxores habuisse non legimus; cæteri omnes, etsi sancti, in conjugio servierunt. Nunc vero, carne a Filio Dei assumpta, quot Virginum choros, quot cælibum cuneos, quot continentium castra in Ecclesia videtis? An non *exsiccatum est fœnum, & cecidit flos?* An non omnis viror carnis exaruit, & emarcuit vigor ejus, postquam Deo conjuncta est? Considerate post Domini Incarnationem Ægypti & Palestinæ eremum: lustrate solitudines angelicis hominibus plenas, qui sic in carne, quasi extra carnem degebant. Carnem quidem supra se portantes, sed passiones ejus & gravedines fere penitus ignorantes. Nunquid non in eis caro exsiccata, & levificata erat? Nunquid non flos ejus ceciderat, & viriditas ejus omnis aruerat? Sed unde siccata? Quia Spiritus flavit in ea: incalescente Spiritu exaruit in eis caro. Quid in eis, obsecro, carneum, nisi sola exterior species apparebat?

XIV. O Bone Jesu quas tibi gratias pro tanto beneficio mundus persolvet? Quid tibi reddent homines, quos fere per gratiam tuam in naturam alteram commutasti? Gravissimum carnis onus subire non recusasti, ut eam nobis levificares. Nam etsi caro illa tua sacra, juxta Prophetæ vaticinium, nubecula levis fuit, & totius peccati pondere caruit; tamen hoc ipsum lassari, fatigari, resolvi, esurire, sitire, frigescere, nasci, pati, mori, cæterisque carnis passionibus inculpabilibus subjici, quanti laboris & molestiæ fuit? O durum Patris imperium, & gravissimam injunctionem! Considerate Fratres: si cuipiam Angelo nunc Deus præcipe-

ret,

Jo. 1. Job 26. Psal. 66. Ps. 143. Isaiæ 19. Ibid. 40. Jo. 1. Joel 2. Gen. 6. Jo. 1. Ibid. 19. Isaiæ 40.

ret, ut carneo corpore veſtiretur, moleſtias carnis experiretur, & paſſiones ejus ſentiret: quam gravis illi hæc obedientia fieret! Nonne alter infernus illi hæc ſarcina videretur? Quid ſi dolores acerbiſſimos, cruciatus diros, mortem, & crucem in ea ſubire præciperetur? Quæ omnia Filius Dei Unigenitus pro nobis pati non dedignatus eſt, ut nos ex hominibus Deos faceret, & in ſui gloriam permutaret. Factus eſt particeps humanitatis noſtræ, ut nos particeps faceret Divinitatis ſuæ. Meminiſtis, Fratres, ſimilitudinis illius Euangelicæ, qua regnum cœlorum com-
Mat. 13. paratur *fermento*, *quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus*, *donec* fermentaretur *totum*. O admirandam ſimilitudinem! Divina Sapientia tria ſata farinæ, corpus, animam, & ſpiritum, hoc eſt animæ unius duplicem portionem in Chriſto fermento Deitatis fermentavit, & illud fruſtum fermentatum toti humani generis maſſæ in Sacramento conjunxit, donec tota electorum maſſa fermentaretur, & deificaretur. Sicut qui unum carbonem incendit, & illum cæteris commiſcet, donec incendantur omnes: ut quos non deificavit aſſumendo, deificaret ſumptus ab eis, & ut ita dixerim, illis incorporatus. Nunc autem hæc fermentatio
1. *Jo.* 3. nondum apparet, quia etſi *Filii Dei ſumus*, *nondum apparuit* quod *erimus*. *Cum* autem Chriſtus vita noſtra *apparuerit*, tunc fermentatio iſta publica erit, quia *ſimiles ei erimus*, & qualis illa portio carnis in Chriſto, talis omnis maſſa electorum videbitur. Unde
Pſ. 126. Pſalmiſta: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum*, *ecce hæreditas Domini*, ecce *merces*, ecce *filii*, ecce *fructus ventris*. Tunc, quid Verbum Caro factum mundo contulerit, apparebit; tunc pars fermentata, & pars azy-
Mat. 13. ma notiſſimæ erunt, quando *juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum*, *& impii in*
1. *Reg.* 2. *tenebris conticeſcent*; quando qualis cœleſtis,
1. *Cor.* 15. tales cœleſtes; & qualis terreſtris, tales & terreſtres. Quando natura hæc noſtra in quolibet Beato, divino quodam lumine illuſtrabitur, & ad eſſe divinum miro quodam modo elevabitur, ut plus quilibet Beatus videatur habere de Deo, quam de ſeipſo. Quando Sol ille potentiſſimus, nubeculæ noſtræ carnis impreſſus, miris eam coloribus
Ibid. 15. & candoribus illuſtrabit. Quando erit Deus omnia in omnibus; & Filii Dei effecti, in illa cœleſti Jeruſalem cum Chriſto Domino vero Deo & Patre noſtro regnabimus & gaudebimus; cui eſt honor, & gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO NATALIS DOMINI

CONCIO QUINTA.

De ineffabili Benignitate Dei per Christi Nativitatem.

Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri. Tit. 3. v. 4.

I. Dies iſta, *Dies boni nuntii eſt: ſi tacuerimus, ſceleris arguemur.* Hodie Chriſtus natus eſt, hodie Salvator apparuit; hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli; hodie exultant juſti, dicentes: Gloria in excelſis Deo. Lo-
Lucæ 2. quendum eſt igitur, ſi tacere ſcelus eſt. Ut quid enim, incarnato Verbo, ſileat verbum? Cur non laudet verbum creatum Verbum increatum? Sed ad hoc quis idoneus? Taceat lingua, loquatur affectus: nam tacere ſcelus eſt, loqui audacia; ſilere ingratitudo, loqui præſumptio. Verum, ut de me loquar, ſtupore plenus ſum; omnia enim mutata & innovata video. Si levo oculos, & conſidero, Domine, quis ſis, & cujus Filius, & unde venias; admiror tuam pueritiam: ſi deprimo oculos ad tuam paupertatem, & video in quo ſis domicilio, in qua cuna, in qua ſocietate, & quo indumento; ſtupeo ſuper humilitate tua; alta & humilia terrent me: ipſa enim tua humiliatio ita admirabilis videtur ut majeſtas. O quanta permutatio modo apparet in te, *apud quem non eſt mutatio* *Jacob.* 1. nec viciſſitudo. Tu olim potens & terribilis, modo abjectus & humilis. *Qui percuſſit* *Pſ.* 135. *Reges magnos*, *& occidit Reges fortes*, nunc *Lucæ* 2. ante Regi tributarius, quam natus. Reguli fugit indignationem in Ægyptum, qui olim *Exod.* 19. Legislator in monte Sinai, igne, nebula, clangore tubæ, ſic terribilis apparuit, ut non auderet populus accedere; nunc adeo *Iſaiæ* 1. mitis apparet, ut etiam jumenta accedant. Clauditur puer tenero corpuſculo, quem cœli & terra capere non poſſunt. Thronus *Pſal.* 88. tuus Deus in ſæculum ſæculi; & nunc præſepe pro ſolio habes. *Tui ſunt cœli & tua* *Lucæ* 2. *eſt terra*; & tamen *non erat* ei *locus in* *Pſal.* 88. *diverſorio*: ei, qui fecit locum, qui implet *Lucæ* 2. omnem locum, qui non ambitur loco. Nil mirum ſi cætera deſunt, cui deeſt locus etiam in diverſorio. Venit Creator mundi in mundum, & mundus ei etiam locum negat. Quis adeo pauper eſt, ut ei deficiat in mundo locus? Hæc Domine magna alienitas: jure cor noſtrum repletur admiratione. Quid etiam dicam de cæteris? Nonne omnia permutata videntur? Vere Domine *Ibid.* 15. ſic eſt. Ut mulier illa ſapiens tua ſapientia, ut quæreret dragmam hominem tua imagine inſignitum, *accendit lucernam* in *Mat.* 5. mundo Chriſtum Dominum in carne. Non

alius

Concio CXX. 4. *Reg.* 7.

Luc. 15. alius accendit; quia *nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio* uteri Virginalis; ſed bene *ſuper candelabrum* crucis: *& everrit domum* univerſam, pretioſum cum vili miſcens. O quam mirabilis domus everſio! Angelus, homo, brutum ſimul ſtant ad præſepe. Stat ad præſepe Angelus cum bruto, nec dedignatur Angelus bruti ſocietatem, cum videt Regem majeſtatis etiam brutis cibum
Iſaiæ 11. appoſitum. Vere impletum eſt hodie: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini:* Et *habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & Puer parvulus minabit eos.* Impletum eſt: *Vitulus & urſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas.* Cum enim Verbum Dei factum eſt fœnum, iſto fœno in præſepe poſito, Angelus jungitur bruto; & pro modo ſuo guſtat fœnum iſtud Angelica natura, humana, & bruta-
Ibid. 1. lis: *Cognovit* enim *bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.*

II. Ecce Domine, qui ſic velatus & oc-
Sap. 18. cultus venis, ab omnibus agnoſceris: *Cum enim quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, Omnipotens ſermo tuus* Domine *de cœlo a regalibus ſedibus* venit; quaſi furtim venit in mundum, quia veniebat aperire carcerem, & ſolvere vinctos, & timebat ne agnoſcere-
1. Cor. 2. tur: *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* More ergo eorum, qui ſolvere captivum curant, paſſibus ſurdis ve-
Pſal. 76. nit: *Semitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia*
Iſaiæ 41. *tua non cognoſcentur.* Iſaias: *Tranſibit in pace, ſemita in pedibus ejus non apparebit.* O quam latibundus! Sed o Domine, quantumvis latere, & incognitus eſſe ſtudeas, latere tamen aut abſcondi non potes. Quoniam nihil tam inſenſibile fuit, quod te non agnoſceret. Quomodo enim poſſet abſcondi civi-
Mat. 5. tas illa cœleſtis Divinitatis, inquam, poſita ſupra montem ſanctum, montem altum ſu-
Pſal. 67. pra verticem montium, montem pinguem, montem coagulatum, montem ex lapillo totum mundum replentem? O qualis lapillus jacet in præſepio! Nempe qui extenſus laudatur ab univerſo orbe terrarum: latere ergo non poterat civitas majeſtatis, nec mons altus & pinguis pinguedine virtutum ipſius
Ibidem. carnis. Pſalmus: *Viderunt ingreſſus tuos Deus,*

A *ingreſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in Sancto.* Quos ingreſſus? Ingreſſum carnis in nativitate, & exitum carnis in morte. Nam fuit etiam ille exitus vitæ mortalis ingreſſus gloriæ, dicente ipſo Domino: *Nonne hæc* Lucæ 24. *oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Utrumque ingreſſum viderunt omnia. Vidit cœlum ingreſſum carnis, & gaudens miſit ſtellam. Vidit exitum, & velut dolens, luctum poſuit in ſole. Viderunt Angeli ingreſſum, & canunt: *Glo-* Ibid. 2. *ria in Altiſſimis Deo.* Viderunt ingreſſum gloriæ, & dixerunt: *Viri Galilæi quid ſta-* Act. 1.
B *tis aſpicientes in cœlum? hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum.* Viderunt lapides ingreſſum, quia templum pacis (*a*), (*a*) quod Romani ſummis expenſis extruxerant, cum Apollinem de ejus diuturnitate conſuluiſſent, ac reſponſum accepiſſent illud permanſurum donec Virgo pareret, ac propterea foribus ejuſdem inſcripſiſſent: *Templum Pacis æternum;* eadem tamen nocte, qua natus eſt ex Virgine Chriſtus, mirabiliter cecidit. Viderunt & lapides egredientem, & fracti ſunt. Agnitus eſt, in templum veniens, a Simeone. Agnitus eſt egrediens,
C cum *velum templi ſciſſum eſt medium in* Lucæ 23. *duas partes a ſummo uſque deorſum*: hoc faciente velo & lapidibus, quoniam corda hominum dura non findebantur tantis beneficiis. Quid ergo tam inſenſibile, ut Dominum non agnoverit? Siquidem Deus eſt, & ejus magnitudo non potuit abſcondi. Imo ipſi etiam dæmones, pro quibus latebat, ipſum agnoverunt; ipſæ enim ſemitæ Dei remiſſæ, quaſi tonitrua infernum conturbaverunt. Si- Mat. 27. quidem ipſo adveniente, terror & tremor *obtinuerunt habitatores Philiſthiim;* id eſt dæ- Exod. 15. mones ipſos. Quod ſi velitis hoc ſcire, exitum dictis probemus. Ecce pellitur dæmon de corpore, & clamat: *Scio qui ſis, Sanctus* Marc. 1.
D *Dei.* Novi te; non prodeſt diſſimulare: novi qui ſis; cela te quantum volueris. Et alius dæmon: *Sine, quid nobis & tibi, Jeſu* Lucæ 4. *Nazarene? Veniſti perdere nos? Scio te quis ſis,* Filius *Dei.* Quid luci cum tenebris? Filius Dei es: filios Adam ego poſſideo: mihi tecum non eſt contentio, nec volo ut ſit. Si iſtos poſſideo, quid ad te? Peccatores ego premo, tu ſine peccato es. Quid *mihi & tibi?* Nolo tecum contendere. Novi potentiam tuam, expertus vigorem tuum, quando de cœlo pulſus ſum. Nolo tecum habere jurgia. Quid *mihi & tibi?* Ut quid venis ante tempus torquere me? Ut quid pro inimicis tuis pugnas? Ut quid tam diros la-

(*a*) Narrationem hanc ex eo falſitatis arguit Baronius Annal. Eccleſ. tom. 1., quod Pacis Templum nondum Chriſti Domini tempore erectum fuerit; cum illud a Veſpaſiano conſtructum, veterum Scriptorum teſtimonio conſtet, nec aliud ante epocam extitiſſe Templum Pacis, quod in Chriſti Nativitate corruerit, ullo probari poſſit argumento. Prodigium hujuſmodi primo vulgatum eſt ab incerto Scriptore, cujus hac de re Homiliam edidit ſub titulo Petri Damiani Lipomanus tom. 8., & poſt ipſum Surius; quamquam Petri Dam. non eſſe monuit Surius. Porro ad detegendam tituli falſitatem id ſatis eſt, quod S. Bernardum citat Auctor in laudata Homilia, cum tamen Petrus Dam. quinquaginta circiter annis obierit antequam Bernardus allegatam ſententiam conſcriberet, quo nihil abſurdius. Dolet propterea idem Baronius, factum iſtud tamquam verum ab Eccleſiaſticis Scriptoribus, non infimæ notæ, libris mandatum fuiſſe, vel pro concione enarratum.

bores ſuſtines? Tibi peccaverunt, a me cruciantur: filii proditoris ſunt, juſte incarcerantur & premuntur. Quid *mihi & tibi?* cum etiam premendo inimicos tuos vel invitus tibi ſervio: cur mihi contradicis, qui miniſter ſum tuæ juſtitiæ, reos juſte puniens? Cum filiis hominum mihi contentio eſt: Filius Dei tu es: Quid *mihi & tibi? Viderunt* ergo omnia *ingreſſus tuos Deus*. *Pſal.67.*

III. Sequitur: *Ingreſſus Dei mei, Regis mei*. Ut quid *Dei mei?* Nonne etiam Deus omnium eſt? Utique: ſed tamen ſic Deus meus, quaſi nullius alterius ſit. Quis enim tantam in eo habet partem, aut quem ita dilexit ſicut hominem? Utique hæc prærogativa nullius alterius eſt. Hanc gratiam ſolus poſſideo, quod Deus Homo eſt, & non Angelus, non cœlum, non terra. O gratiam ſingularem! O dignitas humanæ naturæ! Homo ſuper montes Bethel conſtitutus eſt, & Caput meum, cujus ego membrum ſum, Angelis præeſt. Homo ab Angelis adoratur: Homo omni creaturæ præeſt. O quale gaudium credendum eſt fuiſſe Adæ, quando evigilans de ſommo & ecſtaſi illa, cognovit hoc ſacramentum! dicens: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*. Nam licet ad Evam ſermonem direxerit; tamen prophetia fuit de Chriſto & Eccleſia, dicente Apoſtolo: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Agnovit ergo (*a*), quod Creator ejus de ipſo debebat deſcendere, licet cauſam non agnoverit. Magna hæc prærogativa humanæ naturæ, & gaudium ſingulare. Naſcitur Deus, lætatur Angelus, & tamen Verbum non eſt cœlum. Lætantur aliæ creaturæ, & tamen ſolum caro factum eſt Verbum. Quanto magis lætari debet homo, quanto major ratio gaudii in homine ſic dignificato, ſic redempto? Agnoſce duplex beneficium: nam Homo eſt; & pro hominibus Homo eſt, & homo exaltatus eſt: pro hominibus Homo eſt, & homo liberatus eſt. Duplex gratia dignitatis & redemptionis. Nonne ſi homo non egeret medico, ſi non peccaſſet, magna gratia ei fuiſſet collata, ſi Deus Homo fieri voluiſſet? Utique: *Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*. Ecce pro offenſa beneficium præſtat Deus, pro qua redditurus erat ſupplicium. O Dei magna miſericordia! Attigit peccatum, quo nullum potuit attingere meritum. Quis enim promereri potuit ut Deus fieret Homo? Imo, quis hoc cogitare potuit? Tantum beneficium, tam excellens donum non potuit cadere ſub meritum creaturæ. Fecit tamen Deus pro peccato, quod non potuit fieri pro merito. Benemerito ergo Deus dicitur Deus hominis; quia ſic eſt hominis, ut etiam ſit Homo. *Gen. 2.* *Epheſ.5.* (*a*) *Iſaiæ 40.*

IV. *Regis mei:* Deus meus, ſecundum naturam divinam; Rex meus, ſecundum humanam. Nam ſecundum Ariſtotelem (*b*), oportet Regem eſſe natura eundem, virtute præſtantem. In Sancto illo Sanctorum, in illo Sancto, de quo Angelus ad Mariam: *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei:* in illo ſancto ſacrario, in illo ſancto reliquiario corporis, tabernaculum quod fixit Deus & non homo; *tabernaculum non manufactum*, non hujus ſæculi, nec *hujus creationis*; tabernaculum *in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*, *in* quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; de quo Pſalmus: *In circuitu ejus tabernaculum ejus*; veſtitus eſt tabernaculo ſuo & templo ſuo. Sic enim ait Dominus: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Et intelligebat ac *dicebat de templo corporis ſui*. Tabernaculum de quo dictum eſt: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*. In illo ſiquidem receptum eſt balſamum illud ſanctiſſimum Verbi Dei, ſicut in vaſe. Pſalmus: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Deus tuus* Deus eſt, & Deum habet, & tamen unus Deus eſt. Ex ſe Deus eſt, & pro te Deum habet. Ab æterno Deus eſt, ſed non ab æterno habet Deum; ſed ex utero *Matris meæ Deus meus es tu*; & ab æterno Pater es tu. Ex utero Matris meæ te habui Deum; ex utero ante luciferum te habui Patrem. Ergo *unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ*. Origenes (*c*) de Incarnatione Verbi: Oleum, inquit, lætitiæ, Verbum Dei, Divinitas ipſa eſt. *Præ conſortibus tuis:* quia in ipſo realiter & corporaliter receptus eſt Deus, in aliis ſpiritualiter & per dona. Unctus eſt ergo *præ conſortibus* ſuis, quia in ipſo fuit unctio Dei, in aliis vero fuit fragrantia illius unctionis ab illo derivata; ſiquidem: *Impinguaſti in oleo caput meum, Chriſtum* meum. Cæteri vero dicunt: *In odorem unguentorum tuorum curremus. Regis mei qui eſt in Sancto*. De quo Pſalmus: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Non vidit corruptionem, quia ſine corruptione factum eſt, non virili opere, ſed digito Dei. Apoſtolus: *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere. Factum*, inquit, *ex muliere*. Quare *factum?* cæteri enim gignuntur in muliere. Hic factus (*b*) (*c*) *Pſal.67.* *Lucæ 1.* *Heb. 9.* *Pſal.67.* *Coloſſ.2.* *Pſal.17.* *Jo. 2.* *Apoc.21.* *Pſal.44.* *Pſ. 109.* *Pſal.22.* *Cant. 1.* *Pſal.67.* *Pſal.15.* *Galat.4.*

(*a*) Hoc idem in præallegatis S. Scripturæ verbis intelligunt Patres, quos adducit Suarez tom. 1. in 3. part. S. Thomæ quæſt. 1. art. 3. diſp. 4. ſect. 9. Ubi plura de hoc argumento proponit.

(*b*) Politicor. lib. 5. cap. 10. *Nam regia poteſtas pro tutela præſtantium virorum contra populum reperta eſt: & fit Rex ex præſtantibus per excellentiam virtutis, vel rerum geſtarum, quæ ſint a virtute, vel per excellentiam hujuſmodi generis.*

(*c*) Periarch. lib. 2. cap. 6., cujus hæc ſunt verba: *Denique quod dixit, quia unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis, oſtendit quod aliter iſta* (Chriſti) *anima oleo lætitiæ, ideſt verbo Dei ungitur, & aliter participes ejus, ideſt Sancti Prophetæ, & Apoſtoli. Illi enim in odore unguentorum ejus cucurriſſe dicuntur: iſta autem anima vaſculum unguenti iſtius fuit, ex cujus fragrantia participantes digni quique Prophetæ fiebant, & Apoſtoli. Sicut ergo aliud eſt unguenti ſubſtantia, aliud odor ejus; ita aliud eſt Chriſtus, & aliud participes ſui.*

ctus est ex muliere ab artifice illo supremo
Lucæ 1. Spiritu sancto. Non ergo hominis, sed Spi-
*Exod.*15. ritus sancti opus est. *Sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ.* Quod
(*a*) Origenes (*a*) exponit de Corpore Christi. O felicissimum tabernaculum a tali artifice extructum! Non ab Angelo, non a Seraphim, sed a Spiritu sancto. Ideo cum dicitur *ex muliere*: similem nostræ in aliquo fuisse generationem ejus agnosce; sed cum dicitur *factum*, cognosce discrimen. Quod etiam alibi tangit Apostolus cum dicit: *Qui*
Rom. 1. *factus est ei ex semine David secundum carnem.*

V. Agnosce modo benignitatem Dei. Apparuit humanitas, & occultata est sapientia, occultata est potentia; sed apparuit benignitas. O quanta benignitas! Ecce per quem facta sunt omnia, in quo cœli firmati sunt,
Jo. 1. & omnia creata, *factus est ei.* Creator pro
*Psal.*32. homine fit creatura. Qui fecit orbem, fa-
Rom. 1. ctus est ex muliere. Magnum est hoc: sed amplius attende. Non factus est Angelus cum factus est, aut Seraphim, aut nobilis
Jo. 1. natura; sed *Verbum Caro factum est.* Quid carne infirmius? Quid fragilius? Quid fluxibilius? Magna certe extremorum distantia: *Verbum* & *caro.* Quid enim Verbum, quid caro? Quid excelsius Verbo, quid infirmius carne? Quid stabilius Verbo, quid carne corruptibilius? Denique audisti in Euangelio Verbi dignitatem, quia tibi nota erat & experta infirmitas carnis. Quale est Ver-
Ibidem. bum? Joannes: *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Deus erat Verbum.* Ecce *Verbum Deus* est: Deus cum Deo, & *apud Deum.* Hoc enim *Verbum* Deus: *In principio erat apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Mundus per ipsum factus est.* Audisti quale est Verbum? *Et* illud ipsum *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* Quid caro sit, nosti: quid Verbum sit, audivisti. Quantum debeas intellige, cum ita magnus ut *Verbum* esset, ita parvus ut caro esset, pro te voluit fieri.
Isaiæ 40. Isaias enim ait: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Verbum autem Domini manet in æternum.* Ut quid enim postquam dixerat carnis conditionem, carnis infirmitatem, carnis inconstantiam, adjungit: *Verbum autem Domini manet in æternum?* Nisi ut explicaretur quantum pro te factum est, cum *Verbum Caro factum est.* Quam distans, quam remota erat caro, quæ transit ut fœnum, & arescit ut flos, a Verbo Domini, quod manet in æternum! Quod ipse
*Psal.*68. ponderans, ait ad Patrem: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* In quo
Gen. 2. limo? *Formavit Deus hominem de limo terræ.*

Et non est substantia; id est, permanentia. Patriarcha Job: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* *Job* 14.
Et iterum: *Hesterni sumus*, inquit, *& ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.* *Ibid.* 8.
Psalmus: *Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui: Tu autem Domine in æternum permanes.* *Ps.* 101.
Et alio loco Job: *Redactus sum in nihilum: abstulisti quasi ventus desiderium meum, & velut nubes pertransiit salus mea.* *Job* 30.
Et iterum Psaltes Regius: *Ecce*, inquit, *mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.* *Psal.*38.
O Homo, quantum debes Domino tuo, quantum debes Redemptori tuo! Utinam, si non vales, imo quia non vales reddere debitum, saltem agnosceres beneficium! Quis adeo ingratus, ut immemor sit tanti beneficii? Ut te faceret magnum aliquid, ipse factus est prope nihil, sine quo factum est nihil, & in quo est omne aliquid. O Deus meus! Nonne poteras remittere peccatum gratis? Poteras hominis servitium acceptare: pro humano genere poteras Angelum mittere liberatorem: pluribus aliis modis potuisti generi humano subvenire. Non, inquies, erat illa justitia; æternum utique si peccatum cogites. Infinitas erat in offensa; debuit igitur & infinitas esse in merito liberantis, quæ non potuit esse sine Deo.

VI. Sed numquid est alia justitia, nisi tua voluntas? Aut ex rebus justitia Dei dependet? Absit. Si feciſſes Domine, justum esset, rectum esset, quia rectus Dominus Deus noster & omnis rectitudinis principium; justus, & totius justitiæ origo. Quis ergo peteret, quare sic? Quis contradiceret tibi omnium Domino, omnium Creatori, si voluisses alio modo subvenire lapso? Sed sic disposuit tua sapientia, tua bonitas, ut faceres pro homine quantum fieri posset, & amplius quam intelligi possit. Ecce: ut servum redimeres, Filium tradidisti: ut servum liberares, ut faceres filium, Unigenitum nexibus carnis ligatum in servum posuisti. O magna benignitas! Factus est homo, & passus est mortem. Quomodo magis humiliari potuit? Quid amplius pati potuit? Extrema fecit, cum mortis extrema pro te passus est. Bernardus (*b*): O quam indebita miseratio! Quam (*b*)
gratuita & sic probata dilectio! Quam inopinata dignatio! Quam stupenda dulcedo! Quam invicta mansuetudo, Regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imo vermiculo crucifigi! *Quis audivit umquam tale? & quis vidit huic simile?* Itaque fecit te Deus tuus, fecit tam multa propter te, fecit propter te *Isaiæ* 66.
semetipsum. Apostolus: *Commendat*, inquit, *Rom.* 5.
charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum

(*a*) Vide Homil. 9. in Exodum, quæ est de Tabernaculo.

(*b*) S. Bernardi verba sunt, usque ad ea: *& quis vidit huic simile.* Male Bruxellensis editio habet *desperatissimo* pro *despicatissimo*.

adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Commendat Deus charitatem ſuam in nobis. Quomodo hoc? Ecce; licet in unaquaque creatura etiam minima plures Dei virtutes eluceant, tamen unaquæque ſibi aliquam videtur vindicare. Commendat enim Angeli dignitas naturalis, Creatoris excellentiam; cœli magnitudo, Creatoris potentiam; rerum ordo, Dei ſapientiam; rerum pulchritudo, Dei ſpecioſitatem; rerum multitudo & gubernatio, Dei bonitatem: & in homine cuncta iſta quamvis reluceant, unum tamen ſupra omnia commendatur, Dei ſcilicet charitas. Nec enim ſciri potuit quod tantus amor eſſet in Deo, ſciri non potuit quantæ benignitatis, & quam benevolus eſſet Deus, & quam ignis conſumens eſſet, niſi in opere incarnationis & redemptionis, quæ fecit in homine pro homine. Commendat ergo Deus cæteras ſuas perfectiones in aliis creaturis ſigillatim; in nobis autem commendat Deus charitatem ſuam. Quod idem exponit Joannes dicens:

1. Jo. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit. In hoc*

Ibid. 4. *apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum Unigenitum miſit in mundum, ut vivamus per eum.* O amor ſingularis! O viſcera miſericordiæ Dei noſtri! Quis veſtrum, Fratres, ſic diligit ſervum, ut pro eo liberando de carcere, filium unicum exponat

(a) morti? Bernardus (a): O quomodo me amas

Gen. 9. Amor meus! Quomodo me amas! Ecce Noe plantavit vineam, bibit ex ea, inebriatus eſt & denudatus. Fecit Deus creaturam rationalem: hæc vinea Domini Sabaoth: bibit ex muſto forti, & potavit poculum

Iſaiæ 5. ex vino condito, quod propinavit ei ſponſa

Cant. 8. ſua, & inebriatus eſt amore. Factus eſt,

Pſal. 77. inquit, *Dominus tanquam potens crapulatus a vino.* Potens eſt, cum a mortuis ſurgit: potens, cum dæmonem vicit, cum tartara fregit: potens, cum ad cœlos propria virtute

Lucæ 1. cum tam amplo ſpolio aſcendit. *Fecit* enim *potentiam in brachio ſuo*, Verbo ſuo. Sed crapulatus a vino: amore nimio quaſi ſui oblitus, jacet in præſepio, fugit in Ægyptum, circumciditur in templo, pendet in cruce. Extra ſe erat, quia foris erat, extra Divinitatem. Extra eſt labor, quem patitur; pœna, quam ſuſtinet; fames, qua cruciatur; mors, qua interimitur. Quid enim magis extra Deum, quam iſta? Factus ergo extra ſe, quæſivit me, quaſi oblitus ſui. Invenit me; alienatus a ſe, factus eſt mihi intimus; & quaſi ecſtaſim ſui paſſus eſt, cum in miſericordia uberi recordatus eſt mei.

Jer. 14. VII. *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum?* Ecce quare junior ille filius; id eſt, duarum rationalium naturarum poſterius creata, non

Lucæ 15. contentus bonis collatis, hæreditatem orbis terrarum petivit a patre; & recedens a patre in regionem longinquam peccati (nihil enim magis diſtat a Deo, qui eſt, quam peccatum, quod non eſt) deſtructa hæreditate tota, alienigenæ, id eſt dæmoni a gloria Dei ſeparato, ſe mancipavit: qui miſit eum in durum & vile opificium, ſcilicet porcorum cuſtodiam. O quantum degeneravit a ſua nobilitate! Servus tam vilis Domini, & in tam vilem ſervitutem traditus, ſcilicet cuſtodiam porcorum, id eſt ſenſuum voluptatibus mancipatus. Sed quod ſtipendium, quod ſalarium fuit tam miſeri ſervitii? Utique nullum: nam cui cibus etiam porcorum negabatur, quod daretur ſalarium? Utique promiſit ei alienigena ille peſſimus magnum ſalarium; ſed mentitus eſt ei, utpote qui ab initio mendax eſt, & pater mendacii. *Eritis*, inquit, *ſicut Dii.* Promiſit Deitatem, dedit beſtialitatem: promiſit ſcientiam; *ſcientes*, inquit, *bonum & malum*, & dedit ignorantiam: promiſit vitam, & dedit mortem. Videns ergo miſerum ſtatum humanæ conditionis, & ſortem ejus dolendam, Filius Dei, Imago Dei, de qua veluti de Prototypo exiit homo, formatus enim eſt ad ima- Ibid. 9.
ginem & ſimilitudinem Dei; *tactus* ergo Ibid. 6.
Deus *dolore cordis intrinſecus*, intendit reformare deformem hominem, & fieri confor- Rom. 8.
mem imagini Filii ſui, ut per eandem imaginem reformaretur homo, per quam creatus eſt. Non enim erat perdita imago, quoniam hæc indelebilis eſt in potentiis animæ; ſed ſimilitudo perdita fuit: nam mutavit ſimilitudinem Dei, ſpoliatus gratuitis. *In* Pſ. 105.
ſimilitudinem vituli comedentis fœnum: Siquidem manſit in eo facies imaginis Dei; ſed Thre. 4.
denigrata eſt facies ejus ſuper carbones. Quod videns Pater ille clemens, *tactus*, ut dixi, *dolore cordis intrinſecus*, ait: *Filii Sion in-* Ibidem.
clyti, & amicti auro primo; quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli! Ecce *filii Sion*, creati ad illam æternam beatitudinem & gloriam: Filia Sion, de qua Apoſtolus: *Illa, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libe-* Galat. 4.
ra eſt, quæ eſt mater noſtra. Inclyti: per naturæ dignitatem. Veſtiti *auro primo* imaginis Dei, quando tranſierunt in carnem, facti omnino caro & ſanguis: de quo Dominus ait ad Noe: *Non permanebit ſpiritus meus in* Gen. 6.
homine, quia caro eſt; quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli! Totus eſt converſus in carnem, cujus tamen potiſſima & principaliſſima pars, non caro, ſed anima & ſpiritus eſt: ſed quemadmodum gratis venundatus eſt, ita & ſine argento redimetur. *Gratis*, inquit, *venundati eſtis, & ſine ar-* Iſaiæ 52.
gento redimemini. Gratis, ſine pretio vos mancipavit alienigenæ Adam pater veſter. Apoſtolus: *Ego carnalis ſum*, ait *venundatus ſub pec-* Rom. 7.
cato. Verum & *ſine argento redimemini*, gratis; ut enim idem Apoſtolus Paulus ait: *Non ex ope-* Tit. 3.
ribus

(a) Serm. 17. in Cant. num. 7. *Quomodo me amas Deus meus, amor meus? Quomodo me amas, ubique recordatus mei, ubique zelans ſalutem egeni, & pauperis, &c.*

ribus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.

Gen. 37. VIII. *Miſſus* ergo Joſeph *de valle Hebron, venit in Sichem;* Joſeph ille delicatus, ſemper domi enutritus, indutus veſte talari & polymita, id eſt plurium colorum, humanitate ſcilicet plena, multiplicitate virtutum & gratiarum: *Miſſus* a Deo Patre *de Valle Hebron*, id eſt viſione ſempiterna, id eſt gloria illa cœleſti, ubi in perpetuum videtur & adoratur ab Angelis: *Venit in Sichem.* id eſt dolorem, id eſt vallem lacrymarum. *Invenitque eum vir:* O bone Jeſu! ſi te inveniat quotidie anima mea, in Sichem, id eſt patientem dolores & pœnas; & interroget: *Quid* quæris? pro quo Domine iſta ſuſtines? pro quo Domine es in tantis laboribus? Ait: *Fratres meos quæro.* Ecce quid quærat in laboribus. Fratres ſuos, conditos ad ſuam ſimilitudinem, & jam ſecundum carnem germanos quærit: pro ipſis patitur, pro
Pſal. 73. ipſis tanta ſuſtinet; diſcurrens, *operatus eſt ſalutem in medio terræ* per triginta annos. O bone & dulcis Joſeph! non ſunt in Sichem
Gen. 37. fratres tui, ſed in *Dothain;* non in populo onerato & laborioſo oneribus legis; non in *Sichem*, ſed in *Dothain*, id eſt abundantia defectionis, id eſt in populo, cui deeſt Deus.
Epheſ. 2. Apoſtolus: *Eratis* aliquando *ſine Chriſto alienati a converſatione Iſrael, & ſine Deo.* In populo deficiente a Dei cultura, a Dei cognitione, id eſt gentilitate. Ecce miſſus a Patre in *Sichem*, invenit Fratres in *Dothain;*
Iſaiæ 9. quia *Verbum miſit Dominus in Jacob, & cecidit in Iſrael.* In Jacob, populo Judæorum natus eſt; & in Iſrael populo Gentili fructificavit. Inde enim Eccleſia pro majori parte
Epheſ. 2. deſcendit colens Deum. *Nunc autem in Chriſto Jeſu vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti*, inquit Apoſtolus.

IX. Sed, redeundo ad principium; nunquid ſolum hominem recuperavit? Imo etiam hæreditatem deſtructam recuperavit, reſtituit, & renovavit. Totus mundus in Adam perditus eſt: terra maledicta, fructus non dat niſi malos, & cum labore: elementa omnia impura facta ſunt: ſtellæ & ſol amiſerunt lumen ſuum, & homine perdito, pro quo facta ſunt omnia, etiam læſa ſunt omnia. Miſſus eſt ergo Filius, ut ſalvans hominem, etiam hæreditatem reſtituat, & renovet in perfectiorem ſtatum, quam fuit primus ſta-
Rom. 5. tus. Quia *non ſicut delictum, ita & donum;* ſed *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Apoſtolus: Miſſus eſt, inquit, *in-*
Epheſ. 1. *ſtaurare omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra*
Coloſſ. 1. *ſunt.* Et iterum: *Quia complacuit per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.* Quamvis hæc ipſa pacificatio & renovatio nunc non appareat, quoadusque re-
Philip. 3. formetur *corpus humilitatis noſtræ, configura-*

tum corpori claritatis ſuæ in reſurrectione mortuorum; & tunc reſtitutis hæredibus, reſtituetur hæreditas. *Scimus enim quod omnis* Rom. 8. *creatura* modo *ingemiſcit, & parturit uſque adhuc, revelationem Dei expectans.* Hæc renovatio dicta eſt ab Iſaia, ubi ait: *Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, aut vocavit eum ut ſequeretur ſe?* Sequitur: *Quis hæc* omnia Iſaiæ 41. *operatus eſt & fecit, vocans generationes ab exordio?* Ecce quis poterit ab *Oriente*, Patre ſcilicet, a quo eſt quidquid eſt in Divinis & in creaturis, ideo *Oriens.* Quis ergo *ſuſcitavit* ab *Oriente*, Patre, *Chriſtum juſtum*, ut incarnaretur? (Qui ideo ſuſcitari dicitur, quia ab illa parte venit in labores, & vexationes & dolores, quaſi excitatus, ut ſentiat pœnas.) *Quis hæc operatus eſt, & fecit?* Ego, inquit *Dominus; primus & noviſſimus:* ego feci hæc omnia: Quia nullius meritis deſcendit; ſed Pater illum miſit: *Vocans generationes ab exordio;* id eſt omnes generationes rerum, quæ in Verbo creatæ ſunt, & ab illo exordio deſcendunt, miſſo Verbo, renovans eas eodem exordio, quo creatæ ſunt; & quaſi reducens illas iterum in catinum, ad refudendum eas ad normam priſtinam ſuæ ideæ, & juxta originale ſui prototypi. Omnes ergo naturas, quas Adam peccato fœdavit, violavit, deturpavit, Verbo ſuo Deus reformavit in melius: Quæ quidem merito Chriſti; jam eſt promerita reformatio: ſed non reſtaurabitur hæreditas, quoaduſque reſtituantur hæredes.

IN FESTO NATALIS DOMINI

CONCIO SEXTA.

De Verbo æterno, ejusque Præcellentiis.

Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. Joan. 1. v. 12. 13. 14.

I. PRincipio, ut ait Chryſoſtomus (*a*), attendamus: Quis eſt qui loquitur? Joannes filius Zebedæi, pauper piſcator, filius piſcatoris a Bethzaida vico Galileæ humili ac vili. Hic ruſticus quid ait? *In principio erat Verbum, & Verbum erat a-* Jo. 1. *pud Deum, & Deus erat Verbum.* Quis Plato, quis Demoſthenes, quis philoſophus ſic locutus eſt unquam? *Aſcendit ſuper Cherubim* Pſal. 17. *& volavit: volavit ſuper pennas ventorum. A-* Ezec. 17. *quila grandis magnarum alarum* in tali ſchola didicerat, ſuper pectus Domini recum- Jo. 13. bens in cœna. Et quidem de divinis perfectio-

* Concio cxxi. (*a*)

(*a*) Lege Homiliam 1. Chryſoſtomi in Joannem.

nibus & attributis multa philoſophi dixerunt; ſcilicet: quod Deus immortalis eſſet, æternus, ſimpliciſſimus, omnipotens, ſapientiſſimus, optimus. Sed de productionibus Divinis, & notionibus nihil aut parum attigerunt; hæc enim abſcondita ſunt *Iſaiæ. 6.* & ſecreta. Unde Iſaias, quando vidit Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & elevatum, vidit quod alæ Seraphim caput & pedes velabant, quia tam generatio æterna, quam temporalis velata erat. Corpus quidem medium, id eſt opus creationis pa- *Rom. 1.* tet; ex quo ſempiterna ejus bonitas & Divinitas a creatura mundi, per ea quæ facta *Iſaiæ 50.* ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sed *generationem ejus quis enarrabit?* qua a Patre æternaliter naſcitur? Generatio etiam temporalis ſic ſecreta eſt, & velata erat, ut non ſo- (*a*) lum philoſophos, ſed etiam Angelos (*a*) pro maxima parte lateret; teſte Apoſtolo, qui *Coloſſ. 1.* ait: *Myſterium, quod abſconditum fuit a ſæculis & generationibus*, illud tamen *nunc manifeſtatum eſt Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ ſacramenti hujus in Gentibus, quod eſt Chriſtus.* Myſterium ergo abſconditum a ſæculo in Deo, qui cuncta creavit, nunc innoteſcit Principatibus & Poteſtatibus per Eccleſiam in cœlis multifor- *Epheſ. 3.* mis Dei ſapientiæ. *Mihi*, inquit iterum Apoſtolus, *omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in* omnibus *gentibus euangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſæculis in Deo, qui omnia creavit. Ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Et hæc Aquila potens utramque mirifice in hoc Euangelio deſcripſit tam alte, ut ſi altius modicum quid volaret, totus mundus non *Lucæ 19.* poſſet intelligere. Unde Dominus: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus,* *2. Cor. 12.* *& revelaſti ea parvulis.* Paulus viderat quidem, ſed exprimere non poterat; Joannes ſicut vidit, ſic expreſſit.

II. Sed jam quid de utraque nativitate dicat, audiamus: *In principio erat Verbum*, inquit, *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Tria dicit de Verbo Dei: quod erat in principio: quod erat apud Deum: quod erat Deus. Primum patet; nam Deus Creator eſt omnium, ſciens & volens: non enim creavit mundum ſine arte & ſapientia, qui pulcherrimus & ordinatiſſimus eſt. Sicut ergo ſapientia, qua conditus eſt orbis, præceſſit orbem, ut de- *Sap. 11.* ducit Salomon in libro Sapientiæ; ſic etiam exemplar & ars præceſſit mundum. Hoc autem exemplar eſt Verbum Dei: Erat ergo in principio ante mundi creationem. Secundum etiam probatur; nam ars & exemplar in intellectu artificis eſt. Cum ergo Deus intellectu mundum creaverit, erat Verbum apud eum: quod reſpiciens intellectus omnia exemplata formavit. Tertium probatur; quia in Deo nihil eſt, quod non eſt Deus. Si ergo Verbum erat in Deo, erat Deus: alias eſſet in Deo compoſitio & multitudo, & non eſſet ſimpliciſſimus. Item, ut arguit S. P. Auguſtinus (*b*). Si non erat Verbum Deus, e- (*b*) rat creatura; ergo factum. Sed quomodo factum, per quem facta ſunt omnia? Oportet alio Verbo fieri ut eſſet Verbum Verbi, & tunc de illo primo quærerem, an ſit Deus? Primum ergo Verbum Deus eſt, & non factum nec creatum. Quod ſi Verbum Deus eſt, & apud Deum eſt Deus de Deo; per intellectum productum, Verbum generatum eſt, & Filius Dei eſt. Ecce æternam Nativitatem ineffabilem. Eſt itaque Verbum Filius Dei; & magis proprie Filius, quam ſit aliquis a ſuo patre. Nam filius hominis non habet totam ſubſtantiam a patre (non enim accipit a patre animam) ſed a Deo. Item corporis modicam ſubſtantiam accipit a patre, & aliam a matre: unde diviſus eſt filius patris & matris. Sed Dei Filius per generationem habet a Patre totam ſuam ſubſtantiam; nec ſolum totam, ſed eandem. Mira nativitas! Sublimis & ineffabilis communicatio! & ideo eſt perfectiſſime Filius, & proprie magis, quam ſit aliquis filius patris ſui. Unde Apoſtolus: *Flecto genua mea* *Epheſ. 3.* *ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur:* quia veriſſima & propriiſſima paternitas in ſolo ipſo eſt. Mira quoque generatio, quæ ſemper eſt. Sic generavit quod ſemper generat, ſicut ſol producit ſplendorem: unde Apoſtolus: *Qui cum ſit ſplen-* *Heb. 1.* *dor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus;* non ſicut verbum noſtrum, quod eſt figura & imago accidentium; non ſicut verbum Angeli, quod licet ſit figura ſubſtantiæ rei, tamen eſt accidens in intellectu Angelico; ſed Verbum Dei eſt figura & imago ſubſtantiæ ejus, ipſammet formam & ſubſtantiam habens.

III. Proſequitur Joannes loqui de hujus Verbi excellentia, & ponit tria alia. Primum: *Omnia per ipſum facta ſunt;* quia *Jo. 1.* ipſum exemplar eſt omnium; ſicut ipſemet interrogatus: *Tu quis es?* reſpondit: *Prin-* *Ibid. 8.* *cipium, qui & loquor vobis.* Secundum: *In* *Ibid. 1.* *ipſo vita erat;* quia conſervat, & ſuſtentat omnia quæ producit; ſicut ipſe ait: *Pater* *Ibid. 5.* *meus uſque modo operatur, & ego operor.* Non putetis, quod corporaliter, & ut ſolent mechanici, ſabbatizavit Pater, quia deſtitit *Gen. 2.* operari; ſicut artifex, qui fecit domum: ſemper tamen agit, conſervando producta; ſicut ait Pſalmus: *Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper* *Pſ. 138.* *me manum tuam;* ſed ſabbatizavit a nova rerum

(*a*) Vide notas ad Concion. 4. de eadem Chriſti Nativit.

(*b*) Tract. 1. in Joannis Euang. num. 11.

Jo. 1. rerum creatione. Tertio ait: *Et Vita erat lux hominum;* imo & Angelorum: nam Verbum Dei in eo quod est imago Patris & splendor gloriæ ejus, omnium creatorum intellectuum lux est, illos illuminans ex sua ratione formali. Est ergo Verbum principium, quia exemplar est; est vita omnium, quia conservat; est lux intellectuum, quia est splendor Dei, lumen de lumine. Audistis, Fratres, æternam Verbi generationem; audistis qualis & quanta sit: hæc de cœlo venit. Audite nunc uno verbo temporalem *Ibidem.* nativitatem: *Et Verbum Caro factum est.* O mira dejectio! O mira humiliatio! Exinanivit semetipsum, fere annihilavit. O quantus saltus! Verbum Caro! Quid Verbo sublimius in spiritualibus: quid carne abjectius in corporalibus? Ascende per Spiritus, Animas, Angelos, Archangelos, Cherubim, ac Seraphim: Verbum super omnes in infinitum majus. Descende per corpora cœlestia & terrena; nihil carne vilius: statim corrumpitur, statim putrescit. Unde ipse ait: *Psal.68.* *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Commendat Deus nobis hanc Filii sui generationem, per Prophetam dicens: *Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: Verbum autem Domini nostri manet in æternum.* *Jo. 1.* Et tamen *Verbum Caro factum est;* ut videas quid debeas, o homo, illi qui sic se dejecit. Unde & merito nos, cum audivimus hoc Verbum, prostramus nos ex statuto Ecclesiæ, profitentes maximam obligationem, & quantitatem tanti beneficii, pondus non sustinentes. Opus admirabile, in quo plus lucet divina potentia Dei, sapientia, bonitas, charitas, pietas, benignitas, clementia, quam in mundi creatione, & quam in omnibus, quæ operatus est. Unde si hoc ne- *Ibidem.* ges quod *Verbum Caro factum est*, plus honoris, gloriæ, potentiæ, & virtutis tolles a Deo, quam si neges eum omnia condidisse.

IV. Magna potentia fuit creare machinam illam maximam ex nihilo; sed major potentia non de nihilo, sed de Deo infinito facere carnem: nam omnis creatura parum differt a nihilo, & homo infinite distat a Deo. Magna potentia fuit unire animam carni in homine, creaturas tam differentes; sed multo magis unire Trinitatem, & Animam, & Carnem in una Persona tam intime & indissolubiliter, ut omnia quæ dicuntur de homine, dicantur de Deo; & e converso, ut Deus dicatur natus, passus, crucifixus & mortuus. Quod si hoc opus conferas cum aliis mirabilibus, quæ Deus operatus est in mundo, multo potentius & sublimius inve- *Exod.14.* nitur: nam, etsi magnum fuerit dividere mare rubrum; tamen multo magis fuit Oceanum illum infinitum in vasculo illo infan- *Num.7.* tilis corporis concludere. Magnum fuit virgam Aaron sine humore florescere; majus tamen fuit Virginem sine viro parere. Ma- A gnum fuit rubum ardere & non comburi; majus tamen fuit Virginem parere & clausam manere; illa enim umbræ fuerunt, hæc veritas. Unde Dominus per Prophetam: *Ne* *Isaiæ 43.* *memineritis priorum, & antiqua ne intueamini.* Similiter de sapientia: hæc sapientia inattingibilis fuit ab Angelis, nisi eis Deus revelasset per Ecclesiam, ut dictum est: nec dæmon secretum hoc valuit intelligere. Unde, licet videret in Christo signa potentissima & opera Dei; tamen faciebat ipsum hallucinari, quia non capiebat quomodo posset fieri, quod Deus homo fieret. Unde Joan- B nes; cum hoc scribit, totus expavit; sicut etiam Prophetæ, quando hoc opus ipsis Deus revelabat, expavescebant præ admiratione. Unde Abacuc: *Domine audivi auditionem* *Habac.3.* *tuam & timui:* Consideravi opera tua & expavi; in medio animalium innotesces. Et Isaias: Domine *quis credidit auditui nostro?* *Isaiæ 53.* Quis adhibebit fidem dictis nostris? Opus ego facio, quod nemo credet, cum arrabitur, præ altitudine. Similiter de bonitate & charitate: Quis posset in Deo tantam charitatem suspicari, ut pro sua creatura solo amore talia sustineret, & talia faceret? C Sicuti, si rustici incarcerati supplicarent Regi, ut filium suum pro ipsis mitteret in carcerem, ut ipsi liberarentur; nonne reputaretur stulta hujusmodi supplicatio? Non utique præsumerent Prophetæ dicere: *Emitte* *Ibid. 15.* *Agnum Domine Dominatorem terræ*, nisi a Domino prius didicissent. Unde opus hoc, sicut non peti aut supplicari, sic nec mereri potuit, nec cadit sub meritum, sed est supra omne meritum. Unde Dominus apud Joannem ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et Apostolus: *Jo. 3.* *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis* *Rom. 8.* D *omnibus tradidit illum.* Hoc est, quod mirari fecit Prophetas, cum audirent hoc: obstupuere Angeli quando viderunt in præsepio vagientem, & attoniti ascendebant & de- *Jo. 1.* scendebant super Filium hominis. Hoc etiam supra modum Virginem admirari faciebat, dum consideraret hæc omnia, *conferens in* *Lucæ 2.* *corde suo.* O quomodo obstupuit quando se vidit Matrem & Virginem! Quomodo gavisa est, quas gratias egit pro se, & pro toto humano genere, quando ipsum, quem genuit, adoravit! O si quis audisset orationem illam! Gratias tibi Fili Dei Altissimi, qui E pro humano genere de utero ancillæ tuæ carnem hanc sumere dignatus es. Gratias tibi, qui me ancillam tuam sic exaltare, sic sublimare dignatus es, ut Mater tua fierem, & te Creatorem filium meum haberem. Quid Deo potes, o homo, reddere pro tanto beneficio?

V. Sed, ut quid Domine in via nasci dignatus es, in terra aliena, in isto stabulo, cum tanto frigore, ut non habeat Mater ubi te reclinet, nisi in hoc præsepio? Non lectum, non ignem, non cervical? Sic Domine mi voluisti, sic disposuisti, fiat voluntas tua.

tua. O extremam paupertatem! O eximiam humilitatem! O qualem lectionem nobis legisti ex illo præsepio! Illud præsepium, & stabulum, omnes domos deauratas & palatia ampla condemnat; illi panni tui, sericas vestes; illi tui vagitus, vana gaudia mundi; illa Matris paupertas, opulentas mensas & obsonia. O felices lacrymæ, quæ nostrorum vulnerum balsamum fuerunt! Felices panni, quibus vittis cicatrices nostræ ligatæ sunt! Felix arctitudo præsepii, quæ nobis latitudinem & amplitudinem cœli obtinuit! Felix vagitus, qui nobis æterna gaudia comparavit! Felix paupertas, quæ nobis regnum cœlorum promeruit! Hæ sunt meæ divitiæ, hæc mea merita coram Deo; non mea opera, non servitia offero, sed in his tuis laboribus confido. Hæc offero coram Deo, & pro his obtinere gloriam spero. Venite Reges, venite populi, & audite Regem Salomonem de suo throno docentem contemptum mundi. Hic est enim ille lapillus excisus a monte sine manibus, qui sua humilitate statuam illam monstruosam, id est pompam sæculi percussit & comminuit. Sed jam videamus quis fructus hujus humiliationis, & nativitatis ex Matre? *Dedit illis*, inquit, *potestatem Filios Dei fieri*. Filius Dei factus est homo, ut homines filios Dei faceret, & ipse esset *Primogenitus in multis fratribus*. Non omnibus, sed *his, qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Intelligite hoc sic: isti habent hanc filiationem, non ex natura sua, aut ex naturali generatione, quia, *quod natum est ex carne, caro est*; non ex aliqua inclinatione carnis, aut ex humano opere aut voluntate; sed ex regeneratione, qua ex Deo per gratiam renascuntur. Unde gratia deiformitas est quædam, & quodammodo deificat homines. Petrus: *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*. Et hæc generatio unde sequitur? *Verbum Caro factum est*. Dedit *gratiam pro gratia*: ex hoc fonte prodiit illa generatio. Unde ad illum sensum intelligi potest quod dixit Joanni: *Ecce mater tua*. Quia sicut per gratiam fecit nos filios Patris sui adoptivos; sic etiam fecit filios Matris suæ, in quantum per ipsam consequimur omnem gratiam. Illa enim fuit inventrix gratiæ, qua Deo regeneramur: Joannem autem fecit primogenitum in hac generatione adoptiva Matris suæ. Ponderat Joannes hanc nativitatem, dicens: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus*. Unde, cum Discipuli peterent quomodo orarent; ait illis: *Pater noster qui es in cœlis*. Apostolus: *ipsius genus sumus*. Et subinfert: *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, Divinum esse simile*. Non debemus nos ad ista parva dejicere. Ostendamus operibus ex quo genere venimus. Hæc sancta superbia est. Sola cœlestia quæramus; *nostra* enim *conversatio in cœlis est*: Nam, *si filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Ubi ergo hæreditas, ibi cor.

IN FESTO NATALIS DOMINI

CONCIO SEPTIMA.

De Potentia et Justitia Divina: et de Triumpho Divini Amoris; de Verbo Incarnato.

Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Joan. 1. v. 14.

I. *Deus docuisti me a juventute mea: & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua; & usque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me.* Id est, non me derelinquat Spiritus tuus, & lumen tuum ne auferas a me. Nec permittas me exire de hoc sæculo; *donec annuntiem brachium tuum*; id est, Filium tuum. (Quare autem dicatur brachium, postea dicetur) *Generationi omni, quæ ventura est*; generationi venturæ, id est generationi novæ; quæ *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Ex novo Adam, qui de cœlo veniens cœlestem in terra generationem diffundet, & cœlestis vitis cœlestes propagines & palmites germinabit. Sed quid est, o sacer Propheta Dei! quid, obsecro, est quod in brachio illo, Filio inquam Dei, vis sæculo futuro annuntiare? Sequitur: *Potentiam tuam, & justitiam tuam Deus, usque in altissima, quæ fecisti*. Ista duo: *Potentiam*, scilicet, & *justitiam* tuam Deus, quæ fecisti altissima, id est profundissima, mente incomprehensibilia. *Potentiam* ad opus, quod omnem intellectum excedit, omnem sensum exuperat. *Potentia* magna fuit cætera facere, & hominem de nihilo producere; sed de Deo facere hominem, hæc magnitudo *potentiæ* Dei altissima & profundissima fuit. Pondera hoc: Quis unquam tale cogitavit, aut credidit posse fieri? Aut quis tale poterat suspicari, ut Creator omnium seipsum faceret tanquam unam de suis creaturis, id est hominem? S. P. Augustinus (*a*) libro 13. de Trinitate: Mox, inquit, ut Verbum venit in uterum, servata veritate propriæ naturæ, factum est Caro & perfectus Homo. Habent ergo Verbum & Caro, ex qua in utero Virginis formatum est Corpus Christi, modum unionis, quam Deus ad nullam aliam creaturam habuit, neque habebit. Posset tamen quemlibet sibi

Concio CXXII.

(*a*) De Trinit. lib. 13. cap. 10.

(a) sibi sic unire. An vero omnes simul (a): ut Deus esset omnia; dubium est. In hac unione non est compositio, non est mixtio, non est confusio naturarum; sed suppositatio naturæ in supposito alterius. Potest optime declarari per incisionem, qua una planta trunco alterius inseritur. Sic humanitas divino trunco adjuncta est: & sic est communicatio proprietatum illarum plantarum. Apostolus:
Jacob 1. *In mansuetudine suscipite insitum Verbum, quod potest salvare animas vestras.* Potest etiam hæc unio exprimi per unionem accidentis ad subjectum, tribuentis illi denominationem. Et ita Christus propter duplicem formam Dei & hominis, Deus & homo est.
*Philip.*2. Apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, formam servi accipiens.* Potest etiam per habitum per indumentum explicari. Ut Deus indutus carne veluti habitu dicatur; & ita
Ibidem. exponit idem Apostolus dicens: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut Homo.* Unde Deus vestivit Virginem gra-
Gen. 37. tia, Virgo vestivit ipsum carne. Hæc est illa vestis polymita talaris Joseph, qua a fratribus spoliatus & nudatus est, & ostensa patri ajunt: Fera pessima devoravit Joseph. Fratres Judæi, Christum sua tunica talari
Ibid. 39. spoliaverunt in cruce. Hoc illud indumentum quod ipse Joseph in manibus adulteræ dimisit, nolens stupro consentire: id est; Christus in manibus adulteræ synagogæ, nolens peccatis eorum acquiescere. Vestis polymita gratia, varietate donorum ac virtutum orsa in visceribus Virginis tanquam in telario, manibus Spiritus sancti.

II. Sed non solum *potentiam*, sed & *ju-*
Psal. 70. *stitiam* ejus velle se annuntiare omni generationi venturæ Propheta asserit: *Potentiam*, inquit, & *justitiam tuam Deus usque in altissima quæ fecisti.* Magna *justitia*, ut pro unius pomi vetiti edulio Deus moriatur. O carissimum pomum, morte, & morte Dei comparatum. Quare factum est hoc? Cur
*Rom.*11. Deus Homo? *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Non potest homo operum Dei concipere rationem: quanto magis tanti operis? Quæ enim ratio, ut Deus fiat homo pro creatura, ut Deus moriatur pro vermiculo? Pereat homo, pereat mundus, & Deus nec modicum patiatur detrimentum. Vere, si ipsum bene consideretur, non *justitia* est: sed potius apparet stultitia. Quis coegit te Domine facere hominem? Item perditum redimere quis compulit? Item erant alii modi. Nonne potuisses tuam offensam gratis dimittere? Quis tibi diceret: cur ita facis? Item poterat Deus acceptare sacrificium ab Adam pro omnibus, sicut pro omnibus Deus acceptabat offensam. Poteras Domine acceptare unum sacrificium Adæ pro una ejus trangressione: ut sicut uno peccato occidit; ita uno sacrificio expiaret.

A Vel poteras illum destruere, & alium formare de limo innocentem ut prius: sed noluisti, ut tibi amplius deberemus. Sic decebat, quia voluisti. Ut diceretur: omnibus misericors factus es; soli tuo Filio rigorem *justitiæ* servasti. *Plenus* adhuc *sum sermoni-* *Job* 32.
bus, & coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit; pergam loqui, & *respirabo paululum: aperiam labia mea.* Stupeo, hæreo & undique conturbant me cogitationes meæ; dum pergo cogitare, magis absorbeor. Quid est hoc Domine, quod fa-
B cere voluisti? Ubi sapientia tua, ubi consilium, ubi judicium? Parce mihi Domine, parce; pergam laxare linguam meam, & sine timore, veluti blasphemans, stultitias tuas populis prædicabo. *Adinventiones* tuas, ait *Isaiæ*12.
Propheta, ego magis stultitias maximas dico. Nunquid non stultitia maxima facere hominem, & mori pro homine? Quis coegit, ut faceres? Quis impulit, ut salvares? Quis prohibuit, ut non ei peccatum gratis dimitteres? Quare gratis voluisti fieri servus & pauper, cum sis ipse Dominus omnium, & pelagus divitiarum? Quis te coegit experiri malum, o summum Bo-
C num? pati mortem, o Vita? Dic, obsecro, Domine mi: *Quid est homo, quia magnificas eum?* *Job* 7.
Aut quid apposuisti sic *erga eum cor tuum*, ut in facto tuo vecors appareas? O periret homo! Cur pereat, si tibi placeat ut non pereat? Et pereat utique millies, ne Deus vel modicum patiatur detrimentum. Video te o abyssus lætitiæ jacentem in præsepio in medio animalium brutorum, plorantem in stabulo, infirmum qui sustines mundum, mutum Dei Verbum. Quid hoc? Deus in stabulo, Deus inter bruta. Quid hoc bone Deus? Aut stultus es, aut ebrius es. Utique sic di-
D co; quia sic, & non aliter tua facta possum *Ibid.* 36.
exprimere: quoniam magnus es tu, & vincens scientiam meam, & rationem meam, & mentem meam: & quod rationi consonum non est, stultitia est. Et quare non tam bene dicam ego, quod ait tuus Propheta in Spi- *Psal.*77.
ritu tuo: *Dominus, tanquam potens crapulatus a vino?* O forte vinum, quod fuit sufficiens inebriare Deum! O charitatem! O amorem! O quam glorioſa hodie spolia reportas! O glorioſum triumphum tuum, Deo a te victo & superato! Ecce ligasti eum; ecce reclusisti eum in angusto carcere corpusculi; ec-
E ce captivus tuus jacet ad pedes tuos, stratus *Lucæ* 2.
præsepio, recluſus stabulo: gaude, exulta, lætare, tanto & tam mirabili triumpho.

III. Verum tu enarra, obsecro, nobis tam glorioſi certaminis modum. Quomodo vicisti? Quomodo superasti? Ecce, *Gen.* 9.
plantavit vineam, & propinavi ei de musto ejus forti, & placuit ei, & bibit sine modo & sine mensura; excessit & inebriatus est: & cum inebriatum vidi, liga-

vi

(a) Varias hoc loco indicat quæstiones, quæ a Theologis agitari consueverunt, de quibus tractat Angelicus Doctor 3. part. quæst. 3.

vi eum & tenui: nec ultra de manibus meis in æternum liberabitur. Vis & alium modum agnoscere? Diu ante congressus fueram
*Judic.*14. cum illo, & fortis erat. Quid feci? Noveram ego filiam Philistæam de genere suorum inimicorum pulcherrimam: posui eam ante oculos ejus, & captus est pulchritudine ocu-
Cant. 4. lorum ejus, & vulneratus maxime in uno oculorum, & in crine capitis ejus; statim cœpit clamare videns imminere sibi pericu-
Ibid. 6. lum a telo meo: *Averte oculos tuos a me* o pulcherrima mulierum. Quæ cum magis pergeret in eum figere eosdem oculos suos, eum *avolare fecerunt*. Et venit ad gremium ejus, veluti aquila, præcipiti & repentino volatu: & ibi laqueo & limo infixus, detentus est &
Judic. 1. irretitus. Tunc ligavi eum restibus carnis, & rasi capillos potentiæ & fortitudinis ejus, & oculos sapientiæ suæ obscuravi, & eduxi foras hodie in mundum, infirmum, & cæcum, & invalidum, ut pateat irrisioni & ludibrio Judæorum, & non ero cum hoc contenta; ego faciam eum insuper molere in mola, in cruce. Obsecro te o charitas, cur tam severa in eum, cur tam crudelis? Parce, obsecro, ei ignosce! Sufficiat tibi, quod sic infirmus est, tam pauper tam abjectus. Respice vagitus ejus, vide singultus ejus, vide quo attraxeris eum. E solio nempe regni sui ad præsepium, ex majestate altissima ad tam profundam egestatem, ex consortio Angelorum ad consortium brutorum. Parce Deo imbecilli, Deo infirmo. Memento quod charitas es: memento nominis tui: patiens es, benigna es, omnibus placida, omnibus mitis, etiam inimicis. Cur contra solum Deum sic sæva & severa es? Quare tam injuste Deum pro vilissimo vermiculo exponis? Quare non temperas furorem tuum contra eum? Non est quod timeas, ne invaleat contra te Deus. Ecce non potest se movere, nec movere manus: ligatus est, pannis obstrictus, non poterit amplius ex tanta egestate in potentiam tantam elevari, ut fugiat manus tuas: forti catena & indissolubili nodo carnis ligatus est a te. Vide pulchrum infantem innocentissimum, Virginis prolem mundissimam plorantem in conspectu tuo; ne avertas ab eo oculos. Victum se fatetur a te, & tuum perpetuum mancipium. Veritas est, mentiri non potest, non frangere homagium factus homo.

IV. Non, inquit, non. Vivit Deus, & vivo ego, quod non dimittam eum, nec ei parcam, donec molat in mola crucis, cum labore & sudore, pessimum & durissimum germen omnium peccatorum, & faciat farinam pro omni mundo. Ego faciam eum su-
Lucæ 22. dare guttas sanguinis usque ad terram præ
Isaiæ 63. labore: & solus ipse molet totum, quod sufficit pro pabulo totius mundi: & insuper solus calcabit torcular, & exprimet inde potum omni populo: sic serviet mihi durum servitium: sic me vindicabo; nec satiabor, usque dum totum sanguinem ejus bibero, ut non remaneat in eo gutta. O infans natus ad tantos labores, infans tenelle natus ad tot erumnas! O puer sacratissime quanta tormenta pateris! Quid commisisti o Domine mi, quod ita provocaveris in te & incitaveris amorem? O Virgo quantum adversatur tibi domina ista! Quam furibunda apparet! Supplica illi pro Filio tuo, si forte respiciat, & misereatur. O Amor! tam crudelis, tam crudus, tam injustus, tam cæcus, tam irrationabilis, tam tyrannicus! *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid* adeo *apponis erga eum cor tuum?* Quid vides in homine, ut sic amplexeris eum, & Deum tradas pro homine; Deum occidas, ut hominem vivifices? Hominem inopem, mendicum, reum, miserum Deo anteponis? Ubi lex, ubi ratio, ubi fides, ubi judicium? Non est qui insurgat adversus te, & eripiat Deum de manu tua tam potenti tam tyrannica. O crudele dominium, o cæcum judicium, & irrationabile, summum bonum Deum pro viliissimo vermiculo exponens! Non est tibi lex, non est modus, non est æquitas. Omnia pro libitu disponis, omnia facis ut libet; nec est qui a te facti tui petat rationem. Tam potens, tam absolutus, tam præceps, tam voluntarius, tam superbus. *Quid est homo, quia magnificas eum?* *Job* 7. Quia scis filium Dei amore ejus ebrium, noli plus æquo ab illo exigere. Ecce dedit suas facultates, dedit statum, dedit honorem, & *cum iniquis reputatus est*. Sufficiat, *Isaiæ* 53. satis est, non amplius daturus est. An fortasse magis adhuc aliquid debet? O Amor, sufficiat. Non: det & Personam suam. Ad quid? Jam se dat ad servitium: nonne satis? Non. Ad labores, ad sudores: sufficiat. Non. Ad flagella, ad sputa: sufficiat. Non. Ad mortem: *Mortem autem Crucis*, & tam- *Philip.*2. quam iniquus, & titulo iniqui. O versus es in crudelem! P. Augustinus: O iniquitas! O perversitas! Ut animam quam Christus redemit, audeat per peccatum homo de novo in servitutem redigere diaboli! Apostolus: *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana con-* 1.*Petr.*1. *versatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi & incontaminati: præcogniti quidem ante mundi constitutionem: manifestati autem novissimis temporibus propter vos*. Apostolus Paulus: *Empti* 1. *Cor.*6. *enim estis pretio magno*.

V. Interea, *egredimini, & videte filiæ* *Cant.* 3. *Sion Regem* vestrum. *Egredimini* a vobis super vos. *Egredimini* a vobis, & ingredimini in Deum, quia Deus egressus est a se, & ingressus est homo. *Egredimini* superbi, elati, inflati. *Egredimini* a vobis, quia Deus egressus a se, ingressus est pauper & egenus & humilis in mundum. Egressus est a se, & ingressus est ad te per nimium ac eximium, ut audistis, charitatis excessum, *Beniamin* *Ps.* 118. ille *adolescentulus in mentis excessu*; ut & vos egrediamini a vobis, & quæratis jam ipsum

etiam

Cant. 8. etiam charitate. *O quis mihi det, te Fratrem meum* adhuc puerulum *ſugentem ubera Matris* tuæ, *ut inveniam te foris* in Bethlehem, *& deoſculer te!* Jam nolite ſolum ſpiritum quærere Deum, jam nolite in ſolo ſpiritu ipſum quærere: ecce corporeus factus eſt, viſibilis factus eſt. *Egredimini filiæ Sion* ad feneſtras oculorum & ſenſuum; & ſpirituale, & inviſibile Verbum, & ſubtile, jam palpabile, viſibile, corporeum agnoſci-
1. *Jo.* 1. te, & aſpicite. Dicit Joannes: *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: quod vidimus & audivimus annuntiamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum.* Ecce Verbum vitæ prius inattingibile per intellectum, incomprehenſibile mente; nunc manibus contrectatur. Benedictus Deus. Vos interim *egredimini*; nam prius egreſſus eſt ipſe. O ſynagoga Deum quæris? Non facies mihi ſimulacrum: ecce corporeus non ſum, nec phantaſma meum erit in phantaſia. Cui ergo aſſimilabo te Deus? Nam ſine phantaſmate non intelligit intellectus; & neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari. Certe, ſi ſola interiora intellectu penetro, imaginem tibi ſimilem non reperio. Non enim es ut ſol, vel ſicut luna, vel ſicut ſtellæ, vel ſicut arbor. O filiæ Sion, filiæ Jeruſalem, id eſt, Eccleſiæ: vobis datur licentia ponendi ſimulacrum in templo cordis. *Egredimini* jam ad phantaſiam, & hominis ibi ſimulacrum formate, quia Deus egreſſus eſt, & factus eſt homo. Egreſſus eſt a Deo, non recedens a Deo, non relinquens quæ ſunt Dei: ſed recipiens aliena a Deo, non relinquens propria. Egreſſus eſt a Deo dum naſcitur, dum patitur, dum ſitit, dum moritur: hæc enim a Deo longe ſunt & remotiſſima. Etiam *egredimini* a vitiis; nam ipſum videre ſolum mundi poſſunt oculi & puri corde. *Egredimini* ergo a conſuetudinibus, a peccatis, & intrabit cor veſtrum, & invenietis ipſum foris natum per fidem. Sic enim Mariæ mentem, prius quam uterum intravit. Et ita, niſi prius egreſſis ſpurcitiis, mentem ingreſſus fuerit per ardorem devotionis, foris reperiri non poteſt per fidem credulitatis. Non enim poteſt amari puer natus in mundo & adorari, niſi prius ipſe naſcatur in animo adorantis.

ANNOTATIONES ALIQUOT IN EUANGELIUM SANCTI JOANNIS.

Jo. 1. *IN principio erat Verbum.* Chriſti Jeſu hiſtoriam & vitam narraturus Euangeliſta, commodiſſime & ante omnia, quiſnam ipſe ſit, de quo locuturus ſit, inſinuat. Et ne dum geſta ejus, quæ in carne homo factus geſſit, annuntiat, quaſi de puro homine loqui videatur: Verbum Dei, & verum Deum eſſe in primis aſſerit eum, de quo quaſi de homine locuturus eſt.

In principio: Æternitatis ſcilicet, vel *in principio* Deitatis. *In principio* ergo, id eſt, ante ſæcula, vel *in principio*, id eſt, in ſubſtantia Deitatis a qua cuncta derivantur.

Erat Verbum. Hoc nomen propriiſſime Filio Dei convenit. Dicunt aliqui; quia per modum intellectus producitur; vel forte, quia in ipſo idealis ratio productionis primo per generationem communicata. Melius forte nomen attingimus per gratiam Dei, & rationem forte non capimus: ſed tunc, cum apparuerit, apparebit etiam, quoniam Verbum eſt mirabile. Quod Iſaias ait: Quod os Domini locutum eſt: Joannes, *Verbum* brevius dixit. *Iſaiæ* 62.

Et Verbum erat apud Deum. Deum hic perſonaliter: id eſt, *apud Deum* Patrem. Sed quomodo apud Deum? Nempe, in eodem principio, in eadem natura. Erat ergo apud Patrem Deum cum ipſo Deus: in eadem cum ipſo ſubſtantia unum cum eo principium. Conſequens eſt autem ut, qui ejuſdem naturæ erat apud Deum, etiam cum ipſo eſſet Deus: ideo ſequitur:

Deus erat Verbum. Apoſtolus: *Qui*, inquit, *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Una eſt Joannis & Pauli ſententia. Hæc ſcilicet: *Verbum, in principio erat apud Deum.* Repetit & facit tranſitum, acſi diceret: Ipſe quidem ſecundum ſe, & in ſe Deus eſt. Et nunc, quomodo ad alia ſe habeat, audite: *Philip.* 2.

Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. Deus eſt, & creator omnium eſt; unus cum Patre Deus, unus cum Patre creator, unum cum Patre principium.

Omnia per ipſum facta ſunt. Ipſe autem non factus, ſed genitus. Primum productum ipſe, per ipſum alia producta; ſed non ſicut alia, ſic ipſe productus: ſed ipſe per generationem, alia per creationem.

Sed quomodo *per ipſum?* An tanquam per inſtrumentum? Aut tanquam per manum? Sic enim dicitur: *Brachium Domini cui revelatum eſt?* Verbum Dei, brachium Dei. Si quomodo ipſe producatur attendas; Verbum Dei eſt. Si quomodo per eum cætera producantur; brachium Dei eſt. Verbum Dei, brachium Dei. Verbum quia productus, brachium quia productivus. Ecce brachium, de quo initio hujus ſermonis Propheta & Pſaltes regius: *Donec annuntiem brachium tuum, generationi omni quæ ventura eſt.* *Iſaiæ* 53. *Pſal.* 70.

DE

DE NATALI DOMINI,
ET IN FESTO S. STEPHANI
CONCIO OCTAVA.

QUOD SOLIS HOMINIBUS NATUS SIT CHRISTUS. ET DE SANCTO STEPHANO.

Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus. Isaiæ 9. v. 6.

CONCIO CXXIII. I. SOlent natalitia Principum ingenti gaudio celebrari: & si ab hominibus incolis regni; sed a domesticis amplius: & merito, quia bonus reipublicæ status a Principe dependet. Si ergo Principis terreni ad modicum temporaliter regnaturi natale tantam ubique hominibus lætiLucæ 1. tiam parit: Regis æterni, cujus regni non erit finis, & a quo omnis nostra fœlicitas pendet, natalitius dies quo gaudio, quo tripudio colendus est? Noverit certe alienum se esse a domo, & familia Christi, quem hujus diei festivitas non tangit, hilaritas non afficit. Quis enim domesticus, qui de sui Domini ortu non gaudeat? Proinde audito prophetico prothematis nuntio, Ecclesia catholica quæ domus est Dei, in matutinali officio omnes invitat creaturas ad laudem, quia tanti se Regis imparem præconio credPsal.95. dit. *Lætentur*, inquit, *cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus, orPsal.97. bis terrarum, & omnia quæ in eis sunt. Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: quoniam venit.* Commune sit gaudium, quia commune est bonum; universalis sit lætitia, quoniam universalis utilitas est. Lætentur Angeli, quoniam eis nascitur reparator: lætentur homines, quoniam illis nascitur redemptor: lætentur omnes creaturæ corporeæ, quoniam eis nascitur restaurator. His enim titulis noster parvulus decoratur. Angelorum reparatio est, hominum redemptor, & totius creaturæ potentissimus innovator. Neque enim solis hominibus nascitur, quamvis pro solis homi1. Jo. 3. nibus nasci dignatus est. Venit Filius hominis opera diaboli, id est peccata dissolvere, & instaurare damna, quæ in cœlo, & in Ps. 109. terra per peccata facta sunt; ideo: *Judicabit in nationibus*, & *implebit ruinas*, quas olim Apoc.12. virulentus ille draco cauda sua cœlis intulerat: homines etiam perditos revocabit ad propria: mundum quoque sensibilem peccato deformatum in pristinum reducet honorem. Sed non reparabitur hæreditas, donec repaRom. 8. rentur hæredes. *Omnis* enim *creatura ingemiscit usque adhuc*, quia *revelationem filiorum Dei expectat*. Sed cum reformaverit *corPhilip.3. pus humilitatis nostræ, configuratum corpori* Apoc.21. *claritatis suæ*, tunc videbimus *cœlum novum*,

A *& terram novam, & erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter* major: ele- Isaiæ 30.
mentaque omnia in melius mutabuntur, & totus renovabitur orbis. Qua causa, quo merito? Non utique alio, quam teneri hujus infantis vagientis in præsepio. *In ipso condi-* Coloss.1.
ta sunt universa; in ipso renovabuntur universa. O mirabilem potentiam pueri! O infantulum tenerum Angelicis Potestatibus tremendum! O granum sinapis quantam intus virtutem contines! Contunderis aliquando, & quid intus lateat apparebit; omnibus e- Marc. 4.
nim oleribus majus fies, ut aves cœli sub
B tua umbra resideant.

II. Quod si ita est. Cur ergo hominibus solis ejus nativitas imputatur? *Parvulus,* Isaiæ 9.
inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis.* Nobis, inquam, non Angelis. Et iterum Angelus ad pastores: *Euangelizo vo-* Lucæ 2.
bis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi. Vobis, inquit, hodie natus est, qui nobis natus est ab æterno. Vobis hodie nascitur ex Matre, qui nobis semper nascitur ex Patre. Merito utique nobis totum hoc beneficium imputatur; quia etsi omnibus nascitur: sed prop
C ter homines solummodo natus. Homo enim illi causa nascendi, non Angelus. Non propter Angelos venit, licet Angelis ejus adventus profuit; sed sicut Ecclesia canit: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Qui ergo propter hominem solum advenerat: adventu suo non solis hominibus, sed cunctis se exhibuit clementissimum largitorem. Est & alia ratio, propter quam solis homibus ejus imputetur adventus, videlicet, quoniam illis maxime conducibilis fuit. An
D gelis enim, licet de suæ civitatis plenitudine gratulentur; nulla tamen ex hoc beatitudo essentialis accrescit, quæ in sola Dei visione & fruitione consistit. Aliæ etiam creaturæ corporeæ perfectionem non sentiunt, quam ejus beneficio sortiuntur. Homo vero, qui a perpetua illa beatitudine, propter quam conditus fuerat, ejectus est, & perpetuis tenebris, & atrocissimo carceri mancipatus; vinctus *in mendicitate & fer-* Ps. 106.
ro, sub crudeli tyranno diram sustinens servitutem: tanto ampliori munere donatus est, cum per ejus adventum a tam atroci
E servitute liberatus, & suæ libertati restitutus, in perpetuam illam gloriam revocatur. Hæc hominum tam miseranda miseria, hæc filiorum Adæ tam extrema calamitas, viscera divinæ pietatis commovit, ut a summo cœlo in ejus auxilium advolaret, sicut in Psalmo scriptum est: *Propter miseriam* Psal.11.
inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Miseratus est pius, & misericors Deus vicem nostram, & sortem nostram, & se morti temporali opposuit, ut nos ab æterna morte liberaret. Ut vel ex solo opere discat homo, quanta eum Deus

suus

ſuus proſequatur charitate. O quomodo me amas amor meus, quomodo me amas! Quantum tibi debeo gloria mea, & heu cæcus ignoro! Unde Pſalmus: *Liberabit pauperem a potente, & pauperem cui non erat adjutor. Parcet pauperi, & inopi: & animas pauperum ſalvas faciet. Ex uſuris, & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.* Quanta ſunt hæc beneficia Deus, ut homo obliviſcatur eorum, & non potius pro illis die, ac nocte inceſſanter tibi gratias reddat?

Pſal.71.

III. Nobis ergo puer natus eſt, nobis Filius Dei datus eſt. Meus es o bone Jeſu, & undequaque meus es. Mihi natus a Matre, mihi donatus a Patre. Duplici te jure poſſideo: meus es totus, & in meos uſus expenſus. Te mihi Mater genuit, te mihi Pater dedit: omni ex parte meus es, juri huic meo in æternum non renuntio: tenui te neque dimittam, donec introducam te, imo donec introducas me in domum matris meæ, & in ſecretum cubiculum genitricis meæ cœleſtis Jeruſalem, quæ eſt mater noſtra: ut in illo perpetuo deoſculer, & amplexer te, & jucundiſſima tua pulchritudine, & pulcherrima tua jucunditate, cum Angelis perfruar in æternum. Utrique ergo debitores ſumus, & Patri a quo Filius datus, & Matri de qua parvulus natus eſt nobis. Hæc Virgo beata nobis Deum protulit & hominem: hæc ſua eum pulchritudine & decore a cœlis allexit: amore illius captus eſt, humanitatis noſtræ nexibus irretitus; ſicut in Pſalmo ſcriptum legimus: *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*. O comparationem mirificam! Unicornis enim, Iſidoro (*a*) teſte, cum ſit animal ferociſſimum, & agile, nulla arte, nulla induſtria capi poteſt. Sed hac eum venatores arte deludunt: opponunt ei Virginem decoram, modo venuſto ornatam, cujus decore ex natura ſua, ita capitur oculis, ut depoſita feritate, velut manſuetiſſimus agnus, virginis pedibus advolvatur, & ſe tractandum illi ludens & benevolus exhibeat. Quæ dum leniter illi blanditur, collo ejus laqueum furtive immittit, & a venatoribus prope latentibus fortiter retinetur. Mira naturæ vis, quæ feroci bruto puellarem gratiam ſic conciliat. Quid mirum ſi fortes viros enervet fœmina, quæ ferociſſimos unicornes ſola pulchritudine domat. Quid vero Filio Dei ſimilius, quam filius unicornium? Captus eſt, & ipſe amore Virginis, & majeſtatis oblitus carneis vinculis irretitur. Unde in Canticis quaſi capturam ſuam prævidens ex amore ad virginem, clamat: *Averte oculos tuos a me, quia ipſi me avolare fecerunt*. Avolare, inquam, a ſinu Patris in uterum Matris, a ſummo cœlo ad infimum limum; & iterum: *Vulneraſti cor meum ſoror mea, ſponſa in uno oculorum tuorum: in uno crine colli tui*. Licet enim omnis hujus puellæ venuſtas ei grata fuerit, oculi tamen, & crinis maxime ſe pulchritudine teneri, vulnerari fatetur; quia fides, & humilitas, incarnationis opus in ea præcipue perfecerunt. Unde, & a Beata Eliſabeth protinus de fide laudata eſt; & ipſa in Cantico ſuam præcipue humilitatem commendat, dicens: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Oculus ergo fidem, capillus humilitatem deſignat: quibus potentis Dei Filio Virgo maxime complacuit, illumque uno capillo colli ſui, licet fortiſſimum, & potentiſſimum, fortiter alligavit. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter, & corporis decore præfulgida: ſpecie ſua, & pulchritudine ſua in cœleſtibus agnita, cœli civium ad ſe provocavit aſpectus; ita ut in ſui amorem Regis animum inclinaret.

Cant. 3.

Gal. 4.

Pſal. 28.

(*a*)

Cant. 6.

Ibid. 4.

Luc. 1.

IV. Extat hujus rei eximia figura, licet in affectu carnali; in fortiſſimo illo Samſone pulcherrimæ Dalilæ amore capto, ligato, tonſo, irriſo, & inimicis tradito. Qui vir a ſæculo potentiſſimus, in fortitudine corporis nemini comparandus, poſt tot peractas victorias, poſt tot res bene geſtas, poſt mille hoſtes aſini mandibula ſuperatos; mirabile dictu: ipſe unius puellæ pulchritudine victus eſt, ligatus & tonſus, inimiciſque ſuis ad illudendum expoſitus. Quis unquam vidit virtutem viri, & fortitudinem in capillis? Quis unquam audivit hominem per ſolam capillorum tonſionem infirmari, debilemque, & ſine viribus reddi? In muſculis & nervis robur eſſe ſolet, non in capillis. Non dubium eſt, magnum aliquid portendere hanc capillorum fortitudinem, & grande aliquod in portentoſo viro latere myſterium. Neque enim humana fortitudo erat, unius mandibulæ telo exercitus cuneum ſuperare. Agnoſco fortiſſimum Samſonem in egreſſu populi ab Ægypto aſini mandibula cuneos principum ſuperantem. Quid enim populo illo Hebræorum debilius? Quid infirmius? Nunquid non mandibula aſini eſt uſque hodie? Cum enim puſillanimitatis ludibrio quemlibet notamus, Judæum eum vocare ſolemus: quia nihil Judæo debilius invenitur. Et tamen bone Deus, quas gentium & populorum ſtrages hac debili mandibula illo tempore perpetraſti? Quot regna, quot reges illo populo ſubjugaſti? Ut per hoc brachii tui potentiam, & nimiam fortitudinem tuam oſtenderes, qui tam infirmo populi inſtrumento, tales ac tantas victorias obtineres: & de gente alioquin fortiſſima toties tam mirifice triumphares. Hic ergo ipſe, qui tantæ fortitudinis & vigoris magnitudinem oſtenderat, qui toto orbe terribilis, & formidabilis apparuerat; unius Virginis amore prehenſus, hodie infans infirmus, ligatus, & tonſus, æmulis exponitur illu-

Judic. 16.

Ibid. 15.

Ibid. 16.

(*a*) Vide notas ad Concion. de Partu Virg. & Spirit., ubi Iſidori teſtimonium recitavimus.

illudendus. Neque enim teneretur niſi homo, neque crucifigeretur, niſi homo. Quæ ergo eum carne veſtivit, & ipſa illum ligavit, ipſa eum ludibrio, & morti expoſuit.

V. Vide nunc o anima devota, inſpice Samſonem illum potentiſſimum, infirmatum, ligatum, & tonſum, in dilectæ ſuæ Dalilæ gremio recumbentem. Ubi nunc capilli qui de capite ejus, id eſt Divinitate profluunt ab æterno, in quibus virtus ejus tota conſiſtit? Ubi ſapientia, ubi potentia, ubi æternitas, immenſitas, immutabilitas, infinitas, & virtutes aliæ divinæ, quibus ſacrum illud caput inundat? Tonſus eſt noſter Samſon, tondente ſe Dalila. Sed non ejus crines evulſi ſunt, ſed detonſi: intus in capite radices manent, & aliquando prodibunt. Expecta me, inquit, in die reſurrectionis meæ. Expecta modicum, expecta modicum, ut noſter Samſon adjungatur ad templi columnam, id
Jo. 12. eſt fortiſſimam crucem: ſi enim exaltatus fuerit a terra, omnia trahet ad ſe ipſum, & morietur Samſon, & ſimul omnis æmulatio diſſolvetur: plures enim moriendo, quam vivendo proſternet, & in morte quam in vita potentior apparebit. O ſacram Dalilam, o feliciſſimam Virginem, quæ fortiſſimum alligaſti, & omnipotentem Deum noſtris commodis infirmaſti! Quam læta, quam jucunda hodie de Samſone triumphas! Quis tuam valeat explicare lætitiam? Quis tuos poſſit gaudiorum fluctus exprimere, cum Deum ac creatorem tuum gremio foves, pannis involvis, uberibus paſcis, oſculis, & amplexibus lenis? Quanto prius de te Propheta prædixe-
Iſaiæ 35. rat: *Germinans germinabit ſicut lilium: & exultabit lætabunda, & laudans.* Sicut enim lilium ſine læſione ſpirat odorem, ita tu, o Virgo beata ſine corruptione peperiſti Salvatorem. Mirabilis partus & ſacrum puerperium, cui pro doloribus lætitia, & pro anxietatibus gaudia compenſantur. Felix Joſeph, cui donatum eſt talibus intereſſe myſteriis, horum gaudiorum fieri conſortem; qui dulciſſimos audire concentus, cœleſtium ſpirituum ſentire tripudia, videre obſequia, ovantes Angelos, adorantes Reges, lætantes paſtores beatis oculis inſpicere promeruiſti. O ſi cui ex nobis daretur hæc omnia in ſpiritu cernere! O ſi mentis inſpiceremus obtutu, quod corporalibus videre oculis non eſt datum!

VI. His ergo, Fratres, myſteriis ſpiritu & mente, prout poſſumus, præſentes nos exibeamus, in horum devota contemplatione dies iſtos ſacros expendamus. Sigillatim animo ſingula ruminemus, contemplemur mente, quod videre nobis non licuit corpore. Sic enim Deo erit grata noſtra ſolemnitas, ſi in his meditationibus, & contemplationibus expendatur. Cupidos enim horum, & curioſos Deus ſuo illuſtrabit lumine, ut videant, & fruantur, & illorum fiant participes gaudiorum. Sed ad tantum ſpectaculum nemo pollutus accedat, longe fiat omnis im-

A mundus, prius mundetur conſcientia, quam erigatur aſpectus. Nam gravis fit injuria puero, ſi Dei Virginiſque puriſſimum Filium quiſpiam manibus pollutis attingat. Unde ut hujus nos puritatis admoneret Propheta; aſſumpti prothematis eulogio ſapienter præmiſit: Quia *omnis violenta prædatio* *Iſaiæ 9.*
cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis. Et ſtatim quaſi rationem aſſignans, adjungit: *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Ac ſi diceret, mundam ſibi ex hoc quiſque carnem ſuam cuſtodiat, quo-
B niam Verbum Dei factum eſt caro: alioquin æternum ſibi paratum noverit incendium. Veſtimentum enim mixtum ſanguine, caro eſt libidinibus ſordida: violenta prædatio, anima eſt tentationis impulſu ſuperata. Quiſquis ergo vel in animo malitia ſuperatur, vel in carne concupiſcentia ſordidatur, futurum ſe noverit in perpetuam combuſtionem, & cibum ignis. Quis enim non formidet in ſe illam violare naturam, quam Filius Dei unigenitus, Princeps pacis, in tantum gloriæ faſtigium ſublimavit? Deus illam ſuper Angelos collocavit; & tu eam beſtiis, & jumen-
C tis inſipientibus ſociabis? Purus ergo jam vel ex nunc fiat omnis homo, quoniam Deus pro homine fieri dignatus eſt homo. Sed etſi quiſpiam peccatis gravatur, non diffidat, ſed humilis, & ſupplex accedat; peccatis enim mundandis hic naſcitur puer. Non eum aſtantium Angelorum multitudo deterreat, quoniam & ibi invenitur ſocietas jumentorum. Qui ergo ſanctus eſt, accedat cum Angelis: qui purus accedat cum virginibus: mater enim, & cuſtos infantis virgines ſunt. Qui dives, accedat cum Regibus: qui pauper, cum paſtoribus, qui autem peccator eſt, ha-
D bet jumenta quibus aſſocietur: quia non deſpicit peccatorem humiliatum, qui ſordidum non deſpexit ſtabulum. Inter jumenta naſcitur, ut omnibus fiduciam præbeat accedendi. Parvulus natus eſt nobis mitis & humilis: ad parvulum accedere quis formidet? Parvulorum mores omnes agnoſcitis, una lacrymula placatur offenſus: uno ſuſpirio graviſſimas dimittit offenſas, injuriam non recordatur, pro exiguo ſervitio cœleſtia regna condonat, neminem deſpicit, neminem abjicit, omni volenti ſe tradit. Accedite ergo ad eum peccatores, nunc dum parvulus eſt, dum generis
E & majeſtatis videtur oblitus. Accedite, nolite timere: iraſci neſcit, ferire non novit. *Non* *Jo.* 3.
enim miſit Deus Filium ſuum in mundum ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Non puniendis, ſed ſanandis peccatoribus naſcitur. Unde recte de illo adjungitur: *Et factus* *Iſaiæ 9.*
eſt principatus ſuper humerum ejus. Debiles & infirmos ipſe levabit, ipſe portabit. Clementiſſimus Princeps regnum ſuum ſuper humerum geſtat; piiſſimus paſtor laſſam ovem hu- *Lucæ* 15.
meris ſuis ad ovile reducit; & ſicut Propheta ait: *In brachio ſuo congregabit agnos,* *Iſaiæ* 40.
& in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit.

Ego,

Isaiæ 46. *Ego*, inquit, *feci*, *& ego feram*, *ego portabo*, *& salvabo*. Fortissimus noster Samson valvas civitatis arreptas humero impositas gestat in montem; civitas superna patet; nulli jam negatur ingressus. Qui voluerit intret cœlum, penetret paradisum; intret cæcus, intret claudus, intret pannosus & despectus, possideat regnum, quod Abraham, Isaac, & Jacob hucusque possidere non potuerunt.

VII. O magnam gratiam Redemptoris! Jam nos, Fratres, non terra limbus, sed hians paradisus expectat. Cur stamus, cur hæremus, cur pavemus? Pavebant exire Patres, quia quantumvis boni, quantumvis justi, inferna lustra-
Gen. 42. re necesse erat. Illuc Jacob Patriarcha, ut lugeret filium suum descendere gestiebat: illuc
Job 17. etiam Sanctissimus Job post vermes & ulcera properabat: illuc David venturum se nove-
Psal. 88. rat, cum ajebat: *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi?* Quasi dicat: Nullus. Nam sicut nemo vivens tunc excusabatur a morte: ita nemo moriens excusabatur ab inferno. Nunc vero Martyr Stephanus cœlos apertos videt, hiantem gloriam, patentem paradisi januam: lætus agonem aggreditur provocatus a præmio. Cur enim celerem pertimeat pugnam, qui æternam sibi parari videt coronam? Cur momentaneos lapidum paveat ictus, cui cœlestis gloriæ patet introitus? Ovans Stephanus hodie ingreditur cœlum, quia lugens Christus heri ingressus est mundum: heri puer Christus natus est nobis, hodie puer Stephanus nascitur Angelis. Stephanus hodie sociatur Archangelis, quia Christus heri sociatus est brutis. Hæc Regis humilitas militem in tanti honoris gloriam sublimavit. Heri recinimus ho-
Isaiæ 9. mines, *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis:* hodie idipsum de Stephano canunt Angeli. Hanc enim in Sancti Ber-
(*a*) nardi obitu (*a*), ovantes Angelos quidam monachus audivit cantare cantilenam: eandem, ut opinor, in triumpho Stephani cecinerunt. Exultant domestici, quia Domini sui novam hodie secum recipiunt prolem: exultemus & nos quia magnum cœlo misimus advocatum. Quando enim deserat devotos suos, qui pro inimicis lapidantibus exoravit? O mirabilem Martyris charitatem! Lapidibus per aera crepitantibus, oblitus est vulnerum, & memor est animarum. Plus illum proximi, quam sua solicitant vulnera. Quid hac pietate mirabilius? Quam belle, quam mire certantis Domini vestigia miles sequitur! Clamat Dominus: Pater ignosce illis. Cla-
Lucæ 23. mat miles: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*. Clamat Dominus: *Pater in manus tuas*
Act. 7. *Lucæ 23.* *commendo spiritum meum*. Clamat miles: Do-
Act. 7. mine Jesu in manus tuas commendo spiritum meum. Et quod valde mirandum est: qui

A stando submisse pro se oravit, cum clamore magno pro inimicis genua flexit. Illic acriorem orationem adhibuit, ubi major difficultas apparuit impetrandi, nam sibi patere cœlum videbat; lapidantibus vero justum, quænam erat salutis spes? Nec tamen sine fructu fuit tantæ charitatis oratio: nam Paulum nobis Doctorem gentium, prædicatorem utilissimum impetravit, qui hujus martyris merito ex lupo factus est agnus. Utinam idipsum nobis e cœlo nunc impetret advocatus: utinam lapidea corda nostra in carnea vertantur, & cordis nostri saxea durities emol-
B liatur. Hæc enim nobis impetrare lapidati martyris propria functio est: in hoc ipsum Ecclesiæ Dei clientelam apud Principem gerit. Ab aliis martyribus alia petere consuevimus, & in his quæ passi sunt ipsi, similia patientium advocati constituti sunt. In peste Rochum, in ophthalmia Luciam, in carcinomate Agatham, in dolore dentium Apolloniam imploramus. Hujus vero lapidati martyris hoc est munus, duritiam cordis suis precibus emollire, indurata corda in Deum convertere, proferre de petra aquas, *oleum-* *Deut. 32*
que de saxo durissimo. Extat hujus rei præ-
C ter insignem illam & mirabilem Pauli conversionem, miraculum grande, quod P. Augustinus (*b*) *in libro de Civitate Dei* commemo- (*b*)
rat, de quodam Pagano jam jam morituro, cujus filia Christiana & gener, cum non illi catholicam fidem persuadere potuissent, neque eorum precibus, neque fletibus, ut salvus fieret, acquiesceret; maritus filiæ, flores ex altari hujus sancti Martyris sumptos, in manipulos colligatos ad caput illius nocte posuit: qui evigilans clamare cœpit, ut Epis-
D copum advocent, qui tunc temporis cum Augustino erat. Vocatus est ergo presbyter: baptizatus statim fidem professus est, & confessionem peccatorum cum lacrymis, & gemitibus adhibuit, & ab illa ora usque ad mortem clamare non destitit: *Domine Jesu suscipe* *Act. 7.*
spiritum meum! nesciens quia hoc ipsum Stephanus in agone dixisset. Quanta est hujus sancti Martyris virtus, qui paganum hominem damnationi proximum ab inferno retraxit. Ad hunc igitur Martyrem devotis precibus accurramus: illi nostra negotia sollicite committamus. Fidelis & pius, quod pagano contulit, libentius impetrabit Chri-
E stiano. Non dubium est enim, quod qui tanta in terra positus charitate flagravit, ampliorem nunc in homines affectum habeat locatus in paradiso; in quo cum Domino suo inter Angelorum cuneos triumphat & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Refertur a Gaufrido Monacho Clarevallensi in vita S. Bernardi lib. 5. cap. 3. volum. 3. Oper. S. Bern. juxta edit. Mabillonii.

(*b*) De Civit. Dei lib. 22. cap. 8. num. 13.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI CONCIO.

DE GLORIOSISSIMO NOMINE JESU.

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Luc. 2. v. 21.

* CONCIO CXXIV.

I. PERFECTIO nominis & proprietas ſita eſt in conformitate, ſeu proportione ad ſignificatum. Eſt autem duplex proportio: una in prolatione, altera in ſignificatione. Quod attinet ad prolationem; tale debet eſſe nomen, ut ſola prolatio manifeſtet rem. Ideo, ſe- (a) cundum Platonem (a), elocutio quodammodo eſt naturalis. Non eſt ad libitum imponentis, ſed bonus impoſitor conſiderat conformitatem naturalem, ut cuique rei proprium vocabulum aſſignet. Secunda proportio eſt ſignificationis. Ideo Deus *vocavit firmamentum, cœlum*, a celando. Has duas proportiones in nomine Jeſus poſtea pro- Gen. 1. Lucæ 2. babimus. Ideo: *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus*. Si enim Imperator humanus id novit ſervare, quanto magis Deus, qui rei & nominis perfectiſſime comprehendit proportionem. De nomine Virginis, an ſit divinitus impoſitum, non habemus: ſed cum id Sancto Joanni conceſſum ſit, non dubitamus factum in Virgine ex univerſali regula: quidquid prærogativæ vel privilegii alicui C Sanctorum conceſſum eſt, matri ſimiliter eſt conceſſum. Sed, quantum hoc nomen Vir- (b) gini conveniat, vide Bernardum (b) *Homilia* Ibid. 1. *ſecunda ſuper* Miſſus eſt: ſuper illud: *Et nomen Virginis Maria*, optimum originale.

II. Duo dicenda ſunt. Primum eſt: quomodo hoc nomen eſt proprium & convenientiſſimum Chriſto. Secundum: excellentiæ hu- (c) jus nominis. Dionyſius (c) *primo capite de* A *Divinis Nominibus*: Deus ſermone omni, omnique ſcientia præſtantior eſt: & illius neque ſenſus ullus, neque imaginatio, nec opinatio, neque nomen, neque ſermo, neque tactus, neque ſcientia. Quomodo ergo ſcribemus, & de Divinis Nominibus loqui aggrediemur, cum docuerimus ſuperſubſtantialem Deitatem carere vocabulo, atque omne nomen excedere? Hæc ille. Sicut ergo Deus incomprehenſibilis eſt, ita & ineffabilis. Et qui ſuperat intellectum, quomodo non ſuperabit eloquium? Et qui eſt ſuper omne intelligere, quomodo non erit B ſuper omne dicere? Ideo S. Thomas (d) *ſu-* (d) *per* 1. *Sent. diſt.* 22. *artic.* 1. Sicut Deus ſe ipſum ſolus comprehendit, ita etiam ſe ipſum ſolus nominat. Generando Filium ipſa generatio eſt nominatio. Et ipſe Filius nomen ejus eſt, adæquans ejus ſubſtantiam. Propheta Iſaias: *Ecce nomen Domini venit* Iſaiæ 30. *de longinquo*. Gloſſa (e): Id eſt, Filius. (e) Non eſt ergo ei nomen ſuper terram. Ideo, quaſi affectus injuria, cum peteret Jacob, quod eſt nomen tuum? Reſpondit: *Cur quæ-* Gen. 32. *vis nomen meum?* quod eſt admirabile, id eſt, ineffabile, id eſt, inennarabile, id eſt, innominabile, ut ſentit Dionyſius (f). Nomen er- (f) go Dei, eſt eſſe innominatum, ſicut laus ejus ſilentium eſt. Ut ait Pſalmus (g): Tibi ſi- (g) lentium laus. Secundum aliam translationem. Et ita fit, quod ait Pſalmus: *Secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua.* Pſal. 47. Suprema laus, ſilentium. Eſt enim, ut ait Dionyſius (h), quædam ignorantia major omni ſcientia, & quoddam ſilentium ſuper om- (h) ne dicere, & quoddam deficere ſuper omne ſentire.

(a) In Cratylo pag. 259. edit. Lugd. an. 1590. *Nominandum itaque ea ratione, qua rerum ipſarum natura nominare, ac nominari poſtulat, & quo poſtulat, non autem pro noſtræ voluntatis arbitrio.*

(b) Homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*, num. 27. *Et nomen, inquit, Virginis Maria. Loquamur pauca & ſuper hoc nomine, quod interpretatum maris ſtella dicitur, & Matri Virgini valde convenienter aptatur. Ipſa namque aptiſſime ſideri comparatur, quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturit Filium, &c.*

(c) Ita S. Dionyſius de Divin. Nomin. cap. 1. §. 5. ex interpretatione Balthaſſaris Corderii: *Cæterum, ſi ſermonem omnem, cognitionemque tranſcendat, ſupraque mentem ſit, & eſſentiam, ut qui omnia ſuo ambitu contineat, ac complectatur, & anticipet, quin & omnem captum ſuperet, cum neque ſub ſenſum cadat, neque ejus ſit imaginatio, nec opinatio, neque nomen, neque ſermo, neque tactus, neque notitia, quomodo de Divinis Nominibus a nobis ſermo concinnabitur, cum Divinitatem illam uti eſſentia, ſic & nomine quovis, atque appellatione potiorem eſſe declaraverim?*

(d) *Ipſe autem ſolus ſe ipſum comprehendit; & ideo ipſe ſolus ſe ipſum perfecte nominavit, ut ita dicam, Verbum coæquale ſibi generando.*

(e) In cap. 30. Iſa. v. 34. *Ecce nomen Domini. Filius in nomine Patris. Unum enim nomen eſt Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, unde: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, non in nominibus, ſed in nomine, quod eſt Deus.*

(f) Vide cap. 1. §. 6. de Divin. Nominibus.

(g) Pſal. 64. v. 1. Ubi enim vulgata legit: *Te decet hymnus Deus in Sion.* S. Hieronymus vertit: *Tibi ſilentium laus Deus in Sion.*

(h) Vide cap. 7. §. 3. de Divin. Nominib., & Epiſt. 1.

Pſal.83. ſentire. Pſalmus: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Tunc ergo de Deo bene noſti, ſi ad hoc venias, ut intelligas te nihil de illo noſſe. Et tunc bene loqueris, ſi loquendo ad hoc perveneris, ut ſileas. Ideo
(a) P. N. Auguſtinus (a), *lib. primo de Doctrina Chriſtiana cap. 7.* Poſtquam de Deo & ſuper benedicta Trinitate ipſe locutus fuerat; dixit ſic: Diximuſne aliquid, & ſonuimus aliquid dignum Deo? Imo vero me nihil aliud quam dicere voluiſſe, ſentio. Si autem dixi: non eſt hoc quod dicere volui. Hoc unde ſcio, niſi quia Deus ineffabilis eſt? Quod autem a me dictum eſt, ſi ineffabile eſſet, dictum non eſſet. Deus igitur, qui ineffabilis eſt, innominabilis eſt, ut ipſum nominare poſſimus, & nomen ejus invocare, ſicut ſcriptum eſt: *Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit:* in ſacra Scriptura pluribus nominibus nominari voluit, ut ait idem Dionyſius (b). Ideo dicitur: Principium, Dominus, Deus, bonitas, veritas, lux, vita, ſapientia, charitas, &c. Item dicitur: leo, agnus, lapis angularis, ſol, ſtella matutina, ignis, &c. Et ita, qui nullum nomen habet, vario nomine nuncupatur. Ut igitur oſtenderet infinitum pelagus ſuæ eſſentiæ, ſecundum Damaſcenum (c): qui nullius nominis eſt, omnium rerum nomina ſumpſit; ut oſtendat, ſeipſum eſſe ſuper omnia, & in omnibus omnia, ut ait Apoſtolus, omniumque perfectiones continere. Ecce igitur Deus nullius nominis, & omnium nominum. Horum autem nominum, quædam metaphorice de Deo dicuntur: ut leo, agnus, lapis, ſol, &c. quædam proprie, ſed quoad rem, non quoad modum intelligendi vel ſignificandi. Deus enim proprie vita eſt, lux eſt. Sed non talis vita, qualem tu intelligis, nec talis lux, nec talis charitas; nihil enim eſt in quo poſſis figere intellectum: & ſi aliquid concipis, non eſt illud quod intelligis Deus. *Exodi 25.* Ideo propitiatorium raſum & ſine figura, quia vera adoratio, in nullo figitur, & illud eſt vera cognitio, ignorantia, & privatio notitiæ. *1. Jo. 3.* Ideo, quando *videbimus eum ſicuti eſt,* obnixe jurabimus, nos nihil tale neque intellexiſſe, nec putaſſe, quando veritas apparebit, & caligo præſens ceſſabit, & umbræ declinabunt.

Act. 2. *1.Cor.15.* *Deut. 4.*

III. Deus igitur qui ſecundum ſuam naturam innominabilis eſt, & vocabulo carens, quando abbreviatus eſt ſub noſtra infirmitate; ſub eſſe noſtro finito, nominabilis apparuit. Prius enim, ſicut nec figuram habebat, nec ſimulacrum ut ait Propheta, quam ei facietis ſimilitudinem? Ita neque nomen.

Sed in forma carnis apparens, nomen accepit & effigiem. Effigiem, ſub qua poſſet cogitari, nomen quo poſſet invocari. Quod autem fuerit hoc tale nomen; audi thema: *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Porro, antequam excellentias hujus nominis proferamus, tempus & modum quo nominatus eſt Jeſus juxta Euangelium dicamus. *Poſtquam* igitur, *conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Quis puer? Qui *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; & omnia per ipſum facta ſunt.* Quis puer? Qui cœlos condidit, qui Angelos creavit. Quis puer? Cujus nutu omnia gubernantur. Hic puer eſt qui circumciditur. Et quare circumciditur? Quid ſuperfluum, quid maculatum in te, o bone Jeſu, quod eſſet amputandum? Peccatum non feciſti, nec contraxiſti. Non feciſti, quia ſcriptum eſt de te: *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Non contraxiſti; ex quo, obſecro, contraheres? Patrem habes, ſed Deum. Matrem habes, ſed Virginem. Et *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.* Virgo tota immaculata eſt, nec maculam infigere potuit, quam non habuit. Summus Sacerdos es Domine, nec ſuper Patre, nec ſuper Matre contaminandus. Quæ ergo neceſſitas circumciſionis in puero? Pia Virgo, & tu Joſeph, quid facitis circumcidendo puerum? An timetis ne cadat ſuper eum maledictio? *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo.* Nonne ipſe eſt, in quo benedicentur omnes tribus terræ? Vel forte, quia circumciſio ſignaculum eſt, timetis ne eum aliter non agnoſcat Pater? Imo ſi quid eſt, unde minus agnoſci debeat, hoc eſt. Agnoſco Domine, agnoſco in medico, in Salvatore noſtro ægritudinis meæ curam: ipſe ſuſcepit pharmacum, ut curetur ægrotus; capiti infigitur cauterium, ut curentur membra.

Lucæ 2. *Ibidem.* *Jo. 1.* *1. Pet. 2.* *1. Jo. 1.* *Gen. 17.* *Pſal. 71.*

IV. Sed aliud eſt, Fratres mei, unde magis admiror, unde magis ſtupeo. Ecce, ait: *Poſtquam* impleti *ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Quid hoc? Circumciditur puer, & vocatur Jeſus. Quomodo conveniunt circumciſio & Salvator. Imo, quæ magis repugnare poſſunt? Quomodo conveniunt reſtis latronis & corona Imperatoris, cauterium & ſceptrum? Exempli gratia: ſi quis ſimul per plateam cum chorda ad collum, & coronam in capite portaret: vel uni manui cauterium infigeretur, & alteri daretur ſceptrum. Bernardus (d): Sic Deus conjungit divina humanis, ima ſummis. Naſci- (d)

Lucæ 2.

(a) De Doctr. Chriſt. lib. 1. cap. 6. cujus verba ſunt uſque ad illa: *ſi ineffabile eſſet, dictum non eſſet.*
(b) De Divin. Nominib. cap. 1. §. 6.
(c) Orthod. Fid. lib. 1. cap. 15. *Et quidem quatenus omnem animi comprehenſionem ſuperat, nullum ei nomen attribui poteſt: quatenus autem rerum omnium cauſa eſt, atque omnium eorum quæ ſunt, rationes, & cauſas prius in ſe habet, ab omnibus rebus etiam inter ſe contrariis nuncupatur.*
(d) Serm. 1. in Circumciſ. Domini num. 2. *Sed agnoſce mediatorem Dei, & hominum, qui ab ipſo nativitatis ſuæ exordio, Divinis humana ſociat, ima ſummis. Naſcitur ex muliere, ſed cui fœcunditatis fructus ſic accedat, ut non decidat flos virginitatis: pannis involvitur, ſed panni ipſi Angelicis laudibus honorantur: abſconditur in præſepio, ſed proditur radiante ſtella de cœlo. Sic & circumciſio, veritatem ſuſceptæ probat humanitatis, & nomen quod eſt ſuper omne nomen, gloriam indicat majeſtatis.*

tur de muliere, ſed Virgine. Involvitur pannis, & adoratur a Magis. Abſconditur in præſepio, ſed proditur radiante cœlo. Ut quid hoc; niſi ut cum videas ſublimia Divinitatis, infirma carnis non deſpicias? Et cum vides infirma, verum hominem non neges, ut ait S. Leo (*a*) *in homilia*. Si ergo deſpicis jacentem in præſepio, attende, quia idem ipſe proditur radiante cœlo. Si vero adoras cum Angelis, attende, quia involvitur pannis. Sic ergo hodie, cum circumciditur, illum Abrahæ filium agnoſcito: ſed cum vocatur Jeſus, verum Filium Dei eſſe, credito. In circumciſione igitur verum filium Abrahæ, & in Salvatore Filium Dei verum agnoſcito. O quantum tibi Domine debemus! O quantum humiliatus es pro nobis! Non ſatis fuit tibi humiliari uſque ad formam ſervi, niſi etiam humiliareris uſque ad formam peccatoris. Octo ante diebus diximus: *Nihil differt a ſervo, cum ſit Dominus omnium;* hodie adjicimus: nihil differt a peccatore, cum ſit juſtificatio omnium. Tunc minoratus paulo minus ab Angelis; nunc longe magis minoratus eſt. Tunc diximus: *Et cum hominibus converſatus eſt;* nunc adjicimus: *Et cum ſceleratis reputatus eſt*. Tunc, uſque ad imaginem naturæ; nunc, uſque ad ſimilitudinem culpæ. Tunc, qui Deus erat *Verbum caro factum eſt;* nunc: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Pondera hoc: *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Juda?* Ne quis igitur ſic parvulum, ſic circumciſum in forma peccatoris deſpiceret; ut ait thema: *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus*.

(*a*) Galat. 4. Pſal. 8. Baruc. 3. Iſaiæ 53. Jo. 1. 2. Cor. 5. Oſeæ 6. Lucæ 2.

V. Sed oſtendamus modo juxta prædictas duas proportiones proprii nominis, quod hoc nomen ſit Deo proprium. Sufficiebat ad hoc authoritas imponentis. Si enim, ut dicitur Geneſis ſecundo: *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus:* & humanus impoſitor novit Spiritu Dei nomina ſua rebus applicare; quanto magis Deus Filio ſuo proprium nomen novit imponere. Sed quomodo hoc ſit, attendamus. Si tamen prius notaveritis, quod hoc nomen Jeſus, non eſt nomen Chriſti ſecundum quod Deus ſolum, nec ſecundum quod homo ſolum; ſed eſt nomen illius ſuppoſiti, ſecundum quod eſt utriuſque naturæ ſuppoſitum, Deus, & homo. Et tunc prima proportio prolationis vel ſcripturæ nominis maxime convenit ipſi Chriſto: quoniam, ſicut ille unus eſt, ſed in duabus naturis; ita nomen hoc unicum eſt, ſed in duabus ſyllabis. Et ſicut infima natura, ſcilicet humana in Chriſto duas habet partes, ſcilicet, corpus & animam; ita prima ſyllaba duas habet literas. Et ſicut ſuperior natura tres habet Perſonas, ita ſecunda ſyllaba, tres habet literas. Et ſicut in Divinis, Filius gignitur in ſimilitudinem naturæ, & Spiritus ſanctus eſt Patris & Filii nexus & ſancta communicatio, ut ait S. P. Auguſtinus (*b*); ita etiam illæ tres literæ ſic ſe habent, quod duæ ſunt ſimiles, & per mediam colligantur. Similiter Jeſus ſonat Salvator (*c*). Quid vero ſunt quinque literæ in uno nomine, niſi quinque plagæ in uno Salvatore? Ecce proportionem primam: præter quas, & alia myſteria ſunt, unde ipſum nomen in ſe ipſo rei conveniat, quæ nos ignoramus, propter quæ majeſtati impoſitum eſt hoc glorioſum beatum nomen Jeſus. Similiter proportio ſignificationis ei convenit. Jeſus enim, ut dictum eſt, idem eſt quod Salvator. In Salvatore autem; duo conſidera, virtutem, & remedium; potentiam ſalvandi, & remedium ſalutis. Hæc autem (ſcilicet, virtus, & remedium) duas naturas in Chriſto exprimunt; una poſuit remedium, ſcilicet humana, altera præbuit efficaciam, nempe Divina. Patiebatur ut homo, exaudiebatur ut Deus. Homo erat qui ligabatur, qui flagellabatur, qui crucifigebatur; ſed Deus erat, qui iſtis tormentis ſalutis vim, & meritum tribuebat. Denique, *exauditus eſt pro ſua reverentia*. Quæ reverentia, niſi quia Deus erat? Ita ait Pſalmus: *Quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar*; ſed *quaſi proximum & quaſi fratrem, ſic complacebam*. Paſſio in carne & ex carne erat, ſed valor paſſionis, & efficacia ſalutis ex Divinitate. Si Deus ſolus, quomodo pateretur? Si homo ſolus, quomodo acceptaretur? Utrumque in Salvatore reperiri debuit: ideo, ut duplicem ejus naturam & ſimplicis ſuppoſiti duas monſtraret naturas & ſubſtantias, uno vocabulo Salvatoris nominatus eſt propriiſſime; ut ait thema: *Et vocatum eſt nomen ejus Jeſus*.

(*b*) (*c*) Heb. 5. Pſal. 34. Lucæ 2.

VI. Nunc nominis excellentias proſequamur. Inter multas, tres placuit annotare, ut a vobis brevi numero in memoria retineantur. Prima excellentia & dignitas hujus nominis eſt: quod multo ante fuerit in lege prophetatum & prænuntiatum. Nimirum, quando Deus Moyſi locutus fuit de rubo *Exodi capite tertio*. Tunc enim illi, hoc nomen primitus monſtratum eſt in illo Dei vocabulo Adonai (*d*), quod ſimili Scriptura exprimitur, & ante illud tempus nulli mortalium

Exodi 3. (*d*)

(*a*) Serm. 34. in Epiph. Solem. 4. in noviſſima edit. Ven. an. 1753., alias Serm. 33. cap. 3. *Quia ſicut fidelia erant teſtimonia, quæ in eo majeſtatem inviſibilis Deitatis aſſererent, ita probatiſſimum eſſe debebat Verbum carnem factum, & ſempiternam illam eſſentiam Filii Dei, hominis veram ſuſcepiſſe naturam, ne vel ineffabilium operum ſecutura miracula, vel ſuſcipiendarum ſupplicia paſſionum, ſacramentum fidei ex rerum diverſitate turbarent*. Vide etiam Serm. 38., alias 37. in Epiph. Solem. 8. cap. 2.

(*b*) De Trinit. lib. 6. cap. 5. *Spiritus ergo ſanctus, commune aliquid eſt Patris, & Filii quidquid illud eſt. At ipſa communio, conſubſtantialis, & coæterna: quæ ſi amicitia convenienter dici poteſt, dicatur, ſed aptius dicitur charitas*.

(*c*) S. P. Auguſtinus de Trinit. lib. 13. cap. 10. *Hebraice Jeſus, Græce σωτὴρ, noſtra autem locutione Salvator. Quod verbum latina lingua antea non habebat, ſed habere poterat, ſicut potuit, quando voluit*.

(*d*) Vide notas ad Conc. 1. in Dom. SS. Trinitatis.

talium fuerat revelatum, dicente ipso Deo Exodi sexto: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicavi eis.* Exodi 6. Vide quanti Deus æstimet suum nomen: ut etiam familiari suo Abrahæ illud non indicaverit. Et adjungit Deus de isto nomine: *Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* Ibid. 3. Hoc nunc exponamus: videamus, quare *nomen* & *memoriale*, & quare *nomen in æternum*. Consonat enim ad literam Psalmus centesimus trigesimus quartus: *Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generationem & generationem.* Ps. 134. Ecce Dominus noster Salvator est; & hoc *in æternum*. Quia non solum hic nobis; sed etiam, imo maxime, Beatis in cœlo apparet Salvator. Ibi enim vident gloriam, quam per ipsum adepti sunt; vident pœnas damnatorum, quas evaserunt; vident periculum peccatorum, in quibus fuerunt; vident vulnera Christi fulgida, per quæ illa evaserunt; vident quoniam ex lumine illo transformantur, perfunduntur, beatificantur, ad ejus similitudinem de claritate in claritatem, in eandem imaginem transformati. 2. Cor. 3. Laudant ergo securi totis visceribus eum, qui de tantis malis eos eripuit, & tantis bonis cumulavit. O Domine (ajunt singuli) quid erat in me unde adjuvares me? O Domine, nisi ex tua misericordia adjuvisses me, *paulo minus in inferno habitasset anima mea*, in illis gemitibus, in illis flammis, in illis doloribus & cruciatibus sempiternis. Ibi sæpius repetitur, ibi nominatur, ibi honoratur nomen Jesus, & virtus & veritas nominis agnoscitur. Psal. 93. Nomen ergo hoc, *nomen* ejus *est in æternum*. Et etiam *memoriale*. Sed hoc, *in generationem & generationem*, usque ad finem sæculi. Nobis subtraxit suam præsentiam, reliquit nomen suum in memoriam. Solet sponsa fidelis ad sonum nominis sponsi sui subortis lacrymis commoveri. Ubi Domine, noster erga te tantus amor? Ubi tanta fides? Mentimur Domine, vere mentimur, de tuo amore gloriantes, in tanta tepiditate, in tanta oblivione & vecordia. Qui ergo nomen illud sacrosanctum tam diu voluit silentio venerari; adveniens in mundum ab omnibus nunc vult nominari, Isaiæ 52. quia venit. Unde Isaias: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Quasi diceret: Quamdiu in cœlestibus fui, intractabilis, inattingibilis: nomen etiam meum nolui pollutis labiis nominari. Nunc autem cum personam meam trado manibus peccatorum tractandam; etiam nomen meum labiis peccatorum tractari non dedignor. Non enim est nomen super personam. Me ipsum pro vobis morti trado; & nomen meum in silentio reservabo? Tractetur nomen, ubi tractatur persona. Et ita factum est, ut cum prius totus populus non auderet nomen Dei proferre; nunc passim & per singulas horas

A fere ab omnibus justis & peccatoribus, ubique & semper acclametur, nominetur; & ut ait thema, ab omni gente, ab omni sexu, ab omni ætate & conditione, *vocatum est nomen ejus Jesus.* Lucæ 2.

VII. Secunda hujus nominis excellentia est, quod ore Dei, Deo impositum est. Non enim a Matre, non ab Angelo, sed a Patre impositum & inventum est nomen istud proprio Filio. Et Pater non dedit Filio nomen judicis, non nomen vindicatoris, non nomen zelatoris, sed Salvatoris. Virgo generavit, sed Pater nominavit. Ideo

B Spiritus sanctus in Euangelio: *Vocatum est nomen ejus Jesus* non impositum. *Quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.* Ibidem. Ait, *vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo;* non ait, impositum; scriptum est enim per Isaiam: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini locutum est;* Isaiæ 62. id est, imposuit & invenit primo. Noverat autem, ut diximus, optime Pater Deus, quo nomine proprie hic suus Filius nominandus esset, & quod ei maxime consonum esset & conforme. Et tali eum nomine nominavit Jesum. Audi ab

C eodem Angelo rationem nominis: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Mat. 1. O quanta fiducia accrescit mihi, ex hoc tuo nomine bone Jesu! Jesus es Domine, Jesus es. Agnoscito nomen tuum, nomen quod tibi Pater tuus imposuit est Jesus; esto mihi Jesus. Captivus sum, fateor, peccatorum nexibus irretitus sum, concatenatus iniquitatibus meis & compedibus scelerum meorum compeditus sum, agnosco quod ego sum; tu Domine Jesu agnoscito, etiam quod tu es. Numquid aliorum es Salvator, nisi perditorum, nisi captivorum? Si non est mi-

D ser, si non est captivus qui salvetur, cujus eris Domine tu Salvator? Si ego negavi te, tu Domine fidelis es, & te ipsum negare non potes. O Fratres mei currite, properate ad pedes Domini; nolite timere, accedite confidenter. Scitote, quoniam *vocatum est nomen ejus Jesus.* Lucæ 2. Salvator est, non respuet salvandos. Si quis perit, non ideo perit, quia peccavit: sed quia præter hoc, salutem tantam, tam uberem, tam certam respuit. Habeto fiduciam, invoca nomen ejus: quoniam, *quicumque invocaverit nomen Domini,* Act. 2. *salvus erit,* si corde pleno & vero invocat.

E Ideo ait Psalmus: *Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum.* Psal. 9. Quoniam qui nomen tuum agnoscit, si stolidus & cæcus non est, clare videbit, quod in te Domine, miseris quantumlibet & perditis, patet via salutis. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum,* Jo. 3. *ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ex officio nomen assumpsit, ut ex nomine peccator fiduciam acciperet accedendi non ad judicem, non ad vindicem; sed ad Jesum, ad Salvatorem, ad propitiatorem, ad redemptorem. *Ponam* ergo Psal. 11. *in salutari, fiducialiter agam in eo.* Quare?

Lucæ 2. re? Quia *vocatum eſt nomen ejus Jeſus.*

VIII. Veritas es Domine, & a tuo nomine non diſcordas. Ut quid enim nomen Salvatoris haberes, ſi ſalvare deſpiceres? Ut quid te pium nominares, ſi petentibus pietatem judicium exhiberes? Non eſt in Deo fictio, non eſt deceptio. Talis es, qualis diceris. Jeſus vocaris, Jeſus es. Accedat ad Jeſum peccator; quoniam ideo Jeſus dicitur, *Mat. 1.* ut *ſalvum* faciat *populum ſuum a peccatis eorum*. Si immundus eſt, ipſe peccatorum purgator, & purificatio animarum eſt. Quid trepidas? nihil acre, nihil amarum, nihil terribile ſonat in nomine Jeſu. Totum eſt dulcedo, totum eſt ſuavitas. Audi ſponſam in Canticis: *Cant. 1.* *Oleum effuſum nomen tuum*. Oleum plane, non acetum. Effuſum non retruſum. Dolent vulnera peccatorum? ſtimulat conſcientia? reatus excruciant? Accede; effuſum eſt oleum: accipe, unge, *Pſ. 105.* & ceſſabit quaſſatio, *& computreſcet ju-* *Iſaiæ 10.* *gum a facie olei*. Oleum enim, ut ait Ber- *(a)* nardus (*a*): Lucet, paſcit, & ungit. Ita etiam nomen Jeſus. Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, ungit invocatum. Oleum ergo eſt. Sed quomodo effuſum? Attende ex antedictis. In lege veteri, Moyſi petenti nomen; reſponſum eſt: *Ego* *Exodi 30.* *ſum qui ſum: Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob*. O Domine! Anne hominum tantum Deus es? Nunquid non tu Deus cœli & terræ es? Quomodo ergo nomen tuum tribus tantum hominibus coerces? Nimis abbreviatum eſt nomen tuum Domine, nimis anguſtatum intra vaſa Judaici populi modica. Magnus liquor & oceano latior, vaſculo tam brevi *Pſal. 75.* concluditur? *Notus*, ait Pſalmus, *in Judæa Deus: in Iſrael magnum nomen ejus*. Plane magnum, & populus modicus. Quid ergo? Effundatur, obſecro Domine, oleum, diſpergatur ſuper omnes gentes. Nihil cupimus, nihil *Iſaiæ 4.* petimus: *Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos*. Sed quomodo fiet effuſio, niſi frangatur lenticula? Quis autem franget? Audite myſterium. Dixerunt ſtulti viri illi tabernaculi, Scribæ & *Jerem.* Phariſæi: Venite; *mittamus lignum in panem* *11.* *ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius*. Stolidi, arctare volunt nomen, coarctare oleum, & lenticulam frangere. Si non vultis ut effundatur oleum, quomodo frangitis lenticulam? An neſcitis, quoniam cum mortalis eſt, adhuc intra mortalitatis lenticulam oleum

A cohibetur? Sed poſtquam mortale induerit immortalitatem, per foramina vulnerum, effuſum eſt oleum ad omnem terram, ad omnes populos. Gratias tibi Domine: *A mari* *Pſal. 71.* *uſque ad mare, a flumine uſque ad terminos* *Cant. 1.* *orbis terrarum, effuſum eſt nomen tuum* ſuper omnem terram. Ut dicat omnis caro: Quo- *Lucæ 2.* niam *vocatum eſt nomen ejus Jeſus*.

IX. Tertium, in quo valde hujus nominis excellentia & dignitas patet, eſt efficacia ipſius. Sedebat claudus ad portam ſpecioſam; intrat Petrus Apoſtolus, & ait claudo: *In* *Act. 3.* *nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & am-* B *bula*. Statim proſilivit & *conſolidatæ ſunt baſes ejus*. Druſiana mortua efferebatur; ait Joannes (*b*): Druſiana, ſuſcitet te Domi- *(b)* nus meus Jeſus Chriſtus: ſurrexit mortua. Quid hoc nomine potentius? Quid efficacius? Mortui audito hoc nomine reviviſcunt, claudi ambulant, cæci vident, ægri curantur. O quanta virtus in nomine! Vide miracula: omnia miracula tam eximia, tam perſpicua, quæ facta ſunt, in hoc nomine facta ſunt. Quis jam hoc nomen tam ſacrum, tam potens, audeat nominare ſine timore ſine reverentia? Nomen, ad cujus ſonum Angeli C inclinantur, homines genuflectunt, dæmones contremiſcunt? Hoc nomen fugat dæmones, mollit duras tentationes, penetrat cœlos, omnia impetrat dicente Domino: *Quodcum-* *Jo. 14.* *que petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*. Et iterum: *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*. Quantum ergo reverentiæ huic tam ſancto nomini debemus, & quo ſupplicio dignos putatis eos, qui nomen Dei audaci temeritate blaſphemant, & quaſi pro nihilo uſurpant, & in vanum aſſumunt? Dices hic, quomodo ad omnia peccata eſt inclinatio: ſed per oppoſitum, omD nia Deum laudent. Nihil inclinat animum ad inhonorandum Deum: & contra inclinationem peſſimus blaſphemator peccat, & ſine delectatione, peccato peſſimo. Dices: quomodo quædam vitia ſunt brutalia, ut carnalitates; quædam humana, ut ambitiones, cupiditates; ſed blaſphemia, peccatum diabolicum eſt; ſecundum illud: *Maledicet* *Iſaiæ 8.* *Regi ſuo & Deo ſuo &c.* Ideo peccatum maxime in terra puniendum a judicibus. Dignus eſt enim amittere proprium honorem, qui non zelat honorem ſui Dei. Sed de hoc ſatis. Ut igitur totam materiam concludaE mus: miratur Bernardus (*c*) de Iſaia; qui *(c)* cum dixiſſet lætus & exultans: *Parvulus na-* *Ibid. 9.* *tus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus*; & sub-

(*a*) Serm. 15. in Cant. num. 5.

(*b*) Quamvis plura, & magna miracula a S. Joanne Apoſtolo poſt reditum in Epheſum patrata fuiſſe non immerito credi poſſint; quod tamen de Druſiana ſuſcitata fertur, non ſatis certis conſtat argumentis. *Ferunt, & viduam*, inquit Baronius ad an. Chriſti 98., *nec non adoleſcentem defunctos ab eodem Joanne eſſe revocatos ad vitam; ſed hæc ex Pſeudoprochoro, vel aliis, quorum fides haud probata in omnibus habetur.*

(*c*) Serm. 2. in Circumciſ. Dom. num. 4. *Magna quidem nomina, ſed ubi eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen, nomen Jeſu, in quo omne genu flectatur? Forte in his omnibus unum illud invenies, ſed expreſſum quodammodo, & effuſum. Nempe ipſum eſt, de quo Sponſa in Cantico amoris: Oleum, inquit, effuſum nomen tuum. Habes ergo unum in his omnibus appellationibus Jeſum: nec omnino aut vocari poſſet, aut eſſe Salvator, ſi forte quippiam horum defuiſſet.*

ſubjunxiſſet: *vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*; Magna inquit nomina quidem: ſed ubi eſt *nomen quod eſt ſuper omne nomen?* Quare oblitus eſt tanti nominis? Non delector, niſi nomen hoc audiam. Unde P. N. Auguſtinus (*a*) de ſe dicebat, quod hoc ei maxime diſplicebat in libris Gentilium, quod nomen Jeſus ibi non inveniebat. Quid ergo? Putamus Iſaiam oblitum tam ſacri nominis & tam proprii? Non: ſed in omnibus illis, nomen iſtud, & res ipſa nominis explicatur. Et omnia illa nomina comprehenduntur in hoc unico, eo modo quo deducit Bernardus a nomine Salvatoris, ab initio uſque in finem. Vide ibi: *Sermone ſecundo hujus Feſtivitatis.*

Philip.2.

(*a*)

IN EPIPHANIA DOMINI

CONCIO PRIMA HISTORIALIS.

Apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.
Matthæi 2. v. 11.

Concio cxxv.

I. GRandis feſtivitas hodierna Fratres: neque minori quam natalis Domini gaudio celebranda. Succedunt ſibi mutuo ſacra ſolemnia, ne fidelibus populis deficiant gaudia. Illo die natus eſt Dominus, hodie monſtratus eſt: illo die ex utero genitus prodiit, hodie radianti ſidere manifeſtatus innotuit. Quid, obſecro, naſci profuiſſet, ſi non dignaretur agnoſci? Judæis, Gentilibus, & Paganis ignorata quid contulit nativitas Salvatoris? Grandis utique miſericordia, & redundans gratia, quod natus de Virgine, revelante ſe Angelo, & prodente cœlo, ſtatim his pro quibus naſcebatur, innoteſcere voluit. Intelligite, Fratres, myſteria, perpendite ſacramenta: illo die natus eſt Chriſtus, & hodie deſponſatus eſt. Tunc proceſſit *tanquam ſponſus de thalamo ſuo*, dilectæ ſuæ aſpectibus præſentandus, hodie viſus eſt, & agnitus ab illa: & quia *ſpecioſus forma præ filiis hominum* placuit in oculis ejus, & amore liquefacta ſtatim properat ad amplexus. O formoſe puer ab utero connubia ducis? Modo naſceris, & ſponſæ jam ſolatia quæris? O Virgo ſacra nuper edidiſti, & jam illum deſponſaſti? Una die ſponſus & ſponſa orti ſunt, & eadem hora qua nati, deſponſati ſunt. Coætanei invicem ſunt, licet alioquin ille æternus ſit. A præſepio, quaſi a lectulo, ſponſam ad connubia trahit: vocat Angelo, vocat ſidere, neque longas ſuſtinet amoris impatientia moras: patrem & matrem recens natus infans teſte vaticinio, nominare non noverat: & jam ſibi *Samariam & Damaſcum* in fœdere ſociabat. Conſueverunt parentes aliquando præcoci conjugio copulare infantes, ut ſe mutuo magis ament & cum creſcentibus creſcat amor: firmius enim hæret affectus, qui teneris inſeritur animis, neque facile rumpitur amor, qui cum lacte bibitur. Unde fit ille amor quaſi naturalis, qui in cordibus hominum ab infantia coaleſcit: neque jam illa uxor ſolum, ſed quaſi ſoror habetur, quæ ab ortus initio copulatur. Ut ergo ſponſam ſuam cœleſtis infans ardentius tenaciuſque diligeret, ab infantia duxit eam. Unde eam *in Canticis* ſororem, ſponſam vocat: quia, ſcilicet, cum eo ab uberibus creverit. Eſt autem ille ſicut ſpecioſus & dives; ita potentiſſimus & nobilis, ab altiſſimo genere originem ducens; illa autem e contrario fuſca paululum, & ignobilis, ruralis & ruſtica, ex Adæ terreni genere orta. Timeri poterat, ne forte adultus deſpiceret illam princeps pacis, niſi puer ab infantia duxiſſet eam. Unde illum cœleſtis Pater, & Virgo mater deſponſare feſtinant. O quomodo adamavit eam! O quantum dilexit illam! Quid non pro illa paſſus, quid non agreſſus eſt? Duriſſimos agones, certamina fortia, & periculoſa diſcrimina pro ejus amore ſuſtinuit; mille ſe periculis, laboribus, & morti expoſuit; ut eam ſibi conjugio retineret; triginta tribus annis pro ea patri ſervivit duro ſervitio, & *videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*. Corpore ſuo ſubarrhavit eam, ſpiritu ſuo ornavit eam, ſanguine ſuo mundavit eam, potenti lavacro, & fortiſſimo abluit eam, ut exiberet ſibi ſponſam acceptabilem, ſine ruga, & ſine macula pulcherrimam. Unde pulchritudinem ejus, quam ipſe in ea fecerat, poſtmodum admiratus exclamat: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es oculi tui columbarum.*

Iſaiæ 8.

Cant. 4.

Gen. 29.

Epheſ.5.

Cant. 1.

II. Hæc eſt feſtivitas quam recolimus, Fratres, ad hanc celebrandam cum gaudio convenimus. Sacra cœleſtis principis connubia fiunt,

(*a*) Ita lib. 3. Confeſs. cap. 4. de Hortenſio Ciceronis loquitur S. Parens: *Hoc ſolum me in tanta flagrantia refrangebat, quod nomen Chriſti non erat ibi. Quoniam hoc nomen ſecundum miſericordiam tuam Domine, hoc nomen Salvatoris mei Filii tui, in ipſo adhuc lacte matris, tenerum cor meum præbiberat, & alte retinebat; & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.*

fiunt, læta illius ſponſalia celebrantur; ad
Iſaiæ 60. hoc ſapientiſſimi Reges ex oriente venerunt, & in hoc onuſtos muneribus dromedarios deferunt; legati ſponſæ ſunt, illius nomine paranymphi veniunt, cum Filio Virginis inire connubia, dare fidem, & manibus ſacris jungere manus. Audierant ſiquidem, procul narrante ſidere, quia de thalamo ſuo ſponſus proceſſerat, connubii fœdera inire feſtinant, ne prior alia uxor accedat. Hoc & David Pſalmographus olim Propheta cecine-
Pſal. 67. rat: *Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Ab Ægypto tenebrarum legati deſtinantur ad lucem: & Æthiopiſſa gentilitas, candoris æterni manus anticipat, ne ſponſum ei lippis ſynagoga oculis ſubripiat, & ablato illo, ipſa confuſa permaneat. Væ tibi miſera ſynagoga, væ tibi ſtolida, & cæca! Illum quem tamdiu expe-
Lucæ 19. ctaveras amiſiſti. *O ſi cognoviſſes & tu*, o ſi ſcires, quæ in medio tui aguntur hodie! Ecce relinqueris hodie deſerta, vidua, ſola, & deſolata. Sic enim de te Propheta vati-
Iſaiæ 1. cinatus fuerat olim: *Et relinquetur filia Sion* ſicut *umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario.* Fœdus cum alia firmatum eſt, & ſolvi non poterit: dedit munera, accepit arrham: nunquam hujus ſponſæ ſponſus fidelis fœdera violabit. Verba fœderis ſi
Pſal. 47. ignoras, agnoſcito: *Hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi: ipſe reget nos in ſæcula.* Legatorum principum verba ſunt, qui ut hoc agerent, congregati ſunt & convenerunt in unum. Hi ſunt arietes illi, de quibus alius Propheta prædixe-
Iſaiæ 60. rat: *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes in Nabajot?* Arietes gregis Cedar, id eſt obſcuræ gentilitatis duces. Iſti ſunt qui novo paſtori novum offerunt famulatum, priores iſti naſcenti Chriſto venerunt in Nabajot, id eſt Bethlehem, quos reliquum omne pecus quoque ſequetur.

III. Sed quomodo tam cito eis innotuit nativitas Salvatoris? Non hominis quidem eloquio, ſed ſtellæ radio. Viderunt radiantem ſtellam, & ortum eſſe ſolem, veluti ex lucifero cognoverunt. Quomodo autem novi ſideris idioma perceperint, varie exponi-
(a) nitur a diverſis. Chryſoſtomus (a) a vaticinio Balaam præmonitos fuiſſe Magos affirmat, ex cujus genere traxerant fortaſſis originem. Eſt autem hujuſmodi vaticinium in
Num. 24. Numerorum libro: *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo cujus obturatus eſt oculus: dixit*

A *auditor ſermonum Dei*, qui novit doctrinam Altiſſimi, *& qui viſionem omnipotentis intuitus eſt. Videbo eum, ſed non modo: intuebor illum, ſed non prope. Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael: & percutiet duces Moab*, &c. Hanc ortus Domini prophetiam, ut dicunt, patres filiis expoſuerant, & agnito myſterio, ab illo tempore in monte Victoriano excubias obſervabant, donec ſidus optatum apparuit. Sed P. Auguſtinus (b): magiſterio Angelico illos myſterium di- (b)
diciſſe rationabilius judicat: vel potius, ſicut Leo (c) ait, Divino radio illuminati ſunt (c)
B intus. Dedit enim aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum; & quod fecit intelligi, fecit inquiri; & ſe inveniendum obtulit inquiſitus. Quamvis & ipſa ſtellæ novitas, & inſolita magnitudo, magnum aliquid portendere videretur. Erat namque ab aliis ſideribus ſubſtantia, motu, ſitu, lumine, & magnitudine longe diverſa, ut ſuo radio admirationem quandam induceret & pavorem. Quod autem nati Regis portentum exiſteret, divina, ut credimus, revelatione noverunt. Ipſe enim qui jacebat in præſepio, fulgebat in cœlo: & quos ſidereo radio illuminabat
C exterius, divino lumine irradiabat interius. Nam & paſtores non Angeli ſolius, ſed Dei claritas circumfulſit. Sequuntur ergo ſuperni luminis ducatum devoti Principes, & verum juſtitiæ Solem micantis ſideris radio perluſtrant: regiamque civitatem ingreſſi novi Regis ortum audacter inquirunt. Nequeo ſatis mirari horum Principum animoſam fortitudinem: in alieno regno regnante tyranno, novum perquirere Regem, aperti periculi res eſt; neque potuit latere ſapientes viros tam evidens & notorium diſcrimen. Quomodo putas, ad hanc vocem concitatur
D in eos fera crudelis? Quas non parat mortes, quos gladios non acuit ad vindictam? Herodes ille Idumæus erat, & nequiter intruſus Judæorum regnum violentia poſſidebat, atque propterea ſuſpectum habebat omnem eventum: quicquid fiebat, quicquid accidebat conjurationem ſuſpicabatur, & ſui capitis periculum æſtimabat.

IV. Noverant hoc Magi prudentes: noverant Regis immanem tyrannidem trucem animum: noverant truculentum hoſtem, ſicarium in populos, in filios & domeſticos (d) (d)
parricidam; ſed animoſitate ingenua, ſtant intrepidi coram Rege, audacique eloquio impii tyranni vultus, & ora confundunt. Mi-

ra

(a) Seu potius Auctor imperfecti, cujus in Matthæum Commentaria, inter Chryſoſtomi Opera vulgata ſunt. Porro quæ de obſervatione ſtellæ apparituræ per excubias ad id munus deſtinatas, aliaque id genus refert Homil. 2. ex Sethianorum apocryphis libris hauſta fatetur ipſemet Auctor.

(b) Serm. 199. de Epiphan. Dom. 1. num. 2. *Verumtamen propter nos, quibus de Scripturis ſuis ſanctis innoteſcere voluit, ipſos etiam Magos, quibus tam clarum ſignum in cœlo dederat, & quorum cordibus ſe in Judæa natum eſſe revelaverat, Prophetis tamen ſuis de ſe credere voluit.*

(c) Serm. 31., alias 30. in Epiphan. Solemnit. 1. cap. 1. cujus verba ſunt uſque ad ea: *& ſe inveniendum obtulit inquiſitus.*

(d) Nam teſte Joſepho Hyrcanum legitimum regni hæredem, & Pontificem; mox Ariſtobulum Hyrcani nepotem, & Pontificem occidit. Tum vero Mariamnem Hyrcani filiam, & ſuam uxorem, Alexandram quoque Mariamnis matrem interfecit; poſtremo Alexandrum, & Ariſtobulum ſuos ex Mariamne filios, & Antipatrum ſuum ex alia uxore filium crudeliſſimus hominum interemit, non alia de cauſa, niſi ut regnum violenter occupatum, & ſuſpicionibus obnoxium firmaret.

ra fides, pro eo quem nondum viderant, mortem, & extrema omnia ſuſtinere parati; prius confeſſores, quam viſores; prius voto martyres, quam oculo inſpectores effecti; omni namque malitia ſuperiorem ſuam indaginem arbitrabantur. Et quia cœleſtem Regem inquirunt, terrenum non formidant offendere principatum. Turbatur ergo Herodes, nimirum, quia alienigena tyrannus erat. Sed tu o nequiſſima, o perfida Jeroſolyma cur ita turbaris? Ut quid cum nequiſſimo tyranno triſtaris? Salvator tibi naſcitur tam diu optatus, tam longe ante promiſſus, tot lacrymis & precibus a Patribus poſtulatus, Rex potens, & magnus, qui te a ſervitute eripiat, qui æmulos tuos ſub pedibus conterat, qui te gloria, & honore nobilitet, & exaltet, qui omnium bonorum te affluentia repleat, & amplificet, qui famam gloriamque tuam ſuper aſtra evehat, & reponat: quem Prophetæ cecinerunt, Patriarchæ ſignaverunt, antiquitas omnis ferventi animo concupivit. Et tu miſera, & cæca, audito ejus natalitio turbaris? & quod magis horrendum eſt, illius mortem excidiumque cum diro tyranno machinaris? Quid dicam tibi, o generatio prava, o perverſa? O viperarum venenata progenies quid dicam tibi? *Hæccine reddis* Deo tuo, Meſſiæ tuo, *Populo ſtulte, & inſipiens?* Hæc ſunt natalis ejus feſtiva tripudia, hæc læta jucunditas, hæc gaudia, hi ludi, hæ choreæ, & paſſim ubique canentium fuſa lætitia? Sic Salvatori tuo natalitia feſta perſolvis? Sic optati Meſſiæ genialia ſolemnia colis? Quis ſuper tanta malitia, & ingratitudine non ſuccenſeat? Quis adverſus gentem procacem, & malignam non indignetur? Superat vere ſuperat omnem indignationem tantæ magnitudo nequitiæ, malitiæ pondus, ingratitudinis labes. Merito Domine, & bene merito repuliſti eam; juſto eam judicio diſſipaſti: non prout meruit actum eſt ei, neque ſecundum ejus malitiam redditum eſt illi. Evenit profecto huic populo cæco, quod cæcutienti Iſaac Patriarchæ olim contigerat, ut præſentem non agnoſceret filium, de quo in futurum multa prævidebat. Sic populus iſte, Chriſtum Dominum, quem ore prophetico longe ante prænunciavit, coram ſe poſitum non agnovit: excæcavit enim eos malitia ſua, ne radiantem lucem perſpicerent, quam quærebant.

Deut. 32.

Gen. 27.

V. Sed ad Herodem redeamus. Diſſimulat callide vulpina ſoboles amaritudinem animi, quam ex Magorum nuncio conceperat: ſenatum convocat, concilium congregat, legiſperitos interrogat, quæruntur de Chriſto teſtimonia, conferuntur tempora, diſcernuntur indicia: & quo apertius rei veritas aperitur, eo intenſius venenatus animus intra ſe aduritur. Varia ergo ſecum volvit animo: ſententia ſtat religionem diſſimulare, & Chriſtum Dominum interficere. O dementiam ſingularem! Meſſiam tot retro ſæculis a Deo promiſſum, a Prophetis prænunciatum, a Patribus expectatum, & nunc demum ſidereo lumine demonſtratum, inſanus homuncio jugulare conatur. Mira hominis ſtoliditas: vaticinia interrogat, & necem parat. Quid agis Herodes? Quid conſulis? Tune ſtatum rerum ordinem permutabis? Dei excelſi promiſſa evacuabis? Sacrorum Vatum oracula irrita facies? Tune, inquam, ſolus adverſus Deum, & homines prævalebis? O hominum ſtultiſſime? Si prophetiæ non credis, ut quid eam conſulis? Si credis, ut quid in contrarium niteris? Si vera eſt prophetia, utique implebitur: ſi non eſt vera, ad quid conſulitur? Audi inſane; ſacri oraculi verba ſignato: *Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Dux ergo Infans erit, & velis nolis, populum Dei reget. Quid tu illi necem moliris? Nunquid non audiſti? Vivo ego, dicit Dominus, quia conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet? Voluntati Dei quis reſiſtet? Si naſcitur in Bethlehem, quia ſcriptum eſt, ergo, & reget Dei populum, quia itidem ſcriptum eſt. Cur prophetiam dividis? Cur eam truncas? Attende maligne quod ſequitur, & contremiſce. Et ortus, inquit, ejus a diebus æternitatis. Immanis beſtia: quem inſequeris, a diebus æternitatis oritur; oritur ex Patre, qui nunc recenter natus nuntiatur ex Matre: & tu ipſum dolo interficies inique? Miror valde, & ſupra modum ſtupeo horum malignantium conſilium. Quomodo iſta non vidit? Neque enim in occulto res erat, ſi mens non cæca fuiſſet. Neque minus deteſtanda ſacerdotum perverſitas: monſtraſſe viam cæteris, & ſicut lapides a milliario (*a*) immobiles permanſiſſe. Si in Bethlehem natus eſt Chriſtus, o Pontifices, o ſacerdotes, o legis periti ut quid cum Magis non quæritis eum? Quare non properatis ad illum? Si Magis non creditis, quid cum Herode turbamini? Si creditis: ut quid pie quærentes non ſequimini? Quam bene de vobis Pſalmographus cecinerat olim: *Populus quem non cognovi ſervivit mihi: in auditu auris obedivit mihi. Filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt a ſemitis ſuis.* Ecce enim a longinquo gens barbara, pia ſolicitudine Chriſtum quærit, quem ingrati filii prope poſiti videre recuſant: ex tanta namque populi Judæorum multitudine ne unus quidem inventus eſt, qui audito tam inſigni, & præclaro nuntio, propinquam Bethlehem civitatem adiret, & tantæ rei veritatem inquireret. Tantus erat illius populi mentis ſtupor, & habetudo judicii. Mentiti ſunt *ergo Domino filii alieni*, dum ne-

Mat. 2.

Mich. 5.

(a)

Pſal. 17.

Pſal. 28.

(*a*) S. P. Auguſtini ſententia eſt Serm. 199. de Epiph. Dom. 1. num. 2. *Facti ſunt eis tamquam lapides ad milliaria: viatoribus ambulantibus aliquid oſtenderunt, ſed ipſi ſtolidi, atque immobiles remanſerunt.*

nequiter cum hoſte religionem ſimulant, & necem parant. Sed *mentita eſt* potius *iniquitas ſibi*, quoniam *fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Et ſicut ſcriptum eſt: *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*.

Prov. 1.

Ibid. 21.

VI. Miro itaque Dei conſilio facti ſunt oſtenſores, cujus voluerunt eſſe proditores. Locum nativitatis vafra vulpecula diligenter interrogat, ut ſuo ſcrutinio pios quæſitores inſtituat. Ipſa ergo ejus fraus quam parabat, in perniciem verſa eſt. Sic Domine, ſic aſtutos in aſtutia ſua comprehendis, & conſilia pravorum diſſipas: ſic ſæva malitia documentum pietatis exhibuit, & pio deſiderio fraudulenta nequitia doctrinæ miniſterium præbuit. Sed jam perfidos iſtos omittamus, & & ad pios Principes redeamus. Magis intrantibus Jeroſolymam, ſtella diſparuit, quoniam lucidioris oraculi hemiſphærium ſubintravit: quam ergo ſolaris fulgor obſcurare non potuit, prophetiæ claritas adumbravit; humanum enim flagitantes conſilium, divinum amiſere ducatum; & converſos ad terrenum documentum cœleſte deſeruit ſignum: grandi utique, ac notando myſterio: ut qui fidei certo lumine ad Chriſtum dirigimur, diem hominis, id eſt philoſophicam lucem ulterius non quæramus: humanæ enim ſapientiæ caligo clarum fidei noſtræ ſidus potius obnubilat, quam illuſtrat. Quo fit, ut experimento ſæpe didicimus, ut qui nimium cupit eſſe philoſophus, facile deſinat eſſe Chriſtianus. Propter hoc igitur, dum ab hominibus nati Regis ortum inquirunt, ejuſdem Regis fulgidum ducem amittunt. Sed ad quid, obſecro, gentium Reges, Judæorum Regem inquiritis? *Vidimus*, inquit, *ſtellam ejus in oriente, & venimus* cum muneribus *adorare eum*. Adorare? O Reges propter quid adorare? Potentiores apud vos reges ſunt, & clariores principes quos colatis. Ut quid Reges gentium exiguum Judæorum Regem adorabitis? Venit olim a finibus veſtris Regina, ſed audire ſapientiam Salomonis, non adorare Salomonem: & tamen in regibus Judæorum, quis Salomone potentior, quis ditior? Judæa ſui ortum Regis ignorat, & vos ab orientis initio ipſum adorare venitis? Agnoſcite Fratres horum Sapientum notiſſimam fidem: nunquam enim, ut P. Auguſtinus (*a*) ait, tam ardenter, tam fervide adorare cuperent Regem Judæorum, niſi ipſum etiam crederent Regem eſſe ſæculorum. Hæc fides Magorum animos ad inquiſitionem pueri concitabat: hæc eos ardenti deſiderio in natum Regem propellebat. Geſtiunt videre viſionem illam magnam, ſpectaculum viſu digniſſimum, Deum humanatum, Deum & hominem una hypoſtaſi unitum.

Job 5.

Jer. 17.

Mat. 2.

3. *Reg.* 10.

(*a*)

VII. Egreſſi ergo ab urbe, prævius eis dux ſuperemicat, quem amiſerant. Bone Deus! Quo exultant gaudio, quanta replentur corde lætitia? Unde Euangeliſta: *Gaviſi ſunt*, inquit, *gaudio magno valde*. Duplici namque lumine, ſideris & legis directi feruntur: conſonat oraculo ſidus, recta eos via ducens in Bethlehem, & duplici fides teſtimonio roboratur. Inflammat eos etiam loci propinquitas, quia prope jam eſt, ut videant quod exoptant. Fervent itaque pia corda cœleſti rorata tripudio, conceptumque non valent viſcera ſuſtinere fervorem. Properant ovantes natum videre Regem, & longa fit omnis deſiderio mora: appropinquant oppido fulgidum ſidus ſequentes, & rei exitum expectantes: divertit ſidus ad propinquam porticum, jumentorum potius quam hominum uſibus aptam. Mira res! ſiſtit deſuper proximum tectum, rotatur, volvitur, tripudiat, ſcintillat, radioque velut digito quæſitum Regem oſtentat. Stupent novitate viri: neque enim aptum erat Principi tectum; deſiliunt equis conciti, domuſque penetralia luſtrant. Intus Virginem decoram vident, vultu venuſto, facieque pulcherrimam, verecundam, ſolam, tremulam, ſedentem in angulo, geſtuque paventem: Virginem ſpecioſam valde, decoris portentum maximum, qualis non fuit ab initio altera, neque futura eſt in æternum. Hæc ad equorum (*b*), dromedariorumque ſtrepitum pavida, Infantem præſepi locaverat, fœnoque condiderat: neque enim ſoli veniebant gentium proceres, ſed multa ſuorum familia comitati, ſicut decebat reges extranea regna petentes. Unde Propheta: *Innundatio*, inquit, *camelorum operiet te. Dromedarii Madian, & Epha, omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes*. Inſpiciunt ſe mutuo Principes, tanto decore perciti, benevoleque ſalutant. Quid, inquiunt, hic agis, o decora Puella? Quænam hic cauſa manendi? Quænam es, aut unde veniſti? Eſt ne tecum aliquis? Quis te deduxit huc? Eſt ne tibi Filius? Durum verbum, acutus gladius Virginis viſcera ſcindens. Silet vultu pallida: ſanguinem namque pavore totum cor rapuerat. Quid enim tunc anxia virgo faceret? Mentiri non poterat, Filium prodere non audebat: ſilet ergo, neque tamen locum ſilentio præſtat repetita quæſtio. Inſtant Reges acrius, pacis, & amoris ſigna præſtantes.

Mat. 2.

(*b*)

Iſaiæ 60.

Pro-

(*a*) Serm. 201., alias de tempore 31. num. 1. *Numquid hoc tanta devotione requirerent, tanto pietatis affectu deſiderarent, niſi cum agnoſcerent Regem Judæorum, qui Rex eſt etiam ſæculorum?*

(*b*) Simile quidpiam legere eſt in medit. vitæ Chriſti apud S. Bonaventuram cap. 9. Porro quæ hic affert S. Orator magna ex parte conjecturæ nituntur, ut proinde illud ipſum agat, quod ſe in meditationibus præſtare profeſſus eſt laudatus S. Bonaventura loco citato: *Ego enim*, inquit, *in hoc, & in aliis vitæ Chriſti actibus intendo, ut in principio tibi dixi, aliquas meditationes tangere ſecundum quaſdam imaginarias rapræſentationes, quas anima diverſimode percipere poteſt, ſecundum quod geſta fuerunt per ipſum, vel ſicut fuiſſe credi poſſunt.*

Proditur itaque aſpectibus decorus Infans, præſepique a matre levatur. O magnum ſtupendumque miraculum! Tremunt cuncti viſo Puero, timore magno turbantur, vultus crineſque eriguntur, pavimento procidunt majeſtate perculſi, & ad Virginis pedes timore proſternuntur.

VIII. Prædixerat hoc Pſalmographus olim, cum iſtorum prophetaret adventum: *Reges*, inquit, *terræ congregati ſunt, convenerunt in unum, ipſi videntes ſic admirati ſunt tremor apprehendit eos*. Et rurſus in Euangelio: *Procidentes adoraverunt eum*. Sicut enim paſtores videntes cognoverunt de verbo, Dei non hominis magiſterio docti; ita & Magi. Jacent purpurati Principes ad Virginis pedes, & pannoſum Infantem regia celſitudo paveſcit. Quid ſentis o Virgo, tuam quid nunc concitat mentem? Quid eſt quod vides? Qualis potens aquila tremulos cum ſupervolitat turdos; tales Virgo regia barbaros circumſpicit Reges. Dicite nunc Principes, quænam vos potentia terret? Quid vidiſtis in Matre, quid vidiſtis in Filio, quid vidiſtis in Virgine, quid vidiſtis in Puero? Non ſub poplite ſella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat, non ibi turba famulantium, non terror exercitus, non ſplendentium fragor armorum, non ſerica veſtis, & aurum, non purpura, & oſtrum. Quid vos concitat Reges, quid vos timore conturbat? Magnum profecto aliquid latebat in Puero, quod Principes illi oculis lynceis inſpexerunt: leo in agno, gigas in parvulo, Deus in puero, majeſtas immenſa ſub teneri corpuſculi cortina latebat, & radiantiſſimus ſol ſub levi carnis nubecula latitabat, qui eos ſuæ claritatis radio perculit, & proſtravit. Poſtquam igitur aliquandiu proſtrati conceptum timorem digeſſerunt, recepta fandi fiducia, divinum Infantem humiliter adorant: & myſticas ei munerum ſpecies, aurum Regi, thus Deo, mortali Homini myrram offerunt. Acceptumque manibus ſuis Puerum viritim delatum ſummo cum gaudio & reverentia colunt. Lacrymantur omnes præ lætitia, & veluti carbones igne ſpiritus ſuccenduntur. Quis horum Principum devotionem, & mentis fervorem explicare queat? Quis eorum lætitiam exultationemque recenſeat? Cui comparabimus viros iſtos, Fratres, aut cui aſſimilabimus eos? Si leonibus, fortiores ſunt: ſi aquilis, velociores ſunt: ſi lyncibus, perſpicaciores ſunt. Properant ab oriente celeres, velut ad prædam aquilæ, immenſa terrarum ſpatia brevi dierum circulo pervolantes. Unde Propheta poſt præfatum illorum vaticinium, eorumdem celeritatem admiratus exclamat! *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?*

Pſal.47.

Mat. 2.

Iſaiæ60.

Non eos ardua regnorum negotia, non domeſtica cura, non numeroſa familia, non uxor, non filii, non diſponendarum rerum multitudo detinuit: non diu de itinere conſulunt, non in longum protrahunt, non expenſas, & victualia parant: ſed viſo ſidere, omiſſis omnibus, iter quo ducuntur arripiunt, viamque cum omni celeritate percurrunt. Tanta erat illis aviditas videndi myſterium.

IX. De fortitudine vero, & conſtantia quid dicam? Fremit tyrannus, turbatur ſacerdos; excandeſcit vulgus, præſentemque intentant omnia mortem: ſidus abſconditur, puer natus ignoratur, populus qui gratulari debuerat, de tanto nuntio perturbatur; & perſtant illi in negotio fortes, conſtanter cœpta ſectantes. Non eos tyranni crudelitas, non populi malitia, non ſideris deſertio, non ignorata nativitas ab incœpto deterruit: non eis ſtabulum ſordet, non paupertas & præſepe vilet, non pannis offenduntur, non de Matris ſolitudine, & inopia ſcandalizantur: ſed difficultate augetur animus, & obſtaculis conſtantia roboratur. Jam vero quanta fuerit in eis fidei perſpicacia, res ipſa oſtendit. Nulla viderant adhuc infantis miracula, nulla prodigia; non enim maria calcantem, non mortuos ſuſcitantem, non cæcos illuminantem viderant, non ejus ſapientiam noverant, non doctrinam audierant; & tamen in ſumma rerum egeſtate, & ultima humilitate, Dei majeſtatem agnoſcunt, & colunt, carnis velum mentis acie penetrantes, & poſt parietem noſtrum gloriæ Regem intuentes. Mira quidem fides Latronis, quæ Deum oravit in patibulo: ſed non minor Magorum, quæ Deum coluit in ſtabulo. Agnovit ille pendentem, iſti lactentem; ille gementem, iſti plorantem; ille clavis affixum, iſti pannis involutum; ille vita exeuntem, iſti intrantem: ſed ille forſan ejus opera audierat, iſti vero nihil in eo audierant, quod notarent. Quibus autem verbis, quibuſve gaudiorum lacrymis puerum, & matrem honoraverint dicere quis ſufficiat? Inſtant, orant ſupplices, totaque Virginem devotione precantur, ut eorum ſuſcipiat fidem, & gratum habeat famulatum. Divitias quoque, ſervos, & regna offerunt in obſequium, grandem ſibi felicitatem accidiſſe putantes, ſi tantam Dominam Reges habere contingat, cui obediant, cui ſerviant, cui ſe totos, & ſua impendant. Neque tamen monitis paret Virgo ſobria, ſed placide dimiſſos ad hoſpitia mittit: ubi nocte eadem in ſomnis angelico edocti oraculo, ne redeant ad Herodem *per aliam viam* ovantes, & læti *reverſi ſunt in regionem ſuam*. Poſtmodum vero, authore Chryſoſtomo (*a*), adjuncti Thomæ, fidem Catholicam populis prædicaverunt, & ad regna cœlorum feliciter migraverunt. Hæc de hiſtoria.

Lucæ13.

Mat. 2.

Ibidem.

(*a*)

(*a*) Seu Imperfecti Auctore loco ſuperius allegato. Aliquid etiam apud Chryſoſtomum legitur Homil. 6. in Matthæum. *Unde mihi videntur iſti* (Magi) *etiam in regione propria facti eſſe poſtea civium ſuorum magiſtri. Qui enim hic* (Jeroſolymis) *nequaquam iſta dicere timuerunt, multo hæc ipſa liberius patriæ ſuæ hominibus prædicarunt.*

X. Eamus & nos, Fratres, & natum Salvatorem cum iſtis ſapientibus inquiramus; non jam in præſepio jacentem, ſed in throno regnantem; non pannis involutum, ſed gloria, & honore coronatum; non in ſinu Matris cubantem, ſed ad dexteram Patris ſedentem; non in brutorum conſortio, ſed in Angelorum frequentia dominantem. Quæramus eum non ſideris, ſed fidei radio. Hæc viæ noſtræ dux certiſſimus, hæc ad Dominum Salvatorem recto tramite nos deducet, & Regem majeſtatis in decore ſuo monſtrabit. O quiſquis gloriæ Dominum in æterna felicitate videre ſitis, ne declines oculos a fulgore hujus ſideris, ſi vis pervenire quo cupis. Quæramus autem eum ardenter, quæramus diligenter, quæramus perſeveranter. Non nos rerum temporalium proſperitas detineat; non infortuniorum aſperitas deterreat: per varias ſortes, per mille diſcrimina rerum, calcantes ſæculis hujus blandimenta fallacia in regni cœlorum gloriam properemus. Sed non appareamus in conſpectu ejus vacui: offeramus & nos Principi noſtro donaria, non de theſauris noſtris, ſed de ſuis: *Quis* enim *prior dedit illi & retribuetur ei? Tua ſunt omnia*, inquit David: *& quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Offeramus ei de theſauro temporalium aurum: de theſauro corporis myrrham: de theſauro cordis odoriferum thus. Hic rectus eſt ordo, ut primo temporalia largiamur; qui enim non libenter dat ſua, quomodo donabit ſeipſum? Aurum illi offert, qui temporales divitias quas poſſidet, in toto, vel in parte Deo dicat, vel pauperum uſibus tribuit: ſed qui Deo largitur divitias, contemnat quoque pro Deo delicias oportet. Quid namque proderit eleemoſynas affluenter facere, & turpibus delectationibus ſordidari? Qui enim dixit: Si quis non renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; ipſe quoque dixit: *Qui non* tollit *crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. Placet Deo eleemoſyna, quam carnis continentia comitatur. Reliquiſti divitias, bene feciſti: adjice adhuc, ut relinquas delicias, & placita erit Deo oblatio tua. Myrrha amara eſt, ſed corporibus utilis & proficua: præſervat enim corpora a corruptione, vermibus, & livore. Talis eſt omnis continentia, & pœnitentiæ diſciplina. Hac carnes præſervantur, ne libidinibus putrefiant, ſicut ſcriptum eſt: *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo*. Tantum caveas, ne ſit nimia: attenuet carnis virorem, non extinguat virtutem, non effundatur, ſed diſtilletur; ſicut ſcriptum eſt: *Digiti mei ſtillaverunt myrrham*. Jam ſi quis hæc duo munera libenti animo Deo obtulit, poterit de cordis ſui theſauro odoriferam thuris oblationem offerre, de qua Pſalmus: *Dirigatur*, inquit, *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. In homine enim carnali, & curis temporalibus implicato, quis locus eſt devotionis, & laudis? Qui vero a temporalibus expeditus, & carnis inedia maceratus, ſeipſum & ſua Domino dedicavit, devotionis & laudis in corde ſuo reperiet oblationem. Iſtæ ſunt phialæ odoramentorum aureæ, quas Joannes vidit in Apocalypſi, id eſt, pura corda, ſpiritu & devotione pleniſſima. Quam Deo grata ſit hujus thuris oblatio, Propheta commemorat, ubi ait: *Sacrificium laudis honorificabit me, illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei*. Non quidem in paupere tugurio, ſed in excelſo gloriæ ſolio: ad quam nos perducat ipſe Jeſus Chriſtus Dominus noſter, cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Rom. 11.
Paralip. 29.
Lucæ 14.
Mat. 10.
Joel 1.
Cant. 5.
Pſ. 140.
Apoc. 5.
Pſal. 49.

IN EPIPHANIA DOMINI

CONCIO SECUNDA.

De Historia Euangelii et Oblatione nostra.

Cum natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda. Matth. 2. v. 1.

I. PRopheta David in Pſalmo ait: *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi: quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia*. Quomodo ergo ait Apoſtolus: *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens?* Nonne locutus eſt ad Abraham, & Moyſen, & Samuel, & Job, & alios Prophetas? Reſpondeo: Duplex eſt locutio Dei. Ad intra, & ad extra. *Multifariam* ergo *multiſque modis*: multoties, inquam, locutus eſt Deus; ſed Patribus, ſed Prophetis ad extra. Sed ad intra *ſemel* tantum *locutus eſt Deus* in Filio, & loquitur, & loquetur in æternum. Quia unum Filium, unum Verbum habet, quod dicendo producit, & ipſum dicere, generare eſt: quia Verbum eſt Filius. Iſaias: *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt*, id eſt Verbum incarnatum in mundo. In hoc Verbo *duo audivi*: quia duas naturas agnoſco: Divinam, & humanam. Secundum Divinam: *Poteſtas Dei eſt*. Secundum humanam: *Tibi Domine miſericordia*. Si Verbum humanatum contempleris, hæc duo maxime lucent in eo: majeſtas & humilitas; poteſtas & miſericordia. Quid namque fuit illa humanitas quam accepit, niſi ſacculus miſericordiæ, quem ruperunt Judæi, & effuſa eſt per totum orbem. *Miſericordia* enim *Domini, plena eſt terra*. Conſidera, inquit Bernardus (*a*), Redemptorem Jeſum a principio ſuæ nativitatis uſque ad mortem; conſidera, & hæc duo, inquit, invenies, poteſtatem & miſericordiam. Ecce naſcitur de Virgine: *Po-*

CONCIO CXXVI.
Pſal. 61.
Heb. 1.
Iſaiæ 40.
Pſal. 32.
Lucæ 2.

(*a*) Serm. 1. in Circumciſ. Dom. num. 2., cujus verba recitavimus in notis ad Concion. in Circumciſ. Domini.

Poteſtas Dei eſt. Sed naſcitur in tugurio: *Tibi Domine miſericordia*. Quod adoratur ab Angelis: *Poteſtas Dei eſt*. Quod involvitur
Mat. 2. pannis: *Tibi Domine miſericordia*. Quod fulget in cœlo per ſtellam: *Poteſtas Dei eſt*.
Lucæ 2. Quod jacet in præſepio: *Tibi Domine miſericordia*. Quod adoratur a Regibus: *Poteſtas*
Mat. 2. *Dei eſt*. Quod ſociatur animalibus; *Tibi*
Iſaiæ 1. *Domine miſericordia*. Quod terret a cuna tyranum Herodem: *Poteſtas Dei eſt*. Quod
Mat. 2. fugit in Ægyptum: *Tibi Domine miſericordia*. Quod facit miracula: magna *poteſtas*
Ibid. 11. *Dei eſt*. Quod ſuſtinet ludibria: *Tibi Do-*
Lucæ 22. *mine miſericordia*. Quod ipſo moriente luget
Ibid. 23. ſol: *Poteſtas Dei eſt*. Quod moritur inter
Mat. 27. latrones: *Tibi Domine miſericordia*. Vides certe quomodo in unico Dei Verbo incarnato per totum vitæ decurſum ſola poteſtas & miſericordia lucent. Sic enim permixta ſunt in eo magna cum parvis, ſublimia humilibus; ut ex poteſtate noſcatur verus Deus, & ex humilitate noſcatur verus Ho-
(*a*) mo. S. P. Auguſtinus (*a*): Quis eſt iſte Rex tam magnus & tam parvus? Nondum in terris loquens, & jam in cœlo edicta propo-
Ibid. 2. nens? Nondum nota eſt ejus nativitas in Bethlehem: & jam ſcitur in oriente. In præſepio mutus infans tacet: & jam cœli enar-
Pſal. 18. rant gloriam ejus. Quid enim fuit illa ſtella niſi lingua cœlorum? Hic eſt lapis, qui *de*
Daniel 2. *monte* abſciſſus eſt *ſine manibus: & factus eſt mons magnus, & implevit totam terram*. Hic
Act. 4. eſt lapis angularis, *qui factus eſt in caput anguli*, complectens utrumque parietem, paſtores & Reges; qui publicam in eum fidem teſtati, & legatione functi venerunt adorare
Mat. 2. eum: & *obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham*.

Ibidem. II. *Cum natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda*. Quis nobis ediſſeret nati hujus pueri præcellentiam? David, optimus ille Aſtrologus ſecretorum Dei, ipſe declarabit. Quis
Pſal. 71. ergo putas o David puer iſte erit? *Judicabit*, inquit, *pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Et permanebit cum ſole & ante lunam, in generatione & generationem. Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis: donec auferatur luna. Et dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſerviunt ei. Liberabit pauperem a potente, & pauperem cui non erat adjutor. Parcet pauperi & inopi & animas pauperum ſalvas faciet. Ex iniquitate redimet animas eorum. Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper: tota die benedicent ei*. Et ideo: *Sit nomen ejus benedictum in ſæcula: Ante ſolem permanet nomen ejus. Et benedicentur in ipſo omnes tribus, omnes gentes magnificabunt eum. Et erit benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum, & replebitur majeſtate ejus omnis terra*. Ac tandem concludens: *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus*. Ecce magnificentiam, ecce decorem, ecce nati pueri, gloriam ac prærogativam. Et omnes dictæ promiſſiones, inquit S. P. Auguſtinus (*b*), in illo firmatæ ſunt, quando (*b*)
in illo impletum eſt, quidquid pro ſalute noſtra prophetatum eſt. *Ecce Magi ab Orien-* *Mat.* 2.
te venerunt Jeroſolymam, dicentes: Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? Statim omiſſis regni negotiis, ac domibus & familiis tredecim dierum (*c*) itinere menſis integri ſpa- (*c*)
tium perficiunt. Sic ſic quærendus & inveſtigandus eſt Dominus: non tepide, non negligenter. O Magi! Nondum ambulantem ſuper fluctus, nondum ſuſcitare mortuos eum vidiſtis; & nos, poſt viſa illius miracula, doctrinam, & potentiam algemus, & ſtertimus. Utinam tanta ſaltem aviditate quæramus Deum, quanta ſæculares pecuniam! Intrant ergo Jeroſolymam, & petunt: *Ubi* *Ibidem.*
eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? O Magi nonne noſtis Herodem tyrannum, truculentum depopulatorem, parricidam? Cum audierit vos, ſcindet vos tanquam pullos. Nondum viderant, & jam parati erant martyrio; prius confeſſores quam viſores. Chryſoſtomus (*d*). O Beati Magi, qui ante con- (*d*)
ſpectum crudeliſſimi Regis, antequam Chriſtum cognoſcerent, Chriſti facti ſunt confeſſores.

III. Sed quid Regem vultis? *Venimus*, inquiunt, *adorare eum*. Quem adorare? Ut *3. Reg.* 10.
Regina Saba Salomonem; recenter natum Salvatorem. Quo audito, turbatur Herodes, & proponit occidere. Stolide, impie tyranne! Prophetatus, & demonſtratus eſt ſidere Chriſtus, & tu occides ipſum? Non minus ſtulti ſunt, qui Deum blaſphemant. Stulti etiam Judæi & cæci: tam diu deſideraverant Meſſiam, & turbantur ad ejus adventum cum Herode. *Audiens*, ait Euan- *Mat.* 2.
geliſta ſanctus, *Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi* Chriſtus *naſceretur*. Et cum ex illis intellexiſſet Chriſtum naſciturum in Bethlehem, *dixit* Magis: *Ite*

(*a*) Serm. 199. de Epiph. Dom. 1. num. 2.

(*b*) In Pſal. 71. num. 18. *Et erit firmamentum in terra in ſummis montium. Omnes enim promiſſiones Dei in illo. Etiam, ideſt in illo firmatæ ſunt: quia in illo impletum eſt, quidquid pro ſalute noſtra prophetatum eſt*.

(*c*) Hoc dierum ſpatio iter abſolutum a Magis opinio eſt, *quæ Catholicæ Eccleſiæ*, ut inquit Baronius, *conſuetudine magis recepta videtur. Quod quidem haud mirum videri debet, ſi ex Arabia Judææ adjacenti, eoſdem advenisſe dixerimus, & ut prædixerat Propheta ad celeritatem itineris dromedariis uſi fuerint, quos velociores eſſe ad curſum equis Nyſſeis Ariſtoteles tradit*.

(*d*) Seu Auctor Imperfecti Homil. 2. ex cap. 2. Matth.

& interrogate diligenter de puero; & cum inveneritis renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Ficta illa calliditas, machinamenta, turbationes, magis confortant Re-
Exod.15. ges; & fiunt *immobiles* in fide tanquam *lapis*. Unde egressi Jerosolymis constanter prosequuntur incœptum iter, & novi sideris ductum. Sed quid miser Herodes metuis? Quid frustra infantem timens, pro parvulo occidis parvulos? *Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.* Timens interim regnum amittere, non meruit Regem cognoscere.
(a) P. Augustinus (a): Utinam & ipse Regem cum Magis adoraret! non male regnum quærendo innocentes perderet, & nocens periret.
Psal. 2. Sed & vos, o *Reges intelligite*. Metuere non debent Reges, ne regnum perdant, ne illis auferatur regnum, sicut miser timuit Herodes. Rex quidem constitutus est a Deo,
Ibidem. & hæreditatem usque ad fines terræ dedit ei, qui illum constituit Regem; sed longe ab aliis, aliter Regem se esse dixit, dum ait:
Jo. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ne timeant ergo; non illis auferet regnum mundi hujus, sed dabit eis insuper regnum cœlorum, ubi ipse Rex est in sæcula sæculorum.

IV. *Et ecce stella quam viderant in orien-*
Mat. 2. *te, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.* Notanda hic iniquorum nequissima & impia doctrina. Sciatis, Fratres, multos disputare & dicere, quia Deus res humanas non curat, quia casibus reguntur omnia, vel quia stellis subjectæ sunt voluntates nostræ, quia unusquisque non pro meritis agitur, sed sub necessitate stellarum. Doctrina mala, doctrina impia. Non-
(b) ne Jacob & fratrem Esau (b), uno tempore eodemque momento mater fudit, neque una tamen utriusque vitæ ac conditionis qualitas exstitit? Et quamquam ad hoc respondeant mathematici, virtutem constellationis in ictu puncti esse: e diverso iis dico ego, quia magna est mora nativitatis; adeoque, si in ictu puncti constellatio permutatur, necesse jam fore, ut tot dicant fata, quot sunt membra nascentium. Fatentur etiam mathematici, quod quicumque signo nascitur Aquarii, in hac vita piscatoris ministerium sortiatur. Piscatores vero, ut fertur, Getulia non habet. Quis ergo dicat, quia nemo illic in stella Aquarii nascitur, ubi piscator omnino non habetur? Rursum, quos nasci signo Libræ asserunt, trapezitas futuros dicunt: & trapezitas, multarum gentium provinciæ ignorant. Fateamur ergo necesse est, aut hoc in eis signum deesse, aut effectum fatalem nullo modo habere. In Hispanorum quoque Persarumque terra Reges ex genere prodeunt; quibus profecto nascentibus, quis A nescíat, quanti eisdem momentis horarum ac temporum ex servili conditione nascuntur? Et tamen Regum filii, uno eodemque sidere cum servis nati ad regnum proficiunt; cum servi qui secum fuerant geniti, in servitute moriantur. Iterum; si stellæ est, quod aut boni sumus aut mali, ergo nec bonum nostrum laudandum est, nec malum vitupera-
B dum, quia nec est in nobis voluntarius actus. Ut quid enim boni mei laudem merear, quod non meo arbitrio, sed motu stellæ facio? aut mali mei pœnam suscipiam, quod non voluntate, sed necessitate commisi? nam non possum fugere malum, etiamsi volo, si me nativitatis meæ stella compellit ad malum. Si adulter & homicida fiunt per stellam, & in crimine facit eos stella interfici, magna est iniquitas illarum stellarum: magis autem illius, qui stellas ad hoc creavit. Interrogamus: Nonne homo factus a Deo? Ergo iniquus est qui fecit eum: nam cum sit præscius futurorum Deus, quod tanta inquitas futura erat per stellas; si noluit emendare, non est bonus; si autem voluit, & non potuit, impotens est: sed etiam injustus est; quia ex necessitate stellarum pec-
C cantes ita punit, quasi ex voluntate peccantes. Ipsa denique mandata Dei ne peccent, aut hortamenta ut faciant bonum, per hanc insipientiam nonne destruuntur? Quis enim hortetur aliquem, ne faciat malum, quod non potest declinare: aut ut faciat bonum, ad quod non potest pervenire? Hæc de stella (c) late deduximus ne aliquo- (c)
rum & præcipue mathematicorum stultitiam indiscussam præterire videamur.

V. *Videntes autem stellam gavisi sunt gau-* *Ibidem.*
dio magno valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & pro-
D *cidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.* A regia ergo civitate (d), ubi (d)
Regem quærendum conjectabant ductrice stella; gaudentes ad Bethlehem villam parvulam diriguntur. Et ingressi stabulum inveniunt pannis involutum infantulum: stupent, hærent, *tremor apprehendit eos.* Psalmus: *Quoniam ecce Reges terræ congregati* *Psal.47.*
sunt, convenerunt in unum. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Nec tamen illis sordet stabulum, non offenduntur præsepio,
E non scandalizantur lactentis infantia. Sed statim procidunt, venerantur ut Regem, adorant ut Deum, offerentes ei de thesauris suis aurum, thus, & myrrham. Sed, quid facitis, o Magi! Quid facitis? Lactentem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergone Deus iste est? *Dominus in* *Psal. 10*
Templo sancto suo Dominus in cœlo sedes ejus.

Et

(a) In Psal. 47. num. 5.
(b) Ab his, usque ad ea verba: *in servitute moriantur* S. Gregorii testimonium est ex Homil. 10. in Euang. num. 4. & 5. licet nonnunquam diversis expressum verbis.
(c) S. Gregorii verba sunt Homil. 10. in Euang. num. 5.
(d) Ab his, usque ad ea verba: *quam paupertate suorum*, paucis mutatis ex S. Bernardo excerpta sunt Serm. 1. in Epiph. Dom. num. 5.

Et vos eum quæritis in vili ſtabulo in Matris gremio? Quid facitis, quod & aurum offertis? Ergo Rex eſt ipſe? Ubi aula regia, ubi thronus, ubi ſella regalis, ubi regiæ curiæ caterva? Numquid aula eſt ſtabulum; thronus præſepium: curiæ frequentia bos & aſinus, Maria & Joſeph? Quomodo ita inſipientes facti eſtis vos Viri ſapientes, ut adoretis parvulum deſpicabilem, tam ſua ætate, quam paupertate ſuorum? O Magi quid videtis in Matre, quid videtis in Filio? S. P. Auguſtinus (*a*): Magnus latebat in parvo; leo in agno; gigas in parvulo; Deus in corpuſculo: hoc terrebat eos. Oblatis interim myſticis donis quæ flexis genibus obtulerant, ſurgunt a proſtratione, accipiunt in ulnas puerum, magnificant Matrem, proponunt vel ibi manere, vel orant, ut eos comitetur, ipſi futuri vaſalli, & Reginæ in ſervitium. Sed monitu Angelico revertuntur in terram ſuam: *Reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.*

VI. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Imo quid non retribuam? *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Tuum eſt Domine, accipe illud; non expectes oblationem, tolle tibi, nam jure illud totum poſſides. In Canticis: *Vox dilecti mei pulſantis; Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Aperi mihi? Cur neceſſe eſt aperire me? Ingredere Domine, ingredere. *Tuus ſum ego; & voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum eſt. Apertis theſauris ſuis obtulerunt* Domino. Pondera *theſauris ſuis*, non alienis. Non offerat quis ſacrificium de rapina, non diripiat pauperes, ut offerat calicem. Filio ſuo Tobias: *Ex ſubſtantia*, inquit, *tua fac eleemoſynam.* Fac ergo eleemoſynam de ſubſtantia de bonis, de reditibus *tuis*, non *alienis*. Sed nec iſta bona temporalia noſtra ſunt: *Cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit domus ejus: cum interierit, non ſumet omnia.* Sumet vero *ſua;* & quæ *ſua?* Eccleſiaſticus: *Cum*, inquit, *morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Job: *Iſte*, ait, *moritur robuſtus & ſanus, divès & felix. Viſcera ejus plena ſunt adipe; & medullis oſſa illius irrigantur: Alius vero moritur in amaritudine animæ abſque ullis opibus: Et tamen*, inquit, *ſimul in pulvere dormient, & vermes operient eos.* Ecce hominis hæreditatem! *Apertis* ergo *theſauris ſuis*, non aliorum obtulerunt, quia de ſuis & de ſeipſo facienda eſt oblatio. *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam. In me:* non in grege meo, non in arca mea, ſed in meo pectore; hoc archivum meum eſt. Sed dices: non ſum dives, non habeo tam pretioſum metallum in corde meo. *Argentum & aurum*

(*a*) Serm. 132. in Append. noviſs. edit., alias de tempore 35. ita num. 2. *Sed magnum aliquid latebat in parvo, quod illi homines primitiæ gentium non terra portante, ſed cœlo narrante didicerant.*

non eſt mihi; bene: quidquid ergo habes, hoc illi da. Non habes aurum; offer illi incenſum ſpiritus, aliam ſpeciem minus pretioſam; offer illi myrrham ſpiritum communem modici pretii. Joſeph non invenit in ſacco, niſi quod ipſe poſuerat: non a te petit Dominus, niſi quod in te poſuit. *Hilarem datorem diligit Deus.* Audi monentem te in filio ſuo Tobiam: *Quomodo potueris ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Quamvis pauper ſis, novit Deus paupertatem tuam. Non erit ingratus, ſi vel modicum ipſi offeras, quod habes; nam modica farinula oblata eſt Prophetæ a muliere, & tamen præmiata eſt.

VII. In archivo cordis triplex eſt theſaurus: ſpiritus, intellectus, & ſenſus: de primo; aurum amoris. Pſalmus: *Vivet, & dabitur ei de auro* puro *Arabiæ*. Beatus tu Domine, qui tale aurum mortalibus contuliſti. Nam de menſa Domini micæ cadentes ſatiant: & de torrente voluptatis ſtillicidia inebriant viatoris animum. Illis tamen qui ad hanc devotionis gratiam perveniunt, unum videtur reſtare periculum, & omnino timendum eſt a *dæmonio meridiano. Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* Hoc ergo timendum ei, qui magna delectatione omnia facit, ne dum ſequitur affectionem, corpus deſtruat per immoderatam exercitationem, ac deinde neceſſe habeat non ſine magno ſpiritualis exercitii detrimento, circa debilitati corporis curam occupari. Ergo illuminari neceſſe eſt lumine diſcretionis, quæ mater virtutum eſt, & conſummatio perfectionis: hæc nimirum docet: *Ne quid nimis.* Nec de eo qui ſic converſatur, dubitem dicere, quod ſuam ipſius ſalutem operetur. Quod ſi non es contemplator, eſto ſpeculator & laudator; de theſauro intellectus offer ſimplicem orationem; incenſum Domino. Pſalmus: *Dirigatur* Domine *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo* gratum ſacrificium. Pſalmus: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter* & via, qua devenitur ad contemplationem, & oſtenditur *Salutare Dei.* Unde Pſalmiſta cum dixiſſet, *dabitur ei de auro Arabiæ; & adorabunt,* inquit, *de ipſo ſemper, tota die benedicent ei.* Sed quomodo *adorabunt de ipſo ſemper?* Quomodo *tota die benedicent ei?* Numquid ergo & *ſemper*, & *tota die* orandum? Non eſt impoſſibile continue orare, ut credunt aliqui: nam ſemper orat, qui ſemper amat: & cui creſcit deſiderium, ſemper benedicit ei. Hoc aurum omnia facit pretioſa. Si dederit homo cunctam ſubſtantiam ſuam, & quæcumque poſſidet: ſi hoc non dat, nihil dat. Omne donum, *omnis æſtimatio, ſiclo ſanctuarii ponderabitur*, id eſt, charitate:

non enim quantum, ſed ex quanto. Dices: Non ſum tantum, non contemplator, ſed neque devotus ſum; peccator ſum, iniquus ſum. Equidem non excuſabis te ab oblatione. Offer ergo de theſauro ſenſus, myrrham probatiſſimam pro peccato, cordis conpunctionem, dolorem & amaritudinem. Offer hircum, boves, tauros, brutales motus jugula: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum, offeram tibi boves cum hircis.* Idem quod aurum, thus, myrrham. Sunt aliqui, qui prius aurum offerre volunt quam myrrham. Abundantes peccatis, myrrham probatiſſimam offerre poterunt: alias, dum credunt ſe offerre aurum, offerunt aurichalcum. Melius eſt offerre veram myrrham, quam falſum aurum. Peccator es, adhuc peccata pungunt? noli deſpicere offerre myrrham, & quærere aurum. Non enim invenies eum, priuſquam myrrham obtuleris: & poſtea incenſum, & poſtea aurum offeres. Hic ordo rectus eſt. Offero tibi Domine quidquid ſum, quidquid poſſum, quidquid ſcio. Interiora & exteriora, potentias, ſenſus, cor, animam, ſpiritum, corpus meum, totum quod ſum. Mitte ergo de cœlo ignem, qui adurat holocauſtum, & faciat gratum in odorem. Nam vere, niſi Dilectus meus mittat manum ſuam per foramen, & venter meus & cor meum contremat ad tactum ejus; neque ſurgam, neque aperiam Dilecto meo; neque manus meæ diſtillabunt hanc myrrham, neque digiti mei pleni erunt myrrha hac probatiſſima. Poteſt & aliter intelligi oblatio. Per aurum namque intelligi poſſunt bona fortunæ, ſcilicet, divitiæ. Per thus, bona animæ, ſcilicet, oratio, fides, charitas. Per myrrham, bona naturæ, ſcilicet, bona corporalia, corporis mortificatio, & virtutes morales.

Exodi 8. *Pſal.* 65. *Levit.* 9. *Machab.* 1. *Cant.* 5.

IN EPIPHANIA DOMINI

CONCIO TERTIA.

De Desponsatione Christi cum Ecclesia, de Historia Euangelii, ac Muneribus offerendis.

Procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.
Matth. 2. v. 11.

Concio cxxvii.

I. RAtionabiliter quis dubitare poterit, quænam ſit cauſa, quod hodie Sancta Mater Eccleſia tam ſolemnem agat feſtivitatem. Nam propter adventum trium Regum, non videtur tanta ſolemnitas celebranda. Quanti Reges & potentes poſtea converſi ſunt ad fidem, de quibus tamen feſtum non fit in Eccleſia? Procul dubio in hoc adventu Magorum aliquod myſterium latet, quod celebratur. Ita eſt: colit hodie Sancta Mater Eccleſia magnum illud Sacramentum; de quo Apoſtolus: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Celebrat ſponſorium Chriſti cum Eccleſia. Hodie enim deſpondit ſe, & manus invicem ſibi dederunt. Unde in die Natalis Domini canimus: Hodie cœleſti Sponſo juncta eſt Eccleſia, quando in Jordane Chriſtus lavit ejus crimina. Videte, quam merito jucundatur, & lætatur in die tantæ felicitatis & gloriæ. O ſacrate puer! Vix dum natus, & ecce deſponſatus. Uno die nati ſunt ambo. Nam, ſtatim poſtquam natus eſt, paſtores illuminantur ab Angelo, & Magi ſidere vocantur. Statim quoque Eccleſia nata eſt. Contemporanei ſunt, licet ille alias æternus. Solent amici, qui volunt matrimonio conſociare proles, ex pueritia enutrire, ut ſimul educati magis tenere ſe diligant. Amor enim, qui teneris annis & animis imprimitur, magis durat, & ſunt poſtea ſicuti frater & ſoror. Ita Pater cœleſtis Unigenitum ſuum ſtatim cum Eccleſia deſponſavit, ut eam diligeret. Erat enim ille generoſus & nobilis: illa autem plebecula & ruſtica, ex genere Adæ terreno: & ideo in pueritia deſponſatur, ut eam amplius amaret. O quomodo dilexit eam! O quanta fecit, & quanta paſſus eſt pro ea! Triginta tribus annis, duriſſimo ſervitio & labore ſervivit Patri, pro ſua dilecta: *Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Corpore ſuo dotavit eam, Spiritu ſuo ornavit eam, ſanguine ſuo ſubarrhavit eam, lavans eam lavacro aquæ fortiſſimo, *ut exhiberet ſibi glorioſam* Sponſam *Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujuſmodi; ſed ut* eſſet *ſancta & immaculata.* Unde admirans ejus pulchritudinem, ait: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es!* Et iterum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Apoſtolus: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam*, amore caſto & puro, ſicut ſorores ſicut ſocias in Chriſto. Accipite exemplum in Chriſto, qui ſic dilexit eam, ut ſeipſum tradiderit pro ea.

Gen. 29. *Epheſ.* 5. *Cant.* 1. *Ibid.* 4. *Epheſ.* 5.

II. Hoc ergo feſtum agimus hodie, hoc celebramus: ad hoc iſti Magi veniunt ab oriente. Legati ſunt Gentilitatis: veniunt cum authoritate & poteſtate, accipere & dare manus pro Eccleſia, & conſentire in deſponſationem. Sic enim prophetatum fuerat per Prophetas: in Pſalmo: *Venient Legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* O miſera ſynagoga! Si ſcires quid agitur hodie in medio tui! Alia tibi capit Meſſiam, alia accipit eum Sponſum, & nubit cum eo. Tu autem manebis miſera, ſola, deſerta, deſolata, abjecta, repudiata. Sicut Dominus ait: *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Et Iſaias: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis:*

Pſal. 67. *Matt.* 23. *Iſaiæ.* 1.

ratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt Sanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. Et quid? *Terra veſtra*, inquit, *deſerta, civitates veſtræ ſuccenſæ igni, regionem veſtram coram vobis alieni devorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Et derelinquetur Filia Sion ut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut civitas quæ vaſtatur.* Sponſorium celebratur per verba de præſenti indiſſolubile, & perpetuum. Et ſi vis audire verba deſponſorii, vide in Pſalmis: *Ecce Reges terræ congregati ſunt, convenerunt in unum. Permanebit cum ſole & ante lunam, in generatione & generationem. Et dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei.* Sequitur: *Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Et alibi: *Quoniam hic eſt Deus Deus noſter in æternum & in ſæculum ſæculi: ipſe reget nos in ſæcula.* Perpetuum eſt: morte non diſſolvitur, ſed confirmatur.

Pſal.47. *Pſal.71.* *Pſal.47.*

III. Sed quomodo, inquies, tam cito potuerunt cognoſcere Chriſtum natum ubique terrarum per ſtellam? Illa namque fuit velut quædam lingua de cœlo, quæ illis myſterium annuntiavit. Non tamen putetis per aſtrologiam didiciſſe, licet eſſent ipſi magi & aſtrologi. Longe ſit a pietate chriſtiana, tam iniqua & vana ſuperſtitio. Non eſt illa ſcientia, ſed vana & fraudulenta veſania. Quid enim poſſunt aſtra ſuper hominis arbitrium? Ridiculum eſt, quod vitia tua & peccata, in ſidera rejicias, & in naturam retorqueas. Non pendet vita hominis ex iſtis; ſed ex gratia Dei & arbitrio. Et qui hujuſmodi aſtrologos conſulit, non eſt verus Chriſtianus. Dices: Quomodo interdum vera dicunt? Reſpondeo: Deus hoc permittit propter impietatem interrogantium, ut eveniant maxima mala, quæ illi nuntiant, quia ſic promeruerunt interrogando illos, ſicut Apoſtolus ait: *Mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes.* Et ut ſeducti, vivunt ad majorem ſuam damnationem. Et ſæpius, quæ ipſi vel miniſtri eorum dicunt, dæmones implent Deo permittente ad interrogantium damnationem juſtam, & deceptionem. Dices: Quomodo ergo cognoverunt per ſtellam Chriſti nativitatem? Chryſoſtomus dicit, quod per Prophetiam Balaam, qui erat ex iſta patria. (a) Bernardus (a) & Leo, quod per divinam revelationem. Nam, qui eos foris illuminavit lumine ſtellæ, ipſe intus illuminavit lumine intelligentiæ. Unde, viſa ſtella, ſtatim agnoverunt illam eſſe ſignum illius magni & altiſſimi myſterii: & puerum natum non ſolum Regem, ſed etiam Deum eſſe. Hoc enim eorum dicta & facta aperte monſtrant. Non enim tam ardentem quærerent Regem Judæorum, ſi eum non amplius aliquid eſſe putarent. Unde ingrediuntur civitatem illam quærentes: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* Non quærunt, ſi natus eſt: ſed, *ubi eſt qui natus eſt.* Et quid vultis eum o Magi? *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.* Quare adorare? Plures apud vos ſunt Reges potentiores quam Judæorum. Regina Saba venit de terra veſtra audire potentiam Salomonis, non adorare. S. P. Auguſtinus (b): Nunquam ſic quærerent adorare Regem Judæorum, niſi ipſum crederent Regem eſſe ſæculorum. Patet etiam factis fides eorum: nam ipſi Reges erant ſapientes, noverant periculum magnum eſſe in regno alieno talem petere quæſtionem. Noverant Herodis crudelitatem, noverant tyrannum truculentum. Quomodo ergo auſi ſunt? niſi quia in illo, qui eos illuminaverat, confidebant, quia poterat eripere de manibus Herodis, & ſi contingeret aliquid pati pro Chriſto, poterant omnia ſuſtinere. Grandis ergo fuit iſtorum Magorum fides & illuminatio, quæ eos fecit tam celeriter feſtinare. Audito hoc nuntio *Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo.* Et de Herode: non minus tyrannus erat; alienigena, intruſus in regnum timuit, ne Meſſia nato regno privaretur. Neque tantum ille turbatur, quantum diabolus turbat eum. Timet & ipſe magis pelli a ſæculo: unde inſtigabat eum ad necem infantis, quamvis ſciret veritatem. Non erat tamen quare turbaretur Herodes: non veniebat Chriſtus auferre regnum, ſed dare. Sic Eccleſia: *Hoſtis Herodes impie, Chriſtum venire quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia.*

Rom. 1. *Num.*24. (a) *Mat.* 2. *Mat.* 2. (b) (c) *Ibidem.*

IV. Sed tu o Jeroſolyma quare turbaris? Quare triſtaris? Ecce, nuntiatur nativitas Chriſti tui, Regis tui, Salvatoris tui, tam diu expectati & deſiderati; & turbaris? Hæc ſunt gaudia, hæc ſunt tripudia, & ſolemnia quæ facis? Mira populi cæcitas, mira duritia, mira nequitia! Cum crudeli tyranno, contra Meſſiam conſpirarunt. Et ſicut Beatus Hieronymus (c) colligit ex illo dicto Euangelii: *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri;* cum Herode aliqui eorum, infantis necem procuraverunt; quod etiam aliquo modo patet ex teſtimonio. Nam, cum Herodes congregaſſet conſilium, & quæſiviſſet

(a) Serm. 1. in Epiph. Dom. num. 5. *Sed profecto qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit, & qui per ſtellam foris admonuit, ipſe in occulto cordis edocuit.* S. Jo. Chryſoſtomi, ſeu Auctoris imperfecti, & S. Leonis teſtimonia, jam in notis ad Concion. 1. hujus argumenti produximus. In pluribus autem Concio iſta cum prima convenit.

(b) Idem teſtimonium allegatur Conc. 1.

(c) In Matth. cap. 2. *Ex hoc loco intelligimus non ſolum Herodem, ſed & Sacerdotes, & Scribas eodem tempore necem Domini fuiſſe meditatos.*

Mat. 2. set ab eis: *Ubi Christus nasceretur?* Illi responderunt: *In Bethlehem Judæ: Sic enim scriptum est per Prophetam: & tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.* Et Michææ quinto: Michææ 5. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Procedite ultra o profani. Quare truncatis Scripturam? Quare decurtatis? Cur non dicitis quod sequitur: *Et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis?* Utique timuerunt offendere Regem, & ideo, potentiam maximam Christi tacuerunt; nolentes intelligere nec exponere quod nolebant, quia contra Dominum erant. O Herodes: tune Christum Dominum interficies? Admiror, quoties hic considero istorum ignorantiam & cæcitatem. Tune illum qui tam diu ante promissus & prophetatus fuerat, & nunc signo de cœlo monstratus, poteris perdere? Tu divinam providentiam impedies? Vel credis prophetiæ, vel non? Tu prophetiam evacuabis & Deum facies mendacem, & rerum ordinem Prov. 21. perturbabis? Non attendis: quod *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum?* Contra Deum contendis, Job 9. & cum Deo vis luctari? *Si* volueris *contendere cum eo, non poteris. Quis restitit ei & pacem habuit?* Nescis, quod super caput tuum veniet omne quod agis? O malitia quomodo excæcas oculos hominum! Quomodo obtenebras lucem rationis! Liberet nos Dominus ab homine iracundo, furibundo, & ambitioso; mille faciet confusiones, & committet errores. Nihil est, quod non aggrediatur malus, etiamsi sit sapientissimus, & prudentissimus. Passio facit stultum & stupidum. Sed non mansit sine vindicta utriusque, Herodis scilicet & populi tanta nequitia. O judicia Dei fortia! Quia isti cum Herode contra Filium Dei conspiraverunt, ideo ipsemet factus est carnifex & vindex eorum, & occidit tantam multitudinem infantium illorum. Neque dicamus, non occidit in Jerusalem, sed in Bethlehem; nam in Bethlehem similiter conspiraverunt. Nota enim illis fuerat Christi nativitas; nam illis pastores non tacuerunt, sed dominis suis & aliis nuntiaverunt teste Euangelista: Luc. 2. *Et omnes, qui audierunt, mirati sunt & de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.* Si mirati sunt, cur non juverunt, & famulati neque opitulati fuerunt Matri pauperi? Quare non habuerunt compassionem illius? Sed nullus motus est, nullus Matrem Domini introduxit, nemo admisit in domum suam, cum esset in stabulo in tanto frigore, timentes offendere Herodem. Unde, ut creditur, dicebant pastoribus: tacete, cavete vobis a diabolo: & ideo, propter hanc crudelitatem suam perpessi sunt ab eodem Herode tam crudelem vindictam. Discant qui versantur in palatiis, non adulari Regi contra Deum. Sed & ipse Herodes, ut ait Josephus (*a*), terribilem in se vindictam sustinuit: nam occidit tres filios suos & uxorem suam, & percussus est gravissima ægritudine, ut putrefactus non posset seipsum sustinere; & seipsum tentavit occidere cultro, & miserabiliter vitam finivit. *Quis non timebit te, o Rex gentium? Tuum est enim decus; inter cunctos sapientes gentium, & in universis regnis eorum nullus est similis tui.* Quoniam fortia judicia etiam in hoc sæculo agis contra malos. Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Jer. 10. Heb. 10.

V. Sed ad Magos veniamus. Vocat eos ad se Rex, & ait: *Ite, interrogate diligenter de puero: & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* O false, inique, o dolosa vulpes! Adorare vis? Imo occidere: & nisi expectasset hoc, eos omnes dilaniasset. Sed distulit fraude, ut posset puerum reperire. Illi ergo audito Rege *abierunt*, & egressi de civitate: *Ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.* Viderunt stellam ducem suam, & gavisi sunt gestientes præ animi lætitia, exultantes præ nimia jucunditate. Occultaverat enim se eis stella, ut coacti interrogarent, & interrogando discerent Scripturam. Item, ut manifestarent mysterium nativitatis Jerusalem, ne populus ille posset prætendere ignorantiam, quod nescirent. Mira illius populi duritia: neque unus ex illis motus est, ut iret cum eis. S. P. N. Augustinus (*b*): Facti sunt sicut lapides a milliario: qui ostendunt iter, & ipsi non vadunt. Sic isti docuerunt locum nativitatis. Alia ratio moralis occultationis stellæ: quia in societate malorum perditur lux. Visa ergo stella, *gavisi sunt gaudio magno valde.* Paululum enim tristati fuerant, quia nuntium nullum de puero in civitate illa audierant, & stella disparuerat. Unde, recuperato duce suo, vadunt duplici lumine illuminati, prophetiæ & stellæ, quæ eos in Bethlehem conformiter ad prophetiam dirigebat. Quis nunc sufficiat horum gaudium & lætitiam, fervorem & devotionem enarrare; cum jam cito sperant magnum illud spectaculum intueri? Vadunt celeres, *sicut carbones succensi*, & sicut Seraphim. Appropinquant ad domum, ubi erat puer, quæ, ut creditur, foris extra muros civitatis erat. Cum appropinquarent, Beata Virgo, audito strepitu equorum & dromedariorum; neque enim soli ibant, sed ut Reges comitati, Propheta teste: *Inundatio*, inquit, *camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum* Mat. 2. Ibidem. Psal. 17. Isaiæ 60.

&

(*a*) Antiquit. lib. 17. cap. 9. & 13. & lib. 15. cap. 9. Vide hæc loca.

(*b*) Testimonium recitavimus in notis ad Conc. 1.

& thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. Audito ergo tumultu pertimuit; & forte exiſtimans ne eſſet Herodes, vel alius qui nocumentum vellet inferre, occultavit, ut creditur, puerum in præſepio, & fœno operuit eum. Illi autem accedentes tranſibant, & ecce ſtella manebat. Redeunt, vident ſtellam proximam tecto tripudiantem & ſcintillantem, quaſi vellet comburere domum, autumant eſſe palearium vel ſtabulum. Tentant ulterius proficiſci, & manet ſtella. Exiliunt ergo ex equis, & intrantes domum, vident Virginem, ſolam, pulcherrimam, formoſiſſimam, qualis non fuit neque erit in ſæculum ſimilis. Qualis Filius, talis Mater. Filius *ſpecioſus præ filiis hominum*, ſic & Mater: quia numquam fuit filius matri tam ſimilis. Stupent, reſpiciunt ſe mutuo. Quid, inquiunt, hic agis o pulchra puella? Quis huc te traxit? Quomodo ſola, o margarita pretioſa? Gemma pulcherrima cælatur, ingeritur auro: & tu margarita ſpecioſiſſima hoſpitaris in ſtabulo? Dic nobis Domina, eſtne tibi filius? O durum verbum! O gladium! O ſagittam viſcera Virginis penetrantem! Quid tunc ageret Virgo? mentiri non erat ſuum, prodere non audebat: illi autem ex pallore Virginis videntes pavorem, ajunt: Noli timere Domina: *Pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali*. Pacifici ſumus, nullum malum faciemus. Sed ſi habes filium, oſtende nobis. Agnoſcens Virgo quod pacifice veniebant, prodit infantem.

Pſal.44.

Gen. 42.

VI. Quo viſo, mira res! ſtatim timentes ceciderunt in terram. Quis hoc dicit? Propheta: *Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt: convenerunt in unum. Ipſi videntes ſic admirati ſunt: timor apprehendit eos*. Et Euangeliſta: *Intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum*. O Magi! Quid vidiſtis in Matre? Quid vidiſtis in Filio? Quid vidiſtis in Virgine? Quid vidiſtis in parvulo? Non de membris purpura, non in capite diadema fulgebat. Non ibi pompa famulantium, non terror exercitus, non glorioſorum forma præliorum. Tamen aliquid magnum latitabat in parvulo, quod illos terruit & proſtravit. Leo videbatur in agno, gigas in parvulo, ſol in nubecula, Deus in carne. O qualis riſus! Quales oculi! Sicut lynces videbant æternitatem intra parietem noſtrum, & fontem pietatis intra cor puſillum penetrabant. Quid ſentis o Virgo? Quid cogitas? Quantam multitudinem nobilium ſericatorum vides ad tuos pedes proſtratam, ſicut turduli, quando ſupervolitat aquila? Ut exiſtimo, gratias agebant Deo, qui tantum myſterium dignatus fuerat prodere ad mundi utilitatem. Et poſt modicum levantes ſe ſuper genua: *Obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham*. Si aurum ſolum obtuliſſent, putaremus eos neceſſitati Matris voluiſſe ſuccurrere; ſed cum offerant incenſum & myrrham, profecto liquet, quod myſtica erant dona quæ offerunt, & illorum fidem proteſtantur. Thus, offerunt Deo; aurum, Regi; myrrham, mortali. Quid dixerint, quid fecerint Euangeliſta tacet: vos poteritis contemplari; quomodo accipiunt puerum & deoſculantur, quomodo beatificant Matrem, quomodo offerunt ſe in famulos & regna ſua. Cogitate, quid vos faceretis; nam illi amplius fecerunt, quia magis devoti erant. Credendum eſt, illos ibi voluiſſe manere, vel Virginem ſecum ducere. Sed admoniti *in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam*. Hæc de hiſtoria.

Pſal.47.

Mat. 2.

Ibidem.

VII. Magnum nobis exemplum, Fratres, poſitum eſt in iſtis Magis, quod imitemur, & ſequamur. Viri excellentiſſimi fuerunt, ferventiſſimi, fideliſſimi, quales decebat eſſe primos Eccleſiæ lapides. Quis eorum diligentiam, fervorem, fortitudinem, perſeverantiam narrare ſufficiat? Cui comparabimus Viros iſtos? Si Angelis, agiliores ſunt; ſi leonibus, fortiores ſunt; ſi lyncibus, perſpicaciores ſunt. O quanta diligentia quæſierunt Dominum viſa ſtella! Non eos detinuit domus vel familia, non regni negotia: ſtatim itinerantur, & tredecim diebus, ſpatium menſis pertranſeunt. Unde Iſaias: *Qui ſunt iſti qui ut nubes volant?* Ecce diligentiam! Attendite fortitudinem, & perſeverantiam. Nuntiant civitati: perdunt ſtellam: non eſt mentio de infante. Turbatur Herodes, turbatur civitas tota; & ipſi in negotio perſtant. Attendite etiam perſpicacitatem & fidem. Vident ſtabulum, matrem ſolam, puerum pannis involutum; nihil eos offendunt hæc omnia: ſed quaſi in pompa reperiſſent, ſic adorant obſtupeſcentes & admirantes ſummam majeſtatem contemplari in tanta paupertate. Mira fides Latronis; ſed non fuit hæc minor; ille cognovit in patibulo, iſti in præſepio; ille morientem, iſti vagientem; ille inter latrones, iſti inter animalia; ille forte aliquid viderat de miraculis vel audierat: &, ſi non ſufficiebat, viderat patientiam illam, & manſuetudinem & charitatem, qua pro crucifigentibus orabat: iſti autem nihil tale viderant, neque audierant; propterea mirabilior fides eorum. O Fratres chariſſimi! Si ſic Dominum; o ſi ſic diligenter, ferventer, & perſeveranter Jeſum inveſtigaremus! O quanta eſt noſtra tepiditas, quantus torpor, quanta negligentia! Si proponimus quærere Deum, ad minimum ſtatim obſtaculum deſiſtimus, ſtatim ceſſamus, & vix in propoſito perſeveramus. Quis noſtrum ſic ſtaret coram illo tyranno intrepidus, ſicut iſti? Quis tam libere loqueretur? *Deus reſpexit ſuper filios hominum: ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt*. Vides monachum, vides ſacerdotem, vides Epiſcopum? Tange, & reperies vacuum ſine fervore, ſine zelo, ſine charitate. Omnia plena ſunt vanitate. Jeremias: *Aſpexi terram,*

Lucæ 23.

Mat. 2.

Iſaiæ 60.

Pſal.52.

Jer. 4.

terram, & ecce vacua erat, & nihili; & cœlos, & non erat lux in eis. Quæramus ergo & nos Jesum non in stabulo, sed in cœlo. Non in Matris gremio, sed in sinu Patris. Quæramus cum lumine stellæ, id est, fide. Hæc est, quæ nos ducit ex loco isto caliginoso & obscuro: hanc sequamur; non declinemus oculum ab ea; ipsa nobis eum monstrabit Regem in decore suo. Cavete malas doctrinas, cavete malas lecturas. Sermo eorum, ut cancer serpit. Cavete malorum societatem his temporibus. In ingressu Jerusalem perdita est stella, quia ibi erant Herodes & iniqui. Si cum malis conversamini, amittetis lumen fidei. Nihil tam facile, quam admittere errorem. Apostolus: Time, *ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri; & excidant a simplicitate, quæ est in Christo.*

2. Cor. 11.

VIII. Sed puer Jesus non invenitur sine Maria. Sic dicitur de Magis: *Intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.* Hanc igitur assidue oremus, ut ostendat nobis Filium suum. Et postquam invenerimus eum, adoremus eum, procidentes. Non sicut aliqui, qui coram augustissimo Sacramento sunt sedentes & loquentes. Idem Dominus, idem Deus est, qui tunc involvebatur pannis, & modo involvitur illis cortinis Sacramentalibus: & tamen, quam modica reverentia, postquam sedet ad dexteram Patris. Procide Christiane, & adora. Dic erga eos, qui dicunt Missas in domibus suis. Quanta irreverentia est Sacramenti! Procidentes ergo offeramus *ei munera aurum, thus, & myrrham.* Offeramus aurum, per quod charitatem intelligimus, quæ cæteris virtutibus præeminet, sicut aurum omnibus metallis. De quo in Apocalypsi: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ.* Sine charitate, teste Apostolo, etiamsi omnes virtutes habeas, pauper es, & nihil es. *Si*, inquit, *linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hanc ergo charitatem offeramus de thesauro cordis. Offeramus etiam thus, id est, orationem, devotionem, & laudem de thesauro linguæ. Hæc est illa *virgula fumi*, odorifera & suavissima, quæ ascendit de deserto, & penetrat cœlos. *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Offeramus etiam ei de thesauro carnis myrrham mortificationis, sci-

Mat. 2.

Apoc. 3.

1. Cor. 12.

Cant. 3.

Psal. 49.

licet, & pœnitentiæ. Hæc species amara est, sed valde utilis & pretiosa: præservat enim corpora a putrefactione, & vermibus. Si est pœnitentia, amara est; nam abstinere a delectationibus, insistere laboribus, amaritudinem habet: sed utilissima est; quia carnem a corruptione & putrefactione præservat, ne putrescant *jumenta in stercore:* & affectus carnis extinguit & suffocat. Ex hac myrrha nascitur ille magnus thesaurus castitatis & continentiæ, sine qua nemo videbit Deum.

Joel 1.

IX. Debemus autem offerre myrrham non qualemcumque, sed primam & perfectissimam. De qua in Canticis Sponsa: *Manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.* Et de Sponso ait: *Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.* Nam duplex est myrrha. Prima communis hæc est: abstinere a voluptatibus & delectationibus illicitis & prohibitis, & negare carni omne fomentum, quo offenditur Deus: talis est myrrha sæcularium bonorum. Alia est myrrha prima & optima. Hæc est abnegare seipsum, & tollere crucem suam; id est, non solum ab illicitis & prohibitis, sed etiam ab omnibus mundi voluptatibus & delectationibus abstinere, juxta illud Apostoli: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Nam sæcularibus dicitur: *Non in comessationibus & ebriatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & emulatione, & carnis curam ne feceritis in desideriis;* sed religiosis dicitur: *Induimini Dominum Jesum Christum;* & etiam, ut carnem crucifigant cum vitiis & concupiscentiis. Figuram Abrahæ notabis de vacca trina, caprea trienni, &c. *Sume*, inquit Abrahæ Dominus, *mihi vaccam triennem, & capram trinam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, & utrasque partes contra se altrinsecus posuit: aves autem non divisit.* Aves non dividuntur, sed animalia. Aves, viri spirituales: animalia, quæ per terram ambulant, communes Christiani. Aves non habent tempus signatum, quia non sunt temporales: animalia temporanea sunt, quia temporibus incumbunt, & temporalia diligunt. Attende in animalibus divisionem: *Qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Et, *quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*, & similiter divisa est. Homines licet boni, tamen plebæi, per animalia designati, divisi sunt: quoniam sic Deo vacant, ut & temporalibus vacent. Sed, *qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore & spiritu.* Homines ergo spirituales ac religiosi, non sicut Christiani sæculares, quorum sola cura est Deus, & totum desiderium. Et hæc myrrha optima est: sed debet esse non effusa,

Gal. 5.

Rom. 13.

Gen. 15.

1. Cor. 7.

sed

sed distillata, sicuti dictum est superius: *Manus meæ distillaverunt myrrham*, sic, ut carnem domet, non extinguat, aut inutilem reddat. Felix anima quæ tam dives est, & talem oblationem potest offerre Deo suo; ex corde amorem; ex lingua laudem; ex carne puritatem. Huic quid restat, nisi ut per aliam viam revertatur in regionem suam. Per quam viam venit in mundum? Attendite: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Omnes nascimur filii iræ; venimus in mundum lugentes & plangentes miseriam nostram, & vitam asperam & periculosam, quam incipimus. Sic intramus omnes, sic vivimus: sed per aliam viam revertimur.

Cant. 5. *Psal. 50.* *Ephes. 2.*

A Intramus filii Adæ; eximus filii Dei. Intramus filii iræ; eximus filii gratiæ. Intramus cum fletu & lacrymis: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua*; eximus cum gaudio, & *exultatione, portantes manipulos* nostros, bonorum operum & meritorum; expectantes statim videre Regem, non Judæorum, sed Angelorum in decore suo, non in præsepio, sed in excelso solio gloriæ suæ. Rependet enim Dominus pro muneribus oblatis, & dabit pro auro, voluntati gaudium sempiternum: pro castitate corporis, lucem & pulchritudinem majorem, quam solis est: pro laude, dabitur intellectui visio Dei: cui honor & gloria sempiterna: ad quam nos perducat ipse Jesus Christus. Amen.

Ps. 125.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ

CONCIO.

DE DESPONSATIONE CHRISTI CUM ECCLESIA, ET BAPTISMATE.

Induit me vestimentis salutis: & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona: & quasi sponsam ornatam monilibus suis.
Isaiæ 61. v. 10.

* CONCIO CXXVIII.

I. HODIE cœlesti sponso juncta est Ecclesia, quoniam lavit in Jordane Christus ejus crimina. Apostolus: *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Ipse prius sponsam decoravit, & deinde desponsavit. Solet esse consuetudo, ut quando sponsandi sunt parvuli, parentes dent manus, & offerant hinc inde munera, usquequo crescant, & fiat matrimonium per consensum ipsorum. Sed aliter in Christo & Ecclesia. Erant quidem parvuli: nam eodem die quo Christus natus est, nata est & Ecclesia: stella enim Magos illuminavit, & Angelus pastores docuit primos lapides Ecclesiæ. Offerunt ergo ipsi statim sibi munera: nam parvulus sponsus obtulit arrham sanguinis in circumcisione: & sponsa obtulit aurum, thus, & myrrham in adoratione. Mansit autem cum Matre sua Virgine: & Magi reversi sunt in regionem suam. Sanctus vero Propheta David, solicitus ne tantum matrimonium per incuriam sponsæ dirimeretur, in moribus illam instruit, ut agnoscat quomodo sit nutrienda, ut non repudietur a sponso; dicens: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Audi:* nam sponsam non decet esse surdam. *Vide:* nam non

Ephes. 5. *Mat. 2.* *Ibidem.* *Psal. 44.*

B decet esse cæcam. *Inclina aurem tuam:* quia non decet ut sit vitiosa & superba. *Audi* Prophetas, *vide* miracula, *inclina aurem tuam*, ut agnoscas mysteria. Et cum dictum tibi fuerit, quoniam Deus jacet in præsepio: *inclina aurem tuam*. Cum dictum fuerit, quod famescit & sitit: *inclina aurem tuam*. Et dum dictum fuerit, quoniam dolet Deus, tristatus est Deus; ne avertas aures incredula: sed *inclina aurem tuam*. Cum dixerint tibi legati Christi Apostoli, quoniam, mortuus est, & resurrexit: *inclina aurem tuam. Obliviscere populum tuum:* curarum,

Luc. 2. *Mat. 4.* *Jo. 19.* *Mat. 26.* *Rom. 6.*

C concupiscentiarum, desideriorum, quæ seminant peccatum in carne. *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui*. Dæmonem quem coluisti, domus est inundans. *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui*. Contemne pompas sæculi, divitias, vanitates, &c. *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum*. Ruth pro merito fidei suæ, nupsit Booz, quia propriam gentem contempsit, & terram & genus, & elegit Israel, & non despexit socrum viduam simul & peregrinam, desiderio ducta generis ejus magis

D quam sui, Deum patrum suorum repulit, & Deum viventem elegit, talibus verbis dicens ad socrum suam: *Ne adverseris mihi ut relinquam te & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: & ubi morata fueris, ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus,*

Ruth 1.

minus, ſi non ſola mors me & te ſeparaverit. Et ideo Booz pro merito ſuæ fidei illam accepit uxorem. Quemadmodum ergo Ruth illa ex alienigenis mulier, niſi prius reliquiſſet parentes, niſi domum contempſiſſet, & gentem & patriam atque cognatos, nunquam profecto tali fuiſſet nobilitata connubio: ita Eccleſia non ante amabilis efficitur ſponſo, quam priorem converſationem relinquat. Quod Propheta quoque ad ipſam
Pſal.44. loquens, ait: *Obliviſcere populum tuum & & domum patris tui & concupiſcet Rex decorem tuum.* Hoc ergo quia Ruth etiam feciſſe legitur, idcirco in Eccleſiæ ſimilitudinem, ſponſa & mater effecta eſt. Et tu, o ſponſa, ſi ſic morigerata fueris, *concupiſcet Rex*, ſponſus tuus, *decorem tuum*. Convertens autem ſermonem ad ſponſum puerum idem Propheta, ait: Et tu puer decore nimis recordare generis tui, & ſanguinis, regni & ſtirpis de qua deſcendis: & quoniam talis es: fac actiones heroicas ac viriles, ut tua fortitudine allicias ad amorem ſponſam tuam in famoſitate geſtorum
Philip.2. tuorum. Quoniam *nomen* habes *quod eſt ſuper omne nomen:* fac opera magnifica, ut divulgetur nomen tuum, & perveniat fama tua ad terminos terræ, de quibus ſponſa tua
Pſal.75. congregari debet. *Notus* quidem *in Judæa Deus: & in Iſrael magnum nomen ejus;* ſed
Cant. 1. brevis provincia ad tantum nomen. *Oleum effuſum nomen tuum;* effuſum, inquam, per totam terram. Ait ergo idem Pſalmiſta:
Pſal.44. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis.* Ecce quibus verbis ſtimulet ſponſum ad opus magnificum! O qualia expectabat mundus opera ab illo ſponſo infante in cujus ortu talia ſigna apparuerunt!
Lucæ 1. *Quis putas, puer iſte erit?* Cum creverit,
Ibid. 2. qualia faciet: in cujus ortu Angeli tripudiant, bruta lætantur, cœli flammant, ſenes prophetant: o ſancte Joſeph quid ſperas de puero futurum?

Mat. 2. II. Sed, ecce ducitur peregrinus in Ægyptum; creſcit, pervenit ad decimum, vigeſimum & quaſi uſque ad trigeſimum annum,
Lucæ 3. & non eſt memoria. O quantus ſtupor tenebat Joſeph & cognatos Virginis, videre adeo contemptibilem Dominum, & tacentem, & nihil operantem in tanta humilitate, illum de quo tanta ſperabant! Interim Virgo ſola, myſteria cognoſcebat, ſola illa aquila penetrabat oculis lynceis Dei virtu-
Pſal.50. tutem in corpuſculo, & poterat dicere: *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Siquidem, in ipſa converſatione & virtutum eminentia, magis mirabatur regiam virtutem, quam poſtea homines terreni mirabantur in virtute miraculorum. Sola ergo Deum in operibus agnoſcebat occultis, & in ſilentio ſapientiam, & in infirmitate virtutem. O quis poterit ſatis ponderare Dei clementiam & humilitatem! Octodecim annis ſapientia Dei reputatur quaſi ſtultitia, & virtus Dei ſtulta deſpicitur ab omnibus, & ſervit humiliter fabro *Rex* *Apoc.19.* *Regum & Dominus Dominantium.* Denique de tanto tempore hiſtoria eſt ſola hæc: *Et* *Lucæ 2.* *erat ſubditus illis.* Dicit Baſilius (*a*), quod in ſudore & labore & fatigatione, eorum paupertatem adjuvabat. O quanta lætitia, cum illa paſcebat Regem ſæculorum! O menſa illa, tam diu frequentata a tribus: a Rege ſæculorum, Regina Angelorum, & ſanctiſſimo utriuſque nutritore Joſeph! Vide quantus reputabatur ab hominibus. Nam, cum poſtea doceret, & faceret miracula; non minus ſtupebant de doctrina, quam de ſuſcitatione mortuorum; dicentes: *Unde huic* *Mat. 13.* *ſapientia hæc & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? Unde ergo huic omnia iſta? & ſcandalizabantur in eo.* O ſi ſciretis unde habuit ſapientiam, unde in illo omnia! Ab illa enim origine æterna omnipotentis Dei, inde habuit omnia. Anſelmus (*b*) ait: Videbat Virgo pa- (*b*)
nem Angelorum ſecum fameſcentem, & ſecum indigentem, ſecum paupertatem ſuſtinentem. O quanto gaudio replebatur! O quanta patientia ſuſtinebat egere cum omnium Domino! Uſquequo Domine (*c*), uſque- (*c*)
quo contemneris, uſquequo Dei ſapientia, quaſi idiota reputaberis? Uſquequo Fili Dei Altiſſimi reputaberis filius fabri? Uſquequo quaſi inutilis & vilis contemneris? Sufficiat jam Domine ſufficiat tanta humilitas: non ſuſtinet mundus ſilentium tuum. O Dei Verbum! loquere jam Domine loquere. Exeat in publicum jam Domine abyſſus illa luminis, appareat majeſtas in tanta humilitate recluſa. Expectant Domine ſancti Patriarchæ, expectant juſti, manifeſta Domine jam te ipſum mundo. Cum ergo venit dies, in quo determinatum erat a Deo & conſtitutum, inchoare myſterium Redemptionis: ut *Ibid. 5.* lucerna ſub modio, poneretur ſupra candelabrum, ut lucret omnibus qui ſunt in domo (ut pie creditur) facta oratione, & forte non ſine lacrymis, Agnus ille innocens genibus flexis ait ad Patrem: Ecce tempus eſt Pater, ut manifeſtem nomen tuum hominibus. Tempus eſt, ut incipiam pati *Jo. 17.* detractiones, invidias plurimas. Et nunc

Cla-

(*a*) Conſtitut. Monaſtic. cap. 4. num. 6.

(*b*) De excellentia B. V. Mariæ cap. 4. *Si tantus fuerit amor ejus, & vere major erga hunc dilectiſſimum Filium ſuum, quo quæſo, vel quali gaudio replebatur tota ſubſtantia ejus, quando eum, quem tantopere diligebat, quem Creatorem, ac Dominatorem omnium rerum eſſe ſciebat, ſecum egentem, ſecum edentem, ſe quæcumque noſſe volebat dulci affata docentem haberet quid caperet?*

(*c*) Ita etiam S. Bernardus in Epiph. Dom. num. 7. *Ecce Domine Jeſu vel jam nunc loquere. Quouſque ſiles? quouſque diſſimulas? diu tacuiſti, & valde diu... Quamdiu Dei virtus, & Dei ſapientia, quaſi infirmus aliquis, & inſipiens lates in populo? Quamdiu nobilis Rex, & Rex cœli, fabri filium te pateris appellari pariter, & putari?*

Jo. 17. *Clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet;* & ſimilia. Et exurgens ab oratione, (ut pie creditur), allocutus eſt Matrem, & conſolatus eſt eam, & forte ordinem vitæ gerendæ aperuit. Quis enim ſcit, quas collocutiones, & quam dulces habuerit cum Virgine, & quæ myſteria ei revelaverit? Et (*a*) data, receptaque benedictione (*a*), arripit iter ad Joannem: ſolus ſine ſocio, pedeſter cum fatigatione per domos alienas pergit ad Joannem in deſertum.

III. Maneat hic Dominus, & ad Joannem noſtra convertatur oratio. O Baptiſta ſacrate quid hoc eſt? Cur deſertum petis? Relinquis vitam popularem & petis deſer-
Baruc. 3. tum? Deus habitat inter homines, & cum illis converſatur, & tu quæris ſolitudinem? Cur tam deſiderabili ſolatio dominicæ præſentiæ, & converſationis ejus libenter defraudaris? O quam deſideratus fuit aſpectus ejus Regibus & Prophetis! ut quidam illo-
Malac. 3. rum ait: *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum?*
Lucæ 2. Et certe Simeon in ejus viſu, gaudio & exultatione repletur. Et tu fugis conſortium ejus, & petis antra deſerti, ut ſis ſerpentum & brutorum ſocius? Credite, Fratres, credite mihi: non ſponte hoc Joannes fecit, ſed a Spiritu ſancto miſſus illic detinebatur non ſine magno deſiderio videndi Dominum. Acceperat enim ſolatium a Spiritu ſancto, quod ad eum eſſet venturus, ut dicitur in Euan-
Jo. 1. gelio: *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum; & ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptiza-*
Ibidem, re *in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſan-*
Ibidem. cto. *Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* Sed ſi quæras rationem facti, maxima fuit ratio certe: ut qui redditurus erat teſtimonium de Chriſto, non videretur familiaritate & amicitia motus magis quam veritate teſtificari & de-
Ibidem, monſtrare Chriſtum. Teſte namque Euange-
liſta: Hic *fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes: & hic venit in teſtimonium,*
Ibid. 5. *ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut om-*
Lucæ 1. *nes crederent per illum. Erat lucerna ardens, & lucens.* Zacharias: *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem*
Pſ. 131. *Domini parare vias ejus.* Pſalmus: *Paravi lucernam Chriſto meo.* Ideo totum ejus ardentiſſimum deſiderium erat, Chriſtum manifeſtare latentem. Cum ergo Dominus in tanta humilitate ſe abſconderet, ut dictum eſt; Joannes, quanto Chriſtus ſe deprimebat, tanto ipſe ſe levabat ut vitæ ſuæ excellentia firmaret teſtimonium. Chriſtus quaſi minimus hominum latet inter homines; Joannes, ut Chriſtum prodat, quaſi ſuper homi-

A nes vivit in deſerto. Chriſtus quaſi unus de *Lucæ* 1. hominibus reputatur; Joannes major homine creditur. Chriſtus abſconſus latet & a nemine cognoſcitur; Joannes ab omnibus agnitus plures baptizat, ut ignotum prodat. *Marc.* 1. Chriſtus communi veſte veſtitur; Joannes veſte camelorum. Chriſtus communi cibo *Mat.* 3. veſcitur; Joannes locuſtis: ut ſcilicet auſteritas veſtis & cibi Regem ſæculorum in communi veſte & cibo prodat. Nunc oportet Joannem creſcere, cum Chriſtus minuitur: poſtea vero, cum jam ſponſa vocem audierit, & ſuis factis ſe manifeſtaverit: *Amicus* *Jo.* 3.
B *ſponſi ſtat;* id eſt, ceſſat. Jam *ipſum oportet creſcere, me autem minui.* Chryſoſtomus (*b*): (*b*)
Nam Paranymphus intromittit ſponſum, & remanet foris. Ita Joannes Chriſtum & ſponſam conciliat, & ipſe decapitatur.

IV. Sed videndum eſt, quomodo Chriſti ſignum erat, Spiritum deſcendere, & ſuper eum manere. Nonne etiam ſuper alios deſcendit Spiritus ſanctus? Nonne, *cum com-* *Act.* 2. *pleverentur dies Penteceſtes, & erant omnes pariter in eodem loco,* & ſuper Apoſtolos *factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis,* & *replevit totam domum*
C *ubi erant ſedentes?* Nonne teſtimonium perhibente Petro de Salvatore Chriſto, adhuc eo loquente, *cecidit Spiritus ſanctus ſu-* *Ibid.* 10. *per omnes qui audiebant verbum?* Nonne *re-* *Ibid.* 13. *pletus* legitur *Spiritu ſancto* Paulus, cum ſibi & Barnabæ reſiſteret Elymas? Nonne, & *diſcipuli* inveniuntur repleti *gaudio & Spiritu ſancto?* Et cum rurſum de eodem Spiritu, Veritatis ore diſcipulis dicitur: *Apud vos* *Jo.* 14. *manebit & in vobis erit;* quid eſt, quod divina voce Mediatoris ſignum hoc, eadem ſancti Spiritus manſio declaratur, cum dici-
D tur: *Super quem videris Spiritum deſcenden-* *Ibid.* 1. *tem & manentem ſuper eum, hic eſt?* Si igitur juxta Magiſtri vocem, & in diſcipulis manet; quomodo jam ſingulare ſignum erit, quod in Mediatore permanet? Gregorius (*c*) (*c*)
alia, inquit, ſunt dona Spiritus ſancti, ſine quibus ad vitam æternam nequaquam pertingitur; alia, quibus vitæ ſanctitas pro aliorum utilitate declaratur. Manſuetudo namque, humilitas, patientia, fides, ſpes, charitas, dona ejus ſunt: ſed ea, ſine quibus ad beatitudinem homines pervenire nequaquam poſſunt. Prophetiæ autem, virtus curationum, genera linguarum, interpretatio ſermo-
E num, etiam dona ejus ſunt: ſed quæ virtutis ejus præſentiam pro correctione intuentium oſtendunt. In his igitur Spiritus ſancti donis ſine quibus ad vitam perveniri non poteſt; Spiritus ſanctus ſive in prædicatoribus ſuis, ſive in electis omnibus ſemper manet. In illis autem, quibus per oſtenſionem illius, non noſtra vita ſervatur, ſed aliorum quæritur, nequaquam ſemper in diſcipulis, prædicatoribus, & electis permanet:

(*a*) Vide S. Bonaventuram in Medit. Vitæ Chriſti cap. 16. ubi ſimile aliquid legitur.
(*b*) Vide Homil. 17. in Joannem.
(*c*) Ab his uſque ad ea: *in illo autem per ſubſtantiam manet ad cuncta* Gregorii verba ſunt lib. 2. Moral. cap. ultimo.

quia ſemper quidem eorum cordi ad bene vivendum præſidet, nec tamen per eos virtutum ſigna ſemper oſtendit: ſed aliquando ſe eis a ſignorum oſtenſionibus ſubtrahit, ut eo humilius virtutes ejus habeantur, quo
1.Tim.2. habitæ teneri non poſſunt. *Mediator* autem *Dei & hominum* Chriſtus Jeſus in cunctis eundem Spiritum ſanctum, & ſemper habuit præſentem: quia ex illo idem Spiritus per ſubſtantiam profertur. Recte ergo cum in electis maneat, in mediatore ſingulariter permanere perhibetur: quia in iſtis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per ſubſtantiam manet ad cuncta.

V. Sed iterum: quomodo Joannes eguit ſigno? Nonne ipſum in ventre cognovit? Nonne ad illius adventum exultaverat adhuc in utero matris? Quomodo ergo dicit:
Jo. 1. *Ego neſciebam eum; ſed qui miſit me baptizare, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt?* Si non cognoſcebat eum antequam deſcenderet ſuper eum Spiritus ſanctus: quomodo antequam ipſum baptizaret & Spiritus deſcenderet, agnovit eum, dum ait:
Mat. 3. Domine, *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Magna quæſtio: contra Donatum profundiſſime illam reſolvit P. Auguſtinus (a) *Tractatu quinto in Joannem*. Diſcit, inquit, Joannes eum quem noverat: ſed in eo diſcit, in quo eum non noverat, in quo noverat non diſcit. Et quid noverat? Dominum. Quid non noverat? Poteſtatem Dominici baptiſmi in nullum hominem a Domino tranſiturum, ſed miniſterium plane tranſiturum: poteſtatem a Domino in neminem, miniſterium in bonos & malos. Et ſive baptizaret in miniſterio ſervus bonus, ſive baptizaret in miniſterio ſervus malus; non ſciret ille qui baptizaretur, baptizari, niſi ab illo, qui ſibi tenuit baptizandi poteſtatem. Hoc ergo voluit per columbam, id eſt per Spiritum ſanctum ſic venientem, docere eum qui miſerat eum, dum
Jo. 1. ait. *Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*. Non enim ait, *hic eſt* Dominus; non ait, *hic eſt* Chriſtus; non ait, *hic eſt* Deus; non ait, *hic eſt* Jeſus; non ait, *hic eſt* qui natus eſt de Virgine Maria; non ait, *hic eſt* poſterior me & prior me; non ait hoc, jam enim hoc noverat Joannes. Sed quid dixit: *Hic*, inquit, *eſt qui baptizat*. Docens eum id quod non noverat; nempe, tantam poteſtatem baptiſmatis Dominum habiturum, & ſibi retenturum. Et ſive præſentem in terra, ſive abſentem corpore in cœlo, & præſentem majeſtate ſibi retenturum baptiſmatis poteſtatem: ne Paulus diceret baptiſmus meus. Ideo videte, & intendite voces Apoſtolorum. Ne-

A mo Apoſtolorum dixit: baptiſmus meus; ſicut, quamvis unum omnium eſſet Euangelium, tamen invenis dixiſſe *Euangelium* Rom. 2.
meum, & non invenis dixiſſe baptiſma meum. Hoc eſt ergo Fratres mei, quod didicit Joannes, ut diſcamus & nos. Eandem quæſtionem reſolvit P. Auguſtinus (b) *lib. ſecundo* (b)
de Conſenſu Euan. cap. 15. Prædicante interim Joanne ad ripam Jordanis, &, ut pie creditur, exponente, quoniam tempus eſſet impletum, ut jam verſetur Meſſias, ſecundum prophetias Jacob, & Danielis hebdo- Gen. 49.
madas: cum jam diſpoſita eſſent corda per Dan. 9.
B prædicationem, & magna multitudo plebis adſtaret: ecce ſponſus decorus cum magnifico ſpolio, ecce Dominus ſolus veniebat ſine homine. Sed o quanta multitudo Angelorum replet aerem! Quanta ſtipatus caterva cœleſtium Poteſtatum adfuit! Igitur glorioſo ſponſo eminus adventante, ut exhiberetur ſponſæ prævaricatrici; ipſo viſo, repente tuba cœleſtis intonuit: *Ecce Agnus* Jo. 1.
Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: Ecce Agnum ſine macula, auferentem mundi maculas.

VI. O cœleſte teſtimonium! Quid apertius?
C Digito oſtenditur. Non eſt tibi excuſatio o Judæe: ecce Joannes eſt qui teſtificatur, Joannes, inquam, ille cultor eremi, Angelus in carne, ille qui in eremo ſocium hominem videtur exutus: ille, quem ſi ipſe diceret, crederes eſſe Meſſiam; ipſe Propheta eſt, & plus quam Propheta: & non Lucæ 7.
per ambages, non per circuitus; ſed aperte digito demonſtrat Joannes, juſtitiæ culmen, ſanctitatis forma; ut lucerna ſolem demonſtrat populo cæco. O magnum teſtimonium, magna laus talis Prophetæ! Ecce, ſi aliquis Propheta de tempore, vel loco, vel diſpo-
D ſitione, vel aliqua alia circumſtantia adventus Meſſiæ aliquid dixerit, magnum putatur dixiſſe. Joannes brevi ſermone omnes Prophetias includit & ſuperat. *Ecce Agnus* Jo. 1.
Dei, qui tollit peccata mundi. Tenebroſa aqua Pſal.17.
in nubibus aeris, id eſt, ſcriptis Prophetarum. Sed ſi aliorum non intelligis, Joannis tamen ignorari non poteſt. Nam, quid apertius iſto verbo: *Ecce Agnus Dei? Ecce Agnus* cui juge Sacrificium offertur pro populo. *Ecce Agnus*, cujus ſangine ſi tinxeris poſtes animæ tuæ, conſcientiæ tuæ limina, Exod.12.
liber haberis ab Angelo perimente. *Ecce*
E *Agnus* in Paſchate cum ſolemnitate veſcendus cum lactucis agreſtibus, & pro peccato. O peccator! Si te peccata ſtimulant, noli timere, accede ſecurus: *Ecce Agnus* eſt: non eſt jam leo. Mitiſſimus eſt, non fremitum, aut rugitum expectes te auditurum. Quis timeat accedere ad Agnum? Aut quæ peccata non deleat Agnus innocens, immolatus pro peccatis? *Ecce Agnus Dei, qui tollit*

(a) Ab his uſque ad ea verba: *Hoc eſt ergo Fratres mei quod didicit Joannes, ut diſcamus & nos:* excerpta ſunt ex tractatu 5. in Joann. num. 8. & ſequ. ordine tamen inverſo.

(b) De Conſenſu Euangeliſt. lib. 2. cap. 15. non 25. ut notat editio Bruxellenſis.

lit morbos a corpore, peccata ab anima; utriusque medicus factus, & corporis & animæ. Bernardus (*a*): *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sed unde? Utique a manu, ab oculo, a collo, demum etiam a carne ipsa, cui altius peccatum infixum est. Tollit namque peccatum a manibus, commissa peccata delens; tollit ab oculo, purgans cordis intentionem; tollit a collo, violentam removens dominationem. *Ecce Agnus* vere humilis, vere mansuetus. *Ecce Agnus Dei*, qui purgationem faciet nostrorum delictorum: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi:* qui sentinam nostram purgaturus advenit. Et tamen post hoc testimonium, baptizari vult a Joanne.

VII. Venit ergo Dominus baptizandus a Joanne. Venit quasi unus de peccatoribus baptizandus sine peccato. Et ejus præsentia Joannes illustratus, procidit ad pedes illius & ait: O Domine, qui tollis peccata, quomodo quasi unus de peccatoribus ad me venis? Dominus ad servum, Rex ad militem? Quid causæ est, quod velis baptizari? Ut quid enim, ait, tibi opus est baptismate? Nunquid sano opus est medicina? Nunquid eget mundatione mundus ab omni crimine? Unde 1. *Petr.* 2. tibi peccatum? Unde tibi baptisma necessarium? Peccatum non fecisti, nec est inventus dolus in ore tuo: quippe, quia veritas es, peccatum non contraxisti. Nam Patrem quidem habes, sed Deum, & æqualis es illi, Deus de Deo. An vero de Matre? Matrem habes, sed Virginem. Quod ergo peccatum ex ea trahere potuisti, quæ sine iniquitate concepta, & te salva integritate concepit & peperit? Quam maculam habere potest Agnus sine macula? Officium quidem non denego, servitium paratus sum impendere, *Mat.* 3. sed mysterium non agnosco. *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Jesus, dixit ei: sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Ut qui docet humilitatem, prius exerceat. Est enim plenitudo justitiæ humilitas. Non ut laver, venio: sed ut lavem aquas; non ut sanctificer, sed ut sanctificem aquas. Non ut peccata deleam per pœnitentiam, sed ut vim regenerandi alios aquis præbeam, & exemplum aliis præstem in me ipso humilitatis. Ne scilicet, respuat philosophus infidelis subjici baptismo Domini sui, si ego non contempsi subire baptismum servi. Ecce ministerium baptismi. Cognita ergo determinatione voluntatis divinæ, acquievit Joannes, & obedivit Domino, & trepidans ac timens, cum omni reverentia Christum baptizat. Timebat certe & merito timebat, attingere sanctum Dei verticem, caput adorandum Angelis, reverendum Potestatibus, tremendum Principatibus. Baptizato Domino, apе- *Ibidem.* riuntur cœli, apparet columba. *Baptizatus*

A *autem Jesus*, inquit Euangelista, *confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Quam bene conveniunt, & sede morantur in una, agnus & columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est. Summa utriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas. Interim pie creditur Christum Dominum tum instituisse salutiferum baptismum. Nam ibi visibiliter apparuit Trinitas, quæ in baptismo invocatur. Pater in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in specie co- B lumbæ. Sic etiam Dominus in cœna comedit agnum paschalem, & statim instituit Sacramentum Eucharistiæ. Sed statim post baptismum ductus est in desertum: ut agnoscat miles Christi, quoniam postquam per baptismum familiæ Christi adscribitur, statim ei paratum esse bellum cum diabolo & conscientia. Priusquam Dominus, ut sponsus præsentetur synagogæ, prælium facit. Nam David cum filia Saulis non spondetur, nisi prius 1. *Reg.* 17. ineat certamen, & vincat Philisthæos, & *Ibid.* 18. præputia conferat in dotem. *Lucæ* 4.

VIII. *Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane, & agebatur a Spiritu in de- C sertum.* Nota, quod non legitur aliquem secutum fuisse tunc Christum. O misera synagoga, sponsa lipposa & cæca, quæ offenso sponso, sic tamen contemnis ipsum! Ista est Lia, *lippis oculis:* non pro te servit Jacob, Christus; sed pro *Gen.* 29. Rachele Ecclesia speciosissima, quam cum non vidisset in gentibus, tamen sanguinem suum pro ea fudit. Ad ripam Jordanis desponsatur cum synagoga, sponsus utique aquarum. Moyses enim venit solum per aquam. Sed *Exod.* 2. quid ait Ecclesia? *Sponsus sanguinum tu mi-* *Ibid.* 4. *hi es.* In sanguine suo & sanguinibus Mar- D tyrum Ecclesiam sibi desponsavit, non ad ripam Jordanis, sed in ligno crucis. Sponsus ergo aquæ synagogæ est: sed sponsus sanguinum Ecclesiæ est. Sanguine celebratur desponsorium Christi & Ecclesiæ. Synagoga illa fornicaria fuit: nam ecce requisitus Sanctus Joannes, ut ei desponsetur, missis Pharisæis, quæritur, an sit ipse Messias: sed *amicus sponsi stat.* Non acceptat sponsam, dicens: *Qui habet sponsam sponsus est.* Non sum ego Christus. Fidem servavit; sed amico fidem fregit fornicaria. In Canticis dicitur: *Ibi* fornicata est *mater tua.* Ad ripam Jordanis, ma- E ter Ecclesia synagoga fornicata est, quantum *Cant.* 8. est de se. Sed, videamus fidem sponsæ. Ecce, ait: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* Speciosi quidem, pulchri quidem. O *Ibid.* 3. quam speciosus Petrus! O quam formosus Paulus! O quam pulcher Joannes Euangelista! Videamus Ecclesiam. Numquid te tenet pulchritudo spiritualis istorum, ut aliquem illorum voces sponsum? Ecce, ait illis: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* Pulchri

(*a*) Aliqua ex his quæ sequuntur ex S. Bernardi Sermone 1. in Epiph. Dom. hausta sunt, licet non, iisdem semper verbis. Vide num. 6. & 7. laudati Sermonis apud S. Bernardum.

vos: ſed non vos quæro: *Paululum cum pertranſiſſem eos*, inquit, *inveni quem diligit anima mea*. Ecce pertranſivit illos quantumvis decoros: quem diligit anima ejus, quærens ſponſum ſuum Chriſtum; neque eos in
Cant. 5. ſponſos acceptat. Sed *percuſſerunt me*, inquit: nam apud Corinthios, cum ſponſa de-
1. *Cor.* 1. tineretur pulchritudine Pauli, dicebat: *Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti*. Sed, o qualis percuſſio! *Diviſus eſt Chriſtus? Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Percuſſa eſt & pertranſivit, ac ſponſum reperit; & ſancta & immaculata in conſpectu ejus germinans ſicut *Iſaiæ* 35. lilium floret in æternum ante Dominum Patrem Domini mei Jeſu Chriſti ſponſi ſui, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula. Amen.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

CONCIO PRIMA.

DE PURIFICATIONE MATRIS, ET REDEMPTIONE PUERI.

Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Luc. 2. v. 22.

CONCIO CXXIX.

I. JUSTUM eſt ut intelligamus quod colimus: tanto enim erit omnibus celebrior, quanto fuerit ſingulis magis intellecta feſtivitas. Celebrat igitur hodie ſancta mater Eccleſia Virginis Purificationem, & pueri Jeſu præſentationem in templo. Ac propterea feſtivitas hæc, quia duplici fulget myſterio, duplici eſt nobis gaudio celebranda, duplici devotione colenda: Filio namque & Matri una die feſtum agimus. Ad plenam igitur hujus feſtivitatis intelligentiam advertendum, quod fuit olim in lege Moyſi duplex erga puerperas ſtatutum: unum univerſale, aliud particulare. Univerſale ſtatutum erat, ut
Lev. 12. mulier poſt partum abſtineret a ſacris, id eſt, non tangeret ſacrum quid, neque Domini ſanctuarium vel templum introiret, ſiquidem pepererat maſculum per quadraginta: ſi feminam per octoginta dies. Duplicabatur tempus in femina, quia ut phyſicorum eſt ſententia (*a*), duplo tempore corpus
(*a*) feminæ in utero formatur, quam viri: unde in hoc lex applaudebat naturæ. Quibus peractis, mulier cum ſuo fœtu præſentabatur in templo, & offerebat Domino in templo, ſi dives erat agnum, & turturem, ſi pauper duos turtures, vel pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum pro peccato: agebatque Deo gratias pro pignore dato, & pro conſervata ſalute, & infantem Domino commendabat. Hæc conſuetudo hodie partim in Eccleſia ſervatur (*b*), quia laudabilis eſt, & meo conſilio, ſicut in lege offerebatur agnus, ita in Eccleſia Agnus immaculatus Chriſtus illo die pro matre & parvulo, in gratiarum actionem Domino offerendus eſſet. Particulare autem ſtatutum de primogenitis erat: nam quia Dominus *Exod.* 11. in Ægypto inimicorum primogenitos occiderat, primogenitos illius populi voluit eſſe *Ibid.* 13. ſuos. Unde mulier pariens primogenitum, ipſum Domino in templo hac die in manus ſacerdotis offerebat: & ſi primogenitus ille *Num.* 3. erat de tribu Levi, manebat Domino: ſi autem de alia tribu, a matre quinque ſiclis redimebatur, & reportabatur. Hic erat mos illius populi, & ritus parientium. Itaque cum puer Jeſus eſſet primogenitus, & unigenitus Matris ſuæ, hodie a Matre juxta *Lucæ* 2. legem Domino præſentatus eſt: ad hoc quippe ſtatutum particulare Virgo præ cæteris tenebatur; quia ut poſtea declarabimus, maxime pro ipſa conditum fuerat ſtatutum: ad aliud autem generale non tenebatur, duplici ratione. Primo: quia partus ejus mundiſſimus & ſanctiſſimus fuit, & procul ab omni illa fœditate parientium. Nam ſicut flos mittit odorem, ita Virgo edidit Salvatorem. Nihil ergo ibi erat purificandum, per quod omnia purificantur. Secundo: quia lex ipſa Virginem exceperat. Ait enim: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit*. Quare o Moyſes addidiſti: ſi *Lev.* 12. ſuſcepto ſemine? Nunquid eſt aliqua mulier quæ aliter pariat filios? Erit utique Virgo regia: quæ, abſit, ut hac lege teneatur.

(*b*)

Tam

(*a*) Etſi tardius feminæ corpus, quam maſculi in utero formetur, non tamen tempore duplo majori ad id opus eſſe cenſuit Hippocrates lib. de natura fœtus num. 10., ut notat Levinus Lemnius lib. 1. de occultis naturæ miraculis cap. 11. Hinc non alia legis hujus ratio in promptu videtur, quam Dei voluntas ita ſtatuens; præſertim cum nec ſemper quadraginta dierum ſpatio maſculi corpus formetur, ſed modo 30. modo 35., qua in re nec Medici ipſi conveniunt.

(*b*) Nimirum in benedictione mulieris poſt partum, quæ habetur in Rituali Rom. tit. 43.

Tam igitur ex partu ipso, quam ex lege, virgo ad hanc purificationem non tenebatur: voluit tamen legem implere, tum propter exemplum, tum propter scandalum. Sicut enim Filius sine necessitate aliqua circumcisus voluit cæteris parvulis conformari, ita & Mater sine necessitate purificationis voluit cæteris mulieribus ritu purificationis associari. Et quoniam sacri partus mysterium adhuc latebat, nisi servasset legem, prævaricationis rea apud alios haberetur. Ne ergo aliis præberet scandalum lege non observata, voluntarie servavit legem. Multa enim propter aliorum scandalum facienda sunt, multa etiam bona omittenda: neque tibi sufficit bona conscientia, sed oportet te etiam solicitum esse de aliena. Puritatis igitur totius domicilium hodie purificatur, Redemptor redimitur. Hoc est quod celebramus, huic mysterio debitum honorem rependimus, prout possumus.

II. Hodie namque Virgo sacra, ex illo Bethlehem humili tugurio primo templum ingreditur, ut Domino secundum legem offerat sacrificium, & primogenitum suum offerat coram Domino; sicut Euangelista com-
Lucæ 2. memorat, dicens: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*, &c. Sed propter quid hodie tam festiva solemnitas? Nempe quia magna sunt ibidem celebrata mysteria. *Vir namque erat in Jerusalem nomine Simeon, justus & timoratus, & Spiritus sanctus erat in eo.* Quid ni Spiritus sanctus habitaret in eo, quem timor Domini repleverat? Talia enim sibi habitacula Spiritus sanctus semper delegit;
Isaiæ 66. sicut apud Isaiam legimus: Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & timentem sermones meos? Etiamsi sapientia polleas, intellectu vigeas, pluribusque donis & gratiis decoreris, si Deum non times, si mandata ejus contemnis, non te inhabitat Spiritus sanctus, nec pluris te facit Deus, quam tu facis ipsum. Acceperat hic responsum a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret
Lucæ 2. Christum Domini. *Venit* ergo *in spiritu in templum*. Quo gaudio, qua alacritate cor illius intra viscera palpitabat, & senile jam pectus juvenilis fervor exagitabat? Ex te ipso argumentum assumito, si de videndo in Ecclesia Christo modo tibi simile præberetur oraculum. Accipit puerum ovanter, tripudiat animo, fitque cum puero puer. Sacros deosculatur pannos, & benedicta velamina, lacrymisque subortis, miras illi in hunc modum cecinit laudes: Advenisti tandem cunctis gentibus desiderate, advenisti sæculorum lætitia, advenisti tamdiu ab omnibus expectate; gratias tibi Domine, gratias tibi quia visitasti plebem tuam, & sicut promisisti, ita implesti. Sicut a Patribus audivimus, ita nunc oculis impletum cernimus. O quot Reges & Prophetæ desideraverunt te videre, sicut ego nunc video, & non viderunt! Gratias tibi Domine, pro tanto hoc munere tuo. Implesti promissum tuum, implesti desiderium meum, lætus jam mortali vita decedo. Nunc dimitte Domine *Ibidem.* servum tuum in pace; in abyssum descendere non formido: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*, a quo citius me inde liberandum spero. Vadam igitur legatus ad inferos, & nuntiabo Patribus nostris magnum lætitiæ nuntium, ut gaudeant ipsi, sicut & ego gavisus sum. Tu Domine in mundum intras, & ego exeo; tu venis, & ego vado. O quis hodie nasceretur! Quam felix ille qui nunc prima intraret limina vitæ! O quis videret, quæ facturus es mirabilia magna in mundo! O felicia sæcula! O felices oculi, quibus tam præclara gesta videre licebit!

III. Talia ferventissimo spiritu sacro Se- *Ibidem.* ne declamante; ecce subito venerabilis Anna filia Phanuel prophetissa, eodem spiritu agitata, properans ad Christum, laudibus & præconiis totum replebat templum, omnibus acclamando: Venite Pontifices, venite Sacerdotes, venite populi, venite & in terram procidentes hunc adorate Parvulum. Hic ille Messias in lege promissus, hic mundi Salvator tam longo Prophetarum ordine nuntiatus, hic ille a Patribus tam optatus & expectatus. Credite mihi hic est. Quod si forte quæritis, unde id sciam: spiritus mihi dixit, spiritus revelavit. Et hæc dicens: sicut mater in diu expectatum & dilectum unicum filium, tunc maxime cum de vita ejus dubitaverat ante, rapido fertur cursu advenienti obviam: ita & ipsa rapido spiritu ferebatur in Christum. Stupent omnes, accurrunt, mirantur: & quia prophetissam omnes agnoverant verbis ejus fidem adhibent. Consonant prophetissæ dictis Matris pulchritudo, inæstimabilis venustas, & gratia; fitque non modica in populo his dictis turbatio. Talia namque erant utriusque senis prophetantis præconia, ut ipsum Joseph, imo & Virginem ipsam in admirationem adducerent, sicut Euangelista inquit: *Erant pater ejus* *Ibidem.* *& mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo*. Fit solemnis processio (*a*) a porta (*a*) templi usque ad altare, non numero personarum, sed dignitate celebris. Præcedunt duo senes Simeon & Joseph; sequuntur Virgo Mater cum infante Jesu, & Anna prophetissa præco infantis. Hanc hodie processionem toto orbe sancta celebrat Ecclesia,

(*a*) S. Bernardus Serm. 1. in Purific. B. Mariæ num. 1. *Hodie templi Dominum in templum Domini Virgo Mater inducit: Joseph quoque sistit Domino non suum, sed ejus Filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit Simeon justus quem expectabat, Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primo hodierna processio celebrata est, quæ postmodum exultatione universæ terræ in omni loco, & ab omni gente celebraretur.* Similia habet S. Bonaventura Medit. Vitæ Christi cap. 11.

incenſos deferens in manibus cereos, in typum Domini Salvatoris. Sicut enim in cereo triplex eſt natura, ſcilicet ignis, cera, & lychnus; ita in Chriſto triplex eſt ſubſtantia, Divinitas ſcilicet deſignata per lumen, caro deſignata per ceram, anima deſignata per lychnum. Ac propterea cereus hic merito a fidelibus in devotionem habetur, tum propter Chriſti repræſentationem, tum propter ſolemnem illius a ſacerdote benedictionem. Poſtquam ad altare ventum eſt, Virgo ſacra genibus flexis, divino inflammata ſpiritu pluſquam Seraphim, Filium manibus tenens, ipſum offert Domino munus & oblationem acceptabilem Deo, in hunc modum orans. Suſcipe Pater omnipotens, ſuſcipe oblationem hanc, quam tibi offero pro toto orbe ancilla tua: ſuſcipe communem Filium, tuum ab æterno, meum ex tempore. Gratias tibi immenſas, quia ſic me ſublimare dignatus es, ut ſim Mater cujus tu es Pater. Suſcipe nunc de manibus
Num.28. ancillæ tuæ ſacroſanctum hoc ſacrificium matutinum, tibi quondam in crucis brachiis of-
Pſ. 140. ferendum in ſacrificium veſpertinum. Reſpice Pater piiſſime quod offero, & attende pro quo offero. Quid, obſecro, te tantum potuit offendere mundus, aut quod tam immane piaculum, quod non hoc tanto expietur ſacrificio? Reſpicit ex alto plaudentibus oculis, vultu ſereno, piiſſimus Pater Filium dilectiſſimum virgineis manibus oblatum: ſtupent cœleſtia agmina ſuper tam mirabili ſacrificio. Donat igitur Mater Filium ſacerdoti, quem ſacerdos Deum Deo ſuſcipit, myſticumque offert, ſed non pro illo, ſed pro mundo, ſacrificium, columbarum ſcilicet, vel turturum: unum in holocauſtum, alterum pro peccato, ſicut in lege præceptum fuerat, quod geminæ ſupradictæ oblationis Chriſti haberent typum.

IV. Deinde pia Mater quinque ſiclis Filium a ſacerdote redimit, & quem ſpiritu genuit, nunc illum mundo pretio emit. O emptionem ſingularem, o mirabilem redemptionem! O ſi ſcires ſacerdos, quis eſt iſte quem vendis: non illum pro toto mundi auro, & omnibus pretioſis margaritis dares. Ignoſce Virgo piiſſima: nam ſi ego eſſem ille ſacerdos, non tibi forte talem venundarem Filium. Vade dicerem Virgo piiſſima, revertere in domum tuam, redi in patriam tuam: Puer iſte ſecundum legem Domini eſt, quia primogenitus eſt. Talem primogenitum ego non vendo, in hoc lex venditionis locum non habet: & ſi lex violanda eſt, pro tali infante violanda eſt. Sed quis te, o gloria noſtra, quis te, o lætitia noſtra ſic contriſtare ſuſtineret? Quis auderet hujuſmodi verba proferre? Emitur ergo Redemptor quinque ſiclis a Virgine, qui quinque plagis totum erat mundum redempturus. Quinque, inquam, ſiclis Deus & homo comparatur. Quis unquam ſic emit? Quis tam exiguo tales ſibi unquam merces comparavit? O quam minoris emiſti Virgo, quam Filius! Magna certe illa emptio, quam proclamat Apoſtolus primo Corinthiorum capite ſexto: *Empti enim eſtis pretio magno*. Sed audeo dicere: iſta quodammodo major eſt, qua non mundus, ſed Dominus & Creator mundi, non magno, ſed exiguo pretio comparatur: Felices quibus appretiatus eſt Deus, felicior Virgo cujus eſt Deus. Quid tu miſera ſynagoga, quid cæca & male cupida, cum proditore agis? ut ab eo compares Redemptorem? Vendere alienum ille non poteſt, Virginis Chriſtus eſt, illa prior emit: ſecunda non valet emptio. De duabus namque venditionibus prior jure valida eſt. Unde & venditor ille videns, quia *Mat. 27.* incaſſum vendiderat, ne judicio aſtaret, ſuſpendio ſe finivit: agnovit namque, quia damnatus eſſet, quoniam vendiderat alienum. O bone Jeſu jam noſter es, & duplici jure noſter es. Te nobis Pater dedit, te nobis Mater emit. Noſter es quia datus, noſter es quia emptus: duplici te jure poſſidemus. Cum judicaturus orbem adveneris, memento quia nobis emptus es. Juſtus es Domine, redde cuique quod ſuum eſt, redde teipſum nobis, quia duplici, ut dixi, titulo noſter es. Quod ſi tu noſter es, omnia quoque tua noſtra ſunt: cujus enim eſt perſona, ejus quoque ſunt omnia bona perſonæ. Noſtra igitur ſunt merita tua, noſtra ſunt vulnera tua, noſtri vagitus infantis, noſtri labores docentis, noſtri dolores morientis: quidquid in mundo egiſti, quidquid laboraſti, quidquid ſuſtinuiſti, quidquid meruiſti, optimo jure noſtrum eſt, quia tu noſter es.

V. O me divitem tantis meritis! Exaggera nunc crimina, aggrava peccata, repete ad integrum debita, majora ſunt merita mea, major eſt ſatisfactio mea, majora ſunt ſervitia mea. Mea, inquam, mea. Non mea quæ ego feci, ſed mea quæ a te ſuſcepi: mea, quia mei, audebo dicere, ſervi, quem mihi hodie Virgo emit. Domine ſtemus ſimul, judicemur ſimul: nolo me Domine ſeorſum judices a te, ſic enim vere damnatus ſum: ſi debita computas mea, meam quoque recipe ſolutionem: non me ſepares a te Domine in judicio, & ſcio, quia ad victoriam perveniet judicium meum: nam etſi gravia ſunt criminum onera, hæc tamen mea ſatisfactio quaſi arena maris gravior ap- *Job 6.* parebit. O Filium Dei, ſervum! O Principem gloriæ, mancipium! Servus emptitius factus eſt Dominus orbis. O inæſtimabilis humiliatio, o ineffabilis exinanitio! Clamat ipſe ad Patrem: *O Domine, quia ego ſervus* *Pſ. 115.* *tuus! ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Servus, inquam, quia ſervus natus ſum, ſervus iterum, quia in tuum ſervitium emptus ſum. An non ſervus filius ancillæ tuæ, qui formam induit ſervi? An non ſervus, qui a ſacerdote hodie venundatus eſt in ſervitium? Ego igitur Domine, ego unicus Filius tuus, tibi coæternus, tibi conſubſtantialis

tialis & coæqualis, qui tecum unus Deus, ego, inquam, ego propter hominem, ex utero Matris meæ servus tuus, & nunc iterum servus tuus, & filius ancillæ tuæ: imo & servus ancillæ tuæ, quia ab illa emptus sum. Unde hoc sciens, non dedignatur esse subditus illi, ut ait Euangelista. Neque solum illi; sed & omnibus ministravit, omnibus factus servus, ut ejus servitus omnibus fieret vera libertas. *Non enim venit*, sicut ipse inquit, *ministrari, sed ministrare*. Disponente igitur Deo, in servum hodie venundatur Christus, ut ad ejus merita titulum habeat universum. In hoc enim lex illa primogenitorum tendebat, & propter hoc lex illa condita est. O magnum & mirabile sacramentum, o mirum sapientiæ Dei consilium! Lex pro omnibus primogenitis fertur, sed in uno solo intentio legis impletur. Statutum est veluti decreto, ut omnis primogenitus venderetur, ut cum ille Virginis Primogenitus nasceretur, ipse quoque emeretur a matre, non sibi soli, sed mundo; & per hanc ejus emptionem, in omnia illius opera mundus actionem sortiretur & jus; & ita in mundi redemptione fieret justitia misericordiæ permixta, sicut scriptum est in Psalmo: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt*. Ex hoc igitur jam Christus non sibi vivit sed mundo, cui a Patre donatus est, & cui a Matre emptus est. Nunquid non omni celebritate digna festivitas, in qua tot & tantis meritis mundus ditatur, & ad nostræ redemptionis opus jus acquiritur? Bernardus (*a*): Totus es meus, bone Jesu, totus es meus, & in meos usus expensus. Ecce Fratres festum quod agimus, ecce celebritatem quam celebramus. Venite nunc o cupidi, venite ad nundinas Fideles, venalis hodie Deus in templo proponitur: astat super gradus sacerdos, omni volenti emere Christum vendens. Properate, emite; non magnum est pretium, quinque siclis hodie salus & vita comparatur. Non de marsupio, sed de corde hos siclos expetit, ut donentur. Da igitur quinque siclos, & accipe Deum: da pro peccatis dolorem, pro beneficiis gratitudinem, pro mysteriis laudem, pro teipso timorem, pro seipso amorem, & in perpetuam hæreditatem accipe Deum. Accipe, posside, tene, neque dimittas eum, donec introducas eum, imo introducaris ab eo in cubiculum genitricis tuæ, illius inquam cœlestis Jerusalem, quæ est mater nostra. Sed neque obiter omittendum, quomodo gradatim Filius Dei pro nobis humiliatus est; nam ecce. In die Nativitatis cum esset Deus, apparuit inter homines factus homo: in die Circumcisionis homo peccator apparuit, cauterio peccatoris adustus: hodie homo peccator, servus apparet venundatus ad altare: in die Paraseeve homo peccator, servus iniquus apparebit; inter latrones suspensus, & cum iniquis reputatus. O quantum tibi debeo bone Jesu, quantum tibi debeo!

VI. Cum igitur hæc omnia sacramenta ad altare peraguntur, venerabilis senex Simeon magno intus agitatur desiderio volvens ac revolvens animo opera quæ facturus est puer, & beatificans eos qui talia visuri essent, dicens sæpius intra se. O quis ista videret, o quis hodie nasceretur! Audit pius Dominus senis desiderium, & qui eum videndi Christum fecerat dignum, hoc quoque minus desiderium ejus implevit, spiritu illi revelans quæcumque facturus est Christus. Agnovit igitur divino illustratus lumine, illius populi cæcitatem & ingratitudinem, futuramque ejus passionem & mortem, quam persecutiones maximæ, & labores innumeri præcessuri erant; resurrectionem quoque, & populi Judaici repulsam, gentiumque vocationem. Vidit ergo oculis cordis, quæ non erat visurus corporeis oculis: & subito turbatus vultu, alta e pectore mittit suspiria. Fluunt ab oculis per canam barbam lacrymarum imbres, omnisque illa prior lætitia in contrariam mæstitudinem permutatur. Aspicit Virgo Deipara pii Vatis perturbatum vultum, & subitam admirans permutationem: quid, inquit, o venerande Simeon, quare concidit vultus tuus? Quænam ista tam subita permutatio? Unde tibi tanta turbatio? quid vidisti? quid sensisti? Noli celare, pandito mihi obsecro te, & obtestor per ipsum quem colimus communem Deum. O Virgo Regia! Noli me cogere. Quare sic adjurasti me? Nollem tibi talia nuntiare; sed audi: nimium nunc pro isto Infante lætaris, & merito lætaris, quia super omnes feminas benedicta tu: sed veniet ecce tempus, quando dolores, quos in partu non sensisti, duplicatos cum gemitu reddes. *Ecce* enim Infans iste *positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum*. Multi in illo impingent & corruent, multi quoque lapsi sublevabuntur. *Positus* est hic Infans *in signum cui contradicetur* a multis, contradicetur a Principibus populi, a Sacerdotibus, a Regibus, & Imperatoribus gentium. Omnes gentes, omnes populi, omnes nationes, & universus orbis huic puero contradicet, & ipse calcabit eos. O quot millia hominum pro isto puero laniabuntur, jugulabuntur! O grandem rerum permutationem, o miram mundi renovationem! O quanta latet intus virtus in hoc puero! Sed etsi omnes patiantur in corpore, tu Virgo amplius animo patieris. *Tuam* enim *ipsius animam*, istius pueri, *gladius pertransibit*. Aliorum corpora ferro laniabuntur, sed anima tua multo acerbius passionis ejus gladio transverberabitur. Nolo Domine, nolo videre contradictionem istam, nolo populi hujus ingratitudinem, & ruinam inspicere, nolo

Luc. 2. *Mat.* 20. *Cant.* 3. *Ibid.* 1. *Gal.* 4. *Psal.* 84. (*a*) *Jo.* 19. *Isaiæ* 53. *Gen.* 4. *Luc.* 2.

(*a*) Serm. 3. in Circumcis. Dom. num. 4. *Totus siquidem mihi datus, & totus in meos usus expensus est.*

nolo tuos videre dolores, paſſiones, & anguſtias; nolo te videre flagellis laceratum, ſputis illitum, clavis transfixum, ſpinis acerbiſſimis coronatum. Nunc dimitte Domine ſervum tuum in pace. Gratias tibi quia in pace exeo. Et hæc dicens, ſalutata Virgo recedit: & Virgo cum Infante & Joſeph vadit in civitatem ſuam Nazareth. S. P.
(a) Auguſtinus (a): Hæc ſunt teſtimonia tua Domine Jeſu, antequam tibi ſternerentur fluctus maris, antequam ventus te jubente ſiluiſſet, mortui te vocante ſurrexiſſent, ſol te moriente palluiſſet, terra te ſurgente tremuiſſet, cœlum te aſcendente patuiſſet. Adhuc in manibus Matris portabaris, & jam Dominus orbis agnoſcebaris. Omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio, omnis ſtatus, tuæ Majeſtati præbuit teſtimonium. Virgo generat, ſterilis prophetat, mutus loquitur, Magus adorat, utero clauſus Joannes exultat, vidua confitetur, juſtus expectat. Tibi Reges, tibi paſtores, tibi ſenes, tibi infantes, tibi viduæ, tibi uxoratæ, tibi homines, tibi Angeli, tibi jumenta, tibi cœli, tibi terra, tibi aſtra perhibent teſtimonium: ut qui tuam non adoraverit Majeſtatem, juſto judicio condemnetur. Non latuerunt iſta, ut exiſtimo, tyrannum crudeliſſimum Herodem: ſed duorum ſenum vaticinio, Magorum legatio amplius confirmatur. Tunc perpendit ſe a Magis illuſum, & uſque ad inſaniam perturbatus, tantam adhibet in perquirendo puero diligentiam, ut totum oportuerit relinquere regnum, & fugere in Ægyptum.

VII. Hæc eſt hiſtoria. Sed hæc eadem myſteria ad noſtros uſus, noſtræque inſtitutionem vitæ convertamus. Geminam itaque Redemptoris noſtri venditionem contemplemur: venundatur hic quaſi ſervus, ut dicebamus, ut ejus ſervitus eſſet nobis plena libertas. Sicut accepit maledictionem crucis, ut nos in illo eſſemus benedicti: accepit mortem, ut nos in illo viveremus: ita etiam accepit ſervitutem, ut nobis tribueret libertatem. Hanc rationem tangit Apoſtolus cum
Galat. 4. ait: *Factus ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Ecce cauſas & rationes hujus ſacræ venditionis; fuit namque hæc venditio pia, & ſacra, & ſine injuria. Quia qui vendit Pater eſt, qui emit Mater: & finis eſt, ut eum perpetuo mundus poſſideat, & illa margarita cœleſte regnum emat. Fuit autem illa venditio ſacrilega, impia, qua eum vendidit proditor Judas, & eum emit noverca ſynagoga triginta argenteis, non ut poſſideat, ſed ut occidat. O malus venditor Judas! Tam exiguo vendis Filium Dei? Quod mancipium non venderes majori pretio? Unde ipſe Dominus conqueritur de hoc per Prophetam Zachariam capite undecimo. *Et apenderunt, mercedem meam triginta argenteos: decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.* Zac. 11. Nunquid dederunt pro me triginta talenta auri vel argenti? Et quia impia fuit iſta venditio, ideo emptrix ſynagoga deſtructa & diſperſa eſt, & vendita, & venditor ſacrilegus *crepuit medius*, & diſperſa *ſunt viſcera ejus* in terra. Act. 1. In Eccleſia Dei duplex eſt venditio ſive emptio. Quædam eſt impia & mala, qua peccator vendit Chriſtum leviſſimo pretio. O quam parvi te facimus Domine! Pro argenteo nummo, pro momento delectationis, pro modica voluptate oblata a dæmone, facile te tradimus. Accuſamus Judam, & idem facinus committimus quotidie. Non mirandum ſi eum graviſſimis tormentis, aut pro magno regno victi cupiditate venderemus: malum eſſet, excuſatio tamen aliqua. Quid dicere poſſumus, qui pro nihilo te tradimus ex contemptu? Heu! heu! aperta tui venditio in templo eſt. Sacerdotibus Chriſtus hodie venalis eſt in Eccleſia. Venduntur beneficia, venduntur dignitates, venduntur etiam fere Sacramenta; nam mercedem poſtulant hodie pro Sacramentis. Unde tantum malum? Quia non reſident beneficiarii, ſed ſubſtituunt mercenarios, & unus habet decem beneficia pinguia & in nullo reſidet, ſed mittit decem pauperes mercenarios, & non dat ſuſtentationem congruentem. Ex avaritia illi vendunt Chriſtum, & Sacramenta, ut comedant. Contra hos invehitur Propheta Amos capite ſexto: *Væ* Amos 6. vobis *qui opulenti eſtis in Sion: optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael. Qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterii, ſicut David putaverunt ſe habere vaſa cantici. Bibentes vinum in phialis & optimo unguento delibuti:* & *nihil* compatiebantur *ſuper contritione Joſeph*, id eſt, populi. *Qui ſeparati eſtis in diem malum.* Si non creditis: *Juravit Dominus Deus in anima ſua.*

VIII. Alia eſt emptio pia & ſancta, qua Chriſtus emitur a Sanctis, bonis operibus. De qua in Apocalypſi capite tertio: *Suadeo* Apoc. 3. *tibi emere a me aurum ignitum. Probatum, ut locuples fias: & veſtimentis albis induavis & non appareat confuſio nuditatis tuæ. Per aurum ignitum* exponit Gregorius (b) (b) intelligi *ſapientiam*, S. P. Auguſtinus (c) (c) *martirium*, alii (d) *charitatem*. Gloſſa in- (d) ter-

(a) Uſque ad ea verba: *& jam Dominus orbis agnoſcebaris:* deductum eſt teſtimonium ex Serm. 128. Append. noviſs. edit. num. 4.; olim fuit Sermo de tempore 13.

(b) Moral. lib. 4. cap. 31. num. 61.

(c) Homil. 3. in Apocalypſim; quæ tamen expoſitio Auguſtini non eſt, & in Appendicem tomi tertii rejicitur. Cæterum in aliis Scripturæ locis ſapientiam intelligit etiam S. Parens auri nomine, ut videre eſt Serm. 50. num. 11. Quæſt. in Exod. lib. 2. quæſt. 105. in Pſal. 67. num. 18. in Pſal. 71. num. 17.

(d) Nimirum Richardus, Beda, Ansbertus, & Hugo in hunc Apocalypſis locum.

terlinealis; *id est*, *me ipsum*. Nam de Christo ait sponsa: *Caput ejus aurum optimum*. *Cant.* 5. Hoc auro tota illa cœlestis Jerusalem deaurata est. Unde Joannes in Apocalypsi capite *Apoc.*21. vigesimo primo: Et tota *civitas aurum mundum*, *simile vitro mundo*. Nam tota deificata est, tota deiformis & elevata ad esse divinum. Unde quamvis sint tot differentiæ Angelorum: ibi totum apparet Deus, quia omnes illo lumine gloriæ elevati sunt ad esse divinum, & ideo tota aurum ignitum; nam omnes sunt inflammati ab illo igne; de quo *Isaiæ* 31. Propheta Isaias capite trigesimo primo: *Cujus ignis est in Sion, & caminus in Jerusalem;* *Ps.* 103. unde Psalmus centesimus tertius: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos* flammam ignis. Hoc aurum ignitum non gratis datur, sed emendum est a Deo. Sed quo pretio? Quinque siclis spiritualibus. Primus *Heb.* 11. siclus est fides, *sine* qua *impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator fit*. Hic siclus generalis est, & communis omnium Christianorum, & facile habetur. Secundus siclus est timor Dei; non sufficit ad vitam credere, sed oportet servare mandata. Hoc fit per timorem Dei: nam *Prov.*15. *per timorem Domini declinat omnis a malo*. Hic reprimit prava desideria & malos appetitus, & coercet manum a pravis operibus, & retrahit hominem ab iniquitate. Unde (*a*) S. P. Augustinus (*a*) de matre sua Monica: Erat, inquit, timor castus in corde ejus tanquam fascia pectoralis, qua cogitationes astringeret: in ore, tanquam frænum quo linguam deprimeret: in opere tanquam stimulus, ne pigritia torperet: in cunctis, tanquam regula, ne modum excederet. De Si- *Lucæ* 2. meone dicitur, quod erat *justus & timoratus*. *Job* 1. Et de Job similiter. O pretiosus siclus! Beatus qui te possidet; sicut ait Psalmus pri- *Psal.* 1. mus: *Beatus vir qui timet Dominum*. Unde tanta mala in mundo, nisi quia non est timor Dei? Solo hominum timore multi arcentur a malis: si non esset judex, quot mala fierent! O hominum stultissime, times alium hominem tui similem, qui forte nescit peccatum tuum, aut si sciverit poteris forte fugere eum, aut decipere, vel placare, & qui, totum quod posset facere, est auferre a te vitam temporalem, quam aliquando relicturus es: & non times Deum, qui totum quod agis videt, neque potes ab eo fugere vel decipere eum, quia quotidie potest tibi reddere mille retributiones, & postea infer- *Lucæ* 12. num? Unde Dominus in Euangelio: *Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete*. Sed quia, quantumvis homo sit timoratus, *in multis* tamen *offendimus omnes;* ideo necessarius est tertius siclus doloris ad placandum Deum. Timore præservamur, ne amittamus eum, dolore ipsum recuperamus postquam amisimus. Hoc dolore Petrus, Paulus, David, Magdalena, & alii Sancti ipsum amissum recuperarunt. Unde etiam valde pretiosus siclus est. *Jacob* 3.

IX. Sed super omnes pretiosissimus est siclus quartus amoris, sine hoc enim alii nihil valent. Nam fides sine amore mortua est. Sine hoc, ut Apostolus ait: nulla virtus, nec martyrium aliquid valet: totum pretium & valor nostrorum operum ab hoc sumitur. Nam, ut ait Gregorius (*b*): Non (*b*) aspicit Deus quantum offeras, sed ex quanto. Vidua plus omnibus misit, quia plus amavit. Unde in Levitico dicitur: *Omnis* *Lev.* 17. *siclo sanctuarii ponderabitur;* id est, amore: quia ab hoc omne donum valorem & æstimationem accipit. Hic siclus perfectorum est. A timore incipimus, & in amore finimus. *Initium sapientiæ timor Domini*. Nam *Ps.* 110. Justus incipiens, etsi fiat ei grave quod præcipitur, servat tamen ex timore ne offendat: sed qui jam sanctus est, & perfectus, non ex timore, sed ex amore servat. Nam non solum custodit, sed & diligit supra modum mandata Dei, sicut ait Psalmus: *Ideo dile-* *Ps.* 118. *xi mandata tua super aurum & topazion*. Nam condelectatur legi Dei secundum in- *Rom.* 7. teriorem hominem, & odio habet omnem *Ps.* 118. viam iniquitatis; & justitia, & sanctitas, & boni mores jam quasi in naturam versi sunt. Unde Justo tali non est imposita lex, quia est illi voluntaria & connaturalis ex consuetudine & exercitatione. Hinc quid restat, nisi laudare Deum, & benedicere vespere, mane, & meridie? Quia dedit illi fidem, ut agnosceret: timorem, ut mandata ejus custodiret: dolorem, quo ad ipsum post peccatum rediret: amorem, quo viam mandatorum cum suavitate percurreret. Hic est quintus siclus, scilicet, laus, gratitudo, devotio. His emitur aurum ignitum. Unde Psalmus: *Sacrificium laudis honorificabit me*, *Psal.*49. *& illic iter quo ostendam illi salutare Dei:* nimirum in beatitudinis gloria: ad quam nos perducat ipse Jesus, qui se pro nobis pretium obtulit Patri æterno. Amen.

IN

(*a*) Vide notas ad Concion. in Dom. 4. post Pascha, ubi locum unde haustum est hoc testimonium indicavimus. Editiones Brixienses, & Romana allegant in margine librum nonum Confessionum, sed licet ibi cap. 8. aliquid de hoc legatur, non tamen testimonium a S. Oratore allatum extat.

(*b*) Homil. 5. in Euang. num. 2. *Nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur.*

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

CONCIO SECUNDA.

DE EUANGELIO.

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.
Luc. 2. v. 22.

CONCIO CXXX.

I. MUlta & magna mysteria celebrantur hodie, quæ narrantur in lectione Euangelica. Primo celebratur Virginis purificatio; quæ cum esset purissima & sanctissima, & partus ejus purissimus & cœlestis, non egebat purificatione, neque ad eam legem tenebatur, quoniam excepta erat: sed voluit ex humilitate purificari sicut aliæ puerperæ, & ut evitaret scandalum. Secundo celebratur præsentatio pueri Jesu in templo, & oblatio illa admirabilis, qua hodie Filius Dei manibus Virginis offertur Patri in sacrificium matutinum, & postea ei in crucis ara offerendus erat in sacrificium vespertinum. Tertio celebratur & narratur in Euangelio, magnum illud testimonium quod illi duo senes Simeon & Anna Domino reddiderunt coram populo, ut non possint filii Israel prætendere ignorantiam, quod ipsum non agnoverint. Nam primo manifestatus fuit a pastoribus; secundo a magis; tertio ab istis duobus senibus maximæ authoritatis. Quarto celebratur solemnis illa processio, quæ facta est a janua templi usque ad altare, licet a paucis, tamen a gravissimis personis. Præcedebant Simeon & Joseph, sequebantur Maria & Anna cum puero Jesu, quam ritu solemni per universum orbem hodie sancta mater Ecclesia representat in cereis accensis, qui Dominum representant; de quo Simeon ait: *Lumen ad revelationem gentium*. Quinto & ultimo celebratur illa emptio singularis, qua Virgo hodie emit a sacerdote quinque siclis Filium suum Jesum. De quibus omnibus licet heri audivistis: hodierna tamen concione, etsi non de singulis, de præcipuis iterum punctis prolixior nobis sermo instituendus est, & juxta veteris ac novi Testamenti authentica testimonia & veridicam historiam circa illa versabimur.

Lucæ 2.

Ibidem. II. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*. Duo miranda: puritas purificatur, Redemptor redimitur; & quæ, obsecro, necessitas purificationis? Ad quid tibi Purificatio o Virgo, quæ Filium Dei de Spiritu sancto concepisti, & Virgo immaculata peperisti? Partus Virginis est nativitas Dei. Quæ parit, Virgo est, qui nascitur, Deus. Nunquid contrahit maculam sol per radium, aut flos propter odorem? Sic flos ex virga Jesse, sic odor ex flore natus Christus. Non ibi muliebria, non ruptura, non macula. Propter quid ergo purificatio, ad quid opus Filio circumcisio? Filius Virginis licet honorem deferret Matri, quemadmodum seipsum a circumcisione non exemit, ita nec Matrem a purificatione exemit: nec dedignatur Virgo sacrata una esse ex mulieribus; quoniam propter legis custodiam non dedignatur Filius unus esse ex parvulis. Lege Genesim & invenies: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*. Non se exemit ergo a maledicto legis, qui *factus* est *pro lege maledictum* Patris benedictio. De Matre autem sic ait: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipsa vero triginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis.* Hinc Euangelista: *Postquam*, inquit, *impleti sunt dies purgationis* Mariæ *secundum legem Moysi, tulerunt puerum Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur*. Et quod non aperit: Sanctum Dei erit, aut Sanctum Sanctorum. Unde Gabriel Angelus, dum Incarnationis mysterium palam faceret Virgini, dicens: *Ecce concipies in utero & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum*. Et illa: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Spiritus*, ait, *sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te* (utique sine virili complexu) *sanctum, vocabitur Filius Dei*. Neque sanctum tantum: sed sanctum absolute, omnia sanctificans.

Gen. 17.

Lev. 12.

Lucæ 2.

Ibid. 1.

Ibid. 2. III. *Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*. Secundum mirandum. Redemptor redimitur. Non vacat mysterio quod Filius Dei unigenitus hodie quasi mancipium ære publico ad altare venditur Matri suæ. Propter quid Pater clementissime tanta injuria fit Filio tuo? Nonne satis est, quod ex obedientia tua, cum in forma Dei esset, humiliaverit semetipsum, accipiens formam servi, & in die natalis sui in hac forma servi apparuit; unde cecinimus: *Nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium?* Non satis fuit quod octavo die quasi servus characterizatus sit cauterio mancipii durissimo & asperrimo: nisi etiam hodie addas, ut quasi mancipium venundetur? Propter quid Domine, factum est hoc? Quæ necessitas ut Mater Filium suum emat a sacerdote? In Exodo legimus, & in libro Numerorum: quod quia Dominus percusserat omnes primogenitos Ægypti in ingressu filiorum Israel; ideo voluit omnes primitivos esse suos: *Sanctifica mihi*, inquit Moysi Dominus,

Philip. 2.

Galat. 4.

Lucæ 2.

Exod. 13.

minus, *omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Iſrael*. Et iterum: *Mea ſunt primogenita filiorum Iſrael. Ex die quo percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti, ſanctificavi eos mihi*. Et præcepit, ut mulier quæ pepererit primogenitum, offerret illum in templo, & traderet ſacerdoti, quaſi Domino conſecratum: & ſi vellet illum reportare, emeret quinque ſiclis. Hunc ritum ſervavit Virgo, tradens Filium ſuum ſummo Sacerdoti Deo, & emens illum ab eo. Si Judæum interroges; nullam aliam rationem dabit, niſi quia primogenita Dei ſunt, & ideo venduntur parentibus. Sed revera magnum hic latet myſterium. Si manerent ibi, ut eſſent ſacerdotes & levitæ in templo Domino miniſtrantes; bene. Sed ad quid venduntur? Nunquid eget Deus pecuniis? Meo judicio, Fratres, illa lex propter ſolam illam venditionem ſtatuta eſt, ut hic primogenitus emeretur, quia hoc multum conducebat mundo. Intelligite, Fratres, myſterium, perpendite ſacramentum: hodie pretium mundi emitur, hodie per manus Virginis mundus a Deo per ſacerdotem miniſtrum emit ſuam redemptionem. Virgo non ſibi emit, ſed mundo quaſi procuratrix. Hodie dives factus eſt mundus, hodie habet quo poſſit ſolvere Deo pretium pro peccatis, & magnum illud debitum quo tenetur. Emit enim cœleſtem illum carbunculum & pretioſam margaritam, qua poſſit ex æquo & amplius ſolvere quam tenebatur. O magna ſolemnitas! O præclara feſtivitas! Jam ex hoc totus noſter es o bone Jeſu, & in noſtros uſus expenſus. Quod ſi tu noſter es, noſtra eſt vita tua, noſtra ſunt opera tua, noſtra ſunt merita tua, noſtri vagitus tui, noſtri ſudores tui, noſtri dolores tui. Non timemus jam ſedere ad rationem cum Deo: habemus unde illi omne debitum rependamus; ut in redemptione non ſolum fiat miſericordia, ſed fiat etiam juſtitia: cum non de alieno, ſed de noſtro rependimus Deo debitum. Ecce, Fratres, unam rationem hujus emptionis. Eſt quoque alia ratio. Omnes tenebamur captivi ſub peccato, omnes eramus ſervi peccati: ad tollendam hanc ſervitutem, oportuit, ut Filius Dei quaſi venumdaretur, ut ejus ſervitus eſſet nobis plena libertas. Sicut accepit maledictionem crucis, ut nos in illo eſſemus benedicti: ita etiam accepit ſervitutem, ut nobis tribueret libertatem. Hanc rationem tangit Apoſtulus cum ait: Factus eſt ſub lege, *ut eos, qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum* Dei *reciperemus*. Ecce cauſas & rationes hujus ſacræ venditionis. Et fuit hæc venditio pura, & ſacra, & ſine injuria: quia qui vendit, Pater eſt; quæ emit, Mater: & finis eſt, ut mundus eum perpetuo poſſideat, ut in illo carbunculo cœleſte regnum emat.

Num. 8. *Galat.* 4.

IV. *Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino*. Erat forte elongatus a Domino? Quomodo: *Ut ſiſterent eum Domino?* Nunquid non ab æterno Chriſtus præſens eſt Domino? Euangeliſtam audi: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. A *principio*, id eſt, ab æterno *erat apud Deum*. Et ipſe ad Philippum: *Philippe qui videt me, videt & Patrem... Non creditis quia ego in Patre & Pater in me eſt?* Cujus intima præſentialitas identitas ſimilis eſt. Et Proverbiorum octavo: *Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ: cum eo eram cuncta componens;* & nunc, *tulerunt eum, ut ſiſterent eum Domino?* Quod ſi humanitatem reſpicis; a principio ab inſtanti ſuæ conceptionis beatus & glorioſus præſens Domino fuit. Quid igitur, *ut ſiſterent eum Domino?* Forte hodie putatur non noviter, ſed novo modo: ut oblatio, ut munus Deo gratum. Sicut ſacerdos prius offert hoſtiam, poſtea conſummat: ita ſacrificium ſolemne, hodie offertur incruentum. Conſummatur ne conſummatur. Sicut ipſe ait ad Herodem: *Ecce hodie & cras, & tertia die conſummor*. Et quod hoc ita ſit; ex Malachia admonemur capite tertio, ubi ait: *Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, &c.* Pondera *ſtatim:* ut Dionyſius (*a*) *in Epiſtola*. Quomodo *ſtatim*, qui poſt quinque millia annorum? *Statim;* præ magnitudine: etiamſi per mille millia annorum daretur, vel, *ſtatim:* quia ſubito formatus, non paulatim ut alii parvuli. Sequitur ad propoſitum: *Et placebit Domino ſacrificium Juda & Jeruſalem ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui*. Alia verſio: *Sicut diebus antiquis*, id eſt, ſicut ſacrificium antiquum, Abel, Abrahæ, Melchiſedech. Melius, ſicut ab Auguſtino (*b*) de Civitate Dei capite vigeſimo ſexto: *Sicut diebus antiquis:* ante peccatum. Sacrficium immaculatum & ab innocente Virgine oblatum: ſicut in ſtatu innocentiæ. Ecce ergo: *Ut ſiſterent eum:* id eſt; ut immaculata ſine peccato, immaculatam hoſtiam offerret, &c. Figura hujus oblationis in Abigail. Recita hiſtoriam. Nabal ſtultus, ſtultus mundus, ſtultus eſt omnis peccator, qui pro modica voluptate æternis ſuppliciis ſe obligat, & pro modica lætitia æterna ſe privat gloria, ſed ebrius a vino voluptatis & cupiditatis. Tale erat genus

Luc. 2. *Joan.* 1. *Ibid.* 14. *Prov.* 8. *Luc.* 2. *Ibid.* 13. *Malac.* 3. (*a*) (*b*) 1. *Reg.* 25.

(*a*) Epiſt. 3. Cajo Monacho cujus argumentum eſt: Quid ſignificet vox ἐξαίφνης ſeu *repente*. Ita porro explicatur in Epiſtola: *Repente eſt, quod præter ſpem, & ex eo quod hucuſque obſcurum erat profertur in lucem*. Vide Schol. S. Maximi, & Paraphr. Pachymeræ in eamdem Epiſtolam.

(*b*) De Civit. Dei lib. 20. cap. 26. num. 2.

nus humanum in adventu Chriſti: gentes idololatræ, Judæi prophani. Pſalmus: *Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum: ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in* iniquitatibus *ſuis, non eſt qui faciat bonum. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Omnes digni ira & furore.

Pſal. 52. *Pſal.* 13.

V. Abigail, id eſt, Patris noſtri exultatio: ſic enim interpretatur. Patris igitur noſtri Adæ exultatio, lætitia Jeruſalem, pulcherrima & prudens, ut ait Scriptura; exiit in occurſum Dei manibus retinens munus; ſuſcipe, ait, Pater pie pro mundi reatibus; reſpice oblationem hanc gratam, primam: ſuſcipe Filium tuum: ſuſcipe oblationem hanc, quam offert Ancilla tua tibi Domino meo. Reſpice ſub pannis munus pretioſiſſimum: ſub membris enim infantilibus quid lateat, tu ſolus Deus potes appretiari: majus mundo infinite eſt, quod hodie virginibus offertur manibus. *Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino.* O Virgines Deo dicatæ, ad vos referri, & de unaquaque veſtrum intelligi poſſunt verba hæc: *Tulerunt illum in Jeruſalem.* Jeruſalem, viſio pacis dicitur; & ubi pax, ubi quies, niſi in religione? Si quæ eſt in terris; ibi abſcondite eam, in abſcondito vultus veſtri a conturbatione hominum. Sed & locus viſionis eſt; quia mons altus. Inde enim cœleſtia & æterna videntur prope, quæ ſæculares vident a longe. Ibi etiam fraus, & perturbatio, & miſeria hominum, tanquam ex alto apparent. Inde poteſtis contemplari vanos labores, vacuas curas hominum: quomodo infirmentur, rapiantur, mergantur. Pſalmus: *Verumtamen, oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis. Ut ſiſterent eum Domino.* Hoc veſtrum officium: die noctuque adſtare coram Domino laudantes: ſimiles Angelis. Hoc eſt: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

1. Reg. 25. *Lucæ* 2. *Pſal.* 30. *Pſal.* 90. *Lucæ* 2. *Dan.* 7.

VI. Quinque ſiclis hodie emitur Chriſtus. Tam modico pretio pretium mundi appretiatur mercante Virgine. Quid tu Juda Chriſtum publica auctione vendis? Et tu cæca ſynagoga, quid emere procuras ab eo qui titulum non habet? Chriſtus jam a Virgine Eccleſiæ mercatus eſt, de duabus venditionibus prima valet. O magna Virgo, redemptrix Redemptoris! Emiſti nobis Chriſtum, ut ipſe emeret nos. Ad hoc emptus eſt, ut emat. Tu modico pretio Chriſtum emis, ipſe multo pretio mundum redemit. Comparatio liberalium mercatorum, qui pauperibus modico vendunt pretio; ſi emptor dives eſt, etiamſi amicus ſit, volunt ſummum. Ita Deus, Filium quem dedit mundo, modico pretio donavit mundo; ſed Filio potenti & diviti, mundum multo pretio vendidit. Quinque ſiclis emptus eſt Redemptor, qui quinque plagis mundum emit. Meus es jam bone Jeſu, meus es duplici jure. Pater te dedit nobis, Mater emit. Utroque jure te poſſideo. Non es tui juris, ſed mei. Parum eſt quod ais: *O Domine, quia ego ſervus tuus!* Non Dei ſolum, ſed etiam ſæculi effectus es hodie ſervus, ut omnes per hanc tuam ſervitutem haberent libertatem. Meus es jam Domine Jeſu, quia te mihi emit Virgo. Meus es, & in meos uſus expenderis. Emptus es a Virgine mundo, ut omnia onera ſuper te ſuſtineas, ut ſervus. Et qualia onera? Iſaias: *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Poſuit ſuper te Deus peccata omnium noſtrum, ut pro omnibus luas, ut flagelleris pro omnibus peccatis. Pſalmus: *In me tranſierunt iræ tuæ;* & iterum: *Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos* induxiſti ſuper me. O peccator (*a*), vides gaudium tuum, imo gaudium Angelorum, quinque iſtis plagis lethaliter pro te læſum, ut gaudium haurias de totidem fontibus Salvatoris tui, nec adhuc moveris? Audis manus illius pedeſque, & latus terebrari, neque cor tuum tranſverberatur compaſſione? Addo copioſiſſimum toto corpore ſacratiſſimo, tempore paſſionis effuſum ſanguinem ſcaturientibus undique venis; ſi forte calefias, & emolliaris, ut dulciſſimo tuo Jeſu pro cruore effuſo ſolas ſaltem lacrymas fundas. O cor durum! Adhuc addam & malleum gravem, & cuneos ferreos, inſtrumenta fortia incutiam tibi, ut illis ſcindaris & fontem lacrymarum ſaluberrimum elicias. Nam ſi cor tuum ſicut terra ſine aqua aruiſſet; utique vel leviter poſſes emoliri ſola recordatione vulnerum & ſanguine madentis Jeſu. Si autem a facie frigoris iniquitatum tuarum induratum eſt cor tuum durum & impœnitens in rigorem lapidis, neque his adhuc commoveris, durius es ſilice, qui in deſerto a Moyſe bis percuſſus virga emiſit latices copioſiſſimos; præſertim cum malleus crucis Domini validior ſit ad feriendum, quam virga Moyſi, & tres clavi ferrei tibi incuſſi efficaciores eſſe debeant ad aquam lacrymarum eliciendam, quam percuſſio Moyſis geminata. Si vero cor lapideum adhuc permanes inconcuſſum, eo quod in adamantis duritiem ſis converſum, qui ſolo hædi ſanguine poteſt molliri: affero tibi hædi pariter & agni incontaminati, optimi Jeſu ſanguinem copioſum, calore incomparabilis charitatis ferventem. Hujus ergo exuberanti cruore o cor adamantinum inunge-

re

Pſ. 115. *Iſaiæ* 53. *Pſal.* 87. *Iſaiæ* 12. *Pſ.* 142. *Exod.* 17.

(*a*) Ab his verbis, uſque ad ea: *Uti hactenus Bernardus*, hauſta ſunt omnia ex tractatu *de Paſſione Domini*, qui & *Vitis myſtica* inſcribitur cap. 33., qui tractatus olim Bernardo adſcriptus fuit, ſed a Mabillonio inter ſpuria rejicitur vol. 3. pag. 479.

re & immergere; jace in illo, ut calefias, calefactum emoliaris, emollitum vero fontem lacrymarum effundas. Quære ergo tibi, & utinam invenias fontem lacrymarum in lacrymis, in cruce, in clavis, in quinque vulneribus rubicundi Jesu. Et quis nisi totus caro & sanguis sit, & qui in se nihil habeat spirituale, sanguinem istum fastidiat? Quis puriſſimum saluberrimumque sanguinem Jesu puriſſimi non affectet? Quis semel isto dulciſſimo sanguine inebriatus & saginatus, quem paravit in dulcedine sua pauperi Deus, non magis ac magis sitiat? Si verum est, imo quia verum, humano sanguini præ cæteris tantam naturaliter ineſſe dulcedinem, ut quum a bestia qualibet semel gustatus fuerit, illum de cætero semper gustare desideret; ita ut aliis animalibus postpositis sanguini insidietur humano, & in mortem suam ruat pro illo acquirendo: quantum in se credis habere dulcedinis Sanguinem Filii hominis Jesu Christi? Ecce sitiunt irrationabiles bestiæ sanguinem hominis, & non sitiam ego Sanguinem Filii Dei? Bestiæ, quanto plus gustaverint, tanto plus sitiunt sanguinem humanum, & ego fastidiam Sanguinem Dei & hominis benigniſſimi Jesu? Bestiæ ruunt in mortem dulcedine sanguinis attractæ, & ego non festinabo ad vitam & Sanguinem rubicundi Jesu? Imo vero festinabo, emam, & bibam. Properate mecum qui diligitis Dominum: emite non quinque siclis non corruptibilibus auro vel argento; sed commutatione meorum & conversationis vestræ: uti hactenus Bernardus.

Lucæ 2. VII. *Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Perfecta oblatio divitum spiritualium agnus est, id est, innocentia. Sed *Eccli.31.* rara avis in terra. *Beatus* vir, *qui inventus est sine macula.* Sed, *quis est hic & laudabimus eum?* Si ergo non est dives, sed pauper, peccator; admone, ut offerat turtures aut columbas; utrumque gemit. Offerat ergo gemitum, qui non potest offerre innocentiam. *Lucæ 2.* Sed, *par turturum*, id est, duplicem gemitum: pro culpa, pro pœna; pro offenso Deo, pro acquisito inferno; pro perditione gloriæ, pro damnatione pœnæ. *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Solitaria avis, turtur, & eremiticam vitam ducentium similitudinem habet. Magis domestica est columba, & facilius haberi potest. Si ergo præpeditus negotiis altius gemere non vales, ut *Psal.37.* turtur; saltem, meditare ut columba: *Cogitabo pro peccato meo, meditabor ut columba.* *Isaiæ 38.* Et offer, non columbam, quia non est avis casta; sed par columbarum: opera misericordiæ & eleemosynarum. Sed par: quia primo, miserere animæ tuæ placens Deo: deinde miserere proximo. Prima misericordia erit ad te ipsum, non te interficiendo per peccatum, ut salves animam tuam.

VIII. *Et ecce homo erat in Jerusalem cui nomen Simeon.* Ab Augustino (*a*) dicitur homo ille senex, famosus, annosus, probatus. Ab Euangelista dicitur, quod homo iste erat *justus & timoratus.* Primo laudatur persona, ut prophetiam commendet ab authoritate personæ. Bonæ conditiones senis: *Justus & timoratus, expectans* redemptionem *Israel.* Zelo zelabat videre Christum, & promeruit in simplicitate & timore. O quam certa est spes cum anxietate! *Si quis sitit, veniat ad me. Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam:* profecto, *ipsi saturabuntur.* Cui dabitur sitire, dabitur etiam saturari. Apocalypsis ultimo: *Qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis.* Oportet autem patienter expectare, ac sustinere Deum. Psalmus: *Expectans expectavi Dominum, & intendit mibi.* Non solum sperabat, sed sperans sperabat. Expectavit etiam ipsam spem, & ideo intendit illi suo tempore: *Et exaudivit preces meas; & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Et statuit supra petram pedes meos: & direxit gressus meos. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro, &c.* Tanta Bona, unde obsecro? Quia *expectans, expectavi.* Expectavi patienter. *Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* P. Augustinus (*b*): Expectavit te Dominus iniquum per triginta annos; expecta tu eum per viginti menses. Quid anxiaris? Uno die non potes esse perfectus. Nemo repente fit summus. *Beatus, qui manducat panem in* mensa *Dei.* Vere beatus, si in hoc exilio. Beatus qui esurit, & sitit justitiam, & aquam vitæ; utique, ipsum esurire signum est, quoniam satiabitur. Signum certum, quia Verbum Dei certum est. Ipsa sitis nostra satians est in hac vita, & ipsum desiderium est ipsa satietas viæ, vel pignus sacramentorum. Quia ergo desideraverat Simeon, & petiverat ut videret: desiderando promeruit, ac impetravit, quod desideravit. Dic late de illis, qui habent viva desideria: & per contrarium de morticiniis & tepidis sine sensu. Bernardus (*c*): Deus potest inveniri non quæsitus, sed non potest quæri nisi inventus. Contra tepidos illam authoritatem Oseæ: *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* Daniel meruit videre profunda, quia *Vir desideriorum* erat.

IX. *Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini.* Lætus tali promissione expectabat: & statim ei dictum est, ut iret ad templum, & videret. Cogita modo senis

Lucæ 2. (*a*)
Ibidem.
Mat. 5.
Jo. 7.
Mat. 5.
Apoc. 22.
Psal. 39.
Ibidem.
Psal. 26. (*b*)
Lucæ 14.
Mat. 5.
(*c*)
Oseæ 7.
Dan. 9.
Lucæ 2.

(*a*) Serm. olim 13. de tempore nunc 128. in Append. num. 3.

(*b*) Aliquid simile apud S. P. Augustinum invenio Serm. 40. alias 11. inter Homil. 50. num. 1.

(*c*) Serm. 37. de Diverſ. num. 4. *Et is quidem non quæsitus haberi forsitan potest; non habitus autem quæri omnino non potest.*

Exodi 3. lætitiam. *Vadam*, inquit, *& videbo visionem hanc magnam*. Pensa, quanto tripudio exiliebat, & quid tunc cogitabat: forte expectabat videre Messiam cum apparatu, forte cum curru, stipatum famulantium caterva. *Lucæ 2.* *Et venit in spiritu in templum*. Non erat tumultus servorum. Levat oculos, videt Virginem cum Filio: agnoscit in spiritu, flexis genibus adorat, manibus suscipit, benedicit Deum & dicit: O Puer in quo omnes thesauri! O Puer tam expectate, tam desiderate! Quanti Reges & Prophetæ desideraverunt quod video! Deosculatur pannos, & effusus in lacrymas præ nimio gaudio: jam, inquit, lætus exeo de mundo. *Nunc dimittis servum tuum Domine. Nunc dimittis servum tuum, secundum verbum tuum in pace. Nunc dimittis*, id est, dimitte. *Secundum verbum tuum*, id est, secundum revelationem, secundum promissionem tuam factam mihi per Spiritum sanctum. *Nunc dimittis servum tuum Domine*. S. P. Augustinus (*a*): Differebatur exire de sæculo, ut videret natum, per quem factum est sæculum. Natus est Christus, & impletum est desiderium senis, jam viso ipso in carne. *Ibidem.* *Nunc dimittis servum tuum*, annuntiatorem tuum. Prophetæ cecinerunt Conditorem cœli & terræ, in terra cum hominibus futurum: Angelus nuntiavit Creatorem carnis & spiritus in carne venturum, salutavit Joannes ex utero in utero Salvatorem: dimitte me; ero optimus nunciator Patribus in Limbo. *Nunc dimittis servum tuum Domine, secun-* *Ps. 118.* *dum verbum tuum: Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti*. Nam, *bonitatem fecisti* mecum *servo tuo Domine secundum verbum tuum. Memor esto verbi tui* servo tuo: imple promissum servo tuo, *in quo mihi spem dedisti*, in quo Verbo, quoniam per Spiritum tuum sanctum illud mihi revelasti & promisisti; me sperare fecisti; eo jam viso ac complexo; dimitte, obsecro, me. *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. In pace:* toto scilicet orbe in pace constituto. *In pace:* quam in glorioſa Unigeniti tui Nativitate multitudo cœlestis militiæ publicavit, *Lucæ 2.* dicens: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Dimitte me *in pace*. *Gen. 8.* Noe post generale diluvium dimisit ex arca columbam, quæ reversa ad eum vesperi ramum contulit olivæ, signum pacis. Dimitte me Domine *in pace:* antequam inundet diluvium passionis Unigeniti tui, Redemptoris mei, Salvatoris mundi: dimitte me ex hac arca corporis, & tanquam co- *Psal. 54.* lumba *volabo & requiescam*, in Limbo pacem prænuntians Patribus in fine sæculorum inter hominem & Deum Angelorum, per Christi Filii tui Domini mei in carne ap- *Num. 23.* paritionem. Ergo dimitte me *in pace: Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. In pace:* ut alter Elias fugiens impiæ Jezabel, synagogæ Judæorum, in Christum persecutionem; peto animæ meæ ut moriatur. Dimitte ergo nunc *Domine servum tuum in pace:* Sufficit mihi Domine, sufficit vidisse; *Tolle animam meam*, & aggrega illam in Limbo præstolantibus te: *Non enim melior sum Patribus meis*.

Lucæ 2. *3. Reg. 19.* *1. Mach. 13.*

X. *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Nunc & in pace:* antequam oculi mei videant Filii tui irrisionem, blasphemias, injurias, flagella, mortem, quæ non potero sustinere; & quam ne quidem muta elementa ferre potuerunt. Ut enim asserit Magnus Gregorius (*b*): Exhorruit terra, quia eo moriente contremuit. Sol expavit, quia lucis suæ radios abscondit. Saxa & paries conturbata sunt, quia in morte ejus sciſſa sunt. Infernus denique commotus est, quia hos quos tenebat mortuos reddidit. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Salvatorem meum, quem tot retro Prophetæ intueri desideraverunt, & non potuerunt. *Viderunt oculi mei salutare tuum.* quem desiderant & Angeli prospicere. O Christiane *respice & tu in faciem Christi tui*, Redemptoris tui, Amatoris tui. *Viderunt oculi mei*. Vidi te, sufficit mihi. *Quod parasti ante faciem omnium populorum:* totius mundi. Sic est: neque enim dies hæc solius Judaici populi. Videte prophetiam rei consonam. Inde lumen. *Lumen ad revelationem* omnium *gentium*. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lumen:* lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. *Lumen: Ego sum lux mundi*. Lumen: in medio tenebrarum. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Lumen ad revelationem gentium. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Lumen ad revelationem gentium*. Quantus erat iste senex, qui gentium conversionem prægnovit. Parasti lumen & gloriam. Isaias: *Illuminare illuminare Jerusalem: quia venit lumen tuum & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo, populos: super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur; & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Et gloriam plebis tuæ Israel*. Christum nasci in & ex populo isto summa erat illorum gloria. Apostolus: *Ex quibus Christus secundum carnem; qui est supra omnia benedictus in sæcula. Amen. Nunc dimittis servum tuum Domine: Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Lumen ad revelationem gentium*. Manue, cum vidisset Angelum Domini in flamma ascendentem, ait: *Morte mo-*

Lucæ 2. *(b)* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ps. 83.* *Lucæ 2.* *Ibidem.* *Jo. 8.* *Isaiæ 55.* *Ibid. 60.* *Lucæ 2.* *Rom. 9.* *Lucæ 2.* *Judic. 13.*

(*a*) Serm. 128. Append. num. 4. paulo ante allegat.
(*b*) Homil. 10. in Euang. num. 2. sed paulo aliter expressa sunt, & huic argumento accommodata.

moriemur, quia vidimus Deum. Simeon vi-
Malac.3. so Domino; Angelo illo de quo Malachias: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis: & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.*
Lucæ 2. In flamma: *Lumen ad revelationem gentium: Nunc*, inquit, *dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace:* Morte moriamur; quia vidimus Dominum.

XI. O, inquit, quis modo naſceretur, ut videret mira quæ facturus es. Sed non privatus eſt ſuo deſiderio. A Sole quem in manibus geſtabat, radius prophetiæ in cor ſenis inflammavit ipſum ut ignem. Et ſicut
Ibidem. paſtores videntes: *Cognoverunt de Verbo*, &
Mat. 2. Magi eum invenientes adoraverunt: ita & Simeon præſentia Domini illuminatur & videt futura. Nempe: quomodo ſynagoga non eum erat agnoſcitura; ſed Gentilitas agnoſcit ex Prophetis. Quomodo illum adhuc infantem Reges adorabunt, & totus mundus
Pſal. 71. ſerviet ei, ex Propheta David: *Et dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei.* Sed qualis futura ſit vita infantis; quomodo occidendus, flagellandus, revelatur ei ex prophetia Iſaiæ:
Iſaiæ 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit: & nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum a Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Et
Thren.3. ex prophetia Jeremiæ: *Dabit percutienti ſe maxillam ſaturabitur opprobriis.* Stupet vultus ejus, contriſtatur præ dolore, fluunt lacrymæ, pandit myſterium & converſus ad
Lucæ 2. Mariam matrem ejus, prophetat & ait: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael: & in ſignum cui contradicetur: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Idem reperies apud Iſaiam: *Do-*
Iſaiæ 8. *minum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter. Et erit vobis in ſanctificationem. In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali, duabus domibus Iſrael: in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Et Apoſtolus: *Offenderunt*, in-
Rom. 9. quit, *in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali: & omnis qui credit in eum non confundetur.* Idem legis; Prima Petri, capite ſecundo: *Deponentes igitur omnem malitiam,*
1.Petr.2. *& omnem dolum, & ſimulationes & invidias & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite: ut in eo creſcatis in ſalutem: ſi tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo vero electum, & honorificatum: & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum: Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem electum, pretioſum, & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt.* Ecce quomodo conveniant nova veteribus, & vetera novis.

XII. Sed, ſi placeat, exponamus hoc oraculum: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in*
Lucæ 2. *reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur.* Concordat Iſaias: *Ecce ego mit-*
Iſaiæ 28. *tam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum in fundamento fundatum.* David: *lapidem, quem repro-*
Pſ. 117. *baverunt ædificantes hic factus eſt in caput anguli.* Et in Euangelio: *Qui ceciderit ſuper*
Mat. 21. *lapidem iſtum confringetur, ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Hic eſt lapis qui reprobatus eſt a Judæis. Judæo offendiculum,
Act. 4. offendiculum Hæretico, offendiculum malo Chriſtiano. Petrus Apoſtolus: *Lapis*, in-
1.Petr.2. quit, *quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt.* Ecce quomodo
Lucæ 2. *poſitus eſt hic in ruinam multorum.* Sed *cum*
Pſal.75. exurget *in judicium Deus, ut ſalvos* faciat *manſuetos terræ:* quibus *poſitus eſt* non *in ruinam*, ſed *in reſurrectionem;* tunc, *ſuper quem ceciderit* in judicio *conteret eum.* Pſalmus: *Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem*
Pſal.17. *venti: ut lutum platearum delebo eos.* Populi in judicio, ut pulvis in terra. Verbum illud: Ite, *diſcedite a me maledicti;* ut ven-
Mat. 25. tus, ſtatim non apparebunt. *Poſitus eſt* ergo *Chriſtus in ruinam & in reſurrectionem multorum.*
Lucæ 2. Chriſtus Dominus ſicut lapis torcularis. Nam in ſuperbis vinum expreſſit, & in humilibus oleum expreſſit & balſamum, ubi erat.

erat. Et hodie facit tempore perſecutionis: nam tempore pacis ſimulata ſunt omnia, nec apparet liquor, donec atteratur germen. *Et in ſignum cui contradicetur.* Non ſolum illis temporibus, ſed & modo a ſuis, ipſi contradicitur. Contradicitur paupertas, humilitas, labor, pœnitentia, crux: irridetur modo qui hæc ſequitur, velut ſtultus Chriſtianus. Facit male: vivit, floret, terret, honoratur. Facit bene: reprehenditur, blaſphematur, accuſatur, laborat, terretur. P. Auguſtinus (*a*): Cum cœperit ſervire Deo, quærere paupertatem, nolle hic divitias, non hic quærere felicitatem, contemnere omnia, Dominum ſolum cogitare, viam Chriſti non deſerere: non ſolum a Paganis dicitur inſanus, ſed quod magis dolendum eſt, quia & intus multi dormiunt, & vigilare nolunt, a Chriſtianis audiunt: Quid pateris? Fratres mei, homini ſecundum vitam Chriſti dicitur: Quid pateris? Horremus Judæos, quia dixerunt, Domino Jeſu Chriſto, *dæmonium habes;* & quando audimus Euangelium recitari, tundimus pectora noſtra. Sceleratam rem dixerunt Judæi Chriſto: *dæmonium habes.* Age tu Chriſtiane: quando videris de corde hominis expulſum diabolum, & habitare Chriſtum, & dicis: Quid pateris? dæmonium videtur habere. Dictum eſt & ipſi Domino; inſanit, dæmonium habet; quando loquebatur verba, quæ illi non caperent. Et quid, precor, improperatur bene viventi Chriſtiano, quam, *dæmonium habes*, inſanis; dum veſtigia ſequitur Chriſti? Contradicitur ergo Chriſto a Chriſtianis; ac Chriſtus ſignum eſt cui contradicitur non ſolum a Paganis, ſed etiam a malis Chriſtianis. Et odientes bonum, facti ſunt perſecutores ejus: ſed humiles & recti corde, adhæſerunt ei. *Et in ſignum cui contradicetur.* Ita Iſaias: *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet.* Et alibi: *Radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur.* Et alibi: *Hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.*

(*a*) Jo. 7. Ibid. 10. Pſal. 42. Lucæ 2. Iſaiæ 7. Ibid. 11. Lucæ 2.

XIII. Chriſtus, ſignum triplex, ſcilicet: ſignum directionis, ſignum imitationis, ſignum munitionis. Eſt primo ſignum directionis, ſagittariis proportionatum quo dirigunt ſagittas. Sagittæ deſideria cordis noſtri: ſignum Deus. Beatus qui in ipſum omnes cogitationes & affectiones, & opera dirigit. In Canticis: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Ponitur *ſignaculum ſuper cor*, quoniam motus cordis in ipſum referuntur: *ſignaculum ſuper brachium*, quoniam omnia opera diriguntur in ipſum, ſecundum illud Apoſtoli: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Et iterum: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.*

Cant. 8. 1. Cor. 10. Coloſ. 3.

Dices hic practice, quomodo ipſe ſonus etiam laus Dei eſt: & ſemper genua cordis juſti flexa ſunt apud Deum, ideo ſemper orat. Secundo, eſt ſignum imitationis. Sed *ſignum cui contradicetur.* Quis hodie ſequitur Chriſtum; Chriſtus paupertatem, nos divitias; Chriſtus labores, nos ſolatia; Chriſtus dolores, nos delicias; Chriſtus injurias, nos honores. Valde diſſimilis eſt vita & membrum a capite. Joannes: *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Et ipſe Dominus in Euangelio: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Cupis venire *ubi* ſum, ſequere viam, qua veni *ubi* ſum. Maxime hoc Religioſis convenit: quorum ſtudium omne eſt, Chriſto aſſimilari. Valde pudendum eſt, ſponſam eſſe in deliciis, quando ſponſus eſt in ſudoribus & laboribus. Dic figuram Uriæ: qui cum veniſſet de bello, & mitteretur ad quieſcendum cum uxore; reſpondit: *Arca Dei & Iſrael & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar Domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per ſalutem tuam & ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Ita dicat ſponſa Chriſti, anima devota: Arca Dei, Corpus Sanctiſſimum in campo, in cruce, plagis plenum, & ſanguine conſperſum, & Dominus meus Jeſus ſemper in laboribus, & ſervi ejus Apoſtoli Martyres omnes ſuper faciem terræ morte occubuerunt, lacerati, perſecuti, anguſtiati ſuper faciem terræ. *Alii vero ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ;* & ego interim deliciis & ſolatiis indulgebo? Abſit hoc a me. Placeat Domino meo facere me conſortem laborum ſuorum. Tunc vere cognoſcam, quod diligit me, quando ſecum & cum electis ſuis compati & contribulari permittat. Hoc mihi gaudium, hæc unica ſpes ſalutis: ſciens, quoniam ſi compatior, & conregnabo. *Non eſt* ſervus *ſuper Magiſtrum, neque major Domino ſuo.* Si te perſecuti ſunt Domine mi, juſtum eſt ut & me perſequantur.

Lucæ 2. 1. Jo. 2. Jo. 12. 2. Reg. 11. Heb. 11. Rom. 8. Lucæ 6. Jo. 15.

XIV. Tertio, eſt ſignum munitionis. Bellatoribus ſemper eſt poſitum vexillum, ut ſignum, ad quod reſpiciant, quando contigerit prælio duriſſimo perturbari. Nobis cum principibus tenebrarum bellum continuum eſt. *Militia eſt* enim *vita hominis ſuper terram.* Et ut ait Apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus, principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequi-*

Job 7. Epheſ. 6.

(*a*) Vide Serm. 88. de verb. Euang. Matth. 20. alias 18. de verb. Dom. num. 12. & 13. & in Pſalm. 90. Serm. 1. n. 4.

quitiæ, in cœleſtibus. Si perturbatus & victus ac ſuperatus quis fuerit: reſpiciat ad Dominum pendentem in crucis patibulo. Apoſtolus: *Heb. 12.* *Aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio* *Num. 21.* *ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Fecit Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur*. Crucem amplexetur, inde ſolabitur: protegat ſe ſub velamento Crucifixi. *Pſal. 85.* Pſalmus: *Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt*, ſcilicet dæmones, *& confundantur* & ſtrideant; videntes: *quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me*. Sicut aves parvæ, quando accipiter ſupervolitat, eas in prædam rapturus, in foramine petræ ſe abſcondunt; ita & nos illis quaſi ſimiles, in conſpectu circumvolitantium dæmonum, in plagis corporis Chriſti abſcondamur. Iſaias: *Iſaiæ 2.* *Ingredere in petram & abſcondere*. In Can- *Cant. 2.* ticis: *Columba mea in foramine petræ*. Pſal- *Pſ. 103.* mus: *Petra refugium herinaciis*. Iſaias: *At-* *Iſaiæ 51.* *tendite ad Petram unde exciſi eſtis*. Et ſi A contigerit a ſerpentibus morderi, aſpiciamus *Num. 21.* ad ſerpentem ſine veneno in cruce elevatum, ut a morſibus ſanemur. Omnes noſtis ipſam figuram de ſerpente, quem Moyſes exaltavit in ligno. Omnibus iſtis modis Chriſtus ſignum eſt, & omnibus iſtis modis ei contradicimus, quia neque opera & amorem in ipſum dirigimus, neque vitam imitamur, neque in laboribus & tentationibus ad ipſum confugimus. Dic bonum documentum pro fragilibus. Si non vales Chriſtum imitari in jejuniis & laboribus, ſaltem eſto amator imitantium. Non contradicas, ſed fave eis, B agnoſcens tuam fragilitatem: & iſte favor tibi reputabitur ad juſtitiam. Contra illos qui non ſolum non imitantur Chriſtum, ſed etiam imitantibus adverſantur. *Et tuam ipſius* *Lucæ 2.* *animam pertranſibit gladius*. Prophetia mortis Chriſti. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Quemadmodum in ſecundo adventu manifeſtabit abſcondita cordium: ita *1. Cor. 4.* etiam in primo manifeſtavit corda; detexit hypocriſim Phariſæorum, & ſimulatorum.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS
B. MARIÆ VIRGINIS
CONCIO PRIMA.

AD VIRGINES RELIGIOSAS. DE IMITATIONE B. M. V.

Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileæ.
Luc. 1. v. 6.

CONCIO CXXXI.

I. ADMIRANDAM, omnique virtute præſtantem Genitricem Dei Mariam, pro mei ingenii exiguitate, toto animi deſiderio laudare deſiderans, nullum fere in ſacris Literis potui reperire præconium, quod ad literam ejus nobis gloriam, excellentiamque demonſtret. Nam, etſi de illa per Prophetas plurima myſtice dicta factaque paſſim legantur, unde poſſit virtutis ejus magnitudo conſtare: in Euangelicis tamen aut Apoſtolicis Scripturis, rarus de illa ſermo, & multo rarior laus invenitur. Quamvis, ut verum fatear, non ita ſilentio ttadita ſit, ut in eorum dictis virtutum ejus claritas, tenuiſſimo radio, veluti per quaſdam verborum rimulas non eniteat. Sed unde magis ejus gloriam, virtutes, doteſque animi poterimus auſpicari, quam ex illo mirifico ejus, & Angeli colloquio: in quo, præter hoc quod angelico C eloquio gratia pleniſſima, & omnium feminarum prima merito prædicatur: ex geſtis ejus, & dictis multa nimis præconiorum ejus ſilva emicuit? Neque enim id cuiquam dubium eſt; talem & tantam Dei Genitricem fore decere, ut nulla ei in univerſo ab initio valeat femina comparari: ſed quomodo ita ſit, cupimus non tam judicio noſtro, quam Dei eloquio demonſtrare. Singula ergo Euangelicæ hujus lectionis geſta percurramus: & quod dicimus luce clarius D apparebit. *Miſſus eſt*, inquit, *Angelus Ga-* *Lucæ 1.* *briel a Deo... ad Virginem*. Qualem exiſtimas Virginem, cui ab Altiſſimo Angelus deſtinatur, quam puram, quam elegantem, quam decoram, quæ ita Conditori ſuo potuit complacere? In poetarum figmentis, legimus Pandoram quandam (*a*), mira ſui (*a*) pulchritudine etiam ſuis factoribus ſtupori fuiſſe: hæc noſtra Pandora Deo ſuo non ſtupori, ſed amori magis fuit; placuit virginitate, placuit puritate, placuit humilitate, placuit denique omnigena morum virtute.

(*a*) Pandora apud Heſiodum in Theogonia fingitur prima mulier juſſu Jovis a Vulcano fabricata, quam dii ſinguli donis ſuis ornaverunt; Pallas ſapientiam ei contulit, Venus pulchritudinem, Apollo muſicam, Mercurius eloquentiam. Inde dicta eſt Pandora, quaſi omnium donum, vel omnium rerum genere donata.

Lucæ 1. II. *Et ingreſſus Angelus ad eam:* non enim in propatulo erat, non in foro, non in publico; non eam in choreis, & nundinis, non in ludis, & cachinnis Angelus invenit, ſed interiori domus cubiculo recluſam, libros ſacros legentem, Scripturæ ſecreta rimantem, ſuaſque Domino preces ſpiritu ferventiſſimo dedicantem. Hoc erat opus Mariæ, hæc vita, hoc otium, hoc officium: in hoc tota ejus vita expendebatur, in hoc dies noctesque inſomnes ducebat. Diſcite virgines non per alienas diſcurrere domos, non publicis oblectari colloquiis, non curſitare per vicos, non populi frequentare concurſus; diſcite amare clauſuram, vacare lectionibus, diligere ſolitudinem, horrere tumultum: cachinnis enim, luſibus, choreis, & ludis, caſtimoniæ puritas periclitatur, animi vigor enervatur, & conſtantia mentis amittitur. *Ingreſſus* igitur *Angelus ad eam;* quæ viris fores claudere poterat non Angelis. Ideo ingreſſus Angelus, quia viro non patebat ingreſſus: eſt enim frequens Angelorum concurſus, ubi hominum ſolitudo reperitur. Socios Angelos habitura eſt femina, quæ virorum fugerit comitatum. Ingreſſus ovanter, ſalutavit reverenter. *Ave*, inquit, *gratia plena*, *Ibidem.* *Jo.* 1. *Dominus tecum*. *Gratia plena*, implenda Deitate, obumbranda virtute. *Gratia plena;* de cujus plenitudine accipiunt univerſi; de cujus abundantia totus replendus eſt orbis. Et vere plena, in cujus animo nullus peccato relictus eſt locus, nullus iniquitati patuit acceſſus. *Dominus tecum*. Et quomodo tecum? Non utique ſicut mecum, ſed ſicut nullibi. Tecum in corpore, tecum in mente, tecum in animo, tecum in conſilio, tecum in utero, tecum in auxilio, tecum in ortu, tecum in exitu, tecum in fine, tecum ſine fine.

III. *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſer-* *Lucæ* 1. *mone ejus*. Ad primum autem Angeli aſpectum turbata eſt valde, vultuſque ejus palluit præ timore. Ecce pudicitiam, ecce verecundiam! Nihil pavidius, nihil timidius 2. *Cor.* 4. virginibus caſtis: utpote, quæ pretioſum in vaſe fictili ſciunt ſe poſſidere theſaurum. Maria ad Angeli aſpectum erubuit, ut vos virgines virorum fugiatis conſortium. Nolo virginem loquacem, nolo urbanam, nolo facetam: ſed verecundam, tacitam, timidam, & quæ inſpicere etiam virum aut alloqui erubeſcat. Quid nunc dicam de noſtri temporis virginibus? quibus ſolemne eſt procacitate ſermonis etiam dicaciſſimos, & petulantiſſimos ſuperare lenones. Oblectantur fabellis, verborum lenocinia diſcunt, dies noctesque viris confabulando conſumunt: ruſtica eſt, quæ verecundiam monſtrat, indignaque habetur conjugio, quæ non prius petulantia vitæ prodiderit caſtitatem: quæ etſi virgines procedant ad thalamum; mentis tamen pudicitia ſæpius proſtituta eſt.

IV. Audiſtis Mariæ verecundiam, audite *Lucæ* 1. prudentiam. *Cogitabat*, inquit, *qualis eſſet* *iſta ſalutatio*. Cogitabat, inquam, ut prudentiſſima, ut diſertiſſima, ut ſapientiſſima, ne forte aliquo deluderetur præſtigio, eloquium Angeli ſubtili mentis examine ponderabat; ne aut facile crederet, & illuderetur, aut cunctantius hæreret, & culparetur. Non facile credit Angelo Maria loquenti; quia leviter credidit mater Eva ſerpenti. O bone Deus, feminæ femina quid præſtat? Poterat namque Evam intentatæ fraudis colubri commonere figura, ſi mens non læva fuiſſet. Quid enim a ſerpente expectari poterat niſi virus? Non agni aut ovis ſpeciem diabolus aſſumere permiſſus eſt, non vultu Angeli ſplendere coruſco, ne eſſet poteſtas in fraude, excuſatio in credulitate. Competentem ſibi figuram aſſumpſerat zabulus, & quæ intus latentis nequitiæ exterius præberet indicia. Sed dum cito credidit femina levis, neque virulenta colubri verba diſcrevit, ſeipſam univerſamque generis ſui poſteritatem celerius prodidit. Neque enim difficile fuerat deprehendere fraudem, ſi profanum ejus attendiſſet ſermonem. *Cur*, inquit, *præcepit vobis Deus?* Imo cur *Ibidem.* non præcipiat Deus, o miſer, qui omnium eſt Dominus? Cur o maledicte, non ſe Dominum præcepto monſtret omnium Deus, quæ condidit verbo? Quid inſolentius, quid procacius, quam ab omnium conditore Domino dati præcepti rationem perquirere, juſſionis injunctæ cauſam expetere? Non tale quidquam Angelus ſonuerat Virgini, ſed gratiam præfatus, Dominum adeſſe dicebat: & tamen Virgo prudentiſſima, tam decoro aſpectui, tam pio affatui, non facile præbet aſſenſum; ſed *cogitabat*, inquit, *qualis eſſet* *Lucæ* 1. *iſta ſalutatio*. Attendite virgines: vos inquam, quæ ſacro caput velamine tegitis, vos quæ vitam, & animum Dei obſequio dedicaſtis. Vos ergo, quæ altis parietibus circumcluſæ, non eſt cur viros pro corporis pudicitia paveatis; formidate dæmones, mentis veſtræ puritati cavete. Vobis namque illud Apoſtolicum dicitur: *Timeo ne ſicut ſer-* 2. *Cor.* 11. *pens Evam ſeduxit aſtutia ſua*, ita & vos ſeducamini, non a corporis integritate, ſed ab ea *ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Videte ne Angelus ſatanæ in Angelum lucis ſe vobis inſinuet, & deludat. Cum ergo ſpiritus quiſpiam ignotus affuerit, & ſublimia vobis myſteria panderit, non facile præbeatis aſſenſum, non celerrime reddatis reſponſum: ſiſtite animum, cohibete ſermonem, cogitate & vos diu, exemplo Mariæ, qualis eſt ſermo qui dicitur, quænam loquentis effigies, quis modus affandi, quæ honeſtas in verbo, quæ utilitas in oraculo, quo tendat eloquium, quid intus efficiat, quid foris prætendat, qua intentione dicatur, quo fine claudatur, quo veſtro merito reveletur, quæ ratio loquendi, quæ inſinuandi occaſio, quæ neceſſitas revelandi, quæ utilitas apparendi? Penſate diutius qua ratione, qua cauſa vobis occulta pandantur.

Si

Si Scripturæ ſacræ conſonat dictum, ſi approbatis moribus congruat oraculum, ſi ſtatui veſtro conveniat opus injunctum; videte an elatio mentis præceſſerit, an inſpiciendi hujuſmodi viſiones appetitus affuerit, an eas petieritis, an quæſieritis, an temere unquam affectaveritis eas, unde ſic deludi mereamini. Tandem orate Deum, humiliate animum, conſulite ſapientes, ſpirituales requirite, aſſenſum, fidemque ſuſpendite, donec
2.Petr.1. veritas inſinuetur, & *Lucifer oriatur in cordibus veſtris*. Cavete ne, dum Angelico ſpiramine Deum animo concipere cum Maria exiſtimatis, ſerpentis afflatu peccati virus concipiatis in corde, & amaritudinis fructum
Pſal. 7. pariatis in opere, ſicut ſcriptum eſt: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*. Diſcernendi autem hujuſmodi ſpiritus ſufficiens ab homine documentum dari non poteſt. Spiritus ſancti magis expectanda eſt gratia,
1. Cor. 12. quæ *diſcretio Spiritus* ab Apoſtolo nuncupatur; ac propterea humiliter & devote ſpiritus obſecrandus aſſidue, ne vos deludi a dæmone patiatur. Solet autem a doctis inter alia unum utriuſque Spiritus prænotari
(a) diſcrimen (a): quod Angelus in principio terreat, & dulceſcat in fine; diabolus e converſo. Quod etiam in hac Angeli apparitione accidiſſe reperimus: nam ad Angeli aſpectum Virgo pertimuit, quo recedente, gaudio & dulcedine plena remanſit. Unde illi
Lucæ 1. ab Angelo dictum eſt: *Ne timeas Maria, inveniſti gratiam apud Deum*. Agnovit enim ſe ſua præſentia Virgini injeciſſe pavorem, quem blando ſermone ſtatim mederi feſtinat. Sic etiam poſtmodum mulieres ad ſepulchrum aſpectu Angeli territas, idem Angelus ver-
Marc.16. bo ſolatur dicens: *Nolite expaveſcere*.

V. Sed nunc cætera proſequamur. Plurima dixerat Angelus, longo verborum ambitu ſuam plene legationem expreſſerat, & necdum a Virgine verbum auditur. Attendite modeſtiam, conſiderate ſilentium. Quam decorata taciturnitas in femina! Quid in Virgine pulchrius quam loquendi modeſtia? Non
Jacob 1. intercipit loquentem, non præcipitat reſponſionem; ſed velox ad audiendum, tarda ad loquendum, prius patienter audit, & poſtmodum ſapienter reſpondet. Longas Angelo præfandi conceſſit inducias, ſibi autem reſpondendi breviſſimas methodos deſtinavit. Neque prius ſilentium rupit, quam de pudore fieri ſermonem agnovit. Sola hæc ſolici-
Lucæ 1. tudo Mariæ potuit ſuperare ſilentium. *Quomodo*, inquit, *fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* O miram pudicitiæ curam, o inæſtimabilem caſtitatis amorem! Mater Dei ab Angelo pronunciabatur, & pro ſua virginitate ſolicitabatur: Deum habitura eſt Filium, & de ſuo pudore quæſtionem facit;

A neque tanto pignore puritatis damna compenſat. Tanta erat in ea puritatis ſanctimoniæque dilectio. Sed unde, obſecro, hæc tam nova, & inſueta religio? Quis te docuit o Maria ſic Deo placere pudicitiam? Unde ſervandæ virginitatis documenta perceperas? ut neque Deum, niſi Virgo concipere non aſſentias? Neque enim hujus rei lex tibi documentum, neque antiquitas præbuerat exemplum. Lex ſterilem feminam maledicit, vir- *Exod.23.*
ginitatis perpetuæ dignitatem non plane agno-
B ſcit antiquitas. Filia Jephte ab occiſore parente ſuam lugendi virginitatem inducias ob- *Judic.11.*
tinuit, lugetque diutius, non quia occiditur, ſed quia abſque ſobole moritur innupta: acerbiorem ipſa morte filiorum reputans orbitatem. Denique in populo illo nihil optabilius, nihil beatius, quam abundare pignoribus, filios gignere hæredes habere, & ſicut ſcriptum eſt: *Uxor tua ſicut vitis abundans* *Pſ. 127.*
in lateribus domus tuæ: filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Unde & multiplicandæ potius ſobolis, quam ſervandi
C pudoris ille populus a Deo monitionem acceperat. Ubi ergo legeras, ubi didiceras, Deo ita gratam eſſe virginitatem; niſi quia omnipotens Dei Verbum prius fuit tibi Magiſter, quam Filius: prius te habuit diſcipulam, quam Matrem: prius tuam mentem, quam ventrem implevit?

VI. Tu ergo Virgo regia inter virgines primatum tenes, tu virginum prima Dux & magiſtra, tu virginitatis forma, tu virginitatis inventrix inſtitutrixque, tu religionis hujus ſacræ prima fundatrix. O virgines qualem habetis magiſtram! Non Pa-
D ter Auguſtinus, non S. Benedictus, Franciſcus, vel Dominicus, vel quivis alius de numero Sanctorum Patrum, cuſtodiendæ virginitatis inſtitutor extitit: ſed Virgo ſacra, Dei Mater, hanc prima invenit viam, & eam Adæ filiis demonſtravit. Ipſa prima docuit homines cælibatum, & in carne angelicam vitam agere, & cœleſtium ſpirituum æmulari puritatem: hæc prima virginitatem ſuam Deo vovit, & ſuo alios exemplo idipſum agere provocavit, ſicut ſcriptum eſt: *Pſal.44.*
Aſtitit Regina a dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Omnis gloria filiæ
E *regis ab intus. Adducentur regi virgines poſt eam*. O Virginem puram, Virginem unicam, Virginem ſingularem! Et vere ſingularem, vere unicam: ad quam nulla eſt alia virgo, ad cujus comparationem omnis alia virginitas corruptio videri poteſt: cæteris namque virginibus ſat eſt incorruptas eſſe corpore, intactas haberi carne. Quænam eſt enim aut fuit unquam alia virgo, quæ cogitationis libidinem non ſenſerit? carnis moleſtias

(a) Huc ſpectant, quæ legimus in vita S. Antonii Abb. a S. Athanaſio conſcripta num. 35. & 43. Vide etiam S. Thomam 3. p. quæſt. 30. art. 3. ad 3. nec prætermittenda S. Bernardi ſententia Serm. 24. de Diverſ. num. 2., ubi de verbo Dei ſic habet: *Primum quidem ſonans in auribus animæ vox divina, conturbat, terret, dijudicatque: ſed continuo ſi non avertis aurem vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat.*

leſtias non pertulerit? Sat eſt ſi vicit, ſufficit ſi non ſuccubuit. Maria tota & undequaque Virgo: virgo carne, virgo & mente, virgo aſpectu, virgo contactu, virgo cogitatu, virgo affectu, virgo ſermone, virgo opere, virgo ſpiritu, virgo ſenſu, virgo pleniſſima, virgo illibata, intacta corpore, intacta mente, intacta cogitatione, non ſolum a libidine, ſed etiam ab omni peccatorum ſorde, & vitiorum contagio: ſacra, pura, & immaculata virgo, cui etiam præ aliis hoc erat virginitatis inſigne, ut inſpectores ſuos, ut ita dixerim, virgini-faceret. Erat enim in ea, ut Prophetæ utar eloquio: *Zach. 9.* *Virgines germinans* virginitas. Mira res & admiranda gratia: cum eſſet ſine comparatione pulcherrima, & facie decora nimis, inſpicientium oculos, non modo ſua pulchritudine, non lædebat (*a*); ſed eo magis ſua (*a*) honeſtate & venuſtate honeſtabat ſanctificabatque. Denique, ut quod de hac Virgine ſentio, uno verbo dicam: ita corpus ejus carneum, quaſi argenteum, aut cryſtallinum intelligo: tam longe ab ejus mente, & carne aberat omnis libidinis ſenſus, & labes. Talis eſt Mariæ puritas, talis virginitas, talis eſt hæc quam recolimus Virgo; ideo complacuit Altiſſimo, ideo ſuper omnes dilecta, ideo Dei Mater electa. Neque in cæteris etiam virtutibus obſcurior erat: ſed ut luna plena, virtutibus undequaque refulgens, totam Eccleſiam ſuo fulgore irradiabat.

VII. De fide etiam illius quidquid dici poteſt pro merito minus eſt: utpote quæ ipſi etiam Angelo nuntianti fuerit ſtupori; non enim communia & uſitata ſunt, quæ ſolo dicto Maria credidit, ſed inaudita penitus, & quæ omnem ſuperant facultatem, omnem intellectum excedunt. Deum fieri mortalem: hominem Deum de femina naſciturum: virginem ſine viro concepturam: Deum parituram, & virginem permanſuram. Qualia ſunt hæc ut ſolo verbo credantur? Ecce ab incunabulis hujuſmodi myſteria didicimus & audivimus, & poſt tot miracula ac teſtimonia, cum hæc penſiculatius cogitantur, quotidie nobis nova fiunt, & præ illorum magnitudine ſtupeſcimus, contremiſciſmuſque. Quid putas cum ſine humanis teſtimoniis, primum ab Angelo dicta ſunt, futurum in Virgine, niſi eam Deus ſuo lumine & gratia præ- *Lucæ 2.* veniſſet? ſicut eidem Angelus dixerat: *Dominus tecum*. An non cum illa Dominus, quæ ad tot & tanta myſteria capienda, intelligenda, credendaque ſolo Angeli dicto prævaluit? O miram fidem, o ſtupendam credulitatem! Cum tanta ſunt quæ dicuntur: neque exemplum petit, neque miraculum quærit, neque rationem expoſcit, neque teſtimonium poſtulat, neque rerum impoſſibilitatem cauſatur. Tanta facilitate credidit, ut ipſe etiam Angelus miraretur. Et hoc ipſum, quod ad fidem ejus aſtruendam de Eliſabeth teſtimonium adduxerat; licet ab illo quod nunciabatur myſterio longe diſtantius, quia ſimile a ſæculo reperiri non potuit, fidei Virginis ſuperabundavit. Sic in Dei obſequium ſuum redegerat intellectum, ſic per omnia Deo ſubdita erat, ac Deum omnia quæ voluerit, poſſe, ſibi perſuaſerat. Confer nunc ad hanc Virginis fidem omnem illam ſanctorum Patrum credulitatem, quam in illo fidei catalogo potenti eloquio ſuper aſtra effert Pau- *Heb. 11.* lus: & invenies hoc eſſe ad iſtam, quod ſtella ad ſolem, lens ad montem, guttula ad oceanum. Fidem Abrahæ præ cæteris Apoſtolus miratur, & merito: non enim fuit infœcunda, ſed obedientiæ operibus plena; unde per eam juſtificatus eſt, & repromiſſiones promeruit obtinere, ſicut ſcriptum eſt: *Credidit Abraham Deo, & reputatum* *Rom. 4.* *eſt illi ad juſtitiam*. Sed qualis eſt iſta fi- *Gen. 15.* des, ſi ad fidem Virginis conferatur? Unde, obſecro, per fidem juſtificatus eſt Abraham, unde amicus Dei conſtitutus eſt Abraham, unde amicus Dei conſtitutus eſt? *Quia*, in- *Rom. 4.* quit, *contra ſpem, in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum* ſicut ſtellæ cœli, & arena maris, *& non eſt infirmatus fide, neque conſideravit corpus ſuum emortuum, cum jam fere centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſime ſciens quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Quam potenter, quam eleganter Abrahæ fides commendata eſt? Sed quid hoc ad Virginis fidem? Abraham ſterilem anum parituram credidit; Maria virginem: Abraham ex ſene viro; Maria ſine viro: Abraham purum hominem; Maria Deum & hominem: Abraham uſitato naturæ modo; Maria præter omnem naturæ uſum & modum: Abraham Deum poſſe etiam mortuum ſucitare, ut impleatur promiſſio; Maria Deum naſci, & mori poſſe, ut in eo omnes promiſſiones impleantur, aſſenſit. Vide nunc fidei ad fidem quantum intereſt, fides fidei quid præſtat. Ecce qualis & quanta ſit iſta femina, quam ſibi in Matrem, & cunctis ſæculis in exemplum elegit Altiſſimus.

VIII. Sed cum talis ac tanta eſſet, nunquid ſuperbiæ vel modicum in ea unquam veſtigium repertum eſt? Imo: quo cæteris dignitate & gratia ſublimior, eo propria æſtimatione humilior inventa eſt. Prodigioſa humilitas, tantæ agglomerata virtuti! Cum enim peccator pondere peccatorum oppreſſus humiliat ſe, hæc non tam humilitas, quam veritas dicenda eſt: ſed *gratia ſuper* *Eccli. 26.* *gratiam*, decor ſuper decorem; humilitas in virtute. Unde in Canticis: *Ecce tu pulchra* *Cant. 1.*

es

(*a*) Plurima in hanc rem congeſſit Novatus de Eminentia Virginis tom. 1. cap. 4. quæſt. 4. & tom. 2. cap. 7. quæſt. 1. & ſeq.

es amica mea, ecce tu pulchra es! Geminata pulchritudo, humilitas in puritate, puritas cum humilitate. Cæteros quoſque etiam ſanctiſſimos viros, & illuſtriſſimas feminas, humiles apud Deum fuiſſe nemo mirabitur, quia etſi juſti & recti, habebant tamen aliquid unde merito humiliari poſſent. Quis enim ſanctorum ab omni peccatorum labe immunis penitus inventus eſt? Quis non aliquando defecit? Quis non intra ſe aliquando invenit quod doleat, unde lugeat, unde humilietur, unde ſibi & aliis quandoque diſpliceat? Quippe qui *appendit aquas in menſura*, ſic eos virtutibus & infirmitatibus libravit, ut quantum illos virtus exaltat, tantum eos infirmitas dejiciat. Unde, & Apoſtolo gentium, ne revelationum magnitudo eum extollat, ſtimulus ſatanæ datus eſt, qui eum colaphizet & humiliet. Propter quod gloriatur in infirmitatibus ſuis, Apoſtolorum minimum, & abortivum nominans & reputans ſemetipſum. Non inquam valde miranda hæc humilitas in Paulo, quem ſatanas colaphizat, quem tentatio deprimit, quem lex membrorum vehementer moleſtat, & angit; adeo ut exclamare cogatur: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* At tibi unde, obſecro, humilitas, & tanta humilitas o Maria? in qua non modo nihil obſcœnum aut fœdum, nihil deforme aut lubricum: ſed heroica omnia, ſplendida, candida, nivea, pura, & ſupra quam dici poteſt illuſtria. Talem enim te noverat qui dicebat: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Hæc, inquam, vera humilitas eſt, ex tam ſublimi virtutum culmine dejicere ſemetipſam, & in tanto dignitatis faſtigio exiguam ſe in ſuis oculis reputare. Grandis me, fateor, admiratio tenet, quoties hujus Virginis celſitudinem, humilitatemque reſpicio: portentum glorioſum, cunctis ſæculis admirandum, tam ſublimi celſitudine non exaltari. Miſerum me! Qui ſi aliquid vel modicum devotionis, ſcientiæ, aut virtutis a Domino videor ſuſcepiſſe, jam me aliquid eſſe credo; jam in oculis meis magnus ſum: pervolant in animo vanitatis innumeri cogitatus, intumentium vaniſſimarum cogitationum ſtrepitus invitus ſuſtineo, & cæcutientibus animæ oculis vix me agnoſco eſſe quod ſum; diſſolvitur inani lætitia vaniſſimum cor, & cæco de ſe judicio miſerabiliter animus intumeſcit; latentis vanitatis & ſuperbiæ foris panduntur indicia, & neque hominum pudore a propria me laude contineo. Quid ſi re ipſa magnus eſſem? Quid ſi Propheta, Apoſtolus, aut Euangeliſta Domini fierem? Quid ſi pontificia dignitate aliis in Eccleſia præeſſem? Quis meam hominum poſſet arrogantiam ſuſtinere?

IX. O Virgo ſacra, quomodo hoc tanto nuntio non tota præ gaudio dirumperis? Quomodo hac dignitate tua præ lætitia non tota diſſolveris? Quomodo non per vicos, & plateas felicitatem hanc tuam proclamando diſcurris? O miram feminæ gravitatem, ſed ſeveritatem, ſed modeſtiam, ſed continentiam, ſed humilitatem, ſed pudorem, ſed honeſtatem, ſed virtutem, ſed animi vigorem, conſtantiamque! Quid de te dicam o Virgo? Ecce Mater Dei, Domina mundi, cœlorum terrarumque Regina conſtituta erat, & in ejus puriſſimo utero tantum ac tale myſterium divina virtute celebratum fuerat, & nemo ab ea id novit, nullus audivit, nullus ab ea ſecretum didicit: tacuit ſemper, ſiluit, donec prodente Deo, apud cognatam ſuam Eliſabeth myſterium propalatum eſſe cognovit. Tunc primum ſpiritu fervens, ſilentium rupit: tunc oris & linguæ in Dei præconium fræna laxavit: tunc miram Deo cecinit cantilenam: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Quievit tunc ſacræ Virginis animus a tanto ſilentii pondere: Spiritu ſancto revelante, myſterium revelatur. Sed neque Sponſus ipſe Joſeph, cui manifeſta ſigna conceptus graviſſimum ſuſpicionis dolorem ingeſſerant, ab ea quicquam audivit, donec revelante Angelo myſterium cognovit. Diſcite vos virgines occultare ſecreta, diſcite oſtenſa vobis celare myſteria. Si quid ſecretiore mentis cubiculo in aure cordis auditis, non ſtatim effundite ſuper tecta: ad vos illud Prophetæ verbum ſpectat: *Secretum meum mihi.* Et quod alius Propheta inquit: *Silui a bonis.* Cultus enim juſtitiæ ſilentium: quia quo anima in occultandis ſpiritualibus theoriis continentior eſt, eo ad eas ſuſcipiendas magis idonea & capacior redditur. Vaſa enim quæ cito effluunt, minus capiunt. Contine apud te o anima cœleſte myſterium, quia non dirumpet te, ſed Deo largitori gratiorem te reddet. Theſaurus qui a viatore inſipienter in via proditur, furti periculo evidenter exponitur: quia ut Gregorius (*a*) ait: Deprædari deſiderat, qui theſaurum publice in via portat. Ezechias Rex theſauros regios & templi, quos inconſulte legatis Babilonicis oſtendit, quia ſtulte propalavit, amittere promeruit. Æmulamini ergo Virginis Mariæ taciturnitatem, æmulamini humilitatem. Hæc enim, quæ in oculis Dei talis, ac tanta erat, quo magis angelica legatione extaltari ſe intellexit, eo in ſua opinione profundius ſe dejecit. Cum enim gratia plena, & ſuper omnes feminas benedicta ab Angelo diceretur, ipſa e converſo humilians ſe, quid de ſe ſentiat, & quid reſpondeat audite: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* O felicem ancillam, cui ancillantur omnia; beatam famulam, cui omnia famulantur! Hanc imitamini ancillam o ancillæ Chriſti; huic famulæ toto mentis ardore famulamini. Hæc ſit vobis vitæ familiare & quotidianum exemplar;

Job 28. — *2. Cor.* 12. — *1. Cor.* 15. — *Rom.* 7. — *Cant.* 4. — *Lucæ* 1. — *Mat.* 1. — *Iſaiæ* 14. *Pſal.* 38. — (*a*) — *Iſaiæ* 39. — *Lucæ* 1.

(*a*) Homil. 11. in Euang. num. 1.

plar; hæc in oculis veſtris ſemper & ubique verſetur, hanc honorate, hanc diligite, hanc obſecrate, hanc ſequimini, huic tota vos
Apoc. 5. devotione committite; hunc puritatis librum digito Dei intus & foris ſcriptum aſſidue perlegite. Legite in eo ſanctimoniam, legite pudicitiam, legite prudentiam, legite charitatem, legite manſuetudinem, legite humilitatem, legite denique omnium virtutum pleniſſimam plenitudinem; legite intus vir-
Cant. 1. tutem, foris legite honeſtatem; ut poſt eam in odorem unguentorum ſponſi currentes, & dramatis cantica perſonantes, beato ejuſdem Sponſi conſortio & connubio perfruamini in æterno illo beatitudinis, & gloriæ thalamo: in quo cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS
B. MARIÆ VIRGINIS
CONCIO SECUNDA.

De Archangeli cum SS. Virgine colloquio, et quomodo ac quando, Christus regnaverit in domo Jacob.

Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.
Luc. 1. v. 32.

Concio cxxxii. I. DIes iſta, Chariſſimi, *dies* magni *nuntii eſt. Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo: ſi tacuerimus, ſceleris ar-*
4. *Reg.* 7. *Lucæ* 1. *guemur*. Grandis e cœlo hodie ad terras legatio tranſmittitur, grandis omnino & cui a ſæculo non eſt audita ſimilis, neque audietur in poſterum. Grandis qui mittitur, grandis qui mittit, grandis cui mittitur, grande negotium quod legatione tractatur. Gabriel unus ex ſupernis Principibus a Deo omnium Conditore deſtinatur ad Virginem, virginem mente, virginem carne, virginem profeſſione, virginem nobilem, regali genere ortam, virginem denique, qualem optat Apoſtolus,
1. *Cor.* 7. *Lucæ* 1. mente & corpore ſanctiſſimam, ſed: *Deſponſatam viro*. Cur deſponſatam? Ne videlicet infamaretur, ne lapidaretur, ne diabolo myſterium proderetur. Maluit namque Dominus aliquos de ſuo ortu, quam de Matris pudore dubitare: nec putavit fidem ſuam Matris injuriis aſtruendam: ſuum ergo matris pudori honorem non prætulit. Ad hanc ergo Virginem legatio mandatur. Negotium vero quod agitur magnum eſt; & tali legatione digniſſimum. Ruralem ſibi ſponſam delegit Unigenitus Dei Filius, cœleſtis gloriæ Princeps eam adamavit. Paranymphus deſtinatur ad Virginem, ut aſſenſum connubio præbeat. Sic enim Principes conſueverunt per nuntios deſponſari. Ab illa ergo opulenta Jeruſalem civitate, ad pagum noſtrum cœleſtis Legatus hæc nuntiatutus advenit. Hoc eſt quod agitur, ad hoc Angelus ad Virginem mittitur. O felicem patriam, o fortunatam tali connubio proſapiam, o diem mundo feſtivam, perpetuo ritu tota veneratione colendam! Soror noſtra, *Gen.* 2. os de oſſibus noſtris, & caro de carne noſtra cœlorum Principi nupſit, ad regalis gloriæ faſtigium conſcendit. Quis non gaudeat, quis non gaudio totus liqueſcat? Gaudeat vicus noſter tanto hodie ſublevatus faſtigio: gaudeat terra noſtra tanto ſublimata connubio: lætentur cœli, exultet terra, orbis terrarum *Pſal.* 95. & plenitudo ejus ante conſpectum tanti Domini: quia venit dives ad pauperes; potens ad ignobiles; & ſublimis ad miſeros; noſtrum nobilitare genus, noſtram honorare familiam.

II. Decebat autem tantum myſterium Virgini prænuntiari propter multa: tum quia ejus, ut matris petebatur aſſenſus: tum quia, ſi ea inſcia in ejus utero Incarnationis myſterium ageretur; turbaretur ad mortem virgo pudiciſſima, dæmonis ſuſpicata illuſionem, cum ſe virginem videret & gravidam: tum etiam quia teſtem decebat fieri myſterii, quod agebatur in ea, non caſu, ſed legatione præventam; magnumque ex hoc fidei noſtræ teſtimonium parabatur. Propter quod non in *Mat.* 1. ſomnis ei Angelus apparuit, ſicut Joſeph, ſed palam ne ullus tantæ rei relinqueretur ſcrupulus. Intrat ergo cœleſtis Paranymphus Virginis domicilium, orantemque Virginem mira veneratione ſalutat. Intrat vultu rutilus, veſte coruſcus, cœleſtique totus candore decorus; ſternitur ad pedes, lætoque illam vultu ſalutat. *Ave*, inquit, *gratia ple-* *Lucæ* 1. *na, Dominus tecum*. Stupet, hæret Virgo, turbatur animo, ejuſque vultus pallore mutatur. Proſpicit obſequium, meditatur verbum, milleque conſcendunt res variæ mentem. Quid turbaris Virgo? quid te meus aſpectus immutat? Angelus ſum non homo, e cœlo tibi nuntius aſto pudoris cuſtos, non invaſor, pudoris amator & cultor: non tales terra cives, non tales nutrit accolas orbis. *Turbata eſt*, inquit, *in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*. Per hoc quod dicitur: *In ſermone ejus*, intelligimus non tam de viſu, quam de ſalutatione turbatam: licet non ſit mirum eam tali fulgore commotam, quia etſi prius Angelos viderat, tamen non tali majeſtate fulgentes: turbabat autem illam nimia ejus humilitas, & miranda Angeli novitas. Siquidem hucuſque Angelis in mundo apparentibus, Patriarchas illos ſanctiſſimos illis proſtratos legerat, neque ab eiſdem ſublevatos a terra. Sic enim olim Abrabam, Loth, Moyſes, *Gen.* 18. *Ibid.* 19. Ezechiel, Daniel, & alii quos antiquitas *Exodi* 3. honoravit, pronos in terra adoraſſe Angelos literis ſacris didicerat. Unde merito turbabatur, videns ad humilis puellæ pedes proſtra-

ſtratum Angelum ſalutantem. Hæc igitur ſecum animo volvebat, hæc alta mente tractabat. Quid agis o Angele? quænam hæc mutatio rerum? Virginis ad pedes cœleſtis incola jaces? Quæ ego ſum, obſecro, aut quæ patris mei proſapia, ut tanto me digneris honore, tali me veneratione ſalutes? O celſam, o nimium, o terque quaterque beatam, o Deo dilectam, o feminam ſuper feminas benedictam! O ſi ſcires Virgo quantum placuiſti Potenti; hoc te dignam colloquio aut obſequio non dubitares.

Lucæ 1. III. *Ne timeas Maria:* audi legationem meam, & tanti honoris cauſam agnoſces. *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur: & dabit illi dominus Deus ſedem David patris ejus; & regnabit in domo Jacob in æternum: & regni ejus non erit finis.* Hæc honoris cauſa, hæc tibi celſitudo paratur. Agnoſcamus Fratres tanti legati prudentiam. Qua modeſtia utitur in prodendo myſterio! Noverat ſiquidem ſapientiſſimus Paranymphus, quantum erat ſacramentum quod nuntiabat; quo ex ore Altiſſimi audito, & ipſe quamvis Angelus, quamvis beatus, quamvis cœleſti gloria ditatus, obſtupuerat nimis, ſummaque admiratione expaverat. Solicitabatur ne Virginis fidei poneret offendiculum, teneramque puellam tanto ſcandalizaret ſacramento; & quæ culpam ante non noverat, incredulitatis ex hoc noxam incurreret. Sic pridem minori oraculo hæſitaſſe viderat Za-
Ibidem. chariam. Miro igitur ſapientiæ artificio utitur in prodendo myſterio, non totum ſimul effundens, ne fidem illius obruat: ſed paulatim circumſcribendo, & per circumloquia declarando, ita pandit legationem, ut non lædat fidem. Unde non ait: concipies Deum,
Ibid. 2. & paries Dei Filium: ſed concipies filium, quod ipſo dicto nihil mirabile portendebat; filium autem non ſtatim Deum fore pronunciat, ſed Deitatem ejus longo ſermone deſcribit. Hoc eſt quod ait: *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Vocabitur*, inquam, non dixit: erit; ne fides ſuccumberet ſacramento. *Et dabit illi dominus Deus ſedem David patris ejus.* Attendite prudentiam: terrenis cœleſtia temperantur, divina humanis copulantur, ne mero inebrietur Maria myſterio. Unde, nunc Filium Altiſſimi, nunc filium hominis naſciturum appellat. Et quia ſublimiter intonuerat: *Filius Altiſſimi vocabitur:* non ſtatim adjunxit: *Et dabit illi dominus Deus* gloriæ ſuæ ſolium, aut majeſtatis ſuæ thronum: ſed, *ſedem David Patris ejus;* ut videlicet humano addito genere, Deitatis eloquium temperaret. *Et regnabit in æternum.* Hic jam apertius celſitudo monſtratur. Quomodo enim regnabit in æternum, ſi non eſſet æternus? Diſertiſſimo ergo uſus temperamento, prudentique conſilio ſic Deum parituram pronunciat, ut fidem ejus dicendo non obruat. Poterat hæc omnia uno verbo dixiſſe, ſi diceret: paries Deum, aut Filium Dei utero concipies tuo: ſed ratione jam dicta, hoc magis utitur circumloquio. Cœleſti audita legatione, Virgo regia obſtupuit, amplius quam prius timuerat, modicumque animo dicta revolvens, ſiluit. Miratur ſupra modum Dei nutu fieri ſe Matrem, quæ illi jam pridem virginitatem ſuam perpetuo devoverat. Pro ſua ergo virginitate ſolicita, non quaſi de oraculo dubitans, ſed tantæ rei modum inquirens, ſic fatur ad Angelum.

IV. *Quomodo fiet iſtud* o Angele, *quoniam virum non cognoſco?* Votum per hoc indicans, & propoſitum perpetuo abſtinendi conjugio. Cui Angelus: Ne me Virgo interroges, non me de hoc facto requiras, legatus nuntiare tibi myſterium a Deo miſſus ſum; tibi opus nuntio: modum quem requiris ignoro. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Illius eſt perficere factum, meum eſt nuntiare myſterium. Meam fateor mentem ſuperat, meam facultatem excedit opus quod nuntio: ad Omnipotentem te Virgo remitto. Noli ergo timere Maria, noli pro tua virginitate formidare: conceptus hic virginitatem tuam non auferet, ſed ſacrabit; pudorem non minuet, ſed prole ditabit. Spiritus namque opere, non virili concipies ſemine; virgo paries, & puerpera virgo manebis: & ut tanti poſſis luminis ſuſtinere fulgorem, Spiritus omnipotens ſua te proteget umbra. Non ſilentio prætereundum exiſtimo: quod ad tantum opus non illuminandam, ſed obumbrandam potius dixerit Virginem; quia videlicet luminis potentis abyſſum utero ſuo corporaliter infundendam, tenera virgo portare non poſſet, niſi deſuper adumbraretur ad illam. Si enim, ut Pro-
Pſal. 96 pheta inquit: In conſpectu Domini montes ut cera fluxerunt, & ad aſpectum ejus rupes liqueſcunt ut oleum; illapſam utero Deitatem qualiter poterit ſufferre puella, ſi non ejus ſplendor umbra temperetur ab ipſa? Niſi forte adumbrationem iſtam, Dominici corporis formationem mavis intelligere. Competenti namque ſimilitudine, Chriſti ſanctiſſima caro, Deitatis umbra nuncupatur. Quia ſicut umbra corporis motus formamque inſequitur, ita a Deitatis nutibus ſacerrima humanitas illa neque ad modicum deviavit; ſed quocunque iret ſpiritus, ſequebatur & *Ezech.* 1. corpus; ut de rota olim Propheta predixerat. Conſonant ad hoc Prophetarum vaticinia multa; ut eſt illud: *In umbra* ejus *vivemus* inter gentes. Et illud *ſub umbra illius,* *Thren.* 4. *quem* deſiderabam, *ſedi.* Et appertius illud: *Cant.* 2. *Solem nube tegam.* Quo huic Incarnationis *Ezech.* myſterio nihil aptius dici potuit. Quid enim 32. aliud caro Chriſti, quam nubecula pulchra potenti interjecta ſoli, ne fervoris ſui calore arentem peccatis mundum adurat? Denique, quanta hæc mortales nubes protexerit umbra, quantumque divinam mundo temperaverit iram, temporum experientia monſtrat.

Qui-

(a) Quibuſdam vero placuit (a), ideo Spiritum obumbraſſe Mariæ, quia ſola tanti myſterii ſecreta novit, & ſoli conceſſum experiri delicias, quas humanus non capit animus. Dulcedines namque illæ, potenteſque Deitatis guſtus, exceſſuſque mentis, & illuſtrationis radii, quos concipiendo, & pariendo pertulit Virgo, nulli comperti ſunt creaturæ. Ne tamen ſolius Spiritus ſancti, ſed totius Trinitatis virtute hoc opus mirificum in ejus utero patrandum agnoſceret; ſapienter adje-
Lucæ 1. cit: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Altiſſimus namque Pater eſt, & Virtus Altiſſimi Verbum Patris, quorum indiviſa virtute, non in tota Trinitate, ſed in ſolo Verbo perficienda erat Incarnatio. Quia igitur non viri libidine, ſed Dei virtute concipies, ideo inquit:

Ibidem. V. *Quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur. Sanctum vocabitur:* non filius Judæi, ſed Filius Dei. Quam aperte, quam commode, *Sanctum*, indefinite fœtum appellat, non virum aut hominem *Sanctum*, ſed abſolute, *Sanctum*. Item non ait, qui naſcetur ex te *ſanctus*, ſed *quod naſcetur ex te Sanctum*; ad naturam magis quam ad ſuppoſitum referens verbum. Innuens per hoc, naturam non ſuppoſitum aſſumendam a Deo. Non enim proprio ſuppoſito, ſed divino, humanitas illa ſuppoſitanda erat, ut quidam homo naſceretur ex Virgine *ſanctus*, & ille aſſumeretur a verbo: ſed *Sanctum* quoddam aſſumendum ex virgine, propter cujus aſſumptionem Filius Dei naſceretur ex ea. Rurſus indefinite *Sanctum* appellat, quia non modo *ſanctus* naſcetur ex virgine præter communem naſcentium legem, ſed *Sanctum* ipſum, id eſt ſanctitudo ipſa, ſanctitatis forma & ſanctificatio tota, non modo vir ſanctus, ſed Deus ſanctus, ſanctitas ipſa, &
Ibidem. ſanctitatis idea; unde *& vocabitur Filius Dei*. Merito vocabitur, & vere vocabitur, quia & filius Dei & filius Virginis. Non quidem, quia ad eſſe vel dici Filium Dei ſecundum carnem, hic generationi modus ſufficiat, (non enim quia ex Spiritu ſancto conceptus eſt, ideo Spiritus ſancti filius eſt) ſed quia ex hoc generationis modo & ordine Filius Dei eſſe cognoſcitur: propterea quia talis generatio neminem alium deceat niſi Deum. Communem ergo cum Deo Filium habebis o Virgo, & illius Mater eris, cujus Deus Pater eſt: Filii Mater, Patris Sponſa, Spiritus ſancti Domicilium, totiuſque Trinitatis Sacrarium. Creatoris tui Mater eris, & Factorem tuum ipſa concipies: quod ſi Mater Creatoris, optimo jure totius creaturæ Domina, cœlorum terrarumque Regina, omnium Angelorum dignitati prælata. Hæc tua celſitudo Maria, hæc tibi dignitas paratur a Domino. Unde non immerito tali te dignor honore, tali te veneratione ſaluto. Quod ſi difficilia creditu tibi iſta videntur, illum qui me miſit attendito, cujus tibi nomine hæc omnia legantur. Quid non poteſt Deus, aut quid Deo impoſſibile, Virgo? Et ſi ex minoribus fidem facere licet: ſterilis anus Eliſabeth filio quo- *Ibidem*.
que donata eſt: ut dubitare non debeas, dare poſſe Filium Virgini, qui dedit ſterili. Hæc ſunt, Virgo regia, quæ dicere me tibi mandavit Omnipotens. Auditi legationem, da fidem, accipe prolem. Longiori uſum eloquio Angelum ſuſpicamur ad Virginem (ſummam enim narrationis Euangeliſta complectitur) multa alia dicta putamus, quæ Scriptura non memorat.

VI. O dulce colloquium, o ſuavem dialogum, o gratam nimis confabulationem Virginis & Angeli! O qualis ſocietas, Angelus, & Virgo! Semper eſt Angelis amica virginitas, ſecreto Angelus ad Virginem loquitur, diutiuſque loquendo moratur. Accede o homo propius, & per rimulas forium placidum ſuſurrum aure percipito, ſacrique oraculi verba rimato. Grande negotium agitur, multum ad te pertinet, quod tanto ſilentio fabulantur. Longa protraxerat diu fabulatio noctem, mediumque curſu nox ſuo *Sap.* 18.
iter agebat, ſilentium tenebant cuncta, cadentiaque ſuo labuntur hemiſpherio aſtra, cum Deo ſacra Virgo ſpiritu ſuccenſa ferventi, ſolo flexis genibus, oculiſque levatis ad alta, aſſenſum præbens Numini, Divinum verbum concipit Verbum. Cœleſti ergo legatione audita, ſic fatur ad Angelum: *Ecce* *Lucæ* 1.
Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Matrem me futuram o Angele dicis, ego ancillam me eſſe cognoſco: quia ancilla Domini ſum, ejus volontati non obſto. *Fiat* ergo *mihi ſecundum verbum tuum*. Vere ancilla, quæ neque dicto, neque facto, neque cogitatu unquam contradixit Altiſſimo: vere ancilla, quæ perpetuo ſervivit mancipata ſervitio: libero namque aliæ Deo famulantur obſequio, hæc quaſi mancipium Dei ſe totam famulatui mancipavit, nihil ſibi libertatis reſervans, ſed per omnia ſubdita Deo. Et bene ancilla, ex qua qui naſcitur ſervus eſt: nam ſecundum leges, filius non patris, ſed matris conditionem inſequitur. Ancillam ſe mater agnoſcit, ſervum ſe filius eſſe fatetur. *Ego*, inquit, *ſervus tuus*, *Pſ.* 115.
& *ego ſervus tuus:* & jure ſervus; quia *filius ancillæ tuæ*. Grandi ergo myſterio, altiſſimoque Deitatis inſtinctu conceptura Deum, ſui meminit ancillatus, ut orientem a ſe Filium, mundi obſequio manciparet. *Fiat mihi*, ait, *ſecundum verbum tuum:* & *Lucæ* 1.
ad verbum ejus, ſtatim in utero incarnatum eſt Verbum. O *Fiat* potens, o *Fiat* efficax, o *Fiat* ſuper omne *Fiat*, perpetuo honore ve-

(a) S. Bernardus Homil. 4. ſuper *Miſſus eſt*. num. 4. *Et fortaſſe propter hoc maxime dictum eſt obumbrabit tibi, quia res nimirum in ſacramento erat, & quod ſola per ſe Trinitas in ſola, & cum ſola Virgine voluit operari, ſoli datum eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri.*

venerandum. Hoc verbo *Fiat*, factus est mundus, hoc verbo cœlestia terrestriaque Altissimus condidit: sed tale *Fiat* non sonuit in orbe, quale tu nunc beata dixisti. Quid enim factum est? Quis dicere potest quid factum est? Natura stupet, judicium hæret, hebescit sensus, lingua mutescit, ratio deficit, intellectus non capit, quod factum est in Maria, cum hoc protulit verbum: *Fiat mihi secundum verbum tuum*. Statim namque ad hujus verbi sonitum, *Verbum caro factum est*: subito ex purissimis ejus sanguinibus Spiritus sancti opere sanctum Domini fabricatum est corpus, subito organizatum, subito animatum, subito Dei Verbo unitum: statim omni gratia, & virtute infans repletus; omnium charismatum donis insignitus, & clara Dei visione beatus: denique omni illa sapientia, gratia, & gloria, qua nunc pollet in cœlo, ditatus. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia, neque temporis indiget tractu in suo opere artifex Spiritus.

Lucæ 1. *Jo.* 1.

VII. O stupendam nimium conceptionem, o ventrem sacrum, o uterum purissimum, Deitatis habitaculum, Spiritus sacrarium, Divini Verbi vehiculum, triumphalem Regis æterni currum, & veri Salomonis quadrigam! sicut scriptum est: *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea*. O uterum cœlo capaciorem, empyreo illustriorem, paradiso fragrantiorem! Hic enim prima hominis paradisus, in qua prius ab homine videri dignatus est Deus. Quid hoc ventre purius? quid sanctius? quid locupletius? Unde in Canticis: *Venter tuus sicut acervus tritici*: quo Angeli saginantur, populi reficiuntur, & spiritus satiantur; illius *panis qui de cœlo descendit*: quo qui pascitur non morietur in æternum. *Vallatus liliis*, quibus liliis? nisi quibus pulcher cibatur hinnulus, qui pascitur inter lilia, *lilium* & ipse *convallium?* Liliorum medio vallatus liliis, *pascitur inter lilia*. Non enim alio quam liliis fœtus virgineus utitur cibo. Lilia vernantia, lilia candentia castitas, puritas, charitas, pietas, humilitas, benignitas, sanctitas: his liliis in utero cœlestis pascitur hinnulus: his venter vallatur virgineus. Vallus namque liliorum in Virgine plenitudo virtutum: & bene *vallatus liliis*; vallante se Deo, ut ex nulla parte peccato pateret aditus, intus Deitate plenus, foris virtutum vallo munitus. Quis hujus uteri valeat enarrare delicias, & ejus divitias digno queat explicare sermone? Te obsecro Virgo; tu nobis enarra, quomodo illibata conceperis, intacta genueris. Dic nobis: quid sentis, cum divino tota nactareo sapore perfunderis, cum immensum voluptatis pelagus tam modico vase concludis, cum delicias humani generis intra te concluſas esse non dubitas? Dic, inquam, quo flagras ardore? Quibus æstruas flammis, cum Dei caminus tenero illabitur ventri, & abyssus dulcedinis arctissima retruditur alvo? Dic nobis Beata, quos scaturit dulcedinis globos fons ille perennis, uteri arctatus angustia? Quas mittit scintillas flagrantissimus ille rogus velamine carnis opertus? Quos mittit radios sol hic lucidissimus tam levi nubecula tectus? Dic Virgo sacerrima, flos, & ipsa virginum gloria, qua virtute tantos voluptatis sustines ictus? Impetus quos portas? Quos portas ardores? O arca Deifera grandi thesauro referta! O urna pulcherrima cœlesti balsamo plena! Quibus te efferam laudibus? O quam te memorem Virgo! Meas fateor superat vires, meum valde excedit eloquium dignitas tua, felicitas tua, sublimitas tua, & gloria tua. Quicquid enim de te aut cogitari aut dici potest, multum a tua deficit laude, multum a tua vincitur beatitudine. Unico namque volatu in tam sublime evecta es dignitatis fastigium, ut celsitudinem tuam neque humanus, neque angelicus pertingere possit obtutus. Subito namque ex Adæ filia, humilique puella, Mater Creatoris, Domina mundi, Regina cœli, & totius Imperatrix facta es creaturæ. Unde merito ex hoc te omnis creatura collaudat, te omnis generatio beat, quæ est, & quæ erit, & nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Cant. 1. *Ibid.* 7. *Jo.* 6. *Cant.* 2. *Ibidem.*

Heb. 9.

VIII. Intrat igitur Artifex omnium uteri virginalis angustias; qui omnia fecerat, hominem se facit ex femina. Illabitur immensus humani corpusculi vasculo, vastosque stricto præcingit cingulo sinus. Sic enim olim Propheta prædixerat: *Decorem indutus, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se*. Unitur humanæ naturæ Divinitas in hypostasi, mirandoque nexu dispares formæ in uno adunantur supposito, in unamque utriusque personam mira arte uniuntur. Prodigium novum, mirante natura, stupente cœlo in mundo comparuit Deus homo, homo Deus; Deus homine velatus, homo Deo insertus. Prodigium prodigiorum, maximum miraculum super omnia mundi miracula, ad quod nihil est in orbe mirandum. Siquidem in sacra Virginis alvo, veluti conflatoria quadam fornace Divinitatis auro, nostræque humanitatis argento pariter infusis, opere Spiritus sancti & igne, unus velut electreus Christus conflatur. Talem illum olim Ezechiel mystica visione præviderat. Hic Agnus Dei, hic mundi Salvator & custos, hic spes nostra, caput hic & gloria nostra, hic decus nostrum, gentis hic nostræ corona; hic lavat sordes, hic cuncta nobis bona propinat. Quanto felicius nunc virginea in alvo Agnus iste conflatur, quam olim ex inauribus vitulus in Oreb? Illum adorantes vitulum prostrati sunt in deserto, hunc qui adorant Agnum, gloria potientur & cœlo. Hæc de historia.

Psal. 92. *Ezech.* 1. *Ibid.* 8. *Exod.* 32.

IX. Sed edisſere nobis o Angele Dei, quomodo aut quando impleta est promissio tua? Quando hic, quem annuntias, Virginis Filius sedem David patris ejus insedit,

Luce 1.

quando in domo Jacob regni moderamina tenuit? *Vidimus eum, ... Noviſſimum virorum*, abjectum, & pauperem, in labore & ærumna vitam duxiſſe: vidimus, inquam, illum perſecutiones, inſidias, odia, æmulationes, famem, ſitim, nuditatem, egeſtatem tota vita toleraſſe; non domum, non ancillam, non ſervum, non agrum, non vineam, aurum, argentum, ſed neque ubi caput ſuum reclinaret, unquam habuiſſe, labore proprio & aliorum eleemoſynis ſemper vixiſſe. Ubi ergo ſedes? Ubi regnum? Ubi promiſſa majeſtas? Hocne regnare eſt? Hoc eſt domui Jacob imperare? Quomodo regnat in domo Jacob, ſi domus Jacob non obtemperat ei? Niſi forſitan quiſpiam ſine regno Rex eſſe poteſt. Præſidi Pilato Jacob domus acclamat: *Non habemus regem niſi Cæſarem*. Ipſe quoque eidem Pilato hoc ipſum fatetur, dicens: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: & rurſus: *Regnum meum non eſt hinc*. Quomodo tu ipſum aſſeris regnaturum, ubi ipſe regnare ſe negat, & populus ejus regno diſſentit? Quomodo, inquam, regnat, qui non habet regnum? Aut quænam regi David in paupere Chriſto ſucceſſio, ut ſedem David illum aſſeras habiturum? Si Patris æterni ſedem dixiſſes; fateremur utique: quis namque fidelium Chriſtum Jeſum ad Patris dexteram, in majeſtatis ſolio ſedere neſciat, aut non credat? Sed de ſede David, & regno Jacob non ita palam. Putaſne o Angele Dei non ſe deluſam Virgo putaſſet, niſi divino illuſtraretur ſpiritu; expectans & ipſa temporalem Iſrael redemptionem: cum illum, quem regnaturum promiſeras, egentem, nudum, pauperem, ſolitarium, fameſcentem videret; ortuſque illius principia, in ſtabulo, in præſepi, in fœno; & poſt modicum illius per deſerta fugam, longamque inter barbaros peregrinationem aſpiceret? Putaſne, inquam, tunc promiſſionis tuæ recordata non diceret: Ubi eſt Angele promiſſio tua, ubi ſedes & gloria regni? Si Rex futurus eſt Puer, ubi aurum, ubi argentum, ubi opes, ubi familia, ubi purpura, ubi decus, & honor imperii? Qualia ſunt iſta regnandi principia? Certe Angele Dei cum Filio Rege reginam me fore dixi; ſed video me peregrinam. Felicem me tanto filio futuram prædixeras, video me ſolam, afflictam, & exulantem, proprioque labore victum quærentem. Hocne eſt ſolium David? Hoc regnum, hic honos, hic regius apparatus, & faſtus? Quid cum illum videret patibulo ſuſpenſum, clavis affixum, tormentis lacerum, veſte nudatum, acerbiſſimam mortem cum opprobrio tolerantem? Quo ejulatu clamaſſet: O Angele: ubi ſunt tua promiſſa? ubi decus & gloria regni, ubi veritas, ubi fides, ubi ſpes, & fiducia mea? Morientem in convitio video: regnaturum quando expectabo? An licet poſt mortem ſperare coronam?

Iſaiæ 53. *Lucæ 9.* *Jo. 19.* *Ibid. 18.* *Marc. 16.* *Lucæ 2.* *Mat. 2.*

X. Sed Angelus ad hæc dicere poſſet: ceſſet tua querimonia Virgo: veritatis nuntius, dicere niſi vera non poſſum. Leva oculos tuos ad Filium, & vera me dixiſſe probato. Nunquid non Regis ſtemmata vides? Nunquid non Regis vexillum attendis? Non aſpicis caput diademate Regis ornatum? Titulum non conſpicis regali throno pendentem? Non audis multorum Regem acclamantium voces, ſceptrum non diſcernis potenti manui defixum? Quid, obſecro, Virgo, quid deeſt ad regnum? In Præſidis domo coronatus in Regem, purpuram, & ſceptrum, coronam, & ſedem accipit: ibi Rex acclamatus, ibi flexis genibus adoratus, ibi purpura indutus, regalia ibidem a militibus judicis accipit obſequia. Quid refert ad regnum; ſerio hæc an ludibrio fiant? Intellige Maria myſterium, ſacramentum magnum agnoſce. Ea quæ perfidi homines opprobrio faciunt, apud Deum & Angelos ſerio fiunt, & quæ ludibrio dicuntur, veritate complentur. Iniquorum injuria, vera regni gloria eſt. Irrideri videtur: ſed in veritate Rex coronatur. Corona illa ſpinea, laurea reputatur a Deo: pungit quidem, ſed ungit: cruciat, ſed honorat. Et ſi vis noſſe ſecretum: crux illa crudelis, regni David ſedes eſt: hanc Rex, & Propheta ſucceſſori Chriſto reliquit. Nunquid non legiſti: *Quia Dominus regnavit a ligno* (*a*)? Pendens latro ſecum regiam majeſtatem implorat. Hæc penſato Virgo, & vera me dixiſſe ſentito. Noverat ergo ſecretum hoc in ſpiritu Propheta regius, ac propterea non Judæis, ſed gentibus annuntiari præcipit, dicens: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno*. Relicto namque repudiatoque illo Judæorum populo, ad gentes regnum, & ſolium David transferendum ſpiritu monſtrante didicerat; cum ſcilicet Rex Chriſtus levaretur in ligno: ac propterea gentilem Præſidem commonet, ne regni ſui titulum Judæorum malitia radi permittat. Videbat enim Spiritu Judæorum conatum ad radendum titulum, voceſque importunas acclamantium audierat: *Noli ſcribere Rex Judæorum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum*. Pro ſua ergo ſede regnoque ſolicitus, præſidem Pilatum admonet, ne illorum obtemperet voluntati. Propter quod etiam ad Deum longas effuderat preces, orans, ne diſperdat David in tituli inſcriptione. Sic namque plurimi Pſalmorum titu-

Pſal. 95. (*a*) *Ibidem.* *Jo. 19.*

(*a*) Ita nempe Pſalterium Romanum legit, quamvis nec Græca, nec Hebræa, nec Vulgata editio exhibeant τὸ *a Ligno*. Idem quod in Romano Pſalterio extat apud Arnobium, S. P. Auguſtinum, Caſſiodorum, alioſque plures, quos refert Lorinus in Pſal. 95. v. 10., ubi late de hoc argumento, cui immorari meum non eſt. Nedum igitur ad Eccleſiaſticum Hymnum reſpexit S. Orator, ut notat Editor Bruxellenſis, ſed ad Pſalterium Romanum, aut uſurpatam a Sanctis Patribus lectionem, quæ ignota ipſi non erat, utpote in eorum operibus, ac præſertim S. P. Auguſtini Enarrationibus in Pſal. apprime verſato.

(a) tituli (a) prænotantur. Itaque velut oraculo monitus Præſes in ſententia firmus ſtetit: *Quod ſcripſi, ſcripſi:* neſciens utique quid diceret: ſed magnum proferens ſacramentum.

Lucæ 1. Hæc igitur ſedes David, quam Angelus repromiſit; cui ſcilicet regni David affixus eſt titulus. Ab hac, ſuper domum Jacob; non illius carnalis & modici, ſed ſpiritualis, toto orbe diffuſi; id eſt, Eccleſiæ ſanctæ Dei, in æternum firmato regno regnaturus eſt Chriſtus; ſicut fideli legatione prædixerat Nuntius.

XI. Hujus autem tam eximiæ legationis

Gen. 24. figuram geſſit ſervus ille fidelis Abrahæ, quem ſanctus Patriarcha in ſuam patriam deſtinavit quærere filio ſuo unico uxorem, adjuratum prius ne de filiabus Chanaan vicinis accipiat. Qui pulcherrimam Rebeccam ad fontem reperiens, accepto prius connubii quod quærebat indicio: quod eum, & camelos libenter adaquaſſet, eam inauribus & munuſculis ſubarrhavit, & habito conſenſu parentis, filio domini ſui copulandam adduxit. Quid huic cœleſti connubio ſimilius? Non dignatur Pater ſublimis (hoc enim ſonat Abraham) Filio ſuo unico, de propinquis Angelorum cuneis quamlibet deſponſare naturam: ſed longius legatum fidelem mittit ad terram, ut de cognata ſibi natura, & ad ejus imaginem facta, aliquam Fi-

Heb. 2. lio ſuo accipiat uxorem: *Nuſquam enim Angelos apprehendit*, Paulo Auctore, *ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Venit ergo legatus ad mundum: Virginem ad fontem aquarum reperit, id eſt, Divinas Scripturas rimantem, & de profunditate literæ mirificos haurientem hauſtus; miratur cœleſtis Paranymphus tantum puellæ decorem, & tam eximiam Virginis pulchritudinem. Qualis namque fuerit, Scriptura commemorat. *Puella*, in-

Gen. 24. quit, *decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro: deſcenderat ad fontem, & impleverat hydriam* aqua, *& revertebatur*. Humilitate deſcenderat, virginitate placuerat, hydriam ſuam repleverat: ſic namque eam

Lucæ 1. Angelus ſalutat: *Ave gratia plena*. O plenam & pleniſſimam hydriam, ex qua omnis potatur rationalis natura! Bibit nuntius, bibunt incurvi cameli: Angelos, & homines ex tua plenitudine ſatiaſti Maria. Quis enim ex hac tua non potatur hydria? Ex hac Angelus gloriam, Juſtus gratiam, peccator veniam, mæſtus lætitiam, captivus indulgentiam bibit. Omnes bibunt ex ea; neque minuitur hydria. Bibit quoque Omnipotens ipſe, & inebriatus amore, oblitus majeſtatis properat ad Dilectam: ac velut unicornis filius, gremio Virginis capitur, carnis

Pſal. 28. nexibus irretitur; ſicut ſcriptum eſt: *Dilectus quemadmodum Filius unicornium*. Hanc

Cant. 1. ergo ſacram Virginem inauribus, argento vermiculatis, divitis potentiſque Domini

A Nuntius ſubarrhavit, virgineis auribus miranda ingerens ſermone polito myſteria, datoque conſenſu, filio Domini ſui perpetuo connubio deſponſavit: ut in ejus ſacro uteri thalamo, Deus & homo jam non ſint duo, ſed una caro, una perſona, unus Deus & homo, Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei naturam & hominis, in ſeipſo indiſſolubili nexu copulans hypoſtaſi beata: cui cum Patre & Spiritu ſancto, eſt honor & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

CONCIO TERTIA.

DE EXCELLENTIA LAUDUM B. VIRGINIS IN ANNUNTIATIONE.

Inveniſti gratiam apud Deum.
Luc. 2. v. 30.

I. QUuidquid de laudibus Virginis dici poteſt, hoc ſolo concluditur, quod Mater Dei eſt. Quid enim non decuit Matrem Dei, quid non potuit conferre Deus, quid non voluit Filius? Quod ſi decuit, & potuit, & voluit; fecit. Illa eſt urna in qua manna abſconditum. Illa arca Teſtamenti intus & foris aurata. Illa eſt ſanctum ſanctorum ſecretiſſimum, *Heb. 9.* tabernaculum illud ſanctiſſimum. O quam *Exod. 24.* te memorem Virgo! Cui comparabo, aut *Heb. 9.* cui aſſimilabo te Virgo filia Sion? Si terræ *Thr. 2.* fructiferæ, germinibus & roſis & floribus decoratæ, tu fœcundior. Si cœlo ſtellis ornato, tu virtutibus ornatior, tu capacior; quia, quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. Si ſanctiſſimis mulieribus veteris Teſtamenti: nec primam tibi ſimilem viſa es, nec habere ſequentem. Si Poteſtatibus angelicis exaltata es ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna. Cui ergo exæquabo te? Sola eſt, una eſt electa mea, una eſt; nec habet parem. Quoniam omne Deo minus, ei non unitum hypoſtatice eſt te minus. Deus ſolus ſuperat te, cætera ſubſunt tibi. Cui ergo comparabo te? Sapientiſſimus ille Salomon, quoniam in una re multiplices tuas virtutes non potuit adæquare; pluribus te comparat, ut ex pluribus te unam deſcribat. Ecce, ait: *Ego quaſi cedrus exaltata ſum in Liba-* *Eccli. 24.* *no, & quaſi cypreſſus in monte Sion: quaſi palma exaltata ſum in cades: quaſi oliva ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.*

CONCIO CXXXIII.

(a) Scilicet Pſal. 57. 58. & 59. Vide S. P. Auguſtinum in expoſitione eorumdem Pſalmorum, ubi eamdem, quam hic affert S. Noſter, tradit interpretationem. Vide infra Concionem 5. hujus argumenti.

&c. Cedrus propter altitudinem, *palma* propter gloriam, *oliva* propter oleum misericordiæ, *platanus* propter decorem, *balsamum* propter virtutum fragrantiam & incorruptionem, *myrrha* propter præservationem &c. Sed ego, inter tot comparationes, unam solam exponam, qua diceris *Nigra*, *Cant.* 1. 1.*Par.*21. *sed formosa, sicut pelles Salomonis*. Quis est Salomon, nisi Rex pacificus? Hic habuit virtutes duplices. Divinas, sicut sunt omnipotentia, æternitas, incommutabilitas, infinitas &c. Alias, quas acquisivit in vita mortali, sicut abstinentia, paupertas, humilitas, patientia, fortitudo &c. Istæ sunt *Isaiæ* 49. pelles quibus convestitur Salomon. Vivit Dominus, quia omnibus his sicut vestimento *Ibid.* 11. vestieris. Et iterum: *Erit justitia cingulum lumborum ejus & fides cinctorium renum ejus*. Formosa est Virgo, *sicut pelles Salomonis*: Quia non est aliquis, qui sic imitatus est Christi virtutes sicut Virgo. Ille innocens, illa immaculata. Ille pauper, illa similiter. Ille humilis, illa similiter. &c. Non est autem in tota sacra Scriptura, ut ad particularia descendamus, locus aliquis in quo Virginis virtutes sic eluceant, sicut in isto Euangelio.

Gal. 4. *Coloss.*1. II. Pro quo notate historiam. Cum venit plenitudo temporis, ut revelaretur mysterium occultum a sæculo, manifestatum in ultimis temporibus, ut ait Apostolus. Vo- *Lucæ* 26. cat Deus Gabrielem; vade, inquit, ad Virginem Mariam: porta nuntium super omne nuntium: fiet in ea Deus homo. Stupet Angelus: nam forte non omnibus fuit notum Incarnationis mysterium; parat se, volat e cœlo, assumit corpus splendidum, decorum, fulgidum (nam Angeli secundum res, & personas assumunt corpora) de Angelo enim illo, qui terruit custodes dicitur: *Erat autem* *Mat.* 28. *aspectus ejus sicut fulgur*. O quam decorus ille Angelus, secundum nuntium quod portabat, & personam ad quam ibat! Stabat Virgo in secreto cubiculo, clausa hominibus, publica Deo & Angelis. Non est o Virgo, *Lucæ* 1. unde posses valvas claudere Angelo. Intrat Angelus, prosternitur flexis genibus. *Ave*, inquit, *gratia plena Dominus tecum:* & plus quam mecum. Audis Virgo, vides Virgo, qualis est iste cœlestis miles? quomodo prostratus? quomodo salutat? Quid pensitas? Responde: quid cogitas, quid volvis animo? Salutat te; resaluta ipsum. Qui sunt isti colores purpurei in virgineis genis, quasi roseo decore? quæ est ista turbatio? Quid titubas, quid trepidas? Angelus est, non homo. De cœlo est, non de terra. Salutat humiliter, non terret fortiter; non ensis in manu, non gladius. Cur ergo sic turbaris? Cur sic paves? Letitiæ non formidinis est ista salutatio. *Turbata est*, inquit, *in sermone ejus*. O singularis pudicitia! O honestas incredibilis! O verecundia præstantissima! Discite mulieres, discite virgines, non extento collo, facie nuda conversari: multæ namque paucum pudorem autumant dexteritatem, & existimant elegantiam. Sed de quo turbatur? Non de præsentia, sed de sermone: quamvis tamen præsentia aliquid contribuat ad turbationem. Ecce, ut solet in similibus casibus, intellectus in angustiis positus facit mille discursus. Occurrit Virgini, quomodo apparuit Angelus Abrahæ, & ait: *Si inveni gratiam in oculis tuis*. Et pro- *Gen.* 18. cidit ad pedes ejus Patriarcha. Similiter Loth, cum veniissent *duo Angeli Sodomam*, *Ibid.* 19. *sedente Loth in foribus civitatis, cum vidisset eos, surrexit, & ivit obviam eis: adoravitque pronus in terram*. Quid est hoc Angele Dei? Ecce Patriarchæ Angelis prosternuntur; & tu mihi flectis genua? Nunquid ego similis sum uni ex Patriarchis? Quæ novitas hæc? Stupenda res! Si homo, quomodo intrasti? Si dæmon, quomodo fulges? si Angelus, quomodo prosterneris? Certe non dubium: Angelus Dei es: sed unde ista salutatio? unde ista humiliatio mihi puellæ humili, pauperculæ, ignotæ? Non sum ego potens regina, ut te inclines in mea præsentia. O si scires Virgo, quanta sis in conspectu Dei, quam potens es apud Deum, quantum te æstimet Deus! Ne timeas Virgo, in- *Lucæ* 1. venisti gratiam apud Dominum. Magnifica- *Ps.* 125. vit Dominus facere tecum. Ecce concipies *Lucæ* 2. in utero & paries filium Dei. Nil mirum, si sic reverenter tractem Matrem Domini mei, reginam meam. Jam non dedignor Angelus humiliari coram te, quia mihi te præposuit, qui nascetur ex te; Abraham amicus Dei erat, tu Mater. Lot & alii, familiares, tu Sponsa: scio humilitatem tuam, scio modestiam tuam: modicam te reputas, ideo turbaris. Magna es super omnes qui fuerunt ante te, & erunt post te. Ecce ergo honestatem cum turbatur, ecce humilitatem propter quam turbatur.

III. Agnoscite etiam prudentiam: *Cogitabat qualis esset ista salutatio*. Ut quid cogitas antequam respondeas? Angelus est, non est serpens. Eva cito respondit, Virgo vero *Gen.* 3. cogitabat. Eva cito consensit, Maria cogitat, ut respondeat Angelo. O quantum differt ab illa prima muliere ista beatissima Femina! Ecce loquitur diu Angelus; jam totum dixerat, quomodo volebat, nuntium totum explicaverat, & nondum loquitur Virgo. Ecce Virginis modestiam. Discite virgines non esse loquaces. *Quomodo fiet istud* *Lucæ* 2. *quoniam virum non cognosco;* non dubito de mysterio, sed requiro modum. Notantur duæ virtutes in Virgine. Prima, est fides. Dicit: Deus fit homo; Verbum caro. Creator nascetur de creatura, generabis eum qui te fecit. Credit Virgo, non hæsitat Virgo, non petit signum de cælo, non de terra, non rationem. *Credidit Abraham Deo, & reputatum* *Jacob* 2. *est illi ad justitiam*. Quid credidit? Quoniam *Gen.* 18. pariet vetula. Majus est, pariet Virgo, pariet Creatorem. Quod signum, quod faciet Dominus? Non risit sicut Sara post ostium

ta-

tabernaculi. Nondum erat auditum tale verbum, verbum ſtupendum; & tamen credidit Virgo, Angelo dicente non probante. *Ecce Eliſabeth cognata tua & ipſa concepit filium in ſenectute ſua.* Quod ſterilis & ſenex Eliſabeth paritura erat, non videbatur difficile, ut crederet parituram ſenem, quæ crediderat Virginem parituram. Quod fuit in Abraham principale, in Virgine additamentum eſt fidei: & tamen multum commendatur ab Apoſtolo Abraham de fide, dum ait de illo: *Contra ſpem in ſpem credidit.* Sed præ cæteris ejus virtutibus admiranda ejus virginitas prænotatur. Nam audierat, quod Regem Deum paritura eſſet, & quærit: *Quomodo fiet iſtud?* O Virgo quantæ virgines amittunt florem virginitatis ſuæ pro fructu prolis, & tamen non ſunt parituræ niſi mortalem hominem. Tu vero audis quoniam Deum paritura es, & adhuc hæſitas dicens: *Quomodo fiet iſtud* Angele Dei? Quomodocumque fiat; Mater Dei eris. Poſſem tibi dicere o Virgo modum aliquem in lege præfiguratum. Noſti Scripturas: ſcio, quoniam noſti quæ paritura eſt illum. Nunquid Lex & Prophetæ implebuntur? Attende: ecce quomodo rubus ardebat & non conſumebatur: ignis flagrabat in rubo, & rubus intacta manebat: ſic ſole veſtieris, ſole circumdaberis, & non erit corruptio virginitatis. Veſties illum carne, veſtieris ab eo decore; veſties corpore, veſtieris Deo. Coronabis eum diademate noſtræ mortalitatis, coronabit te diademate gloriæ. Virgo eris, ſed fœcunda; Mater eris, ſed incorrupta; gaudia matris habens cum virginitatis honore.

Luc. 2. Rom. 4. Luc. 2. Exod. 3.

IV. In te ſola virginitas & maternitas ſociabuntur. An non recordaris, quomodo abſque ulla diviſione ros deſcendit in vellus, in area tempore Gedeonis? Memento, quoniam ſcriptum eſt: *Deſcendet*, utique in utero tuo, *ſicut pluvia in vellus.* Quid aliud etiam porta illa Ezechielis præfigurat, quæ clauſa erat, & vir non pertranſibit per eam, quoniam ingreditur & egreditur per eam; quoniam clauſtra tui pudoris non aperientur? Quid mirum, ſi exeat de utero clauſo radius ſolis ſine diviſione? Ecce enim radius per vitra tranſit, & tamen non dividit ea. Quod ſi exactius mirabile myſterium vis agnoſcere: nemo eſt qui poſſit plene capere modum tanti ſacramenti futuri in utero tuo. Mihi enim tanquam nuntio datum eſt ſummam dicere, factum nuntiare. Si modum petis: Artifex ille ſupremus, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* Ille ſcit, quomodo opus illud inenarrabile fieri debeat. Ille deſcendet in te, *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* O quantus ſenſus eſt in iſto verbo *obumbrabit!* Obſecro Angele Dei: petitur ut demonſtres, & promittis umbras. Quare non dicis, *illuſtrabit?* Utique non per tenebras, ſed per lucem, non per umbram, ſed per lumen res

Jud. 6. Pſal. 71. Ezec. 44. Luc. 2.

agnoſcitur. Et Spiritus ſanctus illuſtrare ſolet, non obumbrare. Agnoſcite vim vocabuli: cæteras Spiritus ſanctus illuſtrat, ſed tibi obumbrabit; nam a cæteris, ut tenebras expellat, lumen infundit; tibi autem, in qua omnis plenitudo luminis corporaliter, ad temperamentum claritatis, opus eſt umbra. Nam Verbum in te incarnandum *lucem habitat inacceſſibilem.* O quam plene reſpondet Angelus interrogationi Virginis! Quid eſt enim *obumbrare*, niſi umbra contegere? Quid fuit corpus unitum Verbo, niſi umbra? Nam, ut ait Origenes (*a*) *de Incarnatione Verbi:* Sicut umbra ſemper in motu & figura ſequitur corpus; ita Chriſti humanitas nutum divinæ voluntatis ſine diſcrepantia ulla imitatur. Fuit enim conformitas divinæ voluntatis & humanæ in Chriſto. Illa ergo benedicta umbra corpus Chriſti eſt, de quo dicitur: Sub umbra illius vivemus inter gentes. Nam inter Angelos ſub luce ejus vivemus. Illa eſt, de qua dicitur: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi.* Noli ergo Virgo, noli eſſe ſollicita de tua virginitate, quia virum non cognoſcis: ecce enim corpus illius non opere virili formandum eſt, ſed Spiritus obumbrabit tibi, id eſt, formabit illud in te.

1. Tim. 6. (a) Thr. 4. Cant. 2. Luc. 2.

V. Cum igitur confabulati eſſent, Angelus & Virgo: nam a crepuſculo uſque ad mediam noctem duravit ille dialogus dulciſſimus. O felix illa ſocietas! O nobile conſortium, Angelus & Virgo! Eſt enim Angelis cognata virginitas. Jam Angelus redire vult ad eum qui illum miſit; eja Virgo pulcherrima, Virgo ſacrata; myſterium cognoviſti, modum & diſpoſitionem intellexiſti; da conſenſum, expedi nuntium; exſpectant te cœlum & terra, omnia tuum exſpectant conſenſum. Tunc Virgo, fervens Spiritu, plena gaudio, ſtupefacta ſacramento, flexis genibus, elevatis manibus, poſitis oculis in cœlum, reſpondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Utique ancilla Domini, ſed & Mater: utique ancilla, ſed & ſponſa Dei. Ancilla, ſed Regina Angelorum, ancilla Dei, ſed Deo chariſſima, Deo gratiſſima, ancilla ſuper omnes ancillas. Quod ſi Mater ancilla eſt: ſecundum legem, Filius, ſervus eſt. Non negat hoc ipſe. Pſalmus: *O Domine quia ego ſervus tuus: Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Dat rationem ſervitutis dum inquit: *Et filius ancillæ tuæ.* Quæ dum me concepit, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Fiat mihi:* non tibi ſoli, ſed omnibus per te, ſed in te ſola, nobis *fiat.* O verbum admirabile! Imitatur Virgo Deum: Iſto verbo mundus conditus eſt, iſto reparatus eſt. Siquidem Virgo rapuit Verbum de ore Dei. Nam in principio dixit Deus: *Fiat lux, & facta eſt lux.* Dixit Virgo, *fiat* lux mundi: & facta eſt. *Dixit Deus, fiat firma-*

Pſ. 115. Luc. 2. Gen. 1.

(a)

(*a*) Periarchon lib. 2. cap. 6., quod eſt *de Incarnatione Chriſti.*

mentum in medio aquarum: Et factum est. Dixit Virgo, *fiat* firmamentum in medio Ecclesiæ: & factum est. *Dixit Deus, fiant* duo *luminaria & illuminent terram.* Dixit Virgo, *fiat* unum Luminare excellentissimum, quo mundus illustretur: & factum est in utero ejus. Dicente Deo, *fiat*: factum est omne quod est. Dicente Virgine, *fiat*: fa-
Jo. 1. ctus est homo, per quem facta sunt omnia. *Fiat* ergo Verbum caro: Deus homo: Æternus temporalis: Impassibilis passibilis. *Fiat*, quod nunquam prius factum est, & opus super omne quod factum est. *Fiat* in terris peccatorum Redemptor; qui in B cœlis est Angelorum lætitia & gloria. In ipso ergo puncto prolationis, statim corpus illud sacratissimum Christi, formatum, animatum, unitum est Verbo; in unitatem personæ confluxit duplex illa natura. O modus admirabilis! Non fuit ibi compositio, non mixtio, non confusio. O qualis infusio! O quam decorus ille thalamus regius! O quis sensus, o quis fluvius gratiarum fuit in illa Verbi infusione! O quanta lætitia in spiritu Virginis, cum tali ac tanto Spi-
Ibidem. ritu Deo, hospite novo! *Verbum caro factum est:* ignorat mundus, sed sentit hoc solus spiritus Virgineus. O quam miranda est in tanta excellentia tanta humilitas! Quid, obsecro, pensas o Virgo de te, cum jam noviter Dei Mater es, Dei Genitrix? O quam potens facta es! O quam sublimis! O quam admirabilis facta es! & tamen hu-
Cant. 1. miliaris. Siquidem: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Nardus humilitas est.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS
B. MARIÆ VIRGINIS
CONCIO QUARTA.

MARIA VIRGO IN ANNUNTIATIONE, FACTA THRONUS DEI ADORNATA CREATURARUM OMNIUM GRATIIS.

Invenisti gratiam apud Deum.
Luc. 2. v. 30.

CONCIO CXXXIV. *Isaiæ* 6.

I. INter alias præclaras visiones vidit Isaias unam singularem capite sexto: *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus,* A *Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* Bernardus (*a*); quam differens visio ista ab illa, qua vidit eum non habentem speciem. Et æstimavimus eum tanquam leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum; *Despectum, novissimum virorum, virum dolorum.* Sed, quod est solium hoc in quo Propheta testatur, se vidisse sedentem Dominum, nisi Virgo? Alia quæcumque anima sancta, sedes est, sed Virgo thronus est regius. De quo throno dicitur: Libro secun- *2. Par.* 9. do Paralipomenon capite nono. *Fecit Rex Salomon solium eburneum grande, & vestivit illud auro mundissimo. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, & scabellum aureum, & brachiola, duo altrinsecus; & duos leones stantes juxta brachiola, sed & alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte: non fuit tale solium in universis regnis.* Sex gradus & duodecim leunculi & reliqua quæ ad ornatum throni fecit Rex Salomon, omnia significant Virginem, in qua Deus sculpsit omnium virtutum ornatum. *Plena est omnis terra* majestate *ejus.* Ista *Isaiæ* 6. terra virginalis est, de qua Psalmus ait: *Veritas de terra orta est.* Alias animas Deus *Psal.* 84. C implet donis suis; Virginem vero replevit seipso majestate sua; non solum gratia plena, sed etiam Deo plena est Virgo Maria. *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* *Isaiæ* 1. Templum hoc virgineum, quod replevit sua majestate, replevit etiam virtutibus & gratiis & donis in gradu tam eminenti, ut non recognoscant virtutes illæ Mariæ, alias superiores, nisi virtutes sedentis in throno. Hoc enim est dicere: *Et ea quæ sub ipso erant*, id est, virtutes in gradu plus quam Angelico, solum sub ipso replent Virginem. *Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, &* D *sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Isti Seraphim, secundum Bernardum (*b*), sunt duæ naturæ, scilicet, Ange- (*b*) lica & humana. Utraque enim civitas, scilicet, superna & militans Ecclesia fundata est super thronum istum, id est, Virginem. Ipsa enim est, per quam natura humana redempta est, & Angelica natura reparata est. Sed, quid est, quod *facies* & *pedes* sedentis velantur, nisi quod duo mysteria abscondita sunt, scilicet, mysterium Trinitatis, & misterium Incarnationis. Primum significat *facies*. Secundum significat *pedes*, propter naturam humanam assumptam. Quis enim novit nisi E solus Deus, quomodo una natura sine sui divisione, tribus distinctis identificetur? Similiter, quis novit quomodo duæ naturæ tam distantes in uno eodemque suppositio sunt? Ibi miramur diversitatem suppositorum in una natura, hic diversitatem naturarum in uno supposito. Quis præsumat velatos *pedes*

Do-

(*a*) Vide Serm. 1. in Dominicam 1. Novembris num. 1.

(*b*) Serm. 3. in Dominicam 1. Novemb. num. 1. *Et ego quidem Fratres, si licet in hac parte unicuique abundare in suo sensu, in duobus Seraphim, duplicem arbitror intelligi creaturam rationabilem, Angelicam scilicet, & humanam.*

Domini revelare & aperire Dominicæ Incarnationis ſacramentum? Ecce Joannes ille
Mat. 11. plus quam Propheta non ſe exiſtimat dignum
Lucæ 3. ſolvere corrigiam calceamenti, id eſt, non
Jo. 1. capit quo nexu duæ illæ naturæ ligentur in uno ſuppoſito. Similiter ſapientiſſimus ille Salomon, qui omnes ſapientia ſua anteceſſit, hoc ſecretum non intelligit. Eſtne *credibile*, inquit, *ut habitet Deus cum hominibus*
2. *Par.* 6. *ſuper terram?* Secundo Paralipomenon capite ſexto. Quid dico de hominibus? Etiam cœleſtis ille Paranymphus, qui miſſus eſt nuntiare ſacramentum, hoc ingenue fatetur, ſe neſcire modum altiſſimi iſtius myſterii: ſi-
Lucæ 2. quidem interrogatus a Virgine: *Quomodo fiet iſtud?* eam ad Spiritum ſanctum remiſit dicens: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*. Ac ſi diceret: Ego Domina nuntiator adveni, modum ignoro. Spiritus ſanctus, qui tam alti ſacramenti futurus eſt Artifex admirabilis, ipſe ſcit, quomodo faciet; quomodo in te implebitur, quod ego annuntio.

II. Quis igitur rem tam profundam audeat inveſtigare, ſi Angelicam etiam mentem
(*a*) excedat? Bernardus (*a*) *in Sermone iſto Annuntiationis:* Abyſſus imperſcrutabilis, Dominicæ Incarnationis ſacramentum, abyſ-
Jo. 1. ſus impenetrabilis: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Puteus altus eſt, & in quo hauriam non eſt mihi. Quis ergo de tanta profunditate poterit haurire aquas, niſi illa in qua hoc myſterium celebratum eſt? Illa, inquam, formoſa Rebecca, id eſt, Virgo ſacratiſſima, illa miniſtrabit aquam de puteo, & camelos gibboſos adaquabit. De ipſa enim dicit Scriptura in figura Re-
Gen. 24. beccæ Geneſis vigeſimo quarto: *Puella decora nimis virgoque pulcherrima, incognita viro, deſcenderat ad fontem & impleverat hydriam* aqua & *revertebatur*. Fons vitæ, Verbum Dei. Hydria, anima illa ſacratiſſima. Vi-
Lucæ 1. de, quomodo plena aqua. Ait Angelus: *Ave gratia plena*. Alia hydria, Venter ille ſacratiſſimus. O hydria capacior cœlo! O hydria amplior univerſo! O aqua ſaliens in vitam æternam, Verbum Dei! Plena, inquit, gratia anima tua eſt. Sed adhuc alia hydria implenda eſt. *Ecce*, inquit, *concipies in utero, & paries Filium*. Concepiſti mente, concipies ventre, concepiſti animo, concipies utero. Propheta David plenus gaudio in conſideratione tam eximii amoris, & tam abundantis gratiæ, qua Deus dignatus eſt fieri homo, hortatur omnes creaturas ſecum gaudere & ipſum adjuvare ad tantæ ſolemni-
Pſal. 95. tatis tripudium, dicens: *Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi qui habitant in*
Pſal. 97. *eo. Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt in conſpectu Domini: quoniam venit*. Cauſa tantæ lætitiæ: *Quoniam venit*. Lætentur ergo ſuperiora & inferiora, ſpiritualia & corporalia, & omnia ſive quæ in in cœlo, ſive quæ in terra, ſive quæ in limbo ſunt. Communis eſt utilitas, commune ſit gaudium. Lætentur Angeli, quia venit eorum Reparator; lætentur omnes creaturæ corruptæ per peccatum, quia venit earum Reparator; ſed ſuper omnes lætentur homines, quia venit eorum Redemptor. Deus eſt homo, gaudete homines, exultate homines; non habet lætitia menſuram, quia non habet menſuram beneficium. Deus factus eſt homo: jucundare homo, lætitia tua exubeberet omnem modum, quia modus, quo te diligit Deus, excedit omnem modum. Exulta, ſolve vincula colli tui captiva filia Jeru- *Iſaiæ* 52. ſalem, quia advenit Liberator tuus. Lauda & exulta filia Sion; conſurge, conſurge, *Ibid.* 13. induere veſtimentis gloriæ tuæ, quia appropinquavit redemptio tua. Exultent qui ſunt *Ibid.* 3. in tenebris, & in regione umbræ mortis, quoniam lux orta eſt vobis. Nemo, inquit Leo (*b*) Papa ſanctus, ab hujus alacritatis par- (*b*) ticipatione ſecernitur. Una cunctis lætitiæ communis eſt ratio: quia Dominus noſter peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exultet igitur Sanctus, quia propinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam: animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam. Bernardus (*c*): Læ- (*c*) tare pater Adam, & tu mater Eva, magis exulta. Jam noli conqueri o Adam de muliere, noli accuſare mulierem: redditur tibi femina pro femina, prudens pro fatua.

III. Sed quis poterit cogitare gaudium tuum o Sereniſſima Virgo, quæ tam ſubito in tantam altitudinem conſcendiſti? Tu ſuper omnes Angelos & homines tanto amplius lætari debes, quanto magis tangit te lætitiæ ratio. Siquidem in te, & per te, & de te, & a te nobis hodie Deus præſtatur carne veſtitus, caro factus. Exulta ergo ſatis Filia Patris, Sponſa Spiritus ſancti, hodie effecta Mater Filii Dei, Redemptoris noſtri, Angelorum Regina, hominum Advocata, totius creaturæ Primiceria, totius univerſi Imperatrix & Domina. De hac tua lætitia, ſic ſcribit Iſaias: *Germinans*, inquit, *Ibid.* 35. *germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli, & Saron*. Quid eſt dicere: *Germinans germinabit:* quare iſta repetitio? niſi, quia mente genuit, & ventre concepit. Aut, quia ſola germinavit ſine viro, ideo excellentius germinavit quam aliæ matres, & magis proprius eſt ei Filius, quam ſint filii aliarum matrum. *Exultabit lætabunda, & laudans* cum cantico. Sic enim cecinit Virgo,

(*a*) Serm. 2. in Annunt. B. Mariæ num. 1. *Abyſſus plane imperſcrutabilis incarnationis Dominicæ ſacramentum, abyſſus impenetrabilis: Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Quis enim inveſtiget, quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus eſt, & in quo hauriam non eſt mihi.*

(*b*) Serm. 21., alias 20. in Nativ. Domini noſtri Jeſu Chriſti. 1. cap. 1.

(*c*) Homil. 2. ſuper *Miſſus eſt* num. 3. cujus verba prolixiora omittimus.

Luce 1. go, dicens: *Magnificat anima mea Dominum. Gloria Libani data eſt ei.* Quæ eſt, obſecro, iſta *gloria Libani* quæ *data eſt* Virgini? O quam obſcure & profunde eam laudat Propheta! Ecce, ut dicitur tertio Regum capite quinto: Rex Salomon ex cedris *Libani* fecit templum Domini. Hæc eſt ergo *gloria Libani*, quoniam præbuit ligna, de quibus fieret *templum*. Gloria *Libani* tua eſt o Virgo! Siquidem ex tuis puriſſimis ſanguinibus ſacroſanctum illud *templum* corporis Domini, Spiritus ſancti manibus effectum eſt. *Decor Carmeli & Saron. Carmelus*, mons altus, in quo cedri altiſſimæ. *Saron*, mons humilis in quo herbæ odoriferæ. Primus mons ſignificat naturam Angelicam; ſecundus vero ſignificat Eccleſiam. In Virgine ergo eſt *decor Carmeli*, & *Saron*; quia omnis plenitudo cœleſtium Spirituum, & animarum ſanctarum, & omnia dona, gratiæ, & privilegia, ſive Angelis ſive hominibus conceſſa; omnia in ejus ſacratiſſima anima congeſta ſunt & collecta. Ecce ardor Seraphim, ſplendor Cherubim, candor Angelicæ naturæ, poteſtas Virtutum & Dominationum, omnia in Virgine. Quomodo enim non ardeat, quæ Deificum ignem in utero clauſit? Quomodo non ſplendeat, quæ Solem Juſtitiæ nube carnis tegit? Quomodo inquam non candeat, quæ puritatem ipſam peperit & concepit? In ea igitur eſt *Decor Carmeli*. Eſt etiam, *Decor Saron*, id eſt, omnium Sanctorum Eccleſiæ. In ea enim fides Abrahæ, patientia Job, humilitas David, in ea Patriarcharum gravitas, Apoſtolorum ſanctitas, Martyrum fortitudo, Confeſſorum mortificatio, Doctorum claritas, Virginum puritas. Ipſa ſanctitatis norma, virtutis ſpecimen, religionis exemplum, dæmonum impugnatrix, hominum auxiliatrix, totius denique ſplendoris ac gratiæ abbreviatum & collectum ſummarium; in qua omnis Angelicæ & humanæ creaturæ, decor & gratia collecta eſt.

3. Reg. 5.

IV. Ecce igitur qualem & quantam gratiam apud Dominum Maria invenit. Ecce quantum Deo placuit, cui omnis gratiæ plenitudo collata eſt, ut ait Hieronymus (*a*): licet aliter ſit, quam ſit in Filio. Bernardus (*b*): *Inveniſti gratiam*. Quam gratiam? Gratiam plenam, gratiam ſingularem. Singularem dico, an univerſalem? Hanc gratiam inveniſti, Dei & hominis pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te Amica mea*. Ad literam: Salomon filiam Pharaonis Regis Ægypti ſumpſit in uxorem,

(*a*)
(*b*)

Cant. 5.

& erant illuſtris equitatus, equeſtris curruum Pharaonis, ingens militia Regis Salomonis. Spiritualiter: currus Pharaonis, caro effera & furioſa, cujus ſeſſor eſt diabolus fortis, in equo carnis reſidens. Sed habet Salomon Chriſtus pretioſum equitatum in cœlo ſine curru; ſcilicet militiam Angelorum. Habet & alium equitatum, etiam illuſtrem & ſplendidum in iſtis curribus Pharaonis; Sanctorum ſcilicet militiam, qui in corporibus rebellibus fortiter pugnaverunt. Iſti equitatui toti, aſſimilata eſt Amica: nam ex carne deſcendens, & propagine Adam aſſimilata quidem, ſed peccatum non habens in carne, non uni equiti, ſed toti equitatui Sanctorum: nam omnes gratias omnium ipſa amplexa eſt. Ideo dicitur *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*. Ipſa Apoſtolis æqualis in prædicatione, Prophetis in pronoſticando, Martyribus in paſſione, Confeſſoribus in ſanctitate, Virginibus in puritate: cæteris per partes, Mariæ tota ſe infudit plenitudo gratiæ. Inveniamus igitur & nos gratiam apud te, o Piiſſima. Hoc optat, hoc petit omnis iſta caterva; hoc ſenes, hoc juvenes, hoc parvuli, hoc omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio anxie deſiderat. In te enim reſpiciunt oculi totius Iſrael; omnis Eccleſia continuis orationibus clamat: Tu tuta ſalus, tu pacis origo, commune bonum, columen generis, tu gloria noſtri. *Leva ergo in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi*. Per te acceſſum habeamus ad Filium (*c*) o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis; ut per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua, culpam noſtræ corruptionis, & humilitas Deo grata, noſtræ veniam impetret vanitati; copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa, fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra, mediatrix noſtra, advocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio repræſenta. Fac o benedicta per gratiam quam inveniſti, per prerogativam quam meruiſti, per miſeriam quam perpeſſa es; ut qui, te mediante, fieri dignatus eſt particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ; te quoque intercedente, participes faciat nos gloriæ & beatitudinis ſuæ: ad quam nos perducat, qui pro noſtra ſalute induere dignatus formam ſervi Unigenitus tuus, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula. Amen.

Ibid. 6.

Iſaiæ 49. *Ibid.* 60.

(*c*)

PO-

(*a*) Seu quiſquis auctor eſt Sermonis de Aſſumptione B. M. olim ſub Hieronymi nomine vulgati, nunc vero tom. 5. pag. 86. inter ſpuria rejecti. *In Mariam vero totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quamquam aliter.*

(*b*) Serm. 3. in Annuntiat. B. Mariæ num. 8. *Inveniſti enim gratiam apud Dominum. Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam ſingularem. Singularem, an generalem? Utramque ſine dubio, quia plenam, & eo ſingularem, quo generalem: ipſa enim generalem ſingulariter accepiſti.*

(*c*) Ab his verbis uſque ad finem Concionis, S. Bernardi verba ſunt Serm. 2. de Adventu Domini num. 5., niſi quod ſententia illa: *per miſeriam, quam perpeſſa es*, aliter legitur apud S. Bernardum, ſcilicet: *per miſericordiam, quam peperiſti*, vel, ut alii codices habent, *quam percepiſti*.

POSTILLA.

Quomodo fiet iſtud. Lucæ 1. v. 34.

(a) V. Bernardus (a): Abyſſus inperſcrutabilis Dominicæ Incarnationis myſterium. Job: *Job 26.* *Gigantes gemunt ſub aquis* myſteriorum, id eſt, altiſſimi intellectus, P. Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius. Nam, licet extendas *cœlum*, id eſt, intellectum, *ſicut pellem*, *Pſ. 103.* gratia: ſed tamen, tu *tegis aquis* myſteriorum *ſuperiora ejus*. Succumbit humana ratio; vincitur intellectus etiam illuminatus a tali myſterio. Non mirum, Domine, quod facias cœlos, terras, Angelos, & mille alios mundos alterius naturæ & ordinis: non item miramur, quod dividas mare rubrum, des aquas de petra, manna de cœlo, ſubmergas Ægyptios, evertas populos: parum eſt hoc de te. Sed, Domine, obſecro, qua arte, qua potentia, qua virtute, qua ſapientia fieri potuit, ut debili creaturæ Majeſtas illa uniatur? & ſic uniatur, ut Deus homo ſit, & homo ſit Deus, & utriuſque naturæ unum ſit ſuppoſitum? Quo, inquam, glutino naturæ diſtantes indiſſolubiliter perpetuo uniri potuerunt, & tam intime; ut idiomata utriuſque naturæ ſe communicent? Hoc eſt quod ſtupeſcimus, hoc eſt quod admiramur, *Lucæ 1.* hoc eſt quod quærimus. *Quomodo fiet iſtud?* *Jer. 2.* Jeremias capite ſecundo: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer.* Et Habacuc capite primo: *Aſpicite in* *Habac. 1.* *gentibus, & videte: Admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris,* *Act. 13.* *quod nemo credet cum narrabitur.* Quod Apoſtolus *in actibus Apoſtolorum* de Incarnatione exponit. Vere opus incredibile. Quomodo ergo creditur? Utique magno miraculo creditur. Sicut enim miraculum fuit, quod patiatur impaſſibile; ita etiam, quod credatur (b) incredibile. Bernardus (b): Tria miracula fecit Deus. Primum: unire Deum & hominem in uno ſuppoſito Chriſto. Secundum: virginitatem & maternitatem in Virgine: & fidem intellectui. Et hic totum meritum eſt, ut captivemus intellectum in obſequium *Sap. 8.* fidei. Vere attigit Sapientia Dei a fine uſque ad finem fortiter, ut diſponeret omnia ſuaviter. Quam fortiter! ubi nec mors diſſolvere potuit unionem. Quam ſuaviter! *Pſal. 48.* ubi *juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Sic itaque decuit principium uniri ultimo, Creatorem ultimæ creaturæ ad perfectionem univerſi, ut fiat circulus, figura perfecta. Et ut totum curaret: totum aſſumpſit, corpus ſcilicet, & ſpiritum. De quo circulo, figura: *Job 40.* *Ponam circulum in naribus ejus:* Job capite quadrageſimo. Eſt & illud, quod hic miramur. Propter quid? Quare? Ad quid? Quid compulit? Qua ratione factum? Quo conſilio? Quæ neceſſitas fuit? Tantiſper iſta duo inſpiciamus, ſcilicet, quomodo factum eſt; & propter quid factum eſt. Quomodo Deus homo: & cur Deus homo.

VI. De primo; quomodo Deus factus eſt homo, temerarium videtur aggredi. Iſaias excuſat ſe: *Generationem ejus quis enarrabit?* *Iſaiæ 53.* Joannes pluſquam Propheta non audet ſolvere corrigiam calceamenti ejus. Sed & *Jo. 1.* Angelus requiſitus a Virgine: *Quomodo fiet* *Lucæ 1.* *iſtud?* ad Spiritum ſanctum remittit dicens: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, id eſt: mihi quaſi nuntio datum eſt nuntiare myſterium: ſed de modo; Spiritus ſanctus optimus artifex novit, quomodo ipſe obumbrabit tibi: inter te & ipſum implebitur, ſola conjugio ipſo experieris, ſola agnoſces. Non eſt intellectus Angelicus vel humanus; qui hanc umbram valeat penetrare. Noli Virgo, noli a me quærere modum; quia ſuper me confortatus eſt, & non potero ad *Pſ. 138.* eum. Sufficiat tibi, quod fiet; *Quomodo fiet* Deus ſcit. Angelus excuſat ſe, & ego vilis vermiculus hoc declarare aggrediar? Abſit, abſit, tanta vecordia. Sed tamen, quia de hoc myſterio loquendum eſt nobis; *Dies* *4. Reg. 7.* *enim* magni *nuntii eſt: & ſi tacuerimus, ſceleris arguemur;* ideo, ut Doctiores exponunt, exponam fidem noſtram de hoc articulo, prout poteſt humana fragilitas; licet multo longius aliter, quam vel ſcire, vel intelligere poſſimus. Dicamus ergo plano modo, qualis ſit iſta unio hypoſtatica Verbi ad carnem. Deus, ſecundum Damaſcenum (c), eſt pelagus infinitæ ſubſtantiæ, (c) abyſſus infinita perfectionum. Unde omnis perfectio creaturæ particularis amplius eſt in Deo, loquor de perfectione ſupernaturali prima; continet enim Deus eminenter perfectionem omnium creaturarum. Inde fit, ratione hujus immenſitatis & continentiæ, ut nulla perfectio Deo repugnet, nulla excedat: quia quodammodo in ejus eſſe omnium eſſe continetur. Quo fit; ut, licet Deus infinite magis diſtet a creatura, quam una creatura ab alia, tamen unibilior eſt creaturæ cuilibet, quam una creatura alteri. Unde ſolet dici: quod Deus intimior eſt cuilibet creaturæ, quam ipſa ſibi. Et Deus illabi poteſt animæ, ſed non Angelus; licet Angelus & anima infinite magis ſibi approximent in natura, quam Deus & anima. Eſt igitur Deus miris & multis modis unibilis creaturæ, quos nos non attingimus. Propter hoc, quod præſentialiter ineſt cuilibet creaturæ. Unde illapſus ad animam addit aliquid ad præſentiam. Sic itaque ratione hujus immenſitatis humanum eſſe, eſſe Divino in quo continetur, ſic copulari potuit; ut utriuſque naturæ eſſet unum ſuppoſitum. Ita ut natura humana præveniretur

quo-

(a) Teſtimonium paulo ante recitatum eſt ex Serm. 2. in Annuntiat. B. Mariæ num. 1.

(b) De hoc fuſe S. Bernardus Serm. 3. in Vigil. Nativ. Domini a num. 8. ad 10.

(c) Orthod. Fid. lib. 1. cap. 12. & 15.

quodammodo, & non in ſuo, ſed in Divino ſuppoſito ſuppoſitaretur, & eſſet idem ſuppoſitum utriuſque naturæ; Divinæ æternum; humanæ novum. Non ergo ibi alius Deus, alius homo, ſed idem ſuppoſitum utramque formam habens, Divinam & humanam. Deus propter formam Dei; homo propter formam hominis. Sicut pomum album eſt propter albedinem, dulce propter dulcedinem. Non poteſt hoc forte fieri, in naturis creaturarum, ut una alteram ſuppoſitet; id eſt, ut Angelus homo fiat, quia ſeparatæ perfectionis ſunt & diſparatæ, & nulla alteram perfecte continet, nec una habet immenſitatem. Sunt ergo perfectiones particulares repugnantes: Deus autem perfectio univerſaliſſima eſt, nulli repugnans perfectioni. Unde adverte, quod ſint tres uniones in mundo maximæ. Prima eſt perſonarum in una natura: hæc maxima & particularis eſt. Secunda eſt naturarum in una perſona. Tertia eſt animæ & corporis in uno homine, quæ etiam mirabilis eſt. Unde P. Auguſti-
(a) nus (a) *in libris de Civitate Dei* large deducit; quod, ſicut videtur impoſſibile naturas tam diſtantes, animam & corpus ſic uniri, ut faciant unum; verum, quia confectum eſt, non miramur: ita non mirandum eſt Deum homini potuiſſe uniri: maxime, quia anima non continet corpus, ſicut Deus hominem continet.

VII. Hunc tamen modum unionis Deus ad nullam aliam creaturam habuit, neque habebit; poſſet tamen quamlibet ſibi ſic unire. An vero omnem ſimul, ut eſſent Deus omnia, dubium eſt. In hac unione non eſt compoſitio, non eſt mixtio, non eſt confuſio naturarum, ſed ſuppoſitatio unius naturæ in ſuppoſito alterius. Quod poteſt optime declarari per inſertionem qua una planta trunco alterius inſeritur: ſic humanitas Divino trunco adjuncta eſt. Et ſicut ibi eſt communatio proprietatum iſtarum plantarum, ut patet in melocotone habente colorem, magnitudinem, ſaporem mixtum, ita in mirabili hac unione communicantur idiomata ſeu proprietates utriuſque naturæ; ut homo Creator infinitus dicatur; & Deus paſſus & mortuus. Jaco-
Jacob 1. bus: *Suſcipite in manſuetudine inſitum Verbum*. Poteſt etiam hæc unio exprimi, per unionem accidentis ad ſubjectum tribuentis illi denominationem: & ita Chriſtus, propter duplicem formam Dei & hominis, Deus & homo eſt. Apoſtolus: *Qui, cum in forma*
Philip. 2. *Dei eſſet... formam ſervi* accepit. Poteſt etiam per habitum, vel indumentum explicari: ut Deus indutus carne, veluti habitu di-
Ibidem. catur. Et ita exponit Apoſtolus: *Habitu inventus ut homo*. Unde Deus veſtivit Virginem gratia: Virgo veſtivit eum carne. Hæc eſt illa veſtis polymita talaris Joſeph, qua a ſuis fratribus ſpoliatus eſt, & nudatus eſt: & qua oſtenſa patri, ait ille: Fera peſſima devoravit Joſeph. Fratres Judæi Chriſtum ſua tunica talari ſpoliaverunt in cruce. Hoc illud indumentum eſt, quod ipſe Joſeph in manibus adulteræ dimiſit, nolens ſtupro conſentire; id eſt, Chriſtus in manibus adulteræ ſynagogæ, nolens peccatis eorum acquieſcere. Veſtis polymita gratiarum, varietate donorum, virtutum &c. candida, in viſceribus Virginis, in telario, manibus Spiritus ſancti contexta. De ſecundo: quare factum eſt hoc, cur Deus homo? Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Intellexi; quoniam non poteſt homo operum Dei reperire rationem, quanto minus tanti operis? Quæ enim ratio, ut Deus fiat homo pro creatura? ut Deus moriatur pro vermiculo? Pereat homo, pereat mundus; & Deus nec modicum patiatur detrimentum. Vere, ſi ratio conſulatur, ſtultitia eſt. Quis coegit te Domine facere hominem? Item, perditum redimere quis compulit? Item: erant alii modi plures. Dimittas peccatum. Quid? Nonne poſſes tuam offenſam dimittere? Quis tibi dicet: Cur ita facis? Item: poterat Deus acceptare ſacrificium ab Adam pro omnibus, ſicut pro omnibus acceptavit offenſam. Poterat illum deſtruere, & alium formare de limo innocentem, ut prius. (b) (b)

Gen. 37.

Ibid. 39.

Rom. 11.

Eccle. 8.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS
B. MARIÆ VIRGINIS
CONCIO QUINTA.

MARIA HORTUS CONCLUSUS, SPONSA ET SOROR, ET FONS SIGNATUS.

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.
Cant. 4. v. 12.

* CONCIO CXXXV.

I. DUm cogitarem mecum quid in laudibus Sacratiſſimæ Virginis poſſem dicere, quod tantæ dignitati & veſtræ expectationi reſponderet vel a longe: res ardua & inattingibilis videbatur, non ſolum mihi elingui & indocto, verum etiam cuilibet quamvis ſapienti & eloquenti. Quis enim tantam majeſtatem laudibus æquare vel attingere præſumat? Occurrit hæſitanti mihi conſilium, ut recurrerem ad ſponſum, qui ſolus poteſt dicere virtutes & excellentias, quas in Virgine ſolus ipſe plantavit. Hic laudator, ipſe plantator, ipſe conditor, ipſe creator laudet pulchritudinem ejus, qui eam fecit tam decoram. Occurrebant multa ex inſignibus laudibus, quibus mirificæ ſponſus in Canticis Canticorum eam com-

(a) De Civit. Dei lib. 10. cap. 29. num. 2.

(b) Eadem habes Concione 7. de Chriſti Nativitate.

commendat; ſed ex omnibus illud præſtans & illuſtre præconium mihi viſum eſt, quod ſumpſi pro themate: *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Quid brevius, quid compendioſus, quid ſublimius? Quid in ſumma dici potuit, quod magis rem ipſam explicet, magis attingat, quam hoc Spiritus ſancti breve eloquium? Quomodo melius potuit ejus mirifica dignitas efferri, quam dum inperſcrutabilis, inacceſſibilis, ſignata, concluſa, abſcondita, impenetrabilis, inneffabilis dicitur, etiam ab ipſo Opifice, qui eam optime noverat, quam fecit; nec potuit melius de ipſa dici: quam ſi dicatur penitus indicibilis. Sed agite, Fratres mei, attendite diligenter, ut evolvamus eodem Spiritu moſtrante hoc involucrum ſigillatum, ſi quo modo poſſimus aliquid attingere. Et quoniam ſigillatum & concluſum eſt myſterium: oremus prius ipſam Genitricem, ut ſigillum aliquod aperiat, & lucem emittat ad hoc exponendum; offerentes ei.

Cant. 4.

AVE MARIA.

II. Totus ſermo erit thematis expoſitio. Ut, ſcilicet, videamus: quid per ſingulas iſtas particulas ſponſus inſinuet. Quomodo ſcilicet, *Virgo, hortus* eſt: quomodo *concluſus:* & quare bis *concluſus*. Item: quomodo *ſoror* & *ſponſa:* cum in nulla lege licitum ſit contrahere cum ſorore. Item: quomodo *fons*: & quare *ſignatus*, & quibus ſigillis. Latiſſimus campus eſt, & quem percurrere nequeat, etiam quantumvis celerrimus intellectus. Inter ortum & alias hæreditates triplex differentia reperitur. Prima eſt: quod alia quæcumque hæreditas diligatur utilitatis gratia, & propter fructum. Hortus vero, non ſolum propter utilitatem, ſed propter delicias, propter amœnitatem, & propter pulchritudinem amatur. Plantamus vineam, ut ſuo fructu ſiti noſtræ ſuccurrat; plantamus hortum ut in eo delectemur, deliciemur & quieſcamus. In aliis hæreditatibus fructus quæritur: in horto vero præter fructum, quæritur delectatio. Per alias hæreditates neceſſitati noſtræ familiæ ſubvenimus: per hortum vero propriis laboribus & triſtitiis ſuccurrimus. Hæc prima differentia eſt. Secunda eſt: quod unaqueque hæreditas, unum faciat fructum: hortus vero multiplicem. Non eſt deliciosus hortus, in quo non eſt varietas florum, & diverſitas fructuum. Terra panem præbet, vinea vinum: hortus vero non unicum ſed multiplicem reddit fructum; multa gaudet varietate. Tertia differentia eſt in clauſura. Alias hæreditates aggere vel ſepe circumdamus propter beſtias: hortum vero muro vel altis parietibus. Si quis vineam tetigerit, uvas ſurripuerit, patimur: ſed hortum, nolumus ut aliquis tangat. Dominus quiſquam alias hæreditates ſuis committit, & elaborandas & cuſtodiendas; horti vero ipſe cuſtos eſt, ipſe accipit clavem, tulipam ſi quis tantum unam decepſerit, pupillam putat oculi ſui effoſſam; tenerrime enim diligitur hortus, qui vitam facit ſuavem. Sunt & nonnullæ aliæ differentiæ: nam hæreditas in agro, hortus in domo: hæreditas manu ſervorum plantatur, hortus manu Domini, &c. In ampla Domini poſſeſſione ſic ſe habet Virgo ad alios Sanctos, ſicut hortus ad hæreditatem. Ipſa ſola Domini hortus propriiſſime eſt. Alia quæcumque anima eſt veluti hæreditas. Primo: quoniam omnis dignitas alicui Sanctorum collata, & omnis gratia, per quam factus eſt in domo Dei inſignis, ei data eſt propter utilitatem: ut ſcilicet familiæ Dei per illam proſit, familiam Dei per illam nutriat & foveat. Apoſtolus: *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.* Et ad Epheſios: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores; ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Et alio loco: *Diviſiones gratiarum* multæ *ſunt. Alii quidem per Spiritum* ſanctum *datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum. Alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia ſanitatum in uno Spiritu. Alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.* Et ad quid? *Unicuique*, inquit, *datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem*, ſcilicet Eccleſiæ. Sic enim Moyſi collata eſt prudentia ad regendum populum. Paulo collata ſapientia verbi ad convertendas gentes per ſuam prædicationem. Petro poteſtas clavium ad peccata remittenda &c. Scilicet, ut omnes populo Dei ejuſdem familiæ per differentes gratias & dona varia, varie deſerviant.

1.Cor.12.

Epheſ. 4.

1.Cor.12.

III. Sed hæc ſingularis Virgo in delicias Domini ſui creata eſt: *Facta eſt ut hortus voluptatis.* Cæteri magnificati ſunt ad utilitatem familiæ; iſtam Virginem condidit & mirificavit Deus ad ſolatium ſui. Alios propter alios, iſtam propter ſe plantavit Deus. O quanta iſta laus horti! O quam ſingulare præconium! *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Sed, ut ait S. P. Auguſtinus (*a*), propter ſuam bonitatem, non propter ſuam utilitatem. Non eſt ubi clarius appareat vel reluceat hoc ſicut in Virgine. Hanc in Matrem ſuam, in domum ſuam, in habitationem ſuam elegit & formavit, ut in ea, & ex ea faceret ſe hominem ipſe, qui omnia fecit propter hominem. Audi

Ezec.36.

Prov.16.

(*a*)

Pſal-

(*a*) Confeſs. lib. 13. cap. 2. *Ex plenitudine quippe bonitatis tuæ creatura tua ſubſiſtit, ut bonum, quod tibi nihil prodeſſet, nec de te æquale tibi eſſet, tamen quia ex te fieri potuit, non deeſſet.*

Pſal.86. Pſalmiſtam: *Homo* factus *eſt in ea: & ipſe fundavit eam Altiſſimus*. In hoc fundavit eam, & propter hoc, ut ſe faceret ex ea hominem, qui eſt penitus infactibilis. De-
Pſal.91. lectaris Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultas: ſed non ſicut
Eccli.24. in horto requieſcis, ut ipſa ait de ſe: *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*.
Gen. 3. O vere paradiſus deliciarum, in quo deambulat Deus ad meridiem, in ipſo fervore charitatis! O vere beatus hortus, cujus tam
Lucæ 1. glorioſus extitit fructus! *Benedictus enim fructus ventris tui*. Hoc eſt quod ait Pater de Filio: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*. Hoc ait Filius ad Ma-
Cant. 7. trem: *Quam pulchra es*, inquit, *& quam de-*
Ibid. 6. *cora chariſſima in deliciis*. Et iterum: *Pulchra es amica mea, ſuavis & decora. Amica*
Ibid. 2. *mea, columba mea formoſa mea:* ſpecioſa facta es, & ſuavis in deliciis tuis Virgo decora, in qua mihi bene complacui, in qua requievi. Hinc etiam & ipſa invitat eum
Ibid. 5. in Canticis dicens: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum*. Secundo: etiam differt ab aliis, quia in unoquoque Sancto una potiſſimum reſplendet virtus; aut ſi plures: non ſicut in Virgine, in qua Deus omnes congeſſit Sanctorum virtutes in gradu heroico.
Pſal.44. Pſalmus: *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato: circumdata varietate*. Et iterum: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*.
(*a*) Bernardus (*a*): Hortus deliciarum nobis ſacratiſſimus tuus uterus o Maria: quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus, quam magna multitudo dulcedinis toto orbe inde affulſit. Sed etiam *hortus concluſus* tu es Dei Genitrix: ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit. Tu ſanctorum areola aromatum a cœleſti conſita pigmentario, virtutum omnium ſpecioſis floribus delectabiliter vernans. Inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te o Excellentiſſima. Hi ſunt quorum
Jo. 12. odore ſuaviſſimo totam domum Domini reples, o Maria, viola ſcilicet humilitatis, lilium caſtitatis, roſa charitatis. Merito de radice tua Flos ille ſpecioſus præ filiis ho-
Iſaiæ 11. minum egreſſus eſt; ſuper quem requievit Spiritus Domini. Et cui te aſſimilabimus Mater pulchritudinis? Vere paradiſus Dei
Gen. 2. tu es: quia lignum vitæ mundo protuliſti, de quo qui manducavit, vivet in æternum. Tertio: alii quantumcumque ſancti exſtiterunt, non ſic circumdati ſunt, ut non eos

A tetigerit aliquomodo beſtia agri, ſaltem in veniali peccato. Quis ſanctior Joanne? qui de ſe ait: *Si dixerimus quoniam peccatum non* *Jo. 1.*
habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Sed Virgo Sacratiſſima nec levi contagione peccati tacta eſt. Nam, ut ait S. P. Auguſtinus (*b*), non ſolum non (*b*)
peccavit, ſed nec peccatum cogitare potuit. Prorſus non tetigit eam Abimelech, id eſt *Gen. 26.*
Satan: fuit enim illi Dominus *murus* & *an-* *Iſaiæ 26.*
temurale, juxta illud Prophetæ Iſaiæ: *Urbs* *Ibidem.*
fortitudinis noſtræ Sion, Salvator ponetur in
ea murus & antemurale. Muro eam circum-
B dedit, confirmando eam in gratia, ne omnino poſſit cadere in peccatum: & antemurale circumdedit, præſervando eam ab originali. Confirmatio ergo & præſervatio murus & antemurale fuerunt in Virgine. Si-
quidem prævenit eam in benedictionibus dul- *Pſal.20.*
cedinis. Et ut nec a longe quidem murus ejus invadi poſſet a ſerpente antiquo, adhibuit & antemurale, ut nec leves motus ſurrepere poſſent in Virginis ſenſualitatem. Hoc eſt ergo quod dicitur in themate: *hortus* *Cant. 4.*
concluſus, ſcilicet, contra peccatum muro præſervationis; & iterum, *hortus concluſus:*
C muro confirmationis. Ecce primum ſenſum.

IV. Poſſet ſecundo etiam intelligi iſta litera, de occulta & inacceſſibili gloria Virginis. Ut intelligatur *hortus concluſus:* quoniam multitudinem divitiarum ſpiritualium & gloriæ, quas Deus poſuit in Virgine, intellectus humanus nequit apprehendere. Abyſſus enim profunda eſt Virgo, & myſteriorum & virtutum. Nec penetrare poterit quiſpiam, aut myſteria quæ in ea impleta ſunt, aut virtutes quæ illi collatæ ſunt a Deo. Bis ergo *hortus concluſus* eſt: & pro-
pter abyſſum myſteriorum, & propter abyſ-
D ſum virtutum. Quis enim æſtimare poterit ſacramenta, quæ in iſto ſanctuario ſub velamine illo carnis latent, & celebrata ſunt? Diſcurre a principio mundi, vide legis figuras, lege ceremonias, lege ſacrificia, lege prophetias: in his Virgo prænuntiatur, in his Virgo præfiguratur, & omnis veritas ſub Virgine latuit, per Virginem patuit. Ipſa *Gen. 2.*
enim paradiſus deliciarum, in quo poſitus eſt homo ſecundus Adam de cœlo ad operandum & cuſtodiendum illum: ipſa arca *Ibid. 7.*
Noe, in qua ſalva facta eſt generatio ſæcu- *Exod. 3.*
li: ipſa rubus Moyſi ardens non combuſtus: *Judic. 6.*
E ipſa vellus Gedeonis: ipſa arca Teſtamenti: *Exod.34.*
ipſa urna manna: ipſa templum Dei ſa- *Heb. 9.*
crum: ipſa altare: ipſa virga florens Aaron: *Pſal. 10.* *Exod.30.*

ipſa

(*a*) Teſtimonium hoc, quod uſque ad ea verba: *De quo qui manducavit vivet in æternum*, extenditur, non eſt S. Bernardi, ſed Ekkeberti in Sermone panegyrico ad B. Virginem Deiparam num. 4. idque teſtatur Richardus a S. Laurentio, ut notat Mabillonius, qui Sermonem hunc inter ſpuria S. Bernardi opera collocavit, vol. 3. pag. 763.

(*b*) Hoc ipſum teſtimonium alibi etiam adducit S. Orator, nimirum Conc. in Dom. Paſſionis, & Conc. de Immac. Concep. Virginis, licet non iiſdem ſemper verbis; illud tamen inter Opera S. P. Auguſtini invenire numquam potui. Idem porro accidiſſe video Ferdinando Salazar, nam in Defenſ. pro Immac. Concep. pag. 401. col. 1. Editionis Pariſ. an. 1625. relatis ex Philippo Diez laudatis Auguſtini verbis, ſubdit: *Illa tamen in Auguſtino nanciſci non potui*. Ita vero ea proponit Diez in ſumma Prædicantium tom. 2. ſub tit. Mariæ Sacratiſſimæ Conceptio. *Hinc Beatus Auguſtinus incunctanter clamat: Charitas feciſti, ut Maria non ſolum non peccaret, ſed nec peccatum cogitare poſſet. Et ſuper cunctos reſervaſti ab omni labe peccati.*

ipsa petra de qua educta est aqua &c. Quid ultra dicam? deficeret dies, antequam copiosissima Virginis arcana finirentur. S. P. N. Augustinus (*a*): Joseph fili David: ille Deus qui scripsit mirabilia in lege sua; ipse fecit mirabilia in conjuge tua. Quod legisti in libris tuis, aspice in Maria oculis tuis; ut digne dicas canticum David patris tui: *Psal.47.* *Sicut audivimus*, ita & *vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri*, quam fundavit Deus in æternum. Ipsa certe lex. Qui ergo verba ipsa sine stylo sculpsit in tabulis; similiter sine stylo ipse, Verbum æternum sculpsit digito Dei, id est, Spiritu sancto, in Virgine sine virili opere. *Jo. 6.* Et qui produxit panem in eremo sine aratione, ipse imprægnavit Virginem sine corruptione. *Num.17.* Et qui fecit virgam sine folio germinare, ipse fecit filiam David sine semine generare. Quod ergo legisti in legibus tuis, aspice in Maria oculis tuis. Est etiam Virgo *hortus conclusus* virtutum & gratiarum. Aliorum enim Sanctorum gloriam & gratiam, quæ pro multorum utilitate illis tributa est, voluit Deus fieri manifestam illis pro quibus dabatur: ut, quæ pro publica utilitate tribuebatur, publice ab omnibus cognosceretur. Virgo autem illi soli in secreto placuit, *Psal.44.* propter quem formata est. Ideo ait: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*. Et ipsa in Canticis: *Nolite me considerare quod fusca sim*. Nolite me despicere, si non suscito mortuos, si non curo leprosos, si non mea umbra curo infirmos, si alia miracula non ago: *Quoniam decoloravit me sol*. Non est opus istis fucis coloribus illi, qui novit secreta mei cordis. Ipse qui me condidit, scit quam magna sim, & quam pulchra: & non eget exterioribus istis testimoniis. O quam velata, quam secreta erat excellentia ejus, quæ sicut alia puella inter mulieres conversabatur in mundo! Nesciebat mundus qui flores laterent in horto: quoniam *hortus* erat *conclusus*. Latebat Virgo in *Nazareth: hortus, in flore:* sic enim interpretatur, *Nazareth*, id est *flos:* incognita hominibus, sed Angelis manifesta, Deo gratissima. O quantus thesaurus ibi erat! O quantæ divitiæ! Sed mundus ignorabat delicias horti: quoniam *hortus conclusus* erat. Ignorabat ille Natha- *Jo. 1.* nael qui dicebat: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Sed noverat ille, qui misit Ange- *Lucæ 1.* lum suum in *Nazareth ad Virginem*. Sed ad quid misit? Attendite: Pater eam Filio suo accepit in sponsam, Filius in matrem, Spiritus sanctus in habitationem, ut sit totius Trinitatis sanctum domicilium, sacratus thalamus. Ecce igitur secundus sensus literæ: quo ostenditur latens mysteriorum sylva, & latens etiam virtutum gloria in Virgine. Quasi ergo commendans & admirans ejus

A excellentiam ipse Conditor ait: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.*

V. Est etiam alius, & tertius sensus literæ, secundum quem potest intelligi *hortus conclusus:* loquendo de clausura virginitatis. Et bis *conclusus:* quia virgo ante partum, & virgo post partum. Vel bis *conclusus:* quia virgo mente, & virgo corpore: sancta corpore & sancta spiritu. Sunt enim *Mat.25.* virgines quædam fatuæ, quæ satis se fecisse putant, si corpus a corruptione servaverint, non custodientes animam ab illecebra: similes sepulchris dealbatis: exterius lucent *Ibid.23.* B corporis integritate, interius fœtent desideriorum fœditate: claudunt ostia corporis hominibus, aperiunt ostia cordis dæmonibus: nolunt cum hominibus fornicari, sed patiuntur fornicari cum dæmonibus. Non est talis hortus Deo gratus, qui non est corpore & animo conclusus. Virgo Dei Genitrix utrobique concluſa est: & sicut Dominus in figura præcepit Moysi; ut arca interius & *Exod.25.* exterius deauraretur; sic etiam in Canticis sponsus ait: *Ecce tu pulchra es amica mea,* *Cant. 1.* *ecce tu pulchra es*: ut duplicem, corporis scilicet & animæ ostenderet pulchritudinem. C Hanc clausuram significabat Propheta Ezechiel, dicens: *Convertit me*, Dominus *ad* *Ezec.44.* *viam portæ Sanctuarii, quæ respiciebat ad orientem; & dixit ad me: Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa*. S. P. N. Augustinus (*b*) *Sermone decimo octavo de Tempore:* (*b*) Quid est, inquit, *porta* in domo Domini *clausa*, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, homo *non transibit per eam*, nisi quia Joseph non cognovit eam? Et quid est, quod Dominus solus intrat & *ingressus* D *est per eam*, nisi quia Spiritus sanctus imprægnavit eam? Et quid est, *erit clausa* in æternum, nisi quia Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum? Dicat ergo Maria, porta facta sum cœli, janua facta sum Filio Dei. Illi facta sum janua clausa, qui post suam resurrectionem *Jo. 20.* ad discipulos suos clauso cœnaculo ostii ingressus est claustra. Hæc P. Augustinus. Et iterum (*c*) *Sermone secundo de Tempore:* De (*c*) Mariæ inquit generatione dicitur: *Porta erit clausa:* & tamquam si interrogaretur, cur aperta non esset, adjecit: Quia *Dominus* E *Deus Israel ingressus est per eam*. Et quid est porta clausa, nisi signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas? Non enim est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu. Notandum etiam in hac Ezechielis prophetia, quod porta illa Sanctuarii clausa, *respiciebat ad orientem:* & quod so- *Ezec.44.* lus, *Dominus Deus Israel ingressus est per eam*, ad offerendum sacrificium. Et quæ

(*a*) Testimonium hoc, licet non iisdem plane verbis expressum usque ad ea: *Aspice in Maria oculis tuis*, desumptum est ex Sermone 195. num. 6. in Append. novis. edit., olim de Sanctis 18., & post in Append. 25.

(*b*) Sermone paulo ante allegato num. 1.

(*c*) Serm. 234. in Append. novis. edit., alias de tempore 6. num. 1.

porta hæc orientalis, niſi Virgo, per quam totum lumen mundo refulſit? An non orientalis quæ genuit Solem juſtitiæ; ex te enim ortus eſt Sol Juſtitiæ Deus noſter. Per hanc ſolus Princeps & Sacerdos Chriſtus ingreſſus eſt mundum ad offerendum ſacrificium, id eſt, mortem ſuam in cruce: ad offerendum Domino venit in mundum. De hoc Sacer-
(a) dote, & porta orientali, ait Hieronymus (a) *adverſus Jovinianum:* Chriſtus Virgo: Mater Virginis noſtri Virgo perpetua, Mater & Virgo, ad quam Jeſus clauſis ingreſſus eſt oſtiis. Hæc eſt porta orientalis, ut ait Ezechiel, ſemper clauſa & lucida, operiens in ſe, vel ex ſe proferens Sancta Sanctorum: per quam Sol juſtitiæ & Pontifex noſter ſecundum ordinem Melchiſedech ſolus ingreditur & egreditur. O felix porta! per quam Deus ingreſſus eſt mundum, & per quam homo ingreditur cœlum. Porta cœli & porta mundi. Per hanc portam Deus ingreditur mundum, per hanc juſtus ingreditur cœlum; omnibus facta eſt porta Dei Genitrix.
Gen. 28. Nemo confidat ingredi cœlum, niſi per iſtam portam. Vere *non eſt hic aliud niſi Domus*
(b) *Dei, & porta cœli.* Bernardus (b): Dulcis Dominus, dulcis Domina, quia ille Dominus meus, miſericordia mea: hæc Domina miſericordiæ porta. Ducat nos Mater ad Filium, Filius ad Patrem. Hoc eſt, quod mihi videtur ſonare prima pars thematis:
Cant. 4. *Hortus concluſus.*

VI. Ad ſecundum accedamus nempe: *ſoror mea ſponſa.* Si *ſponſa*, quomodo *ſoror*; ſi *ſoror*, quomodo *ſponſa?* Spirituale connubium non impedit ſpiritualis affinitas, ſed potius agit. Sed aliter *ſponſa*, aliter *ſoror* eſt. *Soror* natura, *ſponſa* gratia. Sororem efficit ſimilitudo naturæ; ſponſam ornatus gratiæ. Quod mea *ſoror* ſis, fecit hæc caro qua me induiſti, per hanc enim factus ſum filius patris mei David. Veſtiſti ergo me carne, & factus ſum frater tuus, qui eram Creator tuus. Veſtivi te gratia, & facta es *ſponſa* mea, quæ eras creatura mea. Quamvis Virginem non ſola ſimilitudo naturæ fecit ſororem (hæc enim omnibus eſt communis cum Chriſto) ſed ipſa vitæ & morum conformitas cum Filio, quæ paucis eſt conceſſa.
Jo. 20. Qui non dedignatur diſcipulos vocare fratres; nihil mirum, ſi dignetur matrem vocare ſororem. Sed, ut breviter aliquid attingamus de hoc ſponſorio, cujus facimus ſolemnitatem; advertendum eſt, quod magnates & principes, non perſonaliter ac præſentes, ſed per internuntium ſoleant deſponſari propter diſtantiam locorum. Et ille paranymphus ſive legatus, ſolet ſponſi potentiam, genus, & divitias apud ſponſam magnificare, ut facilius habeat conſenſum. Sic etiam in hoc ſolemni matrimonio, noluit Deus incarnari Filium ſuum de Virgine ſine conſenſu ipſius Virginis; quoniam ipſius incarnatio matrimonium quoddam fuit, quod requirit conſenſum. Chryſoſtomus (c) interim Virgini reſpondens ore Angelico: Noli, inquit, de facto dubitare, noli de modo inquirere o Maria Virgo *quomodo fiet iſtud?* *Luc.* 2. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* Ipſe ſcit modum, ipſe faciet: ſed tu aſſentire, & eris benedicta. Mittitur ergo cœleſtis Paranymphus, qui Virginis requirat conſenſum: Non eſt, inquit, o Virgo quod tardes conſentire. Sponſus iſte potentia, & genere, & divitiis omnibus præſtat. Nam, ſi potentia quæritur: *Hic erit magnus.* Si genus: *Filius Altiſſimi vocabitur.* Si divitiæ: *Dabit illi Dominus Deus, ſedem David Patris ſui, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Conſentire ergo te oportet & eris ſuper omnes feminas benedicta, ſuper omnes creaturas exaltata. Sed videamus, quomodo Angelus vera nuntiare venit. O cœleſtis Paranymphe, ſic volo te bona ſponſi laudare, ut tamen vera prædices.

VII. Videamus ergo, quando iſte ſponſus *magnus* fuit in iſto ſæculo, quando *Filius Altiſſimi* vocatus, quando ſedit ſuper thronum David, quando habuit ſceptrum, quando pompam regni & famulatum vidimus. Non ſic eum vidimus, ſed vidimus parvum & contemptibilem, *noviſſimum virorum; unde nec reputavimus eum.* *Iſaiæ* 53. Non vocatur *Filius Altiſſimi*, ſed filius fabri. Non vidimus regia majeſtate fulgentem, ſed paupertate & *Mat.* 13. inopia afflictum, non habentem ubi reclinet caput ſuum, de alienis eleemoſynis viventem. Si dixiſſes: *Hic* eſt *magnus, & Filius Dei*, & Rex: nullus ambigeret, quoniam de divina natura te loqui conſtaret, ſecundum quam, vide quam magnus ſit: *In prin-* *Jo.* 1. *cipio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. In ipſo vita erat.* Ambroſius (d): Ma- (d)
gnus erat; & fieri parvus veniebat & infantulus, ut tu vir poſſis eſſe perfectus. Ille involutus pannis, ut tu mortis laqueis ſis abſolutus. Ille in præſepibus, ut tu in altaribus. Ille in terris, ut tu in cœlis. Ille lo- *Lucæ* 2. cum in diverſorio non habebat, ut tu plures haberes in cœleſtibus manſiones: qui cum *Jo.* 14. dives eſſet, propter vos pauper factus eſt, ut illius inopia vos ditaremini. Meum ergo paupertas illius patrimonium eſt, & infirmitas Domini mea virtus. Maluit ſibi egere, ut omnibus abundaret. Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta

(a) Epiſt. 30., alias 50. Apologetic. ad Pammachium pro libris contra Jovinianum. Vide finem hujus Epiſtolæ, ut teſtimonium hoc loco a S. Orarore allegatum invenias.

(b) Seu potius Nicolaus Clarevallenſis Serm. 2. de Nativ. Dom. num. ult. Extat vol. 3. operum S. Bernardi edit. Mabillon. pag. 632.

(c) In Geneſim Homil. 49. poſt medium.

(d) Uſque ad ea: *Sed quod redimeris agnoſce*, S. Ambroſii verba ſunt. Expoſ. Euang. ſec. Luc. lib. 2. num. 41. & 42.

delicta laverunt. Plus igitur Domine Jesu injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus quod creatus sum: neque enim prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Alia natura carnis, alia Divinitatis gloria. Propter me infirmitas, in se potentia: propter me inopia, in se opulentia. Noli hoc æstimare quod cernis, sed quod redimeris, agnosce. Dices: Quomodo ergo ait Angelus, Hic *erit magnus? Hic* enim de nostra natura, quam recipit, visus est loqui, & non de sua. Pensate, Fratres, si Virgo non esset quæ est; si esset sicut alia quæcumque illarum sanctarum mulierum, & verba ista non spiritualiter intelligeret a Spiritu sancto illuminata; quomodo se putaret ab Angelo delusam, quando videbat ipsum afflictum in paupertate in vilipendio. O Angele Dei ubi est regnum, ubi est gloria quam promisisti? Sed noli o Virgo turbari, noli diffidere. Attende parum, expecta modicum: quoniam, *nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Expecta: exaltabitur Filius hominis a terra, & omnia trahet ad seipsum. Crescet lapillus in montem magnum totam terram coperientem: & granum sinapis super omnia olera majorabitur; adeo ut aves cœli sub ramis ejus quiescant: & vitis parva extendet propagines ab oriente usque ad occidentem.

Lucæ 1. *Jo.* 12. *Ibid.* 12. *Dan.* 2. *Mat.* 13. *Ezec.* 17.

VIII. Vide Domina, vide post mortem, vide quam magnus quam potens sit Sponsus tuus. Vide totum mundum currentem post eum. Vide Reges & potentes, vide provincias & regna, vide omnes nationes adorantes vestigia Crucifixi. Hoc prædixerat Psalmista Regius: *Et adorabunt eum*, inquit, *omnes Reges terræ, omnes Gentes servient ei.* Jam non filius fabri dicitur: sed quomodo quotidie clamat Ecclesia: *Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis.* Jam regnat in regno David Patris sui, & regnabit in æternum. Sed quæ sedes regni fuit? Potest dici, quod dedit illi Deus sedem David, quando *dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* David enim ibi spiritualiter Deus Pater intelligitur, qui est vere *Manu-fortis*, id est, *David.* Vel si magis placet, sedes David ipsa crux sancta fuit. Vide titulum super sedem: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Throni titulus ille fuit, non supplicii. Ideo David agnoscens mysterium hoc in spiritu, & zelans pro sua sede, intitulavit *Psalmum quinquagesimum quintum, quinquagesimum sextum, & quinquagesimum septimum:* ad hoc, ut non corrumpatur tituli inscriptio. Unde S. P. Augustinus in exordio dicti Psalmi quinquagesimi quinti, cui titulus: *In finem pro populo, qui a Sanctis longe factus est* ipsi *David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth:* sicut, inquit, aliquam domum intraturi, cujus sit, & ad quem pertineat in titulo inspicimus: ita in liminari Psalmi titulum illius habemus scriptum. Sed quis populus, *qui a Sanctis longe factus est ipsi David in tituli inscriptionem*, nisi plebs judaica facta longe a Christo per tituli corruptionem? *In finem*, id est, contra Christum, qui finis legis est. Et quid sibi vult, quod ad ipsum titulum adhuc pertinet, quia *tenuerunt eum Allophyli in Geth?* nisi quod Geth interpretatum Torcular, civitas quædam Allophylorum, id est, alienigenarum: Judæi recusantes Christum alienigenæ sint, & Dominum nostrum Jesum Christum natum ex semine illius David, non solum tenuerunt, sed adhuc tenent in Geth, in torculari suæ passionis, de quo apud Isaiam: *Torcular calcavi solus.* Et Apostolus: *Rursus crucifigentes Filium Dei.*

Psal. 71. *Mat.* 13. *Lucæ* 1. *Ps.* 109. *Jo.* 19. *Psal.* 55. *Rom.* 10. *Isaiæ* 63. *Heb.* 6.

IX. Scriptus ergo est quidam titulus in Dominica passione, quando crucifixus est Jesus. Erat ibi titulus scriptus *Hebraice, Græce & Latinæ* Rex Judæorum tribus linguis tamquam tribus testibus: quia in ore duorum vel trium stabit omne verbum. Istum titulum cum legissent Judæi indignati sunt, & dixerunt ad Pilatum: *Noli scribere Rex Judæorum: Sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum.* Ipsum dixisse scribæ dixerunt, non hoc esse quod dixit. Sed quia verum est in alio Psalmo: *Ne corrumpas in tituli inscriptionem:* respondit Pilatus: *Quod scripsi, scripsi;* tamquam dicens: Scripsi, non corrumpo veritatem, etsi vos diligitis falsitatem. De tituli hujus inscriptione eadem quasi habet S. P. Augustinus, initio enarrationis, in *Psalmum quinquagesimum sextum:* & tangit etiam *Psalmo quinquagesimo septimo.* Noverat ergo David, quod Pharisæi procurare debebant tituli corruptionem; noverat fallaciam: & ideo zelans pro sua sede & throno, insinuat præsidi & petit, ne permittat illum corrumpi; quando ait: Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno. Ac si diceret: dicite præsidi, petite ne corrumpat titulum: quoniam vere Rex est. Agnoscat & sciat, quod ibi est sedes regni, quoniam Dominus regnabit a ligno. Unde Isaias: *Factus est*, inquit de Christo, *principatus ejus super humerum ejus:* nempe bajulans sibi lignum crucis ad montem Calvariæ. Fecit hoc interim Pilatus licet ignorans. O quam magnifica mysteria ab ignorantibus fiebant! Attendite Fratres mei, & perpendite quæ dico: omnia quæ illi Judæi per blasphemiam & illusionem Christo fecerunt, vera erant, & ipsi ignorabant. Coronabant eum spinis, & vere coronabatur ut Rex, quem ut inimicum illusores coronabant. Nihil enim refert apud Deum ex quo corona fiat, an ex spinis, an ex auro. Similiter posuerunt in manu arundinem, & vere arundo illa sceptrum verum regni sempiterni erat. Vestitus est purpura veteri, sed vestis illa regni vestis vera erat. Affixus est patibulo, sed supra patibulum titulus regni scriptus erat: ut agnoscas, quia non rei supplicium, sed Regis solium erat crux illa. Denique: in honorem ejus cedebant,

Psal. 95. *Isaiæ* 9. *Jo.* 29. *Ibid.* 19. *Mat.* 27. *Jo.* 19. *Marc.* 15. *Jo.* 19.

bant, quem tam affectuose voluerunt vituperare; ut possimus nos dicere: *Salutem ex inimicis*
Lucæ 1. *nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.*

X. Sed jam ad verba thematis revertamur, & quod supereſt, exponamus. Scilicet: *Fons*
Cant. 4. *signatus.* Si *hortus* est Virgo, quomodo nunc dicitur *fons?* Non repugnat hoc: si enim in Virgine virtutes & dona tanquam personalia & propria consideres, *hortus* est virens; si vero easdem virtutes & gratias tanquam publicas & communes attendas, *fons* est redundans. Aut, si placet: *fons* est ute-
Jo. 4. rus Virginis, quoniam in eo fonte aqua illa viva saliens in vitam æternam continebatur.
Psal. 71. *Descendit*, inquit Psalmus: *Sicut pluvia in vellus & sicut stillicidia stillantia super terram.* Cœlestis ergo ros in utero Virginis clausus, fontem fecit ex utero, & non qualemcumque fontem; sed, ut ipse Sponsus de
Cant. 4. ea ait: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Sed *signatus* est *fons* iste, & valde *signatus:* quoniam misterium Incarnationis Verbi, in ipsa valde secretum, & inaccessibile est. An non *signatus fons*, quem nec ipse Joannes
Lucæ 3. Baptista valet attingere? Nescit enim corrigiam calceamenti, id est misterium hujus solve-
(*a*) re. Signatus ait Hieronymus (*a*) sigillo totius Trinitatis: quoniam ibi abscondita est potentia Patris, sapientia Filii, bonitas & caritas Spiritus sancti. Tota enim Trinitas hoc mysterium operata est. De hoc fonte
(*b*) Bernardus (*b*): Virgo sacratissima; fons vi-
Eccli. 24. tæ ex ore Altissimi prodivit, de medio ven-
Gen. 2. tris tui exilivit; atque in te, in quatuor capita sese dispergens, ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit, lætificans civita-
Psal. 45. tem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo,
Jo. 4. non sitiet in æternum. O quanta mundo contulisti, quæ tam salubris aquæductus esse
(*c*) meruisti! Hieronymus (*c*): Maria, inquit, *fons* est *signatus*, de quo fonte ille fluvius
Joel 3. manat, juxta Joel, qui irrigat torrentem vel funium, vel spinarum: funium peccatorum quibus antea alligabamur: spinarum, quæ suffocant sementem patris familias. Sed si placet, attende quibus sigillis sigillatus sit fons iste: valde enim signatus est. Septem
Apoc. 3. sigilla mihi videntur apposita fonti, quibus mysterium hoc in Virgine absondebatur dæmonibus, absondebatur etiam indignis & malis. Sunt autem ista quæ sequuntur, connubium sine thoro, fœcunditas sine viro, conceptio sine libidine, partus sine dolore, maternitas sine corruptione, gravidatio sine gravamine, purificatio sine labe. Hæc septem celabant in Virgine illud cœleste & admirabile sacramentum Verbi uniti ad carnem. Primum ergo signillum fuit, connubium sine thoro. Mirum enim videtur, quomodo verum fuit matrimonium, ubi virginitas integra servabatur. Secundum signillum fuit, fœcunditas sine viro. Dices, quomodo Virgo fuit vera Mater, & naturalis, & supernaturalis Dei. *Vide Conc. 2. in festo Purificationis B. V.* Tertium signillum; conceptio sine libidine. Erat præcellens & singularis illa castitas virginalis, quæ nullum titillationis motum etiam in ipsa Verbi conceptione surgentem sensit, nec fomitem habuit in quo, nec motus est talis repressus, nec fomes remissus. Quartum; partus sine dolore. Confractus est mal-
Jer. 50. leus universæ carnis. Bernardus (*d*): cessa-
(*d*) vit illa Evæ maledictio: *In dolore paries.*
Gen. 3. Hinc: Benedicta tu in mulieribus quæ illam generalem maledictionem evasisti, qua dictum est: In tristitia paries filios, & nihilominus illam: Maledicta sterilis in Israel; ac singularem consecuta es benedictioniem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. *Germinans germinabit, & exultabit*
Isaiæ 35. *lætabunda.* Soli Virgini datum est parere cum gaudio & lætitia. Quintum signillum; maternitas sine corruptione. Omnes nascimur cum injuria matrum, discerpentes & rumpentes matres. Ille autem ortu suo Matrem dignificavit, non damnificavit; virginitatem consecravit, non abstulit. Sextum signillum; gravidatio sine gravamine. Sic enim ait Euangelista:
Lucæ 1. *Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione.* Non gravabat Matrem Verbum quod omnia sustinet, sed gremio Matris portabatur sine pondere, qui sua virtute sustinet universum. *Vide Postillam in Festo Visitationis B. V.* Septimum signillum; purificatio sine labe. De quo late *in Festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.*

XI. Hic est fons, ille paradisi, de quo
Gen. 2. quatuor flumina exeunt ad irrigandam universam superficiem terræ, id est, Ecclesiæ; de quo etiam supra: cuilibet enim statui fidelium fons ille aquam præbet, qua sitim extinguat. Quatuor fluvii capitales. Primus est fluvius gratiarum pro justis. Secundus, fluvius lacrymarum pro peccatoribus. Tertius, fluvius consolationis pro tristibus. Quartus, fluvius doctrinarum pro ignorantibus. *Omnes ergo sitientes venite ad aquas,*
Isaiæ 55. venite ad fontem gratiæ, fontem lætitiæ, fontem suavitatis, fontem misericordiæ. Haurite aquas cum gaudio de fonte Salva-
Ibid. 12. toris: implete hydrias animarum vestrarum. Non minuetur fons: quin etiam & camelis
Gen. 24. gibbosis potum præstabit. Veniat ergo justus & hauriat gratiam, peccator veniam, tristis lætitiam, captivus redemptionem, æger curationem, mæstus consolationem. Veniant universi quorum arida conscientia
Jo. 1. est, & de plenitudine ejus, satientur, implean-

(*a*) Seu Auctor Sermonis de Assumptione B. Mariæ ad Eustochium, & Paulam tom. 5. pag. 89. editionis P. Martianæi. *Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cujus lumine omnes videbimus lumen.*

(*b*) Serm. in Nativ. B. M. V. per totum.

(*c*) Epist. 30., alias 50., seu Apolog. ad Pammachium pro libris contra Jovinianum. Extat in fine hujus Epistolæ testimonium hic allegatum.

(*d*) Serm. 4. in Vigil. Nativ. Dom. num. 3.

pleantur, & repleantur. Et tu Domina noſtra, conſolatrix noſtra, mediatrix noſtra, ecce omnes nos venimus ad te; currimus
Cant. 1. poſt te in odorem unguentorum tuorum. Omnes devotis mentibus & ſinceris affectibus te venerari, te laudare geſtimus. *Leva*
Iſaiæ 49. *Ibid.* 60. o Domina mea *in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filii tui de longe* veniunt & *filiæ tuæ de latere* ſurgunt: omnes veniunt ad te ſicut ad commune refugium, ſicut ad commune ſola-
Pſal. 16. tium; ſub umbra alarum tuarum ſe protegentes, de tuo favore confidentes, tota devotione ſe tibi commendantes. O quali veneratione tuam ipſius præſentiam colerent! qui quoniam te præſentem oculis corporalibus non poſſunt inſpicere: in hoc tuo ſimulacro tam devote te colunt & venerantur. Fac o Benedicta, fac o Beatiſſima, ut qui tam ardenter te colimus in præſenti: in futuro tua jucundiſſima præſentia gaudeamus, jucundemur & ſatiemur in gloria: ad quam nos perducat qui virtute Altiſſimi conceptus in utero Virginis; in ſinu Patris ſuper omnia eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN ASCENSIONE DOMINI

CONCIO PRIMA.

DE GLORIOSA CHRISTI ASCENSIONE, ET TREMENDO EJUSDEM REDITU.

Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Jeſus qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet. Actor. I. v. 11.

CONCIO CXXXVI.

I. CELEBRIS apud Romanos conſuetudo fuit, cum totius orbis Roma teneret imperium, duces ſuos qui in augendo, aut tuendo imperio ſtrenue deſudaſſent, & pro reipublicæ commodo fortiter dimicaſſent, parta de hoſtibus victoria, ſolemni decorare triumpho: ut videlicet hujus tam præclari honoris gloria, illis eſſet exhibitæ virtutis præmium, aliis exercendæ fortitudinis incitamentum. Erat autem hic triumphus omnium honorum, quos præſtare Roma poterat, maximus. Siquidem curru vectus (*a*) potenti Imperator Romanus, ingenti comitatus caterva, undique ad currum multitudine captivorum circumfuſa, procedebat ad urbem: cui longo tractu obviam graviſſimus ille ſenatorum ordo, regio cultu ornatus, & univerſa civitas cum incredibili pompa & immenſo gaudio veniebat. Arcus quoque lapideus miro elaboratus ingenio, duci Romano in honoris titulum erigebatur: cui totus bellici certaminis ordo, & victoriæ modus erat inſculptus. Sub quo Imperator cum toto illo magnifico apparatu undique clangentibus tubis, muſiciſque reſonantibus inſtrumentis, univerſo populo acclamante tranſibat. Cujus virtutes & laudes orator inſignis poſtmodum coram omni populo, indicto ſilentio, ornatiſſimo perſonabat eloquio: eratque hic dies toti Romano populo celeberrimus. Hic virtutis honos, hæc gloria triumphantis. Hoc eſt quod nunc agimus Fratres, hæc eſt ſolemnitas quam tanta devotione proſequimur. Triumphi tui gloriam Chriſte recolimus, tuos hodie celebramus honores. Quod enim tunc agebatur apud Romanos, hodie fit apud Angelos. O potentiſſime Imperator quanto hodie honore triumphas? Qua gloria, qua pompa, poſt partam de mundo & diabolo victoriam, poſt laborioſum cruentumque crucis certamen, ingenti comitatus captivorum numero, cœleſtem illam, unde exieras, civitatem ingrederis? Quis hujus diei gaudium valeat recenſere? Quis feſtivam cœleſtium Principatuum poterit enarrare lætitiam? Quo apparatu, quo faſtu hodie cœlorum cives redeuntem cum ſpolio Principem in ſua civitate ſuſcipiunt? Qua majeſtate ſacri mundi ſenatores obviam venienti, duci occurrunt? Quo honore, qua laude, quibuſve illum præconiis proſequuntur? Non exiſtimo hujus tantæ feſtivitatis, neque ipſos qui interfuerunt Apoſtolos idoneos oratores: ſiquidem a principio ſæculi uſque nunc ſimilis in cœlo non eſt audita lætitia, aut unquam celebrata feſtivitas.

(*a*)

II. Noluit autem Dominus, poſtquam victor ſurrexit ab inferis ſtatim cum gloria urbem intrare cœleſtem, ſed ad quadrageſimum diem in regna cœleſtia ſuum diſtulit ingreſſum: ut hoc temporis ſpatio reſurrectionis ſuæ veritatem evidentibus demonſtraret indiciis. Neque enim facile mundo perſuaderi potuiſſet reſurrectio mortuorum, niſi firmiſſimo teſtimonio firmaretur. His ergo diebus ſæpius Diſcipulis apparendo, cum eis comedendo, bibendo, loquendo, ſeipſum illis tractabilem exhibens, vulnerumque ſuorum *Jo.* 21. *Lucæ* 24.

(*a*) Quo apparatu Romani triumphos agerent, fuſe deſcribit Alexander ab Alexandro Gen. dier. lib. 6. cap. 6.

Jo. 20. rum cicatrices oſtendens, omni modo poſſibili cunctis ſenſibus, viſui, tactui, & auditui, de ſua reſurrectione indubitatum præbuit argumentum. Poſt hæc autem non in obſcuro aut in occulto: ſed clara luce, palam videntibus illis, non uno quidem aut duobus, ſed pluſquam centum & viginti diſcipulis, ad æthera elevatus eſt. Et non abs re: qui enim ſecreto concipi, naſci, transfigurari voluit, nulloque vidente reſurgere; publice deſtinavit aſcendere: ut dum aſcenſionis ſuæ evidentiam facit, noſtræ quoque olim futuræ, & fidem faciat, & ſpem erigat. Erat enim apud homines non minus arduus ad credendum aſcenſionis, quam reſurrectionis articulus. Tali ergo fuerat teſtimonio roborandus, ut nulla prorſus de illo poſſet hominibus dubitatio ſuboriri. Sicut namque corpus in cineres redactum, vivificari rurſus, & vitales ad auras redire, mundo impoſſibile videbatur; ita etiam carnem & oſſa ſuper aſtra locari, & rationi & philoſophiæ, & totius naturæ ordini adverſum & diſſonum penitus apparebat. Quis enim unquam philoſophorum, hoc vel præſumere, vel ſuſpicari auſus eſt? Animas hominum corporibus iſtis exutas, ſidereis locari infundique corporibus, præteritarumque miſeriarum oblitas, rurſus in corpora velle reverti, (*a*) Platonica doctrina (*a*) cenſebat; corpora vero cum ſpiritibus ad cœleſtia rapi, neque Platoni unquam in mentem venerat: quia id prorſus irrationabile, & impoſſibile videbatur. Unde cum Athenis de reſurrectione corporum, & glorificatione coram philoſophis luculenter Paulus diſſereret, nimio cunctorum riſu & ſubſannatione exploſus eſt. Non enim attendebant ſtultiſſimi homines *Rom.* 1. (*dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*) neque conſiderabant nihil in orbe impoſſibile omnium Creatori: atque in his quæ rationem exuperant, cœleſti potius oraculo, quam infirmo rationis oculo fidem habendam. Quod enim caro & oſſa, qualia nunc ſunt mortalia & ponderoſa, cœlum inhabitent aliquando, hoc fides non aſſerit, & ratio prohibet: ſed carnem cœlo præſtantiorem, digniorem, illuſtrioremque, imo ipſo etiam ſole ſplendidiorem ſuper aſtra locari, & in cœlis degere quis vetat?

III. At dicunt: Hoc impoſſibilius videtur: mortalem ſcilicet carnem aliquando ita diſponi, ut cœlo ipſo dignior, lucidiorque reddatur. Sed ſi artem, naturamque inſpiciant, hoc incredibile non videbitur. Quid enim nubis vapore deformius, quid vilius? Et tamen radiante ſole pulcherrima, ſplendidiſſimaque efficitur creatura. Quid ovium vellere abjectius, quid craſſius? ex quo tamen ars valde decora conficit indumenta. Vermium quoque bombycino filo quid levius? ex quibus omnis ſericus decor arte contexitur. Quantam etiam in metallorum materia variationem quotidie, arte & natura fieri conſpicimus? Quid ergo miraris, o philoſophe, quid rides, quid veram ſanctamque doctrinam naſo rugato ſubſannas? Ars & natura hæc poſſunt, & non poterit amplius artis naturæque inſtitutor, & conditor Deus? Rudem materiam ſic poteſt excolere ars: & humanam carnem non poterit amplius perficere ſummus & omnipotens Artifex? Noctilucæ, quam lampyridem vocant (*b*), corpori nativum ſplendorem natura indidit: & miraris quod divina potentia idem humano corpori tribuatur. Quanta fieri quotidie natura & arte cernimus, quæ niſi viderentur non crederentur? Quid magnum eſt, ſi Deo revelanti, in his etiam quæ ratio non attingit, fides adhibeatur? Quamvis neque etiam longe ſit a ratione, cum anima remunerari & carnem, quæ multarum ei virtutum in hac vita extitit inſtrumentum; fieri honoris conſortem, quæ fuit etiam ſocia laboris. Ut ergo ad cœleſtia promerenda ſperandaque noſter erigeretur affectus, oculatim Dominus voluit habere ad cœlos regreſſum; & ut latentis quoque majeſtatis foris monſtrarentur indicia: ſicut ſcriptum eſt: *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum: viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in ſancto.* *Pſal.* 67. Non credentes ergo, ingreſſus cœlorum viderunt, & videntes crediderunt.

(*b*)

IV. Sed mirum valde eſt, quod receſſurus Dominus Diſcipulos ſuos de incredulitate, & cordis duritia redarguit. Conſolandi enim magis quam increpandi tempus, & opportunitas videbatur. Quis namque receſſurus a ſuis durius agit, & non potius benevolentiam monſtrat, ut ejus ab omnibus regreſſus optetur? Sed conſulto hoc factum eſt: tum ut ejus increpatio immobilius fixa permaneat (ea enim quæ recedentes ultimo dicimus, ipſo noſtro diſceſſu amplius commendamus) tum etiam ut oſtendat utilis reprehenſionis, & fraternæ commonitionis ſemper opportunitatem adeſſe: & cum magis importuna videtur, tunc maxime eſſe opportunam. Quamquam etſi importuna videatur, ommittenda idcirco non eſt; ſed ſicut Apoſtolus monet: *Argue, obſecra, increpa, opportune, importune.* *2. Tit.* 4. Commonendi autem de ſua incredulitate, tunc temporis cum ad prædicandum gentibus fidem deſtinarentur, maxime fuerunt: ut ex his quæ paſſi ſunt diſcerent tolerantiam, propriæque hæſitationis memores, alienæ facilius indulgerent: neque mirarentur, ſi eis narrantibus non facile gentes aſſentiant, cum ipſi etiam Angelis Dominicam reſurrectionem aſſerentibus non crediderint. Supra montem ergo olivarum, unde aſcenſurus erat, Diſcipulis conſtitutis, longo eos ſermone affatur: Vidiſtis Filioli mei, grex

(*a*) Vide S. P. Auguſtinum de Civit. Dei lib. 22. cap. 27.

(*b*) Plinius Natur. Hiſtor. lib. 11. cap. 28. *Lucent ignium modo noctu, laterum, & clunium colore Lampyrides.*

grex meus, & oves paſcuæ meæ, vidiſtis vitæ meæ proceſſum, & modum, vidiſtis ſigna, & prodigia quæ in populo feci, vidiſtis vulnera, & tormenta quæ pro mundo ſuſcepi, vidiſtis acerbiſſimos dolores, & mortem quam pro mundi piaculis pertuli, vidiſtis reſurrectionem meam, & nunc quoque aſcenſionem meam videbitis: audiſtis doctrinam meam, & quæ dicere mundo Pater verba mandavit. Ite, & toti orbi, quæ audiſtis, & vidiſtis nunciate. Pandite myſteria, revelate ſacramenta, docete gentes, inſtruite populos, cæcos, & miſeros in viam
Act. 1. ſalutis & veritatis reducite. *Eritis* ergo horum omnium *mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*, prædicantes ubique Euangelium meum omni genti, & nationi, ſine exceptione ulla, Græcis, Judæis, Latinis, & Bar-
Pſ. 112. baris. A ſolis ortu uſque ad occaſum nomen
Mat. 28. meum, doctrinamque diffundite: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Nolite timere: attendite quia ego mitto vos. Ego vici mundum, & vos quoque in nomine meo ſuperabitis ipſum. Non enim veſtra virtute hæc omnia patra-
Lucæ 24. turi eſtis, ſed mea. *Sedete* ergo *in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Ecce ego
Jo. 14. mittam vobis Spiritum de cœlo Paraclitum, qui tanti vos operis idoneos miniſtros efficiet, ſufficientiam virtutemque vobis præſtabit. Audiunt læti cœleſtis verba Magiſtri: & quia jamjam recedentem videbant, no-
Act. 1. vam ei ingerunt quæſtionem: *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Scimus procul dubio, verum te eſſe Meſſiam: recedis; & nos Romanis ſubjectos relinquis? Quando ergo implebuntur Scripturæ, quæ populo in te libertatem, gloriamque regni promittunt? Quibus Dominus: *Non eſt*, inquit, *veſtrum noſſe tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Fiet quidem hæc regni quandoque reſtitutio, ſicut promiſſa eſt, non ſicut vos modo putatis: tempora vero nolite requirere, non ad vos hoc pertinet ſcrutinium; ſed magis videte, ut firmum de me apud homines exhibeatis teſtimonium.

V. Grande nobis his verbis documentum Dominus reliquit; ne divinorum ſecretorum & judiciorum ſcrutatores ſimus, nec curioſe, quæ ad nos non pertinent, inquiramus. Quanta cæcitas & ſtultitia humanas in hoc poſſidet mentes! Neceſſaria, utiliaque ſaluti, in quibus vita æterna, & gloria noſtra conſiſtit, ſcire negligimus; & inutilibus, & arduis, & quæ ad nos non pertinent quæſtionibus, curioſe vacamus. Quid Deus facere poſſit, quid non poſſit, diſcutimus: & quid nos oporteat facere, non attendimus. Inutilibus diſciplinis plenus eſt mundus, quibus dum bona implicantur ingenia, neceſſe eſt, ut in neceſſariis, & utilibus minus valeant. O Chriſtiane, poſſeſſorem non ſcrutatorem cœlorum teipſum præſtato. Motus cœli dinumeras, & motus tui cordis ignoras: influentias aſtrorum diſcutis, & paſſionum tuarum influentias non diſcernis. Quanto tibi, utilior & facilior eſt ſcientia tui, quam cœli? Quanto facilius in te deprehendere poteris ortus & occaſus vitiorum, quam in cœlo ortus & occaſus ſignorum? Quanto ſapientius ages, ſi ex aſpectu morum tuorum, futuræ tuæ beatitudinis aut damnationis indicia perquiras, quam ex aſpectu aſtrorum, de futura tibi proſperitate vel adverſitate, & rerum ſucceſſu, mendacia & vana judicia proferas? Omitte futura, quære præſentia: noli quoque tu ſcrutari judicia, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: noli humanos tranſcendere limites. Noli *ſapere* pluſquam *oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Non enim homo propter aſtra creatus eſt; ſed aſtra propter hominem. Non eſt homo in agendis, aſtris ſubditus, ſed aſtrorum dominus: liberum te creavit Altiſſimus, & tu aſtrorum te fateris mancipium? Non eſt hæc ſcientia ſed ſtultitia, ab aſtris perquirere quid agendum, ex aſtris agnoſcere quid futurum. Mirantur idiotæ & rudes aſtrologorum peritiam, ſed ſapientes eorum ſtultitiam execrantur. Quod ſi aliquando de futuris vera prædicunt, non ideo dicunt quia ſapiunt, ſed quia dæmonis, aut oraculo, aut inſtinctu loquuntur: ut juſto Dei judicio decipiantur, qui hujuſmodi ſtultitiis fidem exhibent, & in talibus vanitatibus ſuam fiduciam locaverunt.

Rom. 12.

VI. Ex priore quoque illa Domini ſententia, qua inquit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit;* quidam largam (*a*) cunctis ſperandæ ſalutis fiduciam ſpondent, dicentes: Si fides cum baptiſmo ſufficit ad ſalutem, quid ultra quæritur? Credentium quis damnabitur? Omnes credimus, omnes baptizati ſumus; non eſt cur timeat quis de ſua ſalute, cum talem a Domino habeat cautionem. Neque attendunt miſeri, quod ſtatim ſubjungitur: *Signa autem eos; qui crediderint hæc ſequentur, &c.* Ubi vivæ credulitatis traduntur indicia. Si ergo talem fidem habes, quæ ad iſta non ſolum corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter implenda ſufficiat; fateor, ſalvus eris: æternam tibi ſalutem promitto. Sed ubi, obſecro, tanta fides? Ex tam numeroſa fidelium multitudine rarus admodum invenitur, qui in horum aliquo non deficiat. Non dico, ut illa prodigia faciat, quæ in Eccleſiæ exordio a primis fidelibus facta ſunt, in quibus ad literam hoc prognoſticum impletum eſt: ſed ut ſpiritualiter dæmonia, non tam ab alieno corpore, quam a proprio corde rejiciat: expulſoque per pœnitentiam dæmone, linguis lo-

Marc. 6.

(*a*)

(*a*) Scilicet Novatores, adverſus quorum deliria paſſim Catholici Theologi inſurgunt.

loquatur novis, confeſſionis videlicet & laudis: lingua enim nova, confeſſio criminis, lingua quoque nova, confeſſio laudis. Utraque lingua mutus eſt, qui hoſpitem pectoris Satanam nondum expulit. Mortiferas deinde venenataſque peccatorum paſſiones extinguat, quæ ſerpentino morſu animam enecant: a quibus, etſi quandoque mortiferum quid guſtaverit, minime lædatur: quia etſi adeſt ſenſus, abeſt tamen conſenſus; hujuſmodi namque venena in vita præſenti non guſtare, impoſſibile eſt. Sed ut Apoſtolus inquit: *Nihil damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto: qui* etſi carnem ſentiant, non tamen *ſecundum carnem ambulant*. Demum vero, cum fixam permanentemque in ſeipſis ſanitatem perſenſerint, intimo charitatis affectu ſuper ægros morti proximos, conſulendo, corripiendo, commonendo, manus imponant, ut ſanentur. Si quis hujuſmodi eſt, qui ita crediderit, & baptizatus fuerit, fateor, ſalvus erit. Qui autem ſola fide ſine operibus conſequi a Domino ſalutem expectat, ſimilis eſt famulo ſtertenti, qui ſe laborantibus imprudenter adjungit ad præmium, hac ſola innixus fiducia, quia illius Domini famulus eſt.

Rom. 8.

VII. Sed jam ad hiſtoriam redeamus. Cum hæc & ſimilia Dominus ad ſuos Diſcipulos loqueretur: ſacer ille Angelorum ſenatus cœlo demiſſus, ingenti multitudine aera repleverat. Aſtant ſurſum cœleſtis Jeruſalem Principes, auro inſignes & oſtro, Regis Domini exitum præſtolantes. Rutilat etiam deſuper triumphalis currus, grandi decore purpureos radios emittens. Eia Princeps gloriæ, cœleſtia te agmina quærunt, expectat te civitatis ſupernæ omnis authoritas. *Surge in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ*. Arca, inquam, corporis tui ſacra, unde redemptionis humanæ pretium ſolutum eſt, unde tot mundo Sacramentorum divitias edidiſti. Arca, inquam, illa fœderis in qua ſapientiæ & ſcientiæ Dei theſauri reconditi ſunt. Hanc tecum ad cœleſte tabernaculum arcam deferto, hanc ſuper Angelorum vertices, in illo Sancta ſanctorum æterno, ad Patris dexteram collocato: ut particeps tecum gloriæ ſit, quæ fuit etiam conſors contumeliæ: & majeſtatis throno reſideat, quæ pro mundi ſalute pependerat in patibulo. Quondam, cum Eliſeum Prophetam Regis Syriæ ſatellites circumdarent, timenti ejus puero, apertis animæ oculis, divinitus ignitorum curruum ingentem multitudinem Deus oſtenderat, quæ domino ſuo Prophetæ venerat in favorem. An putas & nunc Apoſtolico cœtui coruſcantem deſuper potentiam, examinaque Angelorum circumvolitantia Deus quoque non revelavit? Multo namque plures currus Domino Prophetarum aſcendenti obviam venerant, quam olim fuerant cum Propheta. De quibus mirabiliter Pſalmiſta intonuit: *Mons Dei, mons pinguis. Mons coagulatus, mons pinguis*. Et quomodo coagulatus? Quomodo pinguis? *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium Dominus in eis in Sina in ſancto*. Hac tripudiantium curruum multitudine mons ille olivarum aſcendente Domino coagulatus ſcatebat: ſicut olim cum Eliſeo apparuerat mons Samariæ. Unde ſequitur: *Aſcendiſti in altum, accepiſti dona in hominibus*: ut liqueat, quia de Domini aſcenſione loquatur. Propter quod de eadem quoque ſubjungit: *Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in ſancto*. Ingreſſus, inquam Regis Domini ad cœleſtia regna cum gaudio triumphantis. Quorum autem hujuſmodi currus extiterint, advertito: *Conjuncti ſunt principes* Angelorum *pſallentibus in medio juvencularum*, id eſt, animarum *tympaniſtriarum*. His enim duabus turmis, Angelorum ſcilicet & animarum ſtipatus magnus ille Jacob, revertitur in patriam ſuam: qui in baculo crucis ſuæ quondam ſolitarius, mundi hujus Jordanem tranſierat. Aderant etiam ibi Eccleſiæ primatus Apoſtoli viciſſim cum Angelis, Domino communi cantica dramatis perſonantes. *Ibi Benjamin adoleſcentulus*, id eſt, dilectus Domino Joannes, *in mentis exceſſu*. *Ibi principes Juda, principes Zabulon, & principes Nephthali* duces eorum: quorum inæſtimabilem lætitiam nulla ſufficiet lingua narrare. Quibus ſigillatim allocutis, & amplexatis, Matre etiam Virgine Maria mira benevolentia, ut pie creditur, deoſculata: manibus elevatis benedicens eis, incipit elevari. O quantus tunc laudis & exultationis cantus, quantus cœleſtium inſtrumentorum ſonitus, qui clangor tubarum! A ſæculo non eſt audita tanta lætitia. Felices qui affuerunt, beati nimium qui hæc viderunt. *Aſcendit* namque *Deus*, teſte Propheta, *in jubilo: & Dominus in voce tubæ*. Sicut enim olim in ejus natali aſſumptis corporibus, Angelorum multitudo corporali voce laudes cecinerat: ita hodie etiam multiplicius corporibus aereis velut tubis, corpoream muſicam perſonabant. Quod enim homini eſt tuba, hoc eſt Angelo corpus aſſumptum. Unde, ut ſenſibilem audibilemque harmoniæ concentum in Domini aſcenſione affuiſſe cognoſcas: aſcendiſſe Dominum *in voce tubæ* typice Propheta prædixerat. Senſim ergo cunctis videntibus & admirantibus ferebatur in cœlum, donec nubes lucida eorum occupavit obtutus. Jamque ſemotus erat ab oculis, & adhuc ſurſum eorum tenebatur aſpectus. Manent ſtupidi in exceſſu mentis, ſopiti velut exanimes, hærent ſolo immobilia ſtupore cadavera; eorum namque ſenſus & corda ſecum ad cœleſtia Dilectus rapuerat.

Pſ. 131.
Num. 10.
Coloſſ. 2.
4. *Reg.* 6.
Pſal. 67.
Gen. 32.
Pſal. 67.
Pſal. 46.
Pſal. 97.

VIII. Illis igitur ſic ſtupentibus; duo Angeli proximo eis aere volitantes; quid, inquiunt, *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* Quid attoniti defixis in cœlum oculis contemplamini? Redite ad vos: *Hic* enim *Jeſus qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum*

Act. 1.

eun-

euntem in cœlum. Mira divinæ providentiæ cura factum est hoc; ut, quoniam penetrantem cœlos sequi non poterat eorum intuitus: quod visui deerat, Angelico testimonio suppleretur. Ne videlicet putaret quispiam, velut Eliam raptum fuisse Jesum in amœnam terræ paradisum: idcirco Angeli sæpius replicant, repetentes: *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*. Hac igitur voce velut excitati redeunt ad cœnaculum, & ibidem in oratione persistunt expectantes promissionem, quam illis de cœlo se missurum dixerat Dominus. Qualiter autem Dominus in cœlum receptus sit, & quanta ibidem fuerit admiratio cum peregrinos illos Spiritus duce Domino, apertis cœlorum januis, in suas locari sedes Angeli prospiciunt, quantus jubilus & stupor supernas ex hoc invaserit mentes, ex parte Isaias Propheta commemorat: cujus testimonium, quia omnibus compertum esse non dubito, nunc reticeo. Hæc de historia. Ad vos nunc, o Fratres, nostra convertatur oratio. *Viri Galilæi quid statis?* An nescitis quia Galilæi estis? An ignoratis quia ex præsenti sæculo quam citissime transmigrabitis? *Quid ergo statis?* Quid hæretis, quid futuram in vobis glóriam non requiritis? Non habetis hic civitatem manentem, sed futuram inquiritis. Ad eam ergo cur non properatis? Cito velociter hinc transplantandi in alieno solo quid radices emittitis? An non attenditis, radicatorum in terra quam difficilis, quam violenta, quam tristis & amara sit avulsio? Considerate, obsecro, amatorum hujus sæculi amaros exitus, graves torsiones, acerbos dolores, quos in morte tolerant: & nolite cum eis similiter radicari. Quid anxie quæritur, quod tam celeriter amittitur? Quid cœlorum futuri perpetuo cives, transitoriis vitæ deliciis inhiatis? Mementote, quia Galilæi estis. Hujus tam celeris Galilæi nolite oblivisci: sursum animos vestros erigite, sursum sensus & corda levate: *quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram*. Ecce enim dux vester & Dominus, coram vobis pandens iter ascendit. Vos post illum properate. Quid statis? Quanta illum omnis sexus, ætatis, & conditionis militum caterva insequitur? Quam alacres post eum in odorem unguentorum suorum teneræ etiam virgines, & delicati pueri percurrunt? Et vos statis, & vos sedetis?

IX. O Galilæi, o viatores, o peregrini! Via cœlorum patet, janua paradisi aperta est: non vos jam Patrum limbus, sed Angelorum paradisus expectat. Quid ergo statis? Tanta vos gloria manet, & statis? Tantum vobis præmium repositum est, & hæretis? Talis vobis corona promittitur, & desidiose pugnatis? Quid dicam vobis o desides, o pigri, o inertes? Labor modicus, & sempiterna lætitia, pugna levis, & corona perpetua, via brevis, & vita longa. O peregrini, quid statis? Ex hoc vitæ vestræ momento omnis æternitas vestra dependet, & statis? Tam modico & brevi labore gloria perpetua conquiritur, & dormitis? Et quod gravius est, aspicientes in cœlum: aspicitis, inquam, & contemnitis: videtis, & negligitis? Si non utique videretis, levior esset culpa: at modo, quia videtis & despicitis, peccatum vestrum manet. Pudeat, pudeat vinci a Gentilibus, a philosophis gentium superari. Quanta gesserunt Romani, quam ardua & præclara opera virtutis aggressi sunt, quam difficilem, & asperam vitam philosophi portaverunt, solo amore virtutis allecti, sola sapientiæ pulchritudine delectati? Aliam mercedem non expectabant, aliud præmium non quærebant. Quid nos dicturi sumus, quos tanta præmiorum moles etiam cognita non provocat ad virtutem? *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Erubesce Sidon ait mare*. Juste namque præsentem vitam diligit, qui meliorem aliam non cognoscit: merito bonis præsentibus inhiat, qui meliora futura non expectat. Vos vero, quibus Deus oculos mentis aperuit, ut latentes reconditasque cœli divitias contemplemini, quas non morte & sanguine, non aculeis & tormentis, sed vitæ modestia, animique continentia possideri non ignoratis; vos inquam, o Galilæi, o Christiani quid statis? Quod si non movet vos tantæ beatitudinis inæstimabile pondus: moveat saltem terribilis expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est veritatis adversarios, propriæ salutis contemptores, & pigros. Moveat etiam districtissima operum & vitæ vestræ ratio, quam severe in die judicii, in oculis omnium Angelorum, & hominum redituri estis. *Hic enim Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet*; veniet utique Galilæi, veniet, & cum non expectatis veniet: & sicut scriptum est: *Veniet, & non silebit. Tacui semper*, inquit, *silui, patiens fui, ut parturiens loquar*. Quid tunc dicturus es o Christiane, quid responsurus es o contemptor? Dicet forsitan Gentilis, nescivi: dicet Indus, non audivi: dicet Paganus, non intellexi: tu vero miser quid dicturus es? Quæ omnia, etsi ad cunctos Christi fideles aperte pertineant, ad vos tamen, o Fratres, maxime derivantur, quos professio, habitus, & tonsura, Galilæos esse convincit. Sed & loquela vestra manifestos vos faciat: quippe qui totis diebus ac noctibus Dei laudibus incumbitis, Altissimi præconiis desudatis, Angelorum officium in terra exercetis, peccatorum speciem, & modum in corpore geritis, cœlestium Spirituum in carne quietem, & puritatem æmulamini: Galilæos vos exhibete. Nolite fieri Babylonis hujus terrenæ cives & incolæ; nolite caducis istis voluptatibus adhærere: sed quotidie ad cœlestia suspicientes, cum Prophetæ clamate: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes*

4.Reg.2.
Act. 1.
Isaiæ 63.
Heb. 13.
Coloss.3.
Mich. 2.
Cant. 1.
Isaiæ 1.
Ibid. 23.
Act. 1.
Psal.49.
Isaiæ 42.
Mat.26.
Psal.41.

fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem *vivum: quando apparebo ante faciem* tuam Deus? Quando transmigrabo, quando recedam, quando *transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei*, usque ad interius cubiculum, usque ad reclinatorium aureum, usque ad visionem & fruitionem Dei, usque ad perpetuam illam & ineffabilem dulcedinis & gloriæ tuæ multitudinem? quam dilectis juste præstas glorioſus & benedictus Deus, cui est honor & gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Cant. 3.

IN ASCENSIONE DOMINI

CONCIO SECUNDA.

De Mystici Corporis Ascensione, in Capite Christo.

Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.
Ephes. 4. v. 10.

Concio cxxxvii.

I. TRia in his Apostoli verbis tanguntur. Scilicet: persona quæ ascendit, locus in quem ascendit, & fructus ascensionis: de quibus in præsenti futurus est sermo. In illo doctissimo & altissimo colloquio ad legisperitum Nicodemum a Domino habito, inter alia Dominus ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Admiratus est super hoc sermone legis ille peritus, & merito. Quis enim super hoc non admiretur? Si ita est Domine, quid frustra contendimus, quid frustra laboramus, ut quid jejuniis, orationibus & lacrymis quotidie nos ipsos atterimus? Væ martyribus, væ virginibus, væ anachoretis, & cæteris mundi contemptoribus, si cœlorum regnum nullus ingreditur. Ad quid ergo tam repetita regni cœlorum in Euangelio promissio? Ad quid frequens illa illius obtinendi, & impetrandi, & acquirendi ad homines exhortatio? Nunquid sibi ipsi Euangelium contradicit? Nunquid falsa est fides nostra, & vacua spes nostra? Absit, absit. Quid ergo dicendum ad hæc? P. Augustinus (*a*): Ita est: solus Filius Dei & hominis ingressurus est cœlum: solus, inquam, sed totus. An non cum illo manus, pedes, brachia, & cætera ejus membra conscendent? Sumus nos, teste Apostolo, membra ejus viva. Non omnes; sed qui ei fide & charitate adhæsimus. Cum his suis membris Christus ipse qui descendit de cœlo, ascendit in cœlum. Si quis illi non incorporatus cœlum conscendere confidit, fallitur, fateor, fallitur nimis, & supra modum fallitur. Solus itaque qui descendit, ascendet: sed non sicut descendit, ita ascendet. Descendit nudus & purus Deus: ascendet autem vestitus & accinctus: homo vestitus, inquam, carne, vestitus & tunica polymita ac talari Ecclesiæ, sicut de Sanctis scriptum est: *Vivit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris.* Unde propter hoc *unxit* illum *Deus oleo lætitiæ* & charitatis *præ participibus* suis. Ut per unctionem illam qua unctus apparuit, possent ei alii participes adhærere, & illi adjuncti, ejus merito & virtute cum illo ad cœlestia rapi.

Jo. 3. (*a*) Gen. 37. Isaiæ 49. Psal. 44.

II. Quamvis possit hoc aliter intelligi: quod videlicet nemo ascendat in cœlum virtute propria, sed assumatur potius virtute aliena. Sicut in Psalmo scriptum est: *Domini est assumptio nostra, & sancti Israel regis nostri.* Et in Canticis de Ecclesia: *Quæ est ista, quæ ascendit in deserto, deliciis affluens, innixa super Dilectum suum.* Innixa, inquam, quia utique per seipsam ascendere non valebat. Unde egregius ille Vates de Christo dicebat: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit* eos *atque portavit in humeris suis.* Provocavit verbo, supervolitavit exemplo, assumpsit dono, portavit merito. Quid enim aliud hodie Christus grandi sanctorum Patrum caterva comitatus apparuit: nisi aquila grandis, alarum suarum remigio pullos suos in cœlestia deferens in nidum altum, nidum securum & tutum, nidum sempiternum, quo nequeat venenatus serpens irrumpere, neque quicquam aliud nocens attingere? In hunc nidum nullus unquam pullus, neque Patriarcha primus, neque Propheta egregius, sed neque Joannes ille sanctissimus, quo major inter natos mulierum non surrexit, alius ascendere valuit; donec parens aquila venit, & eos super se volans ad illum traxit. Unde Psalmographus ille Propheta, nidum istum procul inspiciens, & magno cordis sui desiderio ad illum suspirans, clamabat: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Quam bene, quam aperte *concupiscit*, & *deficit*: quia videlicet, cœlestes illas mansiones pullus aquilæ valde desiderabat, sed, non habere se pennas quæ sufficerent ad volandum, non ignorabat. *Concupiscit* desiderio, sed *deficit* merito. Sed non diffidit; & unde non diffidat attende: *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi* reponat *pullos suos.* Quis *passer*, nisi ille *solitarius in tecto* singularis, donec transeat? Quæ turtur, nisi casta & gemebunda Ecclesia, Sponsi sui solatio viduata, cui in hac viduitate gemitus continuus pro cantu est? Reperit ille domum, reperit illa nidum. Domus passeris sinus est patris, nidus turturis pectus est corporis: corporis, inquam, Dilecti sui, in quo per lateris aperturam subintrans, secura nidificat,

Gen. 37. Isaiæ 49. Psal. 44. Psal. 83. Cant. 3. Deut. 32. Ezec. 17. Mat. 11. Psal. 88. Psal. 101. Psal. 140.

(*a*) Vide Sermonem 91. num. 7., item Sermones 144. num. 5., 263. num. 2., & 294. num. 10., ubi idem, licet diversis a S. Oratore nostro verbis, explicat S. Parens.

cat, & pullos suos in tuto collocat. At-
Psal.83. tende nidum: *Altaria tua Domine virtutum.* Sub hoc altari vidit Joannes animas interfectorum propter verbum Dei clamantes: *Usquequo Domine, sanctus & verus, non vindicas sanguinem nostrum?* Quid aliud sunt Martyres sub altari, nisi passeres in nido? O altare sacrum, o ara tutissima! in quam turtur ista gemebunda pullos suos destinat servandos; utique donec plumescendi tempus adveniat: *Et corruptibile hoc* induat *incorruptionem, & mortale hoc* induat *immortalitatem.* Et ut de his dictum non possis ambigere; sequitur: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Hæc turtur, illi pulli. Turtur in deserto gemit: pulli sub altari non gemunt, sed garriunt. *Qui descendit* ergo, *ipse est qui ascendit.* Ita Apostolus ait in prothemate. Et Euangelista: Nullus *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Vide quam sibi consonant cœlestes fistulæ, eodem spiritu personantes? Quid hac Scripturarum concordia suavius?

III. Sed quo ascendit, o Apostole? *Super omne cœlos,* inquit. Sunt enim cœli cœlorum teste Propheta. Neque uno tantum modo cœlum dicitur: est namque cœlum aereum, cœlum sidereum, cœlum aqueum, cœlum empyreum, cœlum spirituale, cœlum intellectuale, cœlum supersubstantiale. Hos omnes cœlos transcendit Christus, donec ad supremum attingeret, sicut scriptum est: *A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.* Corporaliter namque super mundialis orbis convexum sacra illa humanitas locata est: totum corporalem orbem pedibus suis calcans; sicut scriptum est: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Cunctos etiam Angelicos vertices gloria & dignitate superavit. Non sicut olim in figura, ubi in Dei tabernaculo arca testamenti sub Cherubim locari jussa est: nam vetus illa dignitas tabernaculi cœlesti majestati cedebat; humanitas vero Redemptoris majestate ampliori sedebat super Cherubim. Et de hac Propheta clamabat: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Unde sponsa hoc ipsum sentiens ad sponsum ajebat: *Revertere, similis esto dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bether.* Montes Bether sunt Angelorum vertices, quos omnes hinnulus hic gratissimus celeri saltu transcendit. Quantum ergo prius descenderat, tantum rursus ascendit. Ascensum & descensum istum attendite in Propheta: *Inclinavit,* inquit, *cœlos, & descendit: & caligo sub pedibus ejus.* Ecce descensum usque ad caliginem, usque ad inferorum terram & caliginosam abyssum. *Et ascendit,* inquit, *super Cherubim & volavit: volavit super pennas ventorum.* Ecce passeris volatum, ecce ascensum. Descendit, quo amplius

Apoc. 6.

1. Cor. 15.

Psal.83.

Ephes.4.

Jo. 3.

Ephes.4.
Ps. 148.

Psal.18.

Psal. 8.

2. Par.5.

Ps. 131.

Cant. 2.

Psal.17.

A non decuit: & ascendit, quo amplius non potuit: ut Bernardus (*a*) ait. Decuit enim eum: qui cum esset Filius Dei unigenitus, & gloriæ Princeps, Patris obedientia paulo minus ab Angelis minoratus est, & inter homines minimus & ultimus inventus est, super omnes homines & Angelos gloria & honore sublimari: ut in eo justitia Dei consummationem accipiat. Hoc est quod Apostolus ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Quanta majestas! *Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Quanta humilitas! Sed
B usque ad quid? Usque ad formam servi, usque ad alapas, usque ad irrisiones, usque ad flagella, usque ad tormenta, *usque ad mortem.* Ne quid de genere mortis deesset: *Mortem autem crucis.* O descensum maximum, o profundissimam humilitatem! Sic humiliatus est Filius Dei.

IV. Audi nunc similem & correspondentem a justo Deo exaltationem: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Pa-*
C *tris.* Ecce quomodo descendit, ecce quomodo ascendit: eisdem enim gradibus quibus descenderat, rursus ascendit. Tribus namque gradibus Filius Dei descenderat; scilicet, usque ad formam servi, usque ad passionem, usque ad mortem, & per eosdem ascendit. Quia enim Patris amore factus est servus, super omnem creaturam merito constitutus est Dominus; quia inique ab homine judicatus est; vivorum & mortuorum a Patre constitutus est judex; & quia pro omnibus mortuus est; sibi & omnibus immortalitatem & æternitatem promeruit. Inde exaltatus, unde prius fuerat humiliatus: descendit Deus usque ad passionem
D carnis, ascendit caro usque ad proprietates Dei. Esurire namque, sitire, lassari, fatigari, pati, mori, passiones carnis sunt; has Deus assumpsit, ut caro fieret impassibilis, incorruptibilis, immortalis, perpetua, sicut Deus. Deus factus est homo servus, ut homo Deus omnibus dominetur. Unde & sedere ad dexteram Patris in Euangelio hodierno dicitur, non quia materiali quodam throno resideat, sed propter cunctarum rerum præsidentiam, gubernationem, & dominium, propter gloriæ, & dignitatis excellentiam
E super omnem creaturam, propter honorem & cultum, quo cum Deo ab omnibus simul adoratur & colitur. O mirabilem exaltationem, o eximiam generis nostri gloriam! Ut homo Angelis præsideat, mundum regat, omnibus imperet, & cuncta disponat. *Frater,* inquam, noster, & *caro nostra* in cœlo & in terra dominatur & regnat. Quis super tanto honore non gaudeat? Quis de tanto Fratre non glorietur? Quis servus, quem Domini sui tam sublimis

(*a*)

Philip.2.

Marc.16.

Gen. 37.

(*a*) Vide Serm. 2. in Festo Ascens. Dom. num. 6.

blimis gloria non tangat? Exultemus, & lætemur, Fratres, in hac die, gratulemur Fratri noſtro ad Dei dexteram ſuper Angelos ſublimato, gratulemur & nobis ejuſdem gloriæ & dignitatis conſortibus: non enim ſibi tantum, ſed omnibus fratribus ſuis hunc accepit honorem. Unde dicebat: *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam.* Et iterum: *Si quo minus dixiſſem vobis: quia vado parare vobis locum: ut cum abiero, & paravero vobis locum, iterum veniam, & aſſumam vos ad me ipſum: ut ubi ſum ego, & vos ſitis.* Non vult regnare ſolus, omnibus nobis regna paravit. Expectat nos Frater noſter, dilectiſſimi; properemus, feſtinemus exire de carcere, & cœleſtes cum illo divitias poſſidere. Si quis enim pauper & nudus, exilio deputatus, Regem Franciæ aut Hiſpaniæ chariſſimum ſibi fratrem haberet, qui eum ſuæ felicitatis & regni ardentiſſime cuperet habere conſortem: quanta putatis ad eum diligentia properaret? Et nos tantam dignitatem & gloriam nobis paratam & promiſſam negligemus?

Jo. 16. Ibid. 14.

V. Grandis itaque nobis utilitas ex Domini Salvatoris aſcenſu accrevit: nam qui propter nos deſcenderat, propter nos quoque aſcendere dignatus eſt. Deſcendit propter juſtificationem noſtram, aſcendit propter glorificationem noſtram: deſcendit ut præſtaret ſalutem, aſcendit ut pararet manſionem; ſicut ipſe ait: *Vado parare vobis locum.* O eximium ſui populi mediatorem! Denique ſicut in prothemate dicitur: *Aſcendit, ut impleret omnia:* adimpleret, inquam, virtute, ſapientia, lumine, gratia, ſpiritu & veritate; ut conſummaret e cœlo, quæ triginta annorum ſpatio in terra degens inchoaverat. Sicut Propheta orabat: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, a templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.* Vacua enim erant ante ejus aſcenſum corda fidelium, ſed adimplevit ea rore cœleſti. Sicut in Pſalmo ſcriptum eſt: *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam.* Et rurſus: *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus, in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.* Sicut enim in vere, aſcendente ſole ſuper capitis noſtri zenith, terra prius ſterilis & arida, herbis, virgultis, & floſculis vernat: arbores frondibus, floribus, & fructibus veſtiuntur: ita Chriſto in æthera conſcendente, arida Eccleſiæ facies, multiplici gratiarum & chariſmatum varietate refloruit. Sic antea per Prophetam Dominus promiſerat, dicens: *Erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus ejus, & florebunt de civitate ſicut fœnum terræ.* Fructus, inquam, ille virgineus benedictus, ſuper naturæ Angelicæ Libanum, & cedros illas altiſſimas extolletur: & tunc rorem ſpiritus ſtillantibus cœlis in noſtra hac civitate, arida prius corda florebunt ſicut fœnum terræ. O quales tunc Martyrum & Virginum flores! Quam candidos & purpureos floſculos Eccleſia pullulavit! O quanta ſpiritus viriditate vernavit, quanto gratiæ virore decorata eſt! Videres catervatim gentes innumeras ad fidem confluere, & populos cœleſtis gratiæ ſitibundos, avidiſſime baptiſmi aquam expoſcere. Cunctis fidelibus tunc hoc unum votum erat, toto animo Chriſto deſervire & pro illo mortem & extrema omnia pati. Heu! heu! *Egreſſus eſt a filia Sion omnis decor ejus:* & omnis illa viriditas exſicata eſt. *Vinea confuſa eſt, & ficus elanguit: malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna aruerunt. Confuſi ſunt agricolæ, ululaverunt vinitores ſuper frumento,* vino, *& hordeo, quia periit meſſis agri.* Ver mutatum eſt in autumnum, & ad priorem ariditatem terræ noſtræ facies redacta eſt. Sed ad propoſitum redeamus. Conſueverunt Principes, regni aut imperii poſſeſſione ſuſcepta, pecuniæ copioſam multitudinem gratulanti populo effundere, & nobilibus regni atque magnatibus ampliſſima dona largiri. Sic etiam gloriæ Princeps, poſtquam ſanguine ſuo partum cœlorum regnum intravit, magnifica ſuis dona diviſit: ut ex hoc majeſtatis & gloriæ ſuæ divitias oſtenderet, & ad eas deſiderandas abſentium animos inclinaret. Quam aperte hoc Propheta vaticinatus erat ante: *Aſcendiſti,* inquit, *in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus.* Accepiſti, inquam, in hominibus munera, quæ ipſe dediſti: ſic enim hunc locum de Spiritu ſancto citat Apoſtolus, dicens: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* In terris namque velut pius medicus languores noſtros ægritudineſque curavit: e cœlis autem velut potens Dominus pretioſa magnificaque nobis dona demiſit. Ut ſicut in terris ejus miſericordiam experti ſumus; ita in cœlis ejus potentiam noſceremus. Hæc de Domini noſtri aſcenſione breviter dicta ſufficiant.

Thren. 1. Joel 1. Pſal. 67. Ephes. 4.

VI. Quod vero ad nos attinet Fratres, conemur & nos ſimiliter cum illo deſcendere, ut ſimiliter aſcendamus; non enim eſt alia via aſcendendi, niſi deſcendendo: deſcende coram te, & aſcendes coram Deo: eſto parvus in oculis tuis, & eris magnus in oculis Dei; quia vere: *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit:* & e contrario, qui aſcendit, ipſe eſt qui deſcendit. Unde Pſalmus: *Dejeciſti eos dum allevarentur.* Quo majorem te reputas, minor es: & quo minorem te facis, major haberis. Diſce homo humiliari, ut exalteris: diſce contemni, ut ſublimeris. Stultiſſimum namque eſt, alia via quam humilitatis cœlum conſcendere velle. Quid enim? Per humilitatem Chriſtus ſublimatus eſt in gloriam ſuam, & tu per ſuperbiam exaltaberis ad alienam? Caput in tormentis dejicitur; & membrum in deliciis coronabitur? O miſerandam ſtultorum hominum inſaniam, o phre-

Ibidem. Pſal. 71.

phreneſim nimis dolendam, o mentis cæcitatem nunquam pro merito deplorandam! Qui Chriſtiano nomine cenſentur, qui fidem Chriſti ejuſque doctrinam Euangelicam profitentur, quid dico profitentur, imo qui de populi Chriſtiani ducatu magiſterioque gloriantur; hi ſuperbiæ facibus magis ardent, hi honoribus & dignitatibus inſatiabilius inhiant, horum omnis cura & ſolicitudo eſt, qualiter inter homines magni & honorati videantur, & in acquirendis ampliandiſque reditibus, annos ſuos omnes, & totam vitam expendunt. Quid, inquam, delirius, quid inſanius, quam ſub humilitatis vexillo ambitioni militare, & in magiſtri humilis ſchola ſuperbiam profiteri? Quomodo audie-
Mat. 11. runt hi cœleſtis verba magiſtri? *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris.* Imo: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam*
Pſal. 13. *pacis non cognoverunt:* utique quia viam humilitatis deſeruerunt. Non eſt enim pax, non eſt quies, niſi in humilitate. Quid enim mundum inquietat, niſi ambitio & ſuperbia?
(a) Cum enim, ut Bernardus (a) ait, deſcendere facillimum ſit, & aſcendere difficillimum: homines miſerandi facilem viam contemnentes, aſperam, & difficilem elegerunt, juſtam ſtultitiæ ſuæ retributionem recipientes, laborem improbum uſque ad mortem, eos veluti ſub tribulo paleas demolientem, conterentemque. O homo *deſine*, obſecro, *ab ira*
Pſal. 36. *& derelinque furorem.* Quid fruſtra conſumeris? Abjice ſuperbiæ pondus; evome ambitionis venenum, & requieſces. Non enim per dignitatis, ſed per virtutis & humilitatis gradus eſt aſcenſus in cœlum.

VII. Vis tibi oſtendam hos gradus? Prophetam audi: *Ibunt de virtute in virtutem,*
Pſal. 83. *videbitur Deus deorum in Sion.* Et iterum: *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* In corde, inquam, ſcala tibi erigenda eſt, per quam aſcendas in paradiſum. Non in habitu, non in ſermone, non in exteriori aliqua cæremonia, vel cultu: omnis namque gradus perfectionis profectuſque virtutis, in corde potius quam in opere vel ſermone quærendus eſt. Non enim aſpicit Deus, quid aut quantum agas, ſed quantum in ejus deſiderio & amore proficias. Nam etſi ex operibus unuſquiſque judicandus eſt, virtus tamen operis eſt charitas cordis. Quam aperte hos ipſos gradus idem Propheta in alio Pſalmo
Pſal. 23. diſtinguit, dicens: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* Et huic quæſtioni reſpondens, ſubjungit: *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.* Hi quatuor ſunt gradus per quos in vitam aſcenditur; ſcilicet: innocentia in vita, puritas in corde, fructus in opere,

veritas in ſermone. Primo igitur ab omni labe peccati, & ab omni fæce libidinis & terrenæ cupiditatis mundandum eſt cor. Scriptum eſt enim: *Beati mundo corde, quo-* Mat. 5.
niam ipſi Deum videbunt. Deinde curandum, ut nemini noceamus, & inter proximos noſtros, & fratres ſine querela vivamus. Sed non ſatis eſt ad vitam, ſi malum proximo non irrogamus, niſi etiam bonis operibus proficiamus. Unde ait: *Qui*
non accepit in vano animam ſuam. Fruſtra Pſal. 23.
enim rationalem accipit animam, qui brutaliter vivens, rationis non elicit actus; ſed more pecudum, tota vita otio, & voluptatibus incumbit. Dormire namque, comedere, bibere, luxuriari, vagari, jucundari, & ſimilia, brutis & hominibus communia ſunt. In quo ergo te a brutis diſcernis, ſi præter hæc, in vita, alia non oſtendis? Reſtat adhuc veritas in ſermone: ut qui proximum non lædit facto, non etiam decipiat verbo: ſed probitatem vitæ linguæ veritas comitetur. Si quis ergo hæc quatuor ſupradicta inviolabiliter obſervaverit: ſi quis brevem iſtam quatuor graduum, ſed arduam & difficilem ſcalam ſedulo conſcendere procuraverit: *Hic accipiet benedictionem a Do-*
mino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo: Hic *aſcendet in montem Domini, & ſtabit in loco ſancto ejus*, hic perpetuæ felicitatis gaudiis perfruetur æternis cum Deo, & Filio ejus unigenito Jeſu Chriſto Domino noſtro: cui eſt honor, gloria, imperium, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN ASCENSIONE DOMINI

CONCIO TERTIA.

Ascensio Christi, Glorificatio et Utilitas nostra.

Exaltare ſuper cœlos Deus: & in omnem terram gloria tua. Pſal. 56. v. 6.

I. JUſta quædam in devotis mentibus, Fratres, dubitatio ſurgit: quid hoc ſit, quod Filius Dei unigenitus, qui ex ardentiſſimo amore ſuæ flagrantiſſimæ charitatis, e ſinu Patris deſcendens, terras luſtrare, & miſerias noſtras ſubire dignatus eſt, ut nobis cœleſtia regna donaret: poſt reſurrectionem ſuam nobis in hoc exilio relictis; poſt modicum tempus ipſe in cœlos ſine nobis redierit? An ſicut vita, ita & animo in reſurrectione mutatus eſt, ut glorioſus effectus mortalium obliviſceretur, quos ſanguine ſuo & morte redemerat? Quis hoc dicat? cum ipſe per Prophetam clamet: *Nunquid* Iſaiæ 49.
obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fue-

Concio cxxxviii.

rit:

(a) Serm. 2. de Aſcenſ. Dom. num. 6. *O perverſitas, o abuſio filiorum Adam! Quia cum aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum; ipſi & leviter aſcendunt, & difficilius deſcendunt, &c.*

rit: ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te; illaſque vulnerum memores cicatrices in tui memoriam in meo corpore reſervavi. Quid ergo bone Jeſu? Cur tam cito rediiſti, cur ſine nobis aſcendiſti? Secura tibi tua gloria erat: cur non expectaſti nos, ut in ultimum diem tecum in cœleſtia regna gaudentes migraremus? An non melius eſſet, ut ſocius itineris & peregrinationis noſtræ, gregis tui tunc conſolator & cuſtos exiſtens, poſtmodum ductor iter panderes ante eum, & cum gloria & triumpho, tuis comitantibus ſupernam illam civitatem intrares? Quantum ſolatii, quantum ſecuritatis & gaudii ovibus tuis hæc tua præſentia contuliſſet? Te præſente non graves fuiſſent perſecutiones, tormenta omnia tyrannorum, & vitæ hujus diſcrimina nobis tolerabilia viderentur: nihil tam durum, nihil tam acerbum, quod non tuo eloquio molliretur. Vita hæc calamitoſa & triſtis, levis nobis & facilis tua jucunda ſocietate fuiſſet: ſi quid ſcrupuli incidiſſet, conſuleremus te: ſi quid periculi, fugeremus ad te: ſi quid doloris & amaritudinis, recrearemur a te; eſſeſque nobis etiam nunc *omnia in omnibus*, in quibus indigeremus te. Oves, inquam, tuas, quas tanto pretio comparaſti, inter atroces lupos & beſtias crudeliſſimas relinquis, & tu ad cœleſtia tutus migras? Dic mihi o gloria mea: ubi amor tuus, ubi pietas, ubi viſcera illa charitatis flagrantia? Hæc ne cura gregis, hæc ne ſolicitudo tuorum? Filiolos tuos miſeros & ærumnoſos in in hac lacrymarum valle relinquis, & ſolus ad regni ſolatia vadis? Quænam hæc impatientia regni, ut tuos deſeras in ærumnis? Expectares Domine, ſuſtineres modicum, ut finito mundi curſu, nobiſcum triumphares: non enim e cœlo veneras quærere quæ tua ſunt, ſed quæ omnium. Hanc noſtram querimoniam, Fratres, agnoſcite in Propheta, cum ait: *Quare quaſi colonus futurus es in terra; & ſicut viator declinans ad manendum?* Quaſi diceret: civem te volebamus, non colonum; indigenam, non viatorem. Sicut in hoſpitio, ita in mundo brevi triginta annorum ſpatio verſatus, celeri curſu in patriam unde veneras, remeaſti. An ideo veneras, ut abires? Et alius Propheta hanc ipſam feſtinantiam deſignans, ait: *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a ſummo cœlo egreſſio ejus; & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus.*

II. Sed o vere *magnum pietatis ſacramentum*, mirandumque divinæ diſpoſitionis conſilium! Qui propter nos venerat, propter nos rediit; nos illi adventus cauſa, nos cauſa regreſſus. Sic utique nobis expediebat, ſic oportebat, ut cito rediret. Natus *propter delicta noſtra, reſurrexit propter juſtificationem noſtram;* aſcendit *propter glorificationem noſtram*. In omnibus ſe nobis utilem exhibuit: totus noſter, & totus in noſtros uſus expenſus. Audi ſuper ſuo reditu Pſalmographum eum deprecantem, obſecrantemque: *Exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere.* Præceptum quod mandavit, amor eſt; ſicut in Euangelio dicit: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Hic amor, inquit, Domine a mortuis te ſuſcitet, quem moriens commendaſti: in hoc exurge, & ſynagoga populorum, quæ mortalem te non agnoverat, circumdabit immortalem; & propter hanc in altum regredere: propter hanc veniſti, propter hanc regredere. Gratias tibi Domine quia veniſti: obſecramus ut redeas; ſic volumus, ſic cupimus, ſic petimus, ſic nobis expedit ad ſalutem. Grata nobis præſentia tua: ſed utilior aſcenſio tua. *Revertere*, obſecro, *in requiem tu, & arca ſantificationis tuæ*. Sufficit nobis, ut in ſacra Euchariſtia velatus permaneas. Quam efficaciter idipſum ſponſa in Canticis deprecatur & rogat: *Veniat*, inquit, *dilectus meus in hortum ſuum, ut comedat fructum pomorum ſuorum. Ut paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Et adventantem inſpiciens: *Ecce*, inquit, *iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Et poſt modicum: *Revertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes Bether.* Et iterum: *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes aromatum.* Quænam hæc levitas o ſponſa? modo vocas, modo rejicis? Rogaſti ut veniat, & jam iterum rogas ut vadat. Ubi ſunt illi gemitus, illæ lacrymæ, clamores, & voces illæ: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum: Emitte agnum Domine dominatorem terræ: Utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes?* Quid aliud iſta his vocibus clamitat, niſi *veniat dilectus meus in hortum ſuum, & lilia colligat?* In hortum, inquam, ſuum, quem plantaverunt manus ejus, quem ipſe inſevit ab initio, *ut paſcatur in hortis, & lilia colligat*. Nemo enim poteſt ea colligere, niſi hortulanus; ipſi ſoli reſervata ſunt: niſi ipſe advenerit, omnia lilia & roſæ marceſcent. O pulcherrimas roſas, o placidiſſima lilia Virginum & Martyrum animas, niveo purpureoque candore vernantes! Has monet ſponſum colligere, & patri ſuo gratiſſimas, fide veluti caniſtro deferre. Propter quod & monet ut redeat: non quidem levitate feminea: ſed quia ſic noverat expedire. Ut quid enim collectis liliis morabitur ſponſus ea patri deferre? Sed illud magis admiror: quod poſt longum cum ſponſo colloquium, ultimo monet: *Fuge dilecte mi*. Ut quid fugiat o ſponſa? Ut quid fugiat? Abſit a fortiſſimo principe, ut fugiat. Quid enim? Mortalis militum caterva vallatus non fugit, & nunc fugiet immortalis? Non faciet hoc: cujus *fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis. Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Incommoda nulla pati poteſt: & quomodo eum tu mones ut fugiat? Nec prope, ſed

Mich. 2. *1. Cor. 15.* *Lucæ 10.* *Ibid. 19.* *Jer. 14.* *Pſal. 18.* *1. Tim. 3.* *Rom. 4.* *Pſal. 7.* *Jo. 15.* *Pſ. 131.* *Cant. 5.* *Ibid. 6.* *Ibid. 2.* *Ibid. 8.* *Iſaiæ 45.* *Ibid. 16.* *Ibid. 64.* *Cant. 8.* *Num. 24.* *Rom. 6.*

sed procul & celeriter, & ubi iterum capi non possit *super montes Bether*, id est super cœlorum vertices, & angelicas Potestates? Plena sunt ista mysteriis, & quæ nisi exponat Spiritus, non penetrat intellectus.

III. Sed jam exponamus, quid mundo utilitatis hæc Christi ascensio attulerit, ut sic obnixe super reditu ei supplicetur: quid enim adventus ejus profuerit, novimus palam omnes; sed de reditu non ita liquet. Sed
Jo. 16. mentiri non potuit qui dixit: *Amen dico vobis, expedit vobis ut ego vadam*. Sed quomodo nobis expediat audiamus: *Si enim non*
Ibid. 16. *abiero*, inquit, *Paraclitus non veniet ad vos; cum autem abiero, mittam eum ad vos*. Et iterum: *Si quo minus dixissem vobis: quia vado parare vobis locum, & cum paravero vobis locum iterum veniam, & assumam vos ad me ipsum*. Duo ex his verbis emolumenta colligimus: & quod Paraclitum missurus, & quod nobis in cœlo locum paraturus sit. De primo Apostolus ex Prophe-
Ephes. 4. *Psal. 67.* ta citat: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. De secundo alius Propheta vaticinatus erat an-
Mich. 2. te: *Ascendet pandens iter ante eos*. Et bene, *pandens iter*: quia nisi ipse præcessisset, nullus utique sequeretur; & nisi prior cœlos penetrasset, nemo Sanctorum usque in finem sæculi illuc intrasset. Et quamquam in ejus societate ubilibet beati essent: non tamen oportuit beatos tam promissa cœlestis Jerusalem amœnitate privari, jucundaque civium supernorum societate fraudari. Quid profuisset interea cœlorum aperuisse januam, si per eam nullus intraret? Reatus filiorum solutus erat: ut quid hæreditas differretur? Ascendit itaque prior parare nobis locum, quasi legatus, quasi patronus, quasi advocatus: ut assistat vultui Dei pro nobis; sicut Apostolus ad Hebræos
Hebr. 9. ait: *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro no-*
Jo. 2. *bis*. Et Joannes apertius in epistola: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Ipse, inquam advocatus, ipse justitia, ipse venia & propitiatio nostra. Non nostra merita, sed sua vulnera coram Patre hic allegat advocatus. O mirum advocandi modum! ubi in advocati merito clientis justitia consistit: causæ modo factus est advocatus, cujus postmodum futurus est judex. Et quando clientem suum damnabit advocatus

pius? O magnam spei nostræ fiduciam! Fratres: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus* *Rom. 8.* *qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Quis nos ab hujus tanti advocati charitate separabit, Fratres, ut non eum totis visceribus diligamus, & in eo omnem spem nostram reponamus? Non me capio præ lætitia, quoties mihi hoc patrocinium in mentem venit. Quando, obsecro, vincetur & cadet causa, quæ Filium Regis unigenitum fratrem nostrum patro- *Psal. 71.* num habet & judicem? Non mihi tanta fiducia in totius cœlestis curiæ patrocinio reposita est: cum enim alia defuerint patrocinia, hic mihi nunquam deerit advocatus. Quam pulchre hoc Psalmista personat, dicens: *Dixi; Confitebor adversum me injusti-* *Psal. 31.* *tiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac*, scilicet impietate mea, *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt*. Quid ergo? Desperabo, quia Sancti tunc non approximabunt? Non utique: sed quid? *Tu*, inquit, *es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me; exultatio mea, erue me a circumdantibus me*. Ad te Domine confugiam deserentibus Sanctis, *in diluvio aquarum multarum*, tempore importuno. Expectat enim Sanctorum omnium interpellatio opportunum tempus: tibi autem Filio Regis, Domino meo, patrono meo, omne tempus est opportunum. Non itaque timebo abyssum aquarum multarum, quam devorat abyssus misericordiarum tuarum Domine.

IN ASCENSIONE DOMINI

CONCIO QUARTA.

De Christi Ascensu et Descensu, et de Historia Euangelii.

Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Actor. I. v. 11.

I. Quærit Anselmus (*a*) rationem, quare Virgo remanserit post ascen- Concio
sionem Filii sui, & dicit: id fa- cxxxix.
ctum; ut esset Discipulorum magistra & consolatio in absentia Filii. Ipsa quippe præfuit Ecclesiæ tanquam rectrix, & gubernatrix. Psalmus: *Et erit firmamentum in terra;* id *Psal. 71.* est Ecclesiæ. Bernardus (*b*): Omnibus firma-

T. II. L 2 men-

(*a*) De Excellentia B. V. Mariæ cap. 7. *Erat præterea, ut hic quidem videtur, utilis & necessaria fidei nostræ conversatio sua post ascensionem Domini inter Apostolos ejus: quia licet ipsi per revelationem Spiritus sancti edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc revelabantur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis ejusdem Domini nostri Jesu Christi.*

(*b*) Seu Auctor Sermonum in Antiphonam *Salve Regina*, qui Bernardo olim adscripti sunt; quosque in volumen tertium inter spuria rejecit Mabillonius pag. 804. Ita vero, ut hic allegat S. Orator, usque ad ea verba: *Mammasti, educasti*, legitur Serm. 3. num. 1.

mentis firmius firmamentum tu Domina; quæ eum, quem cœli cœlorum capere non poterant, cepisti & concepisti: portasti & non defecisti: genuisti, aluisti, pavisti, mammasti, & educasti. Posuit in hoc firmamento Deus, solem & lunam: Christum & Ecclesiam. *In summis montium:* id est, Apo-
1. Cor. 3. stolis. Bene firmamentum: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Filius fundamentum, Mater firmamentum, firmans corda in fundamento. *Superextolletur*
Psal. 71. *super Libanum*, id est, naturam Angelicam: *Fructus ejus;* de quo: *Benedictus fructus ven-*
Lucæ 1. *tris tui. Et* tunc *florebunt de civitate*, id est,
Psal. 71. Ecclesiæ fideles: *sicut fœnum terræ.* Ecce hyems, quando sol nube carnis tectus, & obumbratus fuit in mundo. At postquam Jesus fuit clarificatus, & sol elevatus ascendit: incaluerunt corda, & rigata rore gratiarum floruerunt virore maximo. Exemplum: sicut sole ascendente ad solstitium æstivale omnia implentur, & mundus senior fit juvenis. Potest etiam in alio sensu Virgo dici firmamentum: nam inter cœlos, stellatum cœlum, firmamentum dicitur: & Virgo se habet ad alios Sanctos sicut firmamentum; in quo omnia sidera, ad alios cœlos, in quorum quolibet est tanquam unicum sidus. In cæteris namque virginibus per partes, in Maria vero tota se infundit plenitudo gratiæ. Sicut igitur a firmamento influentia in reliquos; ita a Virgine influentia gratiarum in Ecclesia. Ad ipsam ergo &c.

II. Videnda sunt duo; scilicet: quomodo ascendit: & secundo, quomodo descensus est similis ascensui: quandoquidem ascensus in gaudio sit, & descensus in terrore. Sponsa
Cant. 8. *in Canticis:* post longam confabulationem cum sponso, in fine pro valedictione: *Fuge*, inquit, *dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Quomodo tu o sponsa, quæ tam diu desiderans adventum tui sponsi, clamasti per ora Pro-
Isaiæ 64. phetarum; Isaiæ: *Utinam dirumperes cœlos, & descenderes!* Et iterum: *Rorate cœli de-*
Ibid. 45. *super, & nubes pluant justum, aperiatur terra & germinet Salvatorem;* Et iterum: *Emit-*
Ibid. 16. *te agnum Domine dominatorem terræ, de pe-*
Ibid. 62. *tra deserti ad montem filiæ Sion;* Item: *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus: & salvator ejus ut lampas accendatur;*
Psal. 39. Et Propheta David: *Adjutor meus & protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris;*
Mich. 7. Michææ: *Ego ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum Salvatorem meum.* Ecce quomodo eum inclames, quantum illum desideres o sponsa! Quam dissimilis finis principio! Quomodo repetisti; *Osculetur me osculo oris sui:*
Cant. 1. de incarnatione sitibunda; & nunc
Ibid. 8. invitas, ut vadat, dicendo: *Fuge dilecte mi.*

Pondera: hic *liber Canticorum* cœpit ab incarnatione, & finitur in ascensione. Ecce Prophetiam: & quod magis stupeamus; vix cœpit abire, & statim clamat: *Revertere: si-*
Ibid. 2. *milis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether.* Quid hoc? modo it, modo revocas? Quid subito in tam brevi emersit, oblita ne aliquid? Etiam, oblita totum quod non ille, se quoque ipsam. Denique cum sit rationis non expers, non tamen modo, ut videtur, rationis est compos. Sed nec in sensu illi ullatenus apparet verecundia esse, quam forte habet in moribus. Amor intemperans facit hoc. Nempe is est, qui omnem in se triumphans captivansque pudoris sensum, convenientiæ modum, deliberationis consilium, totius modestiæ & opportunitatis neglectum quendam, & quandam incuriam parit. Nam vide; nunc illum pene adhuc incipientem ire; jam statim redire flagitat, & quem reverti desiderat, fugam iterum accelerare rogat, & quidem currere instar unius alicujus feræ sylvarum velociter currentis, verbi gratia, capreæ hinnulive cervorum. Hæc Bernardus (*a*) (*a*)
sermone septuagesimo tertio in Cantica: & iterum, *sermone septuagesimo quarto*. Liquet, ait, non adesse sponsum, quem revocat sponsa: affuisse tamen, idque non longe ante, quippe qui dum abiret, revocari videtur. Intempestiva itaque revocatio magni unius amoris, magnæ alterius amabilitatis indicium est.

III. Sed quid etiam est, quod fugere eum hortatur, non abire? Non decet fugere tantam excellentiam sponsi. Non est ipsius hoc. Noli imponere illi o sponsa talem ignaviam. Ecce non fugit clavos, non lanceam, non flagella, non crucem, non mortem turpissimam; & nunc, postquam est immortalis fugere debet? Absit hoc a te Domine. Et quare sicut animalia campestria & sylvestria, sicut caprea & hinnulus? Et iterum: propter quod optatur talis redire qualis mittitur; nam eadem verba dicit, dum incitat illum abire, quæ inclamat, quando desiderat ipsum redire. Et qui sunt isti montes, super quos ire & redire monetur? Hæc omnia mysteria magna sunt. Duo nos tangemus; scilicet, primo: quænam alia adhuc sit ratio, præter amorem sponsæ tenerrimum, cujus modo meminimus: quare illa quæ vocabat, invitet ut vadat; secundo: quare reditus similis sicut ipse ascensus. De primo: omnia quæ Christus gessit ad nostram utilitatem sunt. Bernardus (*b*): Totus est mihi datus Jesus, & (*b*)
in meos usus expensus. Apostolus: *Traditus* Rom. 4.
est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Ascendit propter glorificationem nostram: utilis igitur adventus sponsi, utilis recessus. Ecce venit in mundum, & *mundus eum non cognovit*, non agno- Jo. 1.
scit eum mundus: recedit a mundo, & secum

(*a*) Serm. 73. & 74. in Cant. num. 1. utrobique.
(*b*) *Totus siquidem mihi datus, & totus in meos usus expensus est.* Serm. 3. in Circumcis. Dom. num. 4.

cum rapit totum mundum. *In propria venit & ſui eum non receperunt;* abeuntem ſequuntur, quem venientem noluerunt recipere.
*Pſal.*38. Quid enim ait? *Advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes* filii tui; & iterum:
Pſ. 101. *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio*, & ſequitur: *Factus ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Sed uſquequo Domine tu ſolus & nullus tecum?
Pſ. 104. *Singulariter*, inquit, *ſum ego donec tranſeam:* ſcilicet ex hoc mundo ad Patrem. *Exurge* ergo *Domine in præcepto quod mandaſti, &*
Pſal. 7. *ſynagoga populorum circumdabit te.* Propter hanc veniſti, *& propter hanc in altum regredere.* Quamdiu hic es, etiam virorum paucitas vix ſequitur te. *Exurge:* & non ſolum congregatio virorum, ſed populorum & provinciarum & regnorum circumdabit te.

IV. *Circumdederunt me*, inquit, *ſicut apes,*
Pſ. 117. *& exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Quando?
Act. 2. niſi quando miſſus eſt de cœlo ille ignis Spi-
Pſal. 7. ritus ſancti. *Exurge* ergo *Domine in præcepto quod mandaſti.* Quod præceptum? niſi de
Jo. 15. quo dicitur: *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem.* Amor igitur præceptum eſt quod mandaſti. *Exurge* in amore: amore veniſti, amore recede. Charitas quæ te du-
Pſal. 7. xit, ipſa te reducat in cœlum. *Et propter hanc in altum regredere;* ſed revertere dilecte mi. Sequitur: *Dominus judicat populos.* O quomodo uno ſpiritu ſponſa in *Canticis* loquitur per Salomonem, & *in Pſalmis* per David! Noli igitur o ſponſe dulciſſime, ait Eccleſia, manere jam ut paſſer ſolitarius;
*Pſal.*10. ſed *tranſmigra in montem ſicut paſſer*, & in
*Pſal.*16. tuis alis cor meum ſurſum elevans, *ſub umbra alarum tuarum protegar*, donec *aſpiret dies, & inclinentur umbræ.* Pſalmus: *Paſſer*
Cant. 2. *invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi ubi ponat pullos ſuos*, id eſt, fideles ſuos, vel
*Pſal.*83. deſideria ſua. *Altaria tua Domine virtutum.* Quæ altaria, niſi altare holocauſti, corpus; & altare thymiamatis, Divinitas? Non poterat Eccleſia alere pullos ſuos, niſi eleva-
*Habac.*3. retur Dominus. Habacuc tertio: *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo:* Gregorius (*a*):
(*a*) Elevato ſole in ſuo ordine luna ſtatuitur; quia aſcendente ad cœlos Domino, ſancta prolibus Eccleſia in prædicationis authoritate roboratur. Cum ergo ex receſſu Domini tanta utilitas Eccleſiæ futura erat: nihil mirum, ſi hortatur receſſum, quæ optabat ad-
Jo. 14. ventum. Dominus dixerat in Euangelio: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado*
(*b*) *ad Patrem.* Quod exponens Leo (*b*) Papa, ſic ait: Vobis enim hæc præſtatur aſcenſio; & ſuper omnes cœlos ad Patris dexteram collocanda veſtra in me humilitas elevatur. O quanta naturæ noſtræ excellentia, o quanta dignitas hominis! Ecce homo eſt, quem adorant Angeli; homo eſt qui ſedet ad dexteram Dei; homo, qui univerſa moderatur; caput noſtrum tanta dignitate decoratur, tanto honore ſublimatur. Quomodo ergo non ſpectat ad membra honor ipſe capitis? An non coronato capite omnia in ipſo corporis membra coronantur? Nec enim cuilibet membro una corona, ſed una capitis corona omnia membra venuſtat. Noſtra ergo, noſtra ſolemnitas eſt. Non ſolus aſcendit, ſed cum ipſo aſcendimus omnes. Apoſtolus ad Epheſios: *Deus qui dives eſt in miſericor-* *Epheſ.*2.
dia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu: ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu. Sed quomodo jam ſedemus, qui adhuc fluctuamus, qui adhuc anguſtiamur agitati fluctibus peccatorum? S. P. Auguſtinus (*c*) *libri Meditationum de-* (*c*)
cimo quinto capite: Filius, inquit, Dei, Deus noſter, non Angelos, *ſed ſemen Abrahæ ap-* *Heb.* 2.
prehendit, aſſimilatus nobis per omnia abſque *Ibid.* 4.
peccato. Humanam itaque non angelicam ſuſcipiens naturam, & eam ſtola ſanctæ reſurrectionis & immortalitatis glorificans, vexit ſuper omnes cœlos, ſuper omnes choros Angelorum, ſuper Cherubim & Seraphim, collocans ad dexteram Dei Patris. Eſt autem in ipſo Jeſu Chriſto Domino noſtro uniuſcujuſque noſtrum portio, caro & ſanguis. Ubi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo: ubi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me eſſe cognoſco: ubi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio. Quamvis peccator ſum, de hac communione gratiæ non diffido; & ſi peccata me prohibent, ſubſtantia mea requirit; & ſi delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis eſt Deus, ut obliviſcatur hominis; & non meminerit ipſius, quem in ſe geſtat, & quem mei cauſa ſuſcepit. Habemus ergo ſanguinis noſtri prærogativam in ipſo, etiam in cœlo. Quia igitur, ut ait Leo (*d*) ſanctus, Chriſti Aſcen- (*d*)
ſio noſtra provectio eſt, & quo præceſſit gloria capitis, eo ſpes vocatur & corporis: dignis dilectiſſimi exultemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur: dum non ſolum paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cœlorum in Chriſto ſuperna penetravimus, & ampliora adepti ſumus per ineffabilem Chriſti gratiam, quam per diaboli amiſeramus invidiam: dum, quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecerat, hos ſibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit.

(*a*) Homil. 29. in Euang. num. 10. *Elevatus eſt ergo ſol, & luna ſtetit in ordine ſuo: quia cum Dominus cœlum petiit, ſancta ejus Eccleſia in auctoritate prædicationis excrevit.*

(*b*) Serm. 77., alias 75., cap. 5. Unica periodus ſequens eſt S. Leonis.

(*c*) Uſque ad ea verba: *& quem mei cauſa ſuſcepit*, hauſta ſunt ex lib. Medit. cap. 15. in Append. tom. 6. noviſs. edit.

(*d*) Uſque ad ea: *Ad dexteram Patris collocavit.* S. Leonis verba ſunt Serm. 73., alias 71. cap. ult.

V. Sed videamus de ſecunda dubitatione: Quare ſicut hinnulus abire, & ſicut hinnulus redire monetur. Hinnulus iſte, de quo dici-
Iſaiæ 9. tur: *Parvulus enim natus eſt nobis;* cervus natura animal mitiſſimum eſt: ſed licet innoxium ſit & ſine furore; ſuper omnia tamen & potiſſime eſt manſuetiſſimus. Hinnulus quippe nondum habet cornua. Dei ergo, qui natura manſuetiſſimus eſt, tunc maxime apparuit benignitas, quando apparuit huma-
Cant. 2. nitas, ut ait Apoſtolus. Quid eſt ergo? *Revertere: ſimilis eſto dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum?* niſi, ac ſi diceret: qualis recedis de mundo, talis redi. Ecce in gaudio vadis, non venias cum furore. Ecce agnus vadis, non venias leo. Nam ſi in forma Dei, & in poteſtate, & in majeſtate appareret: quis ſuſtineret? Hoc petit Pſalmo-
Pſal.71. graphus dicens: *Deus judicium tuum* Filio *da, & juſtitiam tuam Filio Regis.* Committe Pater judicium Filio tuo, non tu venias judicaturus: quia etſi adſit benignitas tibi, non adeſt humanitas. Quis enim tuam præſentiam ſuſtineret? Ipſe veniat judex, qui extitit redemptor. Judicet homines homo Deus: ipſe qui expertus eſt meos labores, noſtram fragilitatem, figmentum
Pſ. 138. noſtrum. *Imperfectum meum viderunt oculi* ejus: etiam ideo, ipſo judicante, *in libro tuo omnes ſcribentur.* Non poterit non miſereri captivorum, quos tantis doloribus, tantis laboribus redemit: pro quibus mortem obtulit in ſacrificium, & ſanguinem dedit in pretium. Ecce, ſi ſic veniente totus concutietur mundus; &, ut ait Hiero-
(*a*) nymus (*a*) etiam reges ipſo præſente timebunt & nudo pectore palpitabunt: quanto magis ſi in forma Dei veniret? Propheta: Et homo eſt, & quis videbit eum? Mala-
Malac.3. chias: *Ecce venit: & quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum?* Quanto magis, ſi non eſſet homo. Nunc enim, ſi conſcientia ſtimulat, naturæ ſimilitudo conſolatur. Et hoc eſt, quod Angeli promittunt in themate: *Hic*
Act. 1. *Jeſus qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in*
(*b*) *cœlum.* S. P. Auguſtinus (*b*): In forma, in eadem nube, cum eiſdem plagis: ita viſibiliter; & crucem, quam portat in triumphum, referet in ſignum judicis & ſceptrum.
Ibidem. *Quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum, ita veniet.* Sed beati quibus ſic veniet; nam impiis, cum Deus manifeſte venerit, non ſi-
Pſal.49. lebit: ſed *ignis in conſpectu ejus exardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida.* Veniat ergo Deus homo; quoniam Pater judicium
Jo. 5. dedit Filio; & non quia Filius eſt ſolum, A ſed quia Filius hominis eſt. Ut ſcilicet in ea forma judicet peccatorem, in qua pro peccatoribus paſſus eſt. Igitur cum Parente Auguſtino (*c*), *libro Meditationum capite decimo ſexto:* Gratias ago labiis & corde, & & omni qua valeo virtute, infinitæ miſericordiæ tuæ Domine Deus noſter, pro omnibus miſerationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis ſubvenire dignatus es; per eundem Filium tuum ſalvatorem & recuperatorem noſtrum, qui mortuus eſt propter *Rom. 4.* peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram: & nunc vivens ſine fine B ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis; & ſimul tecum miſeretur: quia Deus *Ibid. 3.* eſt ex te Patre coæternus & conſubſtantialis tibi per omnia; unde poteſt in perpetuum *Heb. 9.* nos ſalvare: & ſecundum id quod homo eſt, ex qua parte minor te eſt, *conſtitutus eſt* *Act. 10.* *Judex vivorum & mortuorum.* Ipſe ſane, qui injuſte judicatus eſt, *judicabit orbem terræ* *Pſal. 9.* *in æquitate, & populos in juſtitia.*

VI. Nunc de hiſtoria videamus quomodo aſcendit. Poſtquam igitur Dominus conſummavit opus noſtræ redemptionis, & ſuam reſurrectionem multis argumentis probavit; C perfectis omnibus quæ ei Pater imperaverat, parat reditum ad Patrem. Et cum ſæ- *Act. 1.* pius apparuiſſet Diſcipulis, ut ajunt Euangeliſtæ: *noviſſime recumbentibus illis apparuit.* *Marc.16.* Vide hic quomodo ſtupent præ gaudio. O quomodo obliviſcuntur ciborum! *Et exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cor-* *Lucæ 24.* *dis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe,* *Marc.16.* *non crediderunt.* Increpavit eos de incredulitate, quibus poſt reſurrectionem ſuam *præ-* *Act. 1.* *buerat ſemetipſum vivum poſt paſſionem ſuam* *in multis argumentis, per dies quadraginta,* *apparens eis & loquens de regno Dei.* Et D *dixit eis: Euntes in mundum univerſum præ-* *Marc.16.* *dicate Euangelium omni creaturæ.* Miſit eos prædicare fidem, & ut patienter ſuſtinerent; ſi non faciliter converterent alios: & conſtituit eos totius orbis prædicatores. *Præcepit* *Act. 1.* *eis* etiam *ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed* *expectarent promiſſionem Patris,* & *quoaduſque induerentur virtute ex alto;* hoc eſt: ac- *Lucæ 24.* ciperent Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes. Chryſoſtomus (*d*): Non permiſit, in- (*d*) quit, eos exire ad conflictum ſine armis, non habentes clypeum neque protectos galea. His ergo completis, ſicut bonus Paſtor gre- E gem ſuum & peculium, ait Euangeliſta Lucas: *Eduxit eos foras in Bethaniam.* Vide *Ibidem.* nunc, quomodo procedunt Apoſtoli, & diſcipuli, & mulieres, & Virgo ſacratiſſima. Eis igitur in monte Oliveti conſtitutis, iterum eos longo ſermone conſolatur. Apoſtoli autem,

(*a*) Epiſt. 5. ad Eliodorum Monachum, alias Epiſt. 1. ſub finem. *Judicaturo Domino, lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient. Potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.*

(*b*) Vide Serm. 265. num. 2., alias 6. inter additos a Pariſienſibus.

(*c*) Uſque ad ea verba: *qui injuſte judicatus eſt.*

(*d*) In Acta Apoſtolor. cap. 1. Homil. 1. *Quemadmodum milites in multitudinem erupturos nemo patitur exire, priuſquam armati fuerint... Ita nec Chriſtus Diſcipulos ſuos paſſus eſt in acie conſpici, priuſquam deſcenderet Spiritus, ne facile caperentur, & abducerentur a multitudine.*

autem, videntes quoniam jam abiret; quæ-
runt: *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues re-*
Act. 1. *gnum Iſrael?* id eſt, a ſervitute Romanorum
eripies. Ecce ſcimus quia Meſſias es, & re-
ſtituere habes regnum: expectavimus uſque
modo; videmus quod recedis non liberato
regno. Quando ergo reſtitues? O infirma
corda, o quanta ſimplicitas! Tunc quando
cœleſtia penetrat Dominus, de regno tempo-
rali ſollicitantur. Dominus autem ad quæ-
ſtionem in ſenſu ſimplici, & non eorum reſ-
ponſis ait: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel*
Ibidem. *momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*
Non hoc attinet ad vos: ſed attinet ſolicite
conſiderare converſationem meam, & do-
ctrinam, & opera: quid vobiſcum egerim,
quid paſſus ſim, quid docuerim: quoniam
futuri *eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in*
Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum
terræ. Cum igitur in iſtis aliquantulum mo-
raretur: ecce jam totus aer plenus erat mi-
litiæ cœleſtis, tota cœleſtis curia cum in-
genti tripudio Regis ſui triumphum applau-
dit. O quis fuiſſet ibi, & apertis oculis &
puro intuitu vidiſſet tantam multitudinem
Angelorum! Pro una hora mille dies. Vo-
litant interim per aera cœleſtes illæ natu-
ræ angelicæ Poteſtates, arena maris & ſtel-
lis cœli numeroſiores. Eja Rex majeſtatis
quid moraris? Ecce jam currus triumphalis
ſurſum apparet, ſplendet nubes illa coru-
ſcis & fulgentibus radiis. Te expectat om-
nis illa cohors angelica clamans: *Surge Do-*
Pſ. 131. *mine in requiem tuam, tu & arca ſanctifi-*
cationis tuæ. Juſtum eſt enim, ut ſedeat
in throno gloriæ, quod pro omnium ſalute
pependit in patibulo crucis. Videbat inte-
rim Dominus Jeſus, & contemplabatur ovi-
culas illas paucas, & præ reliqua multitu-
dine deflectebat oculos ſuos in gemmam
illam pretioſiſſimam, ſacratiſſimam Virgi-
nem Matrem ſuam.

VII. Cum igitur vellet levari, ſigillatim
quilibet Apoſtolus oſculatur manus: & Do-
minus amplexatus eſt illos. O quomodo il-
le ſenex venerabilis Petrus, quomodo totus
plenus lacrymis adhæret veſtigiis Redempto-
ris, quomodo dilectus ille Diſcipulus Joannes
exoſculatur pedes Domini ſui! Noviſſime ve-
ro & ultima venit Virgo Mater, & Filium
amplexata eſt. Et ipſa vellet inter brachia
Unigeniti ſui evolare cum illo ad cœlum. O
quanta lætitia! O quantum gaudium per-
mixtum lacrymis! O quanta devotio! Quid
dixiſti Domine recedens Matri tuæ? O E-
vangeliſtæ quare tacuiſtis? Multum deſide-
ramus omnes ſcire amicum illud ultimum vale.
Potuit interim ſequentia forte dicere roganti
Matri, ut ſecum illam portaret. Neceſſaria
eſt o Mater mea veſtra præſentia adhuc in
terris: conſolaberis familiam iſtam in hoc
mundo. Ego autem ſemper futurus in veſtro
corde, qui fui novem menſibus in veſtro ſa-
cratiſſimo utero: & licet recedam, non re-

A cedo. Iſta particula quam de vobis ſumpſi,
modo collocabitur in cœlis, & ego parabo
vobis ſedem in latere meo. Et dictis iſtis:
Elevatis manibus ſuis, ait Lucas, *benedixit*
eis, dicens: Benedictio Patris mei, & mea, *Lucæ 24.*
& Spiritus ſancti ſit ſuper vos, & in omni
neceſſitate vos protegat, conſervet, auxi-
lietur, & opituletur vobis filii mei. *Et fa-*
ctum eſt, cum benediceret eis, receſſit ab eis,
& ferebatur in cœlum. Et cœpit elevari
ſenſim & paulatim. Tunc incipiunt chori
angelici ſymphoniarchæ illi cœleſtes inſona-
re omnis generis muſicalibus inſtrumentis:
B fiſtulis, citharis, teſtudinibus, lyris, ſam-
bucis, panduris. Nam ut ait Pſalmus: *A-* *Pſal. 46.*
ſcendit Deus in jubilo: & Dominus in vo-
ce tubæ. Reſonant igitur illa inſtrumenta
admixto cantu angelico etiam forte corpo-
rali, ſicut muſica in Natali fuit. Illo au- *Lucæ 2.*
tem aſcendente ſequebantur oculis Apoſtoli
& Virgo ſacratiſſima, quem non poterant
corporibus: & eorum animas & corda ſe-
cum rapuit. Et poſtquam oculi non attin-
gebant, adhuc devotio comitabatur abeun-
tem. Tunc igitur impletum eſt illud: *Et*
erit unum ovile & unus Paſtor. Tunc ſe *Jo. 10.*
C mutuo conjungunt animæ beatæ cœleſtibus
agminibus, & ſalutant ſe mutuo Spiritus illi
cœleſtes, & Patriarchæ: & medius Rex glo-
riæ incedit cum ingenti gloria & triumpho.
Potuit dicere, quod dixit Jacob: *In baculo* *Gen. 32.*
meo tranſivi Jordanem iſtum; & nunc cum
duabus turmis regredior. In baculo meo, in
cruce mea, *tranſivi Jordanem*, fluvium ju-
dicii (quod interpretatur *Jordanis*) quando
in fluvio paſſionis meæ adjudicatus ſum mor-
ti; & nunc cum duabus turmis Angelorum
& Patriarcharum regredior in cœlum. O
quanta gloria, o quanta lætitia, o quan-
D ta majeſtas! *Ubi eſt mors victoria tua, ubi*
eſt mors ſtimulus tuus? Ubi eſt inſultatio *1. Cor. 15.*
Judæorum? Ubi arrogantia, ubi ſuperbia
inſultantium & dicentium: *Vah qui de-* *Mat. 27.*
ſtruis templum Dei, & in triduo illud re-
ædificas: ſalva temetipſum: ſi Filius Dei
es, deſcende de cruce? O quam diſſimilia
ſunt hæc iſtis, quæ facta ſunt quadraginta
ante diebus! Ecce qui tunc exutus veſti-
bus pendebat, nunc veſtitus lumine ſicut
veſtimento aſcendit. Qui tunc illudebatur
a ſenioribus, nunc adoratur ab Angelis:
qui tunc pendebat in ligno, nunc vehitur
E in nube: qui tunc habebat latrones ad la-
tus, nunc ad dexteram Patris ſedet; & oſſa
quæ tunc ſepulchro claudebantur, nunc in
gloria in cœlo collocantur. Quæ lingua, quæ
vox, quis ſenſus poterit diei hujus feſtivam
ſolemnitatem dicere, poteſtatem aſcenden-
tis, jucunditatem animarum, lætitiam An-
gelorum, cantus illos, tripudia ingentia de-
clarare?

VIII. Sed ex dictis Prophetarum etiam
aliquid expreſſum habemus. Poſtquam enim
paulatim ab oculis Apoſtolorum evanuit,

tunc,

tunc, ut ait Chryſoſtomus (*a*) Angeli aſcendebant & deſcendebant ſuper Filium hominis, ſecundum Euangeliſtam; & qui aſcendebant, clamabant, ut ait S. P. Auguſtinus (*b*): *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.* Alii vero (non ex ignorantia ſed admiratione) reſpondebant: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et iſti: *Dominus fortis & potens, Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Similiter Angeli deſcendentes dicebant: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?* Quis eſt iſte? Dicite o Angeli? Inquiunt: Iſte eſt, in quo condita ſæcula; iſte, per quem facta ſunt omnia; iſte, Unigenitus Patris, Princeps gloriæ, Dominus majeſtatis; iſte eſt, qui fecit potentiam; iſte, qui triumphavit de hoſte; iſte redemptor ſæculi, mundi ſalvator. Sed melius ad quæſtionem ipſe reſpondeat etiam: *Ego*, inquit, *qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum.* Quærunt: *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* *Cui* ipſe reſpondit: *Torcular calcavi ſolus: & de gentibus non eſt vir mecum.* Gregorius (*c*): Solus enim torcular in quo calcatus eſt, calcavit, qui ſua potentia eam, quam pertulit paſſionem, vicit. Nam qui uſque ad mortem gratis paſſus eſt, de morte cum gloria triumphavit. Bene autem dicitur, *& de gentibus non eſt vir mecum:* quia hi pro quibus pati venerat, paſſionis ejus participes eſſe debuerant: qui pro eo quod illo tempore necdum crediderant, de ipſis in paſſione quæritur, quorum vita in illa paſſione quærebatur. Domino igitur coram Apoſtolis aſcendente, duo Angeli mittuntur, qui in veſtibus albis ſuper Apoſtolorum capita apparentes, dixerunt eis: *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Quid miramini cœli factorem aſcendere ad cœlum, & quod aſcendat ad Patrem ſuum Unigenitus Filius ſuus? Quid mirum ſi aſcendat Deus, quid mirum ſi exaltetur Deus, quid mirum ſi regnet Deus? Magis mirari debuiſtis eum in utero clauſum, in præſepio arctatum, in cruce affixum, lactentem ubera, ſuſtinentem tormenta. Illa vidiſtis & expaviſtis. Admirati ſunt cœli, ſol obſtupuit, terra tremuit. Nunc autem admirari non debetis, ſed gaudere; & quaſi cras eſſet rediturus, ſic conſolari de reditu: non enim eſt tempus magnum, quantumcumque ſit, breve eſt quidquid finitur. Chryſoſtomus (*d*) ait: Angelos iſta dixiſſe, non ſolum conſolando de reditu; ſed magis, ut darent teſtimonium; nam oculi non potuerunt ipſum videre aſcendentem uſque in cœlum. Ne ergo putaretur raptus in paradiſum terreſtrem ut Elias; angelico teſtimonio confirmatum eſt, quod omnibus probari non potuit, ſcilicet, quod in cœlum & non in paradiſo eſſet aſcenſus. Dicunt enim: *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, &c.*

(*a*) tunc, ut ait Chryſoſtomus (*a*) Angeli aſcen- A
Jo. 1. debant & deſcendebant ſuper Filium homi-
nis, ſecundum Euangeliſtam; & qui aſcen-
debant, clamabant, ut ait S. P. Auguſti-
(*b*) nus (*b*): *Attollite portas principes veſtras,*
Pſal. 23. *& elevamini portæ æternales: & introibit*
Rex gloriæ. Alii vero (non ex ignorantia
ſed admiratione) reſpondebant: *Quis eſt iſte*
Rex gloriæ? Et iſti: *Dominus fortis & po-*
tens, Dominus virtutum ipſe eſt Rex glo-
riæ. Similiter Angeli deſcendentes dice-
Iſaiæ 63. bant: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tin-*
ctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola
ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? B
Jo. 1. Quis eſt iſte? Dicite o Angeli? Inquiunt:
Iſte eſt, in quo condita ſæcula; iſte, per
quem facta ſunt omnia; iſte, Unigenitus
Patris, Princeps gloriæ, Dominus majeſta-
tis; iſte eſt, qui fecit potentiam; iſte, qui
triumphavit de hoſte; iſte redemptor ſæcu-
li, mundi ſalvator. Sed melius ad quæſtio-
nem ipſe reſpondeat etiam: *Ego*, inquit,
Iſaiæ 63. *qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad*
ſalvandum. Quærunt: *Quare ergo rubrum eſt*
indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut
calcantium in torculari? *Cui* ipſe reſpondit:
Torcular calcavi ſolus: & de gentibus non C
(*c*) *eſt vir mecum.* Gregorius (*c*): Solus enim
torcular in quo calcatus eſt, calcavit, qui
ſua potentia eam, quam pertulit paſſionem,
vicit. Nam qui uſque ad mortem gratis
paſſus eſt, de morte cum gloria triumpha-
vit. Bene autem dicitur, *& de gentibus*
non eſt vir mecum: quia hi pro quibus pa-
ti venerat, paſſionis ejus participes eſſe de-
buerant: qui pro eo quod illo tempore
necdum crediderant, de ipſis in paſſione
quæritur, quorum vita in illa paſſione quæ-
rebatur. Domino igitur coram Apoſtolis
aſcendente, duo Angeli mittuntur, qui in
veſtibus albis ſuper Apoſtolorum capita ap-
parentes, dixerunt eis: *Viri Galilæi quid* *Act. 1.*
ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Jeſus, qui
aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet,
quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.
Quid miramini cœli factorem aſcendere ad
cœlum, & quod aſcendat ad Patrem ſuum
Unigenitus Filius ſuus? Quid mirum ſi aſcen-
dat Deus, quid mirum ſi exaltetur Deus, quid
mirum ſi regnet Deus? Magis mirari debuiſtis
eum in utero clauſum, in præſepio arctatum,
in cruce affixum, lactentem ubera, ſuſtinen-
tem tormenta. Illa vidiſtis & expaviſtis.
Admirati ſunt cœli, ſol obſtupuit, terra tre-
muit. Nunc autem admirari non debetis,
ſed gaudere; & quaſi cras eſſet rediturus,
ſic conſolari de reditu: non enim eſt tem-
pus magnum, quantumcumque ſit, breve eſt
quidquid finitur. Chryſoſtomus (*d*) ait: An- (*d*)
gelos iſta dixiſſe, non ſolum conſolando de
reditu; ſed magis, ut darent teſtimonium;
nam oculi non potuerunt ipſum videre aſcen-
dentem uſque in cœlum. Ne ergo putare-
tur raptus in paradiſum terreſtrem ut Elias; *4. Reg. 2.*
angelico teſtimonio confirmatum eſt, quod
omnibus probari non potuit, ſcilicet, quod
in cœlum & non in paradiſo eſſet aſcenſus.
Dicunt enim: *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt* *Act. 1.*
a vobis in cœlum, ſic veniet, &c.

(*a*) Homil., ſeu Serm. de Aſcenſione Domini, ſatis poſt medium.

(*b*) Serm. 179. in Append. num. 3., alias Serm. de tempore 178.

(*c*) In Ezechiel. lib. 2. Homil. 1. num. 9. uſque ad ea verba: *in illa paſſione quærebatur*, licet aliqua aliter in fonte legantur; ut pro *triumphavit: ſurrexit:* pro *participes eſſe debuerant: eſſe participes debebant.*

(*d*) Vide Homil., ſeu Serm. de Aſcenſ. Dom. ſatis poſt medium.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI

CONCIO PRIMA.

DE PROPRIETATIBUS MANNA, ET VENERABILIS EUCHARISTIÆ.

Manhu. Exod. 16. v. 15.

CONCIO CXL.

I. HOc verbum dixerunt Filii Iſrael, viſo cibo quem illis Dominus effuderat circa caſtra tantæ rei novitate perciti, admirantes ad invicem: *Manhu?* Et inde cibus ille Manna nomen accepit. Non ſecus, ut exiſtimo, in Eccleſia Dei hodie contingeret, ſi inter nos philoſophorum aut paganorum caterva conſiſteret. Inſpecta enim hac noſtra celebritate, viſo pupuli jubilantis concurſu, ſacerdotum laudantium apparatu, miniſtrantium ordine, canentium jubilo, ſaltantium tripudio, inſtrumentorum ſonitu, veſtium ſplendore, plebis exultantis applauſu, inſpectato etiam honore, reverentia, cultu, qui ſacræ Hoſtiæ ab omnibus exhibetur: quid aliud putas dicerent inter ſe? Quid aliud acclamarent,

Exod. 16.

rent, nisi *Manhu?* Quid est hoc? Quis honor hic panis, quænam hæc reverentia cibi? Hi quos videmus, viri prudentes sunt, cordati sunt, plebs nobilis & urbana, gens sapiens & diserta. Quomodo illi hostiæ genuflectunt, quomodo divinos pani præstant honores? Quid obsecro, istis respondebimus, Fratres, quid illis dicemus; nisi quod admirantibus Hebræis dux eorum Moyses illis respondit: *Exod.16.* *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum?* Non qualiscumque, sed *panis vivus, qui de cœlo descendit:* *Jo. 6.* panis Angelorum: panis animarum: panis vitæ: *Sap. 16.* *panis quem qui manducaverit, vivet in* *Jo. 16.* *æternum*. Nunquid non merito hujusmodi panis honoratur? An non vobis hoc dignus videtur honore? Si quis ex vobis pane aliquo ærumnosam hanc vitam centum annos producere posset, nunquid non sicut oculi pupillam panem illum custodiret, nonne illum omnibus mundi divitiis anteponeret? Hic autem panis edenti vitam præstat, non centenariam, sed æternam; vitam jucundam, vitam beatam, vitam omnium bonorum plenitudine felicissimam. Hic est fructus *Gen. 2.* ligni vitæ in medio paradisi positi, de quo qui participat non videbit mortem in æternum. Noli ergo mirari o philosophe, si tali ac tanto cibo, talem ac tantum exhibemus honorem. In hac tamen re experientiam noli consulere, sed fidem: noli intelligere ut credas, sed crede ut intelligas. Sicut scriptum est: *Nisi credideritis* (*a*) *non* *(a)* *Isaiæ 7.* *intelligetis*. Fides docet nos de omnibus: hac magistra hæc omnia facimus, & non confundimur. Si credideritis quod credimus, sentietis quod sentimus. Quanta de *Jo. 65.* hoc pane præconia in Euangelio hodierno Pharisæis, & turbis a Domino dicta sunt! Cum enim, post longam cum Domino disceptationem super illo cibo divinitus illis collato supra modum superbirent, & contemptis Domini Jesu miraculis ei exprobrarent, dicentes: Quod tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi, quid tu operaris? An quod surdos, cæcos, claudos, & ægrotos sanas? Modica sunt & exigua: *Patres* *Ibid. 6.* nostri *manducaverunt manna in deserto*, *Psal.77.* sicut scriptum est: *Panem cœli dedit eis*. Hoc est vere magnum & illustre signum. Quando tu simile aliquod unquam fecisti? Neque facturus es quidem. Quam proprium est lividis extenuare opera, quæ negare non possunt! His, inquam, ita superbientibus responderi poterat aptissime, quod majora & illustriora opera ab ipso facta sunt, quam olim Moyses fecerat, sive in Ægypto, sive in deserto. Sed ne arroganter hoc dictum existimarent, more suo, ut piissimus, ac clementissimus Dominus pro calumnia eis exhibuit disciplinam, sicut scriptum est:

Pro iniquitate erudisti (*b*) *hominem*. (*b*)

II. Quia ergo insipienter Scripturam cita- *Psal.38.* verant, non intelligentes de quo pane Propheta loqueretur, eadem eos authoritate convincit, dicens: *Amen dico vobis, non* *Jo. 6.* *Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*. Panis enim verus est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Quomodo enim ille panis de cœlo erat, qui in aere procul dubio formatus est? Quod si Scripturarum more aer hoc loco cœlum nominatur, sicut & alibi, *volucres cœli*, id est aeris, aves dicun- *Psal. 8.* tur; quomodo igitur quod sequitur verum est: *Panem Angelorum manducavit homo?* *Psal.77.* Nunquid roscidum illum cibum in cœlo Angeli manducant, aut hujusmodi Spiritus cœlestes indigent alimento? Quis hoc dicat? Jam hic cæca Judæorum ignorantia confunditur, non habens quid respondeat. Quas tricas, bone Deus, super hunc locum Rabbini confingunt, deliramenta puerorum subsannatione risuque digniffima. Quidam enim illorum non valentes Scripturam istam exponere, quasi a veritate coacti; divinum radium quo Angeli pascuntur, isti cibo immixtum fuisse confingunt: atque ita fieri autumant, ut hominis & Angeli idem cibus extiterit. Quod quidem non in illo manna, sed in nostro verum est. Splendor enim di- *Sap. 7.* vinæ lucis quod est Verbum Dei, & Angelorum cibus, purissimo Domini & candidissimo corpori infusus, nobis in Sacramento edendus proponitur. Atque ita fit: ut *panem Angelorum* manducet *homo*. Hoc est, quod illos voluit Dominus intelligere. Propter quod, de hoc pane, & ejus dignitate, & fructu, multa subjungit, quæ longum esset modo per singula exponere. Ex quibus illud nostro proposito congruit, quod addidit: *Non sicut manducaverunt patres vestri* *Jo. 6.* *manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Quid in illo temporali cibo gloriamini, qui neque vitam perpetuare, neque sine corruptione in diem alterum custodiri poterat? Hic panis quem ego dabo, perpetuus & incorruptibilis est, perpetuos faciens manducantes. Hujus ille umbra erat, in quo tam impense gloriamini. Ille populum ad horam satiabat, iste satiat in æternum. Dedit vobis Moyses umbram, ego vobis daturus sum veritatem.

III. Quomodo autem in illo manna hujus Sacramenti figura præcesserit, nunc largius prosequamur. Hoc enim Apostolus ad Corin- *1. Cor.* thios insinuat: cum ait. *Nolo vos ignorare* *10.* *fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt; & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari: & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spirita-*

(*a*) Ita vertunt Septuaginta v. 5. cap. 7. Isaiæ, ubi Vulgata legit: *Si non credideritis non permanebitis*. Vide notas ad Conc. 1. in Dom. SS. Trinit.

(*b*) Vox *erudisti*, cujus loco in Vulgata habetur *corripuisti*, legitur apud S. P. Augustinum, & apud S. Ambrosium; nec non in Psalterio Ambrosiano.

ritalem biberunt: (bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.) Qualiter huic Sacramento figura conveniat, nunc exponamus. Erat manna cibus quidam delicatiſſimus, dulciſſimus, candidiſſimus, puriſſimus; non hominum induſtria, ſed Dei virtute formatus; nullum habens cum terra commercium: cibus admirandus & prodigioſus, cui inter alia hæc
Sap. 16. erant annexa prodigia. Primo: quod unus omnium ſaporum plenitudinem continebat. Secundo: quod cuique ſapiebat, ut ipſe erat bonis bene, malis male. Unde quidam illum
*Num.*21. faſtidientes, dicebant: *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*, &c. Cœpas, peponeſque Ægypti, & ollas carnium cupiebant. Tertio: quod unumquemque ad ſuffi-
Ibid. 11. *Exod.*16. cientiam ſatiabat, ſicut ipſe comedens indigebat. Pro unoquoque enim capite, unum colligebatur gomor. Neque pro viro amplius, neque pro puero minus. Et ſic neque edaci deerat, neque parco ſupererat. Hoc miraculum Apoſtolus ad Corinthios annota-
2. *Cor.*8. vit, dicens: *Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit.* Non datus fuit iſte cibus populo in Ægypto; ſed neque ingreſſis terram deſiderabilem, poſtquam uberes terræ fructus guſtaverunt: ſed peregrinantibus in deſerto, donec ingrederetur promiſſam patriam. Neque ſtatim ut egreſſi ſunt de Ægypto, ſed pertranſito prius mari, & ſubmerſis in aqua hoſtibus, & conſumpta farinula, quam eduxerant de Ægypto. Erat quoque aliud non minus in eo mirandum, quod cum in diem alterum ſine putrefactione ſervari non poſſet, Domini tamen præcepto in arca Teſtamenti illius tanti beneficii memoriale ſempiternum illæſum & integrum ſervabatur. Quid, obſecro, Fratres, huic mirabili Sacramento conſonum magis, & accommodatum afferri potuit hoc edulio? Quam expreſſam & quam notoriam continet Sacramenti noſtri figuram? Quid enim dulcius, quid pretioſius, quid purius iſto cibo? qui non de terra eſt, ſed de cœlo
Sap. 16. venit: non hominum opere, ſed Spiritus ſancti virtute, in ſacro Virginis utero formatus omnem habet ſaporem, omnem continet ſuavitatem. In eo omnium virtutum, & chariſmatum plenitudo eſt. Si quis eſurit, accedat ad illum, & omnem in eo reperiet ſatietatem. Si peccator eſt, accedat, & inveniet indulgentiam; ſi juſtus, inveniet gratiam; ſi ægrotus, inveniet medicinam; ſi mortuus, inveniet vitam; ſi mœſtus, inveniet lætitiam; ſi famelicus, inveniet abundantiam. Omnigena ſuavitate reficit iſte cibus; totus cœleſtis, totus divinus; nihil ter-
1. *Cor.*5. renæ fœculentiæ habens admixtum. Tantum a malitiæ fermento caveat qui accedit: azymus enim eſt, & fermentariam non patitur corruptionem. Sapit etiam cuique ſicut eſt: & juxta ſumentis qualitatem, ſuum mutat panis iſte ſaporem. Unde ſancta de illo canit Eccleſia: *Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Mors eſt malis, vita bonis: vide paris ſumptionis quam ſit diſpar exitus.* Habet etiam aliud: quod juxta propriam cujuſque capacitatem reficit unumquemque; edentis namque merito & devotioni reſpondet. Licet enim in ſeipſo infinitæ virtutis exiſtat, non tamen infinitam, ſed proportionatam cuilibet exhibet efficaciam: neque majoribus deeſt, neque minoribus ſupereſt. Cui tamen ſecundum ſe, ex Dei beneplacito determinata menſura, id eſt gomor, limitataque efficacia eſt, quam ex opere operato conferat: ſive ut Sacramentum, ſive ut Sacrificium eſt. Aliunde tamen tantam cuilibet præſtat gratiam, quantam in eo reperit meritorum & diſpoſitionis ſufficientiam. Quotus ergo quiſque fuerit qui accedit, ſive gigas merito, ſive pigmæus ſit, habet in eo gigas unde ſatietur; & pigmæus unde reficiatur. Oceanus eſt gratiarum immenſus. Vas ſuum quiſque uſque ad ſummum repleat: ſive magnum, ſive parvum ſit, Oceanus non minuitur.

IV. Sed ſi jam jugum Pharaonis excuſſit, ſi liber ab Ægypto, peccati ſervitutem evaſit: non enim captivorum & ſervorum, ſed liberorum & filiorum eſt iſte panis. Non etiam eſt civium in patria regnantium, ſed viatorum in deſerto peregrinantium. Qui jam cœleſtis patriæ fructibus ſaginantur, hoc Sacramentali non indiget alimento: ex *Pſal.*80. adipe enim frumenti ſine cortice illa civitas ſatiatur: ſicut in Pſalmo ſcriptum eſt: *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum* *Pſ.* 147. *tuum Sion.* Sed propter quid? *Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum:* quoniam, *benedixit Filiis tuis in te:* quoniam, *poſuit fines tuos pacem:* quoniam, *ex adipe frumenti ſatiat te.* Unde iſte cibus viaticum merito nominatur, quoniam viatorum cibus eſt non civium. In deſerto quippe iſto invio & inaquoſo hoc pane reficimur peregrini, donec ad promiſſam nobis patriam pertingamus. Hinc jam, o Fratres, deſidiam veſtram perpendite: agnoſcite negligentiam; quippe qui corpus in via toties in die reficiatis, & animam miſeram longa peregrinatione laborantem, vel ſemel in menſe reficere negligatis. Satis ſibi quiſque putat, ſi Eccleſiæ præcepto coactus ad annum comunicat. *Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc* 1. *Cor.*11. *non laudo.* Quid mirum o viator, ſi deficis, ſi laſſaris, qui viaticum tuum recipere ad annum protrahis? Quid de infirmitate, & torpore cordis quotidie conquereris, qui illud cibo ſuo ſemel in anno paſcis? Nunquid non legiſti: *Aruit cor meum, quia oblitus* *Pſ.* 101. *ſum comedere panem meum?* Nunquid non vidiſti, quid laſſo corpori cibus conferat? Crede mihi, hoc confert animo viaticum ſalutare. Quod ſi dixeris, non ita experior: hoc eſt quod ego vehementer doleo: quia raro, qui hoc experiatur, inventus eſt dignus. Refici namque hoc edulio, pluribus commune

ne est, sed hanc ipsam refectionem experiri, paucorum est, quos pius Dominus adamavit. Quis hodie cœlestis edulii dulcedinem sentit? Quis in hoc cibo præsentiam majestatis agnoscit? An putas quia gustatus Dominus nullam afferat sumentibus suavitatem? Occultatur quandoque fateor, propter fidem: ut non huic experientiæ nostra credulitas innitatur: sed frequentius hoc nostra evenit tepiditate; quoniam Ægypti farinula gustus infectus cœlestem non percipit alimoniam. Sic enim a populo illo sapidus ille cibus gustatus non est, donec Ægypti farinula penitus consumeretur. O Ægypti farinulam amariſſimam! Et quis hodie hac farinula non polluitur? Curæ hujus sæculi, anxietates, solicitudines, ambitiones, invidiæ, odia, cupiditates, libidines, concupiscentiæ, appetitus effrenes, cogitationes turpes, illecebrosæ passiones, hæc farinula Ægypti sunt. His quisquis inficitur, istius manna dulcedinem non experitur. Mundum ab hac farinula deferat animæ palatum, qui cœleste cupit gustare edulium: si enim quavis terrena passione gustus fuerit infectus, palato cordis non sapit Deus. Non solum ergo ab omni criminis contagio, sed etiam ab omni cupiditatis veneno purgandus est animus, ut illi sapiat Christus.

V. Sed heu miseri, quando hac pestifera farinula carebimus, qui de nostro & molas aquarias & frumentum habemus? Quæ enim rota gravior, quæ ponderosior, quæ mobilior corde nostro, quod passionum inundantium, quasi aquarum torrentium impetu, continue agitatur & trahitur? A principio quippe formationis nostræ usque in vitæ finem uno momento non quiescit, semper volvitur, semper rotatur. Ingratam farinulam vel ad punctum emolere non cessat, neque his molis unquam deest frumentum durissimum quod terat, a sensualitatis inexhauribili horreo demissum: nam continuo illi sensualitas hæc varia frumenta cogitationum passionumque infundit, quæ suo pondere circumvolutum terat. Et proh dolor! nunquam terendo lassatur. O diram hominum cæcitatem!

Psal. 4. *O filii hominum: usquequo gravi corde?* Usquequo improbum istum laborem frustra sustinebitis? Quamdiu sicut vitula Ephraim laboriosam istam trituram diligetis, & duro

Isaiæ 46. isto pistrino fatigari voletis? *Redite*, obsecro,

Oseæ 14. *prævaricatores ad cor.* Frustra enim niti, neque aliud fatigando nisi dolorem quærere, extremæ omnino dementiæ est. Comminatur Dominus virgini cuidam Babylonis per Prophetam comminatione terribili, dicens:

Isaiæ 47. *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon, sede in terra: quia ultra non vocaberis mollis & tenera. Tolle molam, mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, vevela crura, transi flumina, &c.* Morte crudelior hæc indignatio censenda est. Domine,

Psal. 6. Thren. 4. *in* hac *ira tua* non *corripias me!* Infelix anima quæ ostro, & croceis enutrita præ teneritudine & puritate sua, neque levis cujuspiam cogitationis aut inordinatæ affectionis pondus portare volebat; cui omnis culpa etiam venialis graviſſima & intolerabilis erat: nunc pistrino ad molendum dedita, ignominiosas carnis concupiscentias terere & duriſſimas hujus sæculi curas molere, tetramque peccatorum farinam efficere cogitur. Non est hoc miseris filiabus Babylonis terribile propter laboris consuetudinem, quam ab initio vitæ habent; sed filiæ Jerusalem, quæ propter suam superbiam & ingratitudinem a tanti honoris, & altitudinis fastigio cecidit, quæ spiritus inæstimabiles delicias & divitias novit; huic, filiam Babylonis nuncupari, & ut talem laborioso huic pistrino cum injuria deputari, omni absinthio & morte acerbius est. Veluti si filia Regis speciosissima & delicatissima, regio ornatu spoliata, & catenis ligata, ut vile mancipium molere cogatur. Nonne optabilius illi esset millies mori, quam tali opprobrio & vilipendio apud suos haberi? Caveat itaque sibi omnis anima, quæ cœlestis contemplationis dulcedine fruitur, ne propter suam ingratitudinem hujusmodi promereatur iram, & tanto honore privata tam misero officio mancipetur.

VI. Hæc dixerim propter farinulam Ægypti, quam sicut omnino a nobis ejicere non possumus, ita continua solicitudine purgare debemus, ne longa consuetudine animæ lateribus indurata hæreat, & quæ prius flatu levi faciliter exufflari poterat: malleo & clavo postea non cedat. Non quiescat igitur, neque a tergendo manus, neque oculus a rigando: ut si non purum, saltem purgatum deferamus ad altare animæ palatum, quo Dei nostri præsentiam & dulcedinem sentiamus. Sic faciebat qui dicebat: *Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & scopebam spiritum meum.* *Psal. 76.* Nisi enim frequenti exercitio solicite spiritum suum ab hoc pulvere purgaret, in Dei memoria hujusmodi delectationem non utique perciperet. Jam vero quod ut memoriale perpetuum, illud manna in tabernaculo Domino servabatur: quam dilucidum & indubitatum Dominici corporis typum habet. De quo statim post ejus institutionem a Domino dictum est: *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.* *Lucæ 22.* Quid enim aliud hoc Sacramentum in Ecclesia est, nisi magni illius beneficii, quo per sanguinem Agni immaculati rubro passionum carnalium mari calcato, Dei populus ab Ægyptiaca servitute, id est dæmonis potestate ereptus est, memoriale sempiternum? Quod etsi aliquando mortuum est & solutum: sed jam in Domini sanctuario non corrumpitur, sed immortale & incorruptibile perseverat. Hoc ergo suaviſſimo manna tamdiu in hac nostra peregrinatione pascemur, donec cœlestem patriam ingressi uberes illius fructus gustemus. In quorum primo gustu, qua exultatione, qua voce, putas

Exod.16. tas anima noſtra clamabit: *Manhu! Manhu!* Longe eſt enim ab omni ſenſu, ab omni cogitatu, beatitudo illa, gloria illa, ſuavitas illa. Excedit quicquid dicere aut cogitare poteſt animus inæſtimabilis illa dulcedo, quam *Deus præparavit* diligentibus ſe. Hanc *1. Cor.2.* ſuis victoribus repromittit, cum ait: *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* *Apoc. 2.* Vere abſconditum: quia nemo in hac vita novit illud, licet illius ſtillicidia aliquando viris ſpiritualibus concedantur. Abſconditum eſt peregrinis, ſed Dei beneficio prodetur Beatis. Neque ſolum manna, id eſt dulcedo illa beatifica victoribus repromittitur: ſed & calculus candidus, id eſt corporis gloria, & ſole candidior refulgens. Et in illa nomen quoddam mirabile ſcriptum, id eſt filiorum Dei titulus: quo ſummo honore tunc gloriabitur quicumque in hac vita vitiorum fieri mancipium dedignabitur. Talis enim in illa beatitudine quiſque beatus apparebit, ut nemo videns dubitare poſſit, quin ſit illa divina progenies quam cernit. Totus enim divinus, totus deificatus erit animus, & plus habens de Deo quam de ſeipſo: ſicut carbo ignitus, qui ignis potius quam carbonis naturam oſtendit. Faciat Deus optimus maximuſque, ut hac puritate hoc Sacramentale manna in hoc deſerto guſtemus: ut per illud confortati, ad illud quod in patria cœleſti promittitur perveniamus, illo præſtante, qui ſeipſum dedit in cibum fidelibus ſuis. Cui cum Patre, & Spiritu ſancto, eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE AUGUSTISSIMO SACRAMENTO

CONCIO SECUNDA.

De Existentia Corporis Christi in SS. Sacramento.

De eodem themate: *Manhu.* Exod. 16. v. 15.

Concio CXLI. (*a*) I. VEra illa beati Leonis Papæ ſententia (*a*) eſt, Fratres, qua dicitur: Neminem ad cognitionem veritatis magis appropinquare, quam qui intelligit in rebus divinis, etiam ſi multum proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe quod quærat. Nam qui ſe ad id quo tendit, perveniſſe præſumit, non quæſita reperit, ſed in inquiſitione deficit. *Galat.1.* Unde & Paulus Apoſtolus, licet per revelationem Jeſu Chriſti, & non ab homine, neque per hominem Euangelium didicerit; non *Philip.3.* tamen arbitratur ſe comprehendiſſe, ſed de myſteriorum profunditate quandoque admiratur exclamans: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Suprema (ut exiſtimo) divinorum laus, & Deo magis propria hæc admiratio eſt. Quamdiu namque de divinis intellectus aliquid pronunciat, licet ſublimiter & diſerte cum rei excellentia quodammodo loquendo certet, & propriæ intelligentiæ viribus fretus cum Dei potentia & magnitudine luctari videatur; cum vero in iſto loquendi certamine a rei excellentia victus tacendo ſuccumbit, cum ſuperatus ſilet; tunc incipit de ineffabilibus digne loqui. Et hæc Dei ſupra intellectum victoria, ſuprema ejus & ultima laus eſt. De re enim ineffabili tunc pro noſtra virili digne loquimur, dum ad hoc loquendo pervenimus, ut ſuperati taceamus. Propter quod Pſalmographus Deo canit: *Tibi ſilentium laus* (*b*). *Pſal.64. (b)* Quia videlicet tunc vere Deus lautur, cum laudando ſiletur. Quod in admiratione & ecſtaſi fieri ſolet. Unde Job, hanc Dei ſupra ſe victoriam recognoſcens, ait: *Ecce, Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram.* *Job 36.* Et Propheta David: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.* *Pſ. 138.* De animalibus etiam ſanctis apud Ezechielem legitur: quod dum fieret vox ſupra firmamentum: *Stabant, & ſubmittebant alas ſuas.* *Ezech.1.* Vox ſupra firmamentum divina revelatio eſt; qua audita, omnis ſublimis intellectus, etiam angelicus, per admirationem ſtat, & intelligentiæ ſuæ alas comprimit, quia ſe inferiorem his quæ deſuper audit myſteriis, recognoſcit. Quæ omnia etſi in omnibus aliis myſteriis vera ſint: in hoc tamen Dominici corporis admirabili Sacramento longe apertius, evidentiuſque monſtrantur. Quid enim de tam ineffabili myſterio omnis lingua, etiam angelica perſonare poteſt, niſi: *Manhu?* id eſt: *Quid eſt hoc?* *Exod.16.* Si quis de illo audacter aliquid loquitur, nondum intelligit, quemadmodum oporteat eum loqui. Inacceſſibile eſt enim, & quod neque angelicus penetrare poſſit obtutus. Poſt illud enim magnum & ineffabile ſacramentum, quo *Verbum caro factum eſt;* ſecundum opus *Jo. 1.* eſt: quo panis ſubſtantia in corpus Chriſti mirabiliter convertitur, dicente miniſtro, & operante Deo. Hæ ſunt mirabiles illæ inventiones, quas in populis prædicari Propheta commonet, dicens: *Notas facite in populis adinventiones ejus, mementote quoniam excelſum eſt nomen ejus.* *Iſaiæ 12.* O inventio ſingularis, Deus & homo in uno ſuppoſito Chriſto! O aliam huic, etſi non æqualem, certe ſimilem inventionem; Deus & homo Chriſtus in exiguo ſacramento! Has duas pro nobis inventiones a Dei ſapientia mirabiliter inventas, totis viribus, & toto corde, die noctuque, Fratres, ruminemus, has intelligamus,

(*a*) Serm. 29., alias 28. cap. 1. (*b*) Ita vertit S. Hieronymus.

mus, has laudemus. Christus ipse omnium prodigiorum supremum est, hoc vero Sacramentum miraculorum ab ipso factorum maximum.

II. Neque unum quidem solum miraculum, sed plurium miraculorum mirabile compendium meo judicio dicendum est. Bone Deus! Quis miracula quæ in illo sunt omnia recenseat? Ibi accidentia modum habent substantiæ, quia per se sunt, per se moventur, per se vivam edentis carnem nutriunt. Ibi corpus modum habet spiritus, quia totum in toto, & totum in qualibet parte est. Ibi diviso accidente, substantia non dividitur, sed sub qualibet speciei particula integra perseverat. Neque sicut in confracto speculo, diversarum partium integra quidem, sed alia imago est; ita in Sacramento: sed una eademque substantia in pluribus indivisa reponitur. Ibi etiam corporis Dominici partes, quæ in ordine ad locum nullum habent ordinem, quia simul sunt, habent ordinem ad se invicem, & ad totum, quia confusæ non sunt. Collo enim caput nectitur, non pedi: & brachio manus unitur, non capiti. Jam vero de mirabili illa conversione quid dicam? Panis corruptibilis substantia in gloriosam & incorruptibilem Christi carnem subito, nulla in Christi corpore facta mutatione, solo Sacerdotis sermone convertitur: & cum nihil postmodum de substantia panis remaneat, panem in consecratione annihilari (*a*) pia fidei institutio non concedit, sed converti; ita ut ex illo pane corpus Christi fiat, & vere sit sub panis speciebus: non per loci mutationem, sed per conversionem substantiæ panis in ipsum. Quid hac tam subita inter tam dispares substantias conversione mirabilius? Nunquid non merito in tanti hujus mysterii speculatione, omnis non solum humanus, sed etiam angelicus intellectus prodigiorum magnitudine stupefactus, clamabit: *Manhu?* Admirabilem namque hunc corporis Christi modum, quo sub Sacramento existit, si gratia vel fides non instituit, nulla intelligentia capit. Neque Christi præsentiam in Eucharistia naturali lumine Angelus apprehendere valet. Omnem facultatem excedit, omnem intellectum exuperat hoc secretum. Mira res! Quo non attingit Angelus intelligendo, rusticus pertingit credendo: & plus potest sancta simplicitas credere, quam Angeli vivacitas valeat comprehendere. O miram fidei nostræ virtutem! Quid fide potentius? Quid acutius? Inquisitus Angelus an sub illis speciebus Christus lateat, nisi gratia ipsum doceat, respondebit: Ignoro: interrogatus rusticus fidelis respondebit: Firmiter credo. Sicque penetrat fides rustici, quod non penetrat naturalis visus Angeli.

Exod.16.

III. Hoc denique magnum est fidei nostræ meritum: quod incomprehensibilia credimus; non alio quidem testimonio, quam solo Veritatis dicto. Non per intelligentiam fidem adhibentes, sed per fidem ad intelligentiam ascendentes. Sicut scriptum est: *Credidi propter quod locutus sum.* Et alibi: *Nisi credideritis, non intelligetis* (*b*). Sed quid, obsecro, magnum est, si Christo Domino creditur? Christus ait: *Hoc est corpus meum:* & super hoc quispiam audeat hæsitare? Nam etsi ea quæ dicuntur ardua, & difficilia sunt ad credendum: fidei tamen minuitur difficultas, ubi dicentis consideratur authoritas. Noli considerare quod dicitur, sed quis dicat attende. Intelligite Fratres quæ dico: si quidpiam difficile in hac vestra civitate Imperator assereret; propter ejus authoritatem crederetis illi, quia Imperator est. Crederetis etiam Episcopo vestro, quia Episcopus est: læsa enim imperialis majestas videretur, si illius dicto quisquam fidem auferat. Si sic Imperatori creditur, quomodo credendum est Deo? Quid dicere potest Deus, ut non rei difficultas a dicentis authoritate superetur? Et quidem, si credibilia per seipsa attendas, difficilia sunt: si ad dicentem conferas, facilia sunt. Hinc omnis hæreticorum, & paganorum cæcitas oritur: quia cum dicente dicta non conferunt, sed per se illa discutiunt. Unde dicunt: *Durus est sermo iste: & quid potest eum audire?* Si ergo rem ipsam consideres, mira fides: sed si dicentem Deum attenderis, nihil est quod in fide mireris. Quanta quotidie hominibus credimus, quæ utique non videntur? & sicut scriptum est: *Omnis homo mendax.* Quid ergo magnum, si Deo creditur quicquid dicat? Imo decuit Deum talia populo credenda proponere, quæ nisi a Deo dicerentur, a nemine crederentur: ut per hoc & fides meritum habeat, & Deus in populo suo authoritatem habere videatur. Hæc enim Dei grandis authoritas est, ut quicquid dixerit, sine dubitatione credatur, neque verba ejus discutere liceat: sed dixisse sufficiat. Hanc Deo reverentiam omnis creata intelligentia debet: hanc fidem exhibentes, facimus quod debemus.

Pſ. 115. *Isaiæ 2. (b)* *Lucæ 12.* *Jo. 6.* *Pſ. 115.*

IV. Sed non desunt fidei magna & præclara testimonia. Nam licet articuli fidei incredibiles Gentibus appareant; *Testimonia* tamen eorum, sicut scriptum est, *credibilia facta sunt nimis.* Fides testimonium non quærit, sed habet. Quanta de hoc mysterio testimonia D. Ambrosius (*c*) recensuit, ut pro-

Psal.92. (*c*)

(*a*) Cur panis annihilari non dicatur, esto nihil de ejus substantia in Sacramento remaneat, explicant Theologi. Bellarminus de Sacram. Eucharist. lib. 3. cap. 18. *Atque hinc*, ait, *intelligi potest, cur panis in Eucharistia revera non annihilatur, licet nihil ejus remaneat post consecrationem, quia nimirum actio, per quam panis desinit esse non terminatur ad nihil, sed ad aliquid, nimirum ad corpus Domini; annihilatio autem est actio, quæ terminatur ad nihil.*

(*b*) Ita ex versione Septuaginta, ut Concione præced. adnotavimus.

(*c*) Vide lib. 4. de Sacramentis cap. 4., ubi quatuor adducit exempla.

probaret, fieri posse quod in hoc Sacramento factum esse fides Catholica profitetur? Quantas & quam mirificas conversiones, mutationesque, sæculis superioribus solo dicentis imperio factas, ex veteri testamento citat, quæ hujus rei faciant fidem? Superfluum esset nunc eas repetere, quoniam cunctis notissimæ sunt. Ut est conversio illa virgæ in colubrum, & colubri in virgam; petræ in aquam; aquæ in sanguinem; pulveris in cyniphes; & aliæ similes, quas sub Moyse, & aliis Prophetis factas fuisse Scriptura sacra commemorat. Sed hæc, fieri posse in Sacramento quod credimus, ei qui sacras Literas recepit, satis persuadent: sed pagano & gentili ita factum esse non ita probant. Euangelio credimus afferenti: quia pridie quam pateretur ita Dominus fecit, ita instituit.

Exod. 4. *Num.*20. *Exod.* 7. *Ibid.* 8. *Mat.* 26. *Marc.*14. *Lucæ* 22. 1.*Cor.*11.

V. Si ultra hoc, testimonium quæritur, non expedit quidem fideli; sed si a pagano quæritur, non desunt in Ecclesia hujus rei innumera & ingentia, quæ hoc persuadeant, testimonia. Omitto quæ in Sanctorum codicibus passim leguntur de hoc Sacramento miracula potentissima: certe quæ nostris temporibus facta sunt, cuilibet etiam protervissimo, illius facerent fidem. Liceat nunc ex pluribus nonnulla narrare, quæ novimus. Quæ dico: ecce in veritate: quia non mentior, neque enim mendacio meo indiget Deus. Vidi ego Monialem quandam, quæ corpus Domini sicut cervus fontem aquarum desiderabat sitiens, cui, ut videbatur, difficile erat a Sacramento vel una sola die abstinere: tanta erat sumendi aviditas, tantus accedendi appetitus. Si enim in loco ubi degebat, interdicti aut cessationis a Divinis impedimentum contigisset, quo minus communicare illa die posset, aliorsum gratia communicandi migrabat: ne vel una dies sine spirituali hac refectione transiret. Die ergo sancto Paraseeves, cum corpus Domini Ecclesiastico more in monumento reponitur, quia oblitus Sacerdos formam quam illi daret, non reservavit, ejulatibus & clamoribus domum replevit, ut filii unigeniti sepulturam lugere videretur: neque tamen ejus desiderio subveniri poterat, ratione jam dicta. Tandem cum in fletibus & lacrymis amarissima diu persisteret, mirabile dictu! Duæ manus visibiliter ei cum Sacramento apparuerunt, ex quibus ipsum accepit; quo accepto, omnis illa amaritudo in consolationem uberrimam mutata est. Hæc omnia inter multas alias revelationes ab ejus ore ipse audivi; quas mihi non sponte sua, sed obedientia constricta narravit, quia in ordine nostro mihi subdita erat. Quidam ex Judæis conversus cum in lecto ægrotaret, vocari me a domesticis instantissime petiit, & timens ne forsan morte præventus, ea quæ sequuntur non proderet, sic per ordinem mihi narravit. Puer, inquit, in Judaismo cum alio puero iter agebam, quo nos patris negotia deferebant, & cum in itinere licet pueri, de Messia illo, quem Judaico errore venturum expectabamus, devotissime loqueremur: optantes valde si nobis daretur, ut nostris temporibus ortum propriis eum oculis videremus: excrescebat supra modum inter loquendum devotionis fervor, & ardor videndi sermone mutuo amplius accendebatur. Cum ecce jam noctis crepusculo mirus ex una parte cœli fulgor splenduit, ut ex illa parte cœlum apertum esse videretur. Et quoniam a patre didiceram, ut si quandoque cœlum apertum vidissem, a Deo gratiam aliquam postularem: memor hujus, ambo genua fleximus postulantes, ut optatum nobis Messiam Deus ostendere dignaretur. Tunc sic orantibus, in medio fulgoris calix apparuit fulgidus, superposita hostia, sicut Christianis mos est eum deferre. Quo viso stupefacti primum, deinde mirum in modum refecti, & confirmati cognovimus, quia ille erat verus Messias, quem desiderabamus, & petebamus. Credidimus ex tunc, & gratias Deo pro hac veritatis revelatione agentes, reversi domum, patri quidem timore puerili celavimus: sed procedente tempore curavi ego fieri Christianus: de alio quid factum sit, penitus ignoro. Hæc, ut dixi, illo Neophyto narrante cognovi: rogabatque, ut hoc aliis illo mortuo publicarem; quod vivente facere nolui, ne hujusmodi Neophytorum testimoniis fides nostra roborari videretur. Sed quia ab æmulis fidei testimonium majus est: nunc illud libuit scripto inter alia publicare.

Galat. 1. *Psal.*41.

VI. Quidam præterea nostræ Augustinianæ familiæ, ac Religionis Frater Joannes a Sancto Facundo (*a*), qui hoc tempore miro populi Salmanticensis studio, egregiaque pietate, ob innumera quæ continenter ab eo eduntur miracula, colitur. Is cum Missæ quotidianum Sacrificium paulo prolixius perficeret, morareturque in eo spatiosius, tædioque proinde circumstantes affecti id ægre ferrent: factum est, ut a Prælato suo in virtute obedientiæ Missam maturius absolvere præciperetur: de quo sæpius ab eodem, licet blandius, consilio præmonitus fuerat. Cui Frater prædictus, quia obedientiam præterire

(*a*)

(*a*) In Sanctorum numerum subinde relatus anno 1690., annis scilicet 32. post S. Oratoris canonizazionem. Conventus Salmanticensis & ipse alumnus extitit non secus, ac Thomas noster; annis tamen 48. obiit priusquam Thomas Religionem ingrederetur. Ejus vitam conscripsit Joannes Hispalensis, eamque Historiæ Conventus Salmanticensis inseruit Herrera a pag. 57. ad pag. 72. editionis anni 1661. Refertur etiam a Bollandi Continuatoribus ad diem 12. Junii. S. Joannis Opera, quæ pauca superfuerant, P. Antoninus de Witte ad calcem tomi 3. Concionum S. Thomæ se editurum pollicitus erat pag. 335. ejusdem tomi. Verum mutato consilio, promissionem retractavit in monito ad calcem laudati tomi, scripta eadem separatim vulgaturus; quod an præstiterit, nescio.

terire non poterat, omne ſecretum patefecit, dicens: Ignoſce, obſecro, mi Pater: nam aliud facere utique non poſſum: ut qui quotidie Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum fulgentem in hoſtia iſtis oculis peccator inſpicio. Quibus dictis perterritus Prælatus, ſolo proſtratus, de inflicta moleſtia veniam petiit; eique prout vellet immorandi facultatem ampliſſimam dedit. Hæc non a Prælato eodem (*a*), ſed a viro noſtræ religionis graviſſimo, qui ab ejus ore audierat, referente cognovi. Longum eſſet nunc omnia enarrare, quæ a pluribus audivi: ſed neque perſcribere omnia, quæ in codicibus legi, mens eſt. Illud autem quod de ſeipſo (*b*) ſuper Matthæum (*b*) Abbas Tuitienſis Rupertus, vir certe eruditiſſimus & ſanctiſſimus ſcribit, præterire non poſſum. Cum enim in monaſterio, ne Presbyter ordinaretur, Abbati ſuo ex humilitate & timore contradiceret: revelatione admonitus Abbati paruit. Cumque jam ordinatus Miſſam ex more cantaſſet: mirabile dictu! nocte illi in ſomnis Dominus apparuit, corpore quidem publicus, ſed occultata facie, ut ab eo vultus ejus videri non poſſet: qui ei membratim ſic impreſſus eſt, ut neque ſigillum ceræ tam intime imprimi poſſe videretur: tantaque fuit ex hac impreſſione in eo orta delectatio, ut excitatus agnoſceret, quia niſi cito voluptas illa pertranſiſſet, animam illius ſuo impetu ſecum a corpore rapuiſſet. Unde ex illo tunc experientia ſe didiciſſe aſſerit, quam verum ſit, quod ſcriptum legerat: *Non videbit me homo, & vivet.* Impoſſibile enim videbatur, torrentem illum voluptatis viventem in carne ſpiritum diutius ſuſtinere poſſe. In qua revelatione monſtrare voluit Dominus ſervo ſuo, & quam intime & in Sacramento unitus fuerat, & quam inde, niſi fidei ſenſus obſiſteret, perciperet quotidie communicans voluptatem. Unde, ideo facie velatus apparuit, ut velatum ſe in Sacramento ſignificaret. Et quibus videri poteſt, quid illud ſit, quod Dominus in Euangelio ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et quod alibi ſcriptum legimus: *Qui adhæret, Domino unus ſpiritus eſt* cum eo. Sanctus quoque Bonaventura (*c*) in quodam libello aſſerit, ſe vidiſſe nonnullos Dominicum corpus ardentiſſime deſiderantes: quibus niſi corpus Domini illico traderetur, corpore & animo languere & deficere viderentur: quo accepto, ſubito veluti a longa ægritudine in vires priſtinas convaleſcebant: ita ut cuilibet videnti notiſſimum eſſet magnam in illo cibo latere virtutem, quæ corpore & animo debiles, ita ſubito confortaſſet.

VII. Sed quid ultra miracula recito? An non ex his quæ quotidie ſpiritualis quiſque homo in hujus Sacramenti perceptione inviſibiliter experitur, latentis in eo majeſtatis indicia certa ſumuntur? Uſque adeo, ut qui puro corde & fervido ſpiritu ad menſam iſtam accedit, ulteriora ſuper hoc teſtimonia non requirat. Quia ſcriptum eſt: *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſemetipſo.* Guſtu namque cordis diſcernit, quia Deus eſt ille quem comedit: neque in hoc falli ſe ullo modo arbitratur: formidinem enim omnem tollit ab eo ille quem guſtat. Quid enim? Corporales cibos guſtu carnis diſcernimus, & ſpirituales guſtu mentis non diſcernemus? Quomodo ergo verum eſt: *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*, ſi Dei ſuavitas guſtu animæ non videtur? Cum pomum, aut pyrum, aut quodvis aliud corpaliter guſtamus, non aliorſum de illo teſtimonia quærimus: ſatis enim aperte guſtu dignoſcitur, quia hoc eſt pomum, & illud eſt pyrum, etiamſi hoc oculus non diſcernat: ſapor enim proprius cibi cujuſque naturam ſatis liquido edenti diſtinguit. Sicut ergo pomum ſapit pomum: ſic Deus guſtatus ſapit Deum, ſuoque ſapore ab omni creato Creator ipſe dignoſcitur: ſed hoc raro admodum & apud paucos, quibus datum eſt Manna illud abſconditum guſtare: *Quod nemo novit niſi qui accipit.* Neque nos quoque in hoc Sacramento experientiam quærimus, ſed fidem firmam præſtamus: quæ non tam miraculis & experientiæ, quam ſacrarum Literarum innititur veritati. Hanc fidem, Fratres, teneamus, hanc ſequamur, donec volente Deo: *Aſpiret dies, & inclinentur umbræ.* Sub hac umbra illius quem deſideravimus, cum ſponſa immobiles & ſtabiles ſedeamus. Erit enim aliquando fructus ejus dulcis gutturi noſtro. In hac ejus umbra interim vivamus inter gentes, ut in ejus lumine quandoque inter Angelos oblectemur ipſo favente, ipſo donante, cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Exod.33. *Jo. 6.* *1. Cor.6.* *1. Jo. 5.* *Pſal.33.* *Apoc. 2.* *Cant. 2.*

(*a*) Quæ hic S. Præſul enarrat, uti ſibi communicata non immediate a Priore, qui S. Joanni præceptum impoſuerat, ſed ab alio, cui ab eodem Priore ſignificata fuerant; eadem, inquam, refert P. Joannes Hiſpalenſis tamquam ſibi revelata a Priore ipſo. Vide caput 3. vitæ S. Joannis a præfato Scriptore adornatæ, de qua in nota immediate præced.

(*b*) Libro 12. cap. 26. ſatis poſt medium.

(*c*) De Profectu Religioſorum lib. 2. cap. 76. non procul a fine.

DE SACRATISSIMO SACRAMENTO ALTARIS

CONCIO TERTIA.

DE DEBITA PRÆPARATIONE AD SUMENDAM SACRAM EUCHARISTIAM.

Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat.
1. Cor. 11. v. 28.

CONCIO CXLII.

I. INter multa præclara & egregia, quæ de hoc altissimo Sacramento dici possunt, unum hodie elegi pertractandum, quod nobis præcipue utile est & necessarium. De dispositione qua se debet homo disponere ad ejus susceptionem: de qua dicemus duo. Primum; quam merito & juste nobis injungitur, ut præparemus nosmetipsos. Secundum; qualis debet esse ista dispositio. Si diligenter & solicite considerare voluerimus Sanctorum Patrum antiquorum, devotionem, fervorem, & reverentiam, qua sacras illas legis figuras, sibi a Moyse traditas, venerabantur & colebant; & tepiditatem nostram, negligentiam, & contemptum in nostris Sacramentis colendis & venerandis: & simul attenderimus, quantum interfit inter nostra Sacramenta, & illorum: proculdubio inveniemus nos confusos, ignavos, & nimio rubore perfusos. Quis enim explicare sufficiet, cum quanto timore, & honore populus ille Hebræorum antiquas illas sanctificationes, & mysticas cœremonias exequebatur, qua reverentia tractabat, qua devo-
Exod.28. tione colebat? Nomen illud Sanctum Tetragammaton, in tiara Pontificis aurea super frontem Pontificis exaratum & insculptum, nullus neque Sacerdos, nec popularis, quantumvis justus & sanctus proferre audebat: piaculum existimans, si ore polluto tantum
Ibid.25. Dei nomen exterius personaret. Panes quoque illos sacros quos propositionis vocabant,
(a) teste Nicolao de Lyra (a), non nisi in auro pinsebant, & in auro coquebant, & in mensa aurea coram Domino proponebant: quos edere aut contingere nefas erat, nisi ei qui esset Sacerdos, aut de familia Sacerdotum.

II. Quid dicam de illo Sanctuario interiori,
Ibid.28. quod Sancta Sanctorum dicitur? In quo nullus neque Levita, neque Sacerdos, nisi solus Summus Pontifex, & semel in anno, & vestibus pretiosissimis indutus cum tintinnabulis aureis, & sacro thimiamate ingredi audebat? Nullique alteri mortalium arcam illam Testamenti intus & foris inauratam, nudam & discoopertam videre licebat. O Sancta Sanctorum, & Sancta Sanctorum! O Sacra, & Sacra! O quantum illa distabant a nostris! O si datum illis fuisset habere, & videre, quæ nos habemus & videmus! Quid non agerent? quid non in eorum culturam, & reverentiam exhiberent? Quid putatis, si Rex ille citharædus, qui *2.Reg.6.* coram arca illa lignea sic se humiliabat, sic exultabat, & saliebat, qui tantam ei exhibuit festivitatem, & tympanis & citharis, & cæteris musicis instrumentis, qui sic gaudio & lætitia dissolutus est, ut coram illa quasi mimus & histrio luderet & saltaret, cum esset alioquin fortissimus, gravissimus, & severissimus: quid, inquam, ille faceret coram isto sacrosancto & Deifico Sacramento, si ipsum suo tempore videre & possidere contingeret? Qui sic umbram venerabatur, quomodo excoleret veritatem? Qui sic se humiliavit ligno, quomodo se dejiceret Christo? Qui sic ludebat coram arca, quomodo luderet coram vera, stabili, & tremenda Dei majestate? O quale gaudium intus & foris nunc, si adesset coram hoc mirabili Sacramento demonstraret, quod sic in illo typico signo venerabatur, & adorabat? Hæc enim est illa vera arca Testamenti, quam facer iste Rex Propheta oculis lynceis inclusam in illo signo cernebat & reverebatur: de qua in Psalmo prædixerat: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca* *Ps. 131.* *sanctificationis tuæ:* cum illa sacrosancta humanitate, quam de nostro accepturus es. In qua tota Deitatis plenitudo corporaliter ha- *Coloss. 2.* bitabit. Quid ergo nos hodie gaudii & lætitiæ exhibere possumus coram te o Piissime Jesu? quid in tuo hodie obsequio exhibere possumus, ut non confundamur, & erubescamus? Vere: *Beati oculi qui vident quæ vos* *Lucæ 10.* *videtis. Dico enim vobis quod multi Prophetæ & Reges desideraverunt videre, & non viderunt:* possidere, & non possederunt. Vere gens illa, & populus ille surget in ju- *Ibid.11.* dicio contra nos, & condemnabunt nos, quia amplius illi umbræ quam nos veritati detulerunt.

III. Sed quod populus ille suas cœremonias sic coluerit, nil mirum; has enim a *Heb. 9.* Deo sanctificationes acceperat, neque noverat meliores. Illud autem supra modum *Psal.79.* mirandum: quod tu Domine; *Qui sedes super Cherubim;* corporeas illas formas sic æstimaveris, & magnificaveris, tantumque horroris, & timoris illi genti in earum com- *1.Reg.4.* mendationem incusseris. Nam cum tempore Heli Sacerdotis, arca illa Testamenti mortuis filiis Heli, & fuso Israelis exercitu, capta fuisset a Philistæis, & per singulas quasque urbes eorum cum honore & reverentia debita circumferretur, indignatus contra illos gravissima & ignominiosa eos infirmitate *Ibid. 6.* multasti; usque adeo, ut coacti sint emittere

(a) In Exod. cap. 25. v. 30.

tere eam de terra ſua, junctis in plauſtro vaccis & mugientibus, rectaque via pergentibus in Judæam. Quæ cum perveniſſet in primum oppidum Iſraelis nomine Bethſames, meſſis tempore, & Betſamitæ in area triticum purgarent, viſa arca Dei, præter omnium ſpem, lætati ſunt ſupra modum. Mactaverunt vitulos, obtulerunt victimas, &, ut par erat, ſummo cum gaudio, & reverentia ſuſceperunt. Res mira & ſtupenda! Miſit Dominus in illo populo graviſſimam peſtem, & occidit ſeptuaginta viros nobiles, judices & magiſtratus, & de populo quinquaginta millia. Propter quid, obſecro Domine, propter quid in cultores tuos & adoratores ſic ſævis, ſic indignaris? Quænam iniquitas, quod flagitium, quod peccatum? Utique non aliud, niſi quia viderunt oculis ſuis arcam nudam, quia eam non ſtatim pallio operuerunt, ne aſpicerent: quia auſi ſunt in eam oculos intendere. O inæſtimabilem ſeveritatem! Ita ne tam grave piaculum erat inauratum lignum aſpicere, & fabrile propitiatorium cernere quod
2.*Reg.*6. colebant? Jam non mirabimur, quod ſuper eadem re contigerit Ozæ: qui, cum in jubilo & ſolemnitate deferretur arca, & calcitrantibus bobus pauliſper declinaret ad terram, quia ſuppoſita manu auſus eſt eam tangere, ſtatim percuſſus a Domino coram omni populo ſubito interiit: & verſa eſt omnis illa ſolemnitas in terrorem. Obſecro Domine, quid peccavit Oza, quid fecit? Nonne pietatis opus exhibuit? Ut quid tam crudeliter interiit? Michol quoque filia Saulis,
Ibidem. quia Regem coram arca ſaltantem irriſit: perpetua ſterilitate punita, fructu caruit to-
Ibidem. to tempore vitæ ſuæ. Obededom autem, quia lætus ſuſcepit eam in domum ſuam benedictus a Domino, in omni ſubſtantia domus ſuæ multiplicatus eſt.

IV. Quanta gravitas, quanta ſeveritas, quanta majeſtas, quantus honor, quantus terror in arca lignea? tantane tibi Domine cura de ligno? Non utique, ſed propter nos hæc omnia facta ſunt. In illis terremur, in illis admonemur, in illis inſtruimur: illos examinas, ut nos erudias; ut in eis diſcamus quanti piaculi ſimul & periculi ſit indigne tractare, aut ſumere ſacro-ſanctam Chriſti carnem in hoſtia ſalutari; cujus typum ſic Deus magnificavit, ſic ſublimavit, ſic vindicavit. Væ ſacrilegis manibus, væ immundis pectoribus impiorum quorundam ſacerdotum, quibus tam inſolenter quotidie tangitur, & reconditur. Si talis ultio in umbra, qualis fiet in veritate ipſa? Si ignoranter & imprudenter videntes aut tangentes typicam illam ſimilitudinem, tam acerba morte damnati ſunt: quæ animadverſio fiet contemptoribus Majeſtatis? Horreſco referens, & toto corpore contremiſco. Tantum myſterium non in ſeipſo, ſed in ſua potius umbra debuit commendari, ut ſciamus, quod omne ſupplicium & tormentum

A minus eſt flagitio, quo Chriſtus contemnitur in hoc Sacrificio, ſi ſolius umbræ ejus contemptus tam dira morte punitur. Quam fortiter, quam terribiliter hoc ipſum Apoſtolus intonat ad Hebræos: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia judicabit Dominus populum ſuum. Horendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Audito hoc tonitruo quis non contremiſcat? Ad hujus tubæ ſonitum cujus aures non tinnient? Nunquid non merito commonemur ab eodem, ut *probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat,* 1.*Cor.*11. *& de calice bibat.* Quis de cætero, his cognitis, impurus & immundus præſumat accedere? Sed jam ſi placet, hanc ipſam quam præmiſimus figuram latius exponamus. Bethſamitæ qui curioſi intuitus pœnas luerunt, ſciolos iſtos noſtri temporis hæreticos deſignant: qui nimia præſumptione, ne dicam C temeritate, ſacro-ſancta altaris myſteria ſcrutari non verentur: & quæ ſub fidei velamine contecta venerari debuerunt, impuris oculis & caligantibus inſpicere ſatagunt, debitam ſtultitiæ ſuæ mercedem reportantes. Nam more eorum qui fixo obtutu ſolem contemplantur, quo diligentius intuentur, eo amplius obcæcantur: graviſſima non corporum, ſed animarum peſte puniti ſunt. Quæ namque major animarum peſtis, quam perfida hæreſis, per quam a Chriſti corpore diviſi, ſpiritu ejus vivificari non poſſunt? Ipſa namque diviſio mors eſt. Nam ſicut in D humano corpore ſpiritus hominis non niſi propria membra vivificat, ita quoque ſpiritus Chriſti non vivificat niſi membra Chriſti. Oza vero, qui inconſiderate arcam tetigit, & ſubito percuſſus interiit, carnales hujus Sacramenti miniſtros ſignificat: qui, proh facinus! eiſdem manibus quibus paulo ante carnes meretricias tractaverunt, ſacrum Chriſti corpus contingere non timent: quorum temeritas, etſi non ſubita, certe quod eſt multo terrebilius, perpetua morte punitur. Filia quoque Saulis Michol, quæ pium Regem, Domini cultorem irriſit, & perpe- E tua ſterilitate damnatur, quorundam impiorum fidelium typum habet, qui neque dominici corporis Sacramentum ipſi ſuſcipiunt, neque alios ſuſcipere patiuntur; irrident namque in ſuis conventiculis, & ſubſannant devotos, & pios hujus Sacramenti cultores, qui pia devotione, ad propriam conſolationem, & ſuarum animarum ſalutem, ſacram altaris communionem frequentant. Quorum juſta & debita retributio eſt, ut omnis juſtitiæ & pietatis fructu, & ſancto charitatis affectu vacui in ſumma bonorum omnium, & ſpiritualium chariſmatum egeſtate & ſterilitate

moriantur. Qui vero pie ac devote ſuſcipiunt, e contrario ſicut Obededom a Domino benedicti, varie multiplicique omnium virtutum, & gratiarum abundantia perfruantur.

V. Ex his quæ dicta ſunt, facile eſt videre, propter quid probare ſe debeat, qui ad hunc panem manducandum accedit. Nam id primo ſuadet majeſtas ad quam acceditur. Non enim accedimus ad arcam ligneam, & altare aureum, & manufacta ſacramenta, & lapideum tabernaculum: ſed ad ipſam Dei ſublimem celſitudinem, beatis ſpiritibus præſidentem: *ſub* qua *curvantur qui portant orbem*; & ad judicem vivorum omnium & mortuorum Chriſtum, cui aſtabit omnis caro, coram quo omnes Reges terræ, & omnes gentes & Principes trepidabunt; ad verum Dei corpus, & ſanguinem pretioſum, quo redemptus eſt mundus. Videte quam ſublimiter hoc cunctis fidelibus Apoſtolus intimat ad Hebræos: *Non*, inquit, *acceſſiſtis ad tractabilem montem, accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum*, &c. *Sed acceſſiſtis ad Sion, montem & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & multorum Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum, perfectorum, & teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel. Videte ne recuſetis loquentem*; id eſt: ne clamorem ejus Dei miſericordiam imprecantem veſtris facinoribus opprimatis. Attendite quod ibi ſcriptum eſt: Si beſtia montem tetigerit, lapidabatur. Hoc eſt: beſtialis homo, qui montem excelſum, montem omnibus donis cœleſtibus pinguem, montem cunctis virtutibus & gratiis coagulatum, montem denique, *in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*, indigne tetigerit, lapidabitur, torquebitur, & malleis inferni graviſſimis contundetur. Secundum: impellit periculum accedentium, non ſolum animæ ſed etiam corporis. Quot fideles propter hoc infirmati, flagellati, occiſi ſunt (*a*)? *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*. Illis namque temporibus, cum novella fides in hominum cordibus plantabatur; ut, quid gloriæ & majeſtatis ſub illo panis velamine celaretur, mundo innoteſceret; accerrima ultione indigne accedentes puniti ſunt: ut & illis animadverſio hæc ad fidem proficeret, & ſequentibus fieret exemplum. Quantum vero flagitium ſit, in ſpurciſſimam pectoris tui cloacam ſacratum Chriſti ſanguinem fundere, Apoſtolica illa tuba perſonuit, dicens: *Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis & ſanguinis Domini*; id eſt: ac ſi occidiſſet, & effudiſſet, non æqualiter quidem, ſed proportionaliter. Quaſcumque enim blaſphemias, quaſcumque irriſiones, quæcumque opprobria impiiſſimi, Judæi in Chriſtum corporaliter exercuerunt: has omnes ſpiritualiter repetit impius comeſtor, Filium Dei rurſus in ſemetipſo crucifigens, & oſtentui habens. Movet quoque non modicum fructus uberrimus, qui pie accedentibus præſtatur. Illuminatur enim intellectus, inflammatur animus, impinguatur affectus, excitatur guſtus, vivificatur ſenſus, purificatur ſpiritus, virtutes augentur, dona cumulantur, gratiæ multiplicantur, & omnium denique bonorum ſpiritualium plenitudo in ejus participatione poſſidetur. *Probet ergo ſeipſum homo* antequam *de pane illo edat, & de calice bibat*. Examinet ſuam conſcientiam, lacrymis diluat, confeſſione detergat, gemitibus diſſolvat, reatum puniat, remorſum tollat, diſponat ac præparet ſe, & ſic accedat.

VI. Sed quænam diſpoſitio, quæ præparatio, quæ puritas ſufficiet? Quid poteſt facere miſer homo putridus & impurus? Quomodo poterit ſe diſponere ad tantum majeſtatis edulium? Ecce *luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Væ nobis miſeris & infirmis! *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu, qui ſolus es?* In peccato concepti, in peccato nati, in peccato nutriti, quomodo mundabimur, niſi ipſe mundaveris, qui ſolus ſanctus & purus es? Domine: da quod jubes, & jube quod vis (*b*), præſta quod poſcis. Non invenit in ſacco Benjamin frater Joſeph aurum, niſi quod ipſe poſuerat: neque invenies, o bone Jeſu, in pectore noſtro bonum, niſi quod ipſe præſtiteris. Utinam Domine, utinam in corporis noſtri ſacco gratiæ tuæ ſcyphum ſacro huic frumento clementer abſcondas, & pie inferas! Hac lege & conditione, ut in quo beatum furtum inventum fuerit, tibi perpetuo mancipetur, & tibi ſerviat in æternum: nam tibi ſervire, regnare eſt. Et quid tibi dicam Domine Deus? Hoc unum video, hoc unum ſcio, quia quas diligis animas, ipſe purificas, ipſe mundas, ipſe ornas, ipſe ditas, ipſe pulchrificas: ut placeant coram oculis tuis, quæ prius placuerunt. Diligis, quia dilexiſti: faves, quia faviſti: magnificas, quia prævenisti: glorificas, quia magnificaſti: miſereris, cui miſertus es: & miſericordiam præſtas, cui miſereris: gratiam pro gratia, donum pro dono: & cui gratis dediſti munditiam, gratis quoque adauges gratiam, dona tua remunerans, & munera tua gratificans. Tu ergo diligis, tu prævenis, tu diſponis, tu exaltas, tu magnificas, tu glorificas, tu omnia facis, & ut ego cooperer facis: quid a me requiris? O terque

Job 9. *Act.* 10. *Heb.* 12. *Exod.*19. *Pſal.*67. 1.*Cor.*11. *Ibidem*. *Heb.* 6. 1.*Cor.*11. *Job* 25. *Ibid.*14. (*b*) *Gen.* 44. *Rom.* 9. *Exod.*33. *Jo.* 1. 1.*Tim.*6.

(*a*) Vide S. Joannem Chryſoſt. in Homil. 5. in Epiſt. ad Timoth. Et S. Cyprianum in libro de Lapſis, non procul a fine, ubi punitionis hujus aliqua proferuntur exempla.

(*b*) Confeſs. lib. 10. cap. 29.

terque quaterque beati, qui in oculis tuis gratiam invenerunt! Tuum ergo est, hanc dispositionem præstare, nostrum est petere: tuum est efficere, nostrum est desiderare: tuum est dare, nostrum est quærere, & flagitare, & hoc non nisi a te, & per te, a quo est & velle, & perficere pro bona voluntate. Coadjutores enim tui sumus in bonum nostrum, sed a te est, ut coadjuvemus te: ut per te perveniamus ad te. Itaque & quod nostrum est, a te est, & a te totum, & per te totum, *ut non glorietur omnis caro coram te*. Neque propter hoc gloria nostra evacuata est, & meritum voluntatis sublatum: imo eo major est nostra gloria, & honorificentius meritum nostrum, quando sic ex nobis est, non quasi ex nobis, sed quasi ex te.

Philip.2. *1. Cor.3.* *Ibid. 1.* *Ibid. 9.* *2. Cor. 3.*

VII. Sed quamvis nemo a se sit idoneus; quia tamen monitis Apostolicis suademur, ut *probet seipsum homo:* operæ pretium est videre, qualis esse debeat ista dispositio, quæ accedentem & a judicio liberet, & Deo gratum faciat. Hæc autem: ut existimo, fide, puritate, & fervore constat. Fides enim necessaria est: *sine qua impossibile est placere Deo*. Ut scilicet firmiter credat, verum Christi corpus, & verum ejus sanguinem esse quod accipit, non ut in signo, non ut in typo, sed in seipso vere, & reipsa sicut est in cœlo. Hoc enim Dominus in Euangelio, tam nudis, & apertis & indubitatis sermonibus expressit, ut nullus quamvis hebeti, & stupido ingenio dubitare merito queat. *Hoc est*, inquit, *corpus meum*. Non dixit, hoc denotat, hoc significat, hoc figurat: sed *Hoc est corpus meum*. Et ne de mysterio aut figurativo corpore, qualis est Ecclesia loqui videretur; ut omnem dubitandi occasionem excluderet, adjunxit: *Quod pro vobis tradetur*. Et de sanguine similiter: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*. Id est: Non aliud corpus, non alius sanguis, sed ipsummet corpus, quod pro vobis crucifigetur: & sanguis ipse, qui pro vobis effundetur. Et iterum: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Id est: non mystice, non figurative, non ænigmatice, sed vere, realiter, sicut eam habeo, sic eam vobis trado, ut pro salute vestra a vobis sumatur in cibum, quæ pro mundi salute Patri offeretur sacrificium. Et iterum: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Ad Patrem quidem pro vobis advocatus transeo, sed vobiscum in altari manducandus permaneo. Quid apertius dici potuit? Aut quibus verbis hujus Sacramenti veritas expressius potuit commendari? O impudentiam malignorum, o frontem durissimam hæreticorum! Quo judicio, qua ratione, tam evidentibus testimoniis refragari conantur? Quid ais o hæretice? Quid dicis? Christus asserit: *Hoc est corpus meum*: & tu dicis, non est ibi corpus Christi. Christus dicit: *Hic est sanguis meus*. Et tu dicis: non est ibi sanguis Christi. Christus ait: *Caro mea vere est cibus*. Et tu ais, non est vere, sed mystice. Miser! Si Euangelium profiteris; cur tam impudenter Euangelio contradicis? Si Christum in veritate sequeris; quomodo ejus dictis tam aperte refragaris?

1. Cor. 11. *Heb. 11.* *Mat. 26.* *Marc. 14.* *Luc. 22.* *Mat. 26.* *Marc. 14.* *Jo. 6.* *1. Cor. 11.* *Mat. 26.*

VIII. Hos Dominus prænoverat quandoque venturos, qui Euangelicæ veritatis sinceritatem profanis expositionibus depravarent. Et in verbo isto, sicut & Discipuli ejus quondam scandalizati, Ecclesiæ sanctæ unitatem nequissimis inventionibus deturbarent. Propter quod: *Ne in errorem* inducerentur *electi*, fidei nostræ robur & confusionem eorum, tantum mysterium non verbis ambiguis, & quæ varie possent interpretari, sed apertissimo oris sui, & evidentissimo testimonio confirmavit. Et quidem ad omnem fidem abunde sufficere debuerat tam evidens verbum Christi: neque enim falli, neque fallere potest, qui veritas est. Sed tamen propter infirmos, & quia arduum nimis, & supra omnem intellectum est hujus Sacramenti arcanum: bone Deus, a die quo institutum est, quot signa, quot miracula, quot portenta in hujus rei testimonium facta sunt, & quot fiunt quotidie in Ecclesia Dei! Quanta a Patribus nostris audivimus, quanta in libris legimus, quanta a narrantibus accepimus; quæ si infidelibus nota essent, omni semota perfidia, procul dubio credidissent. Sed de his alias: nunc enim de præparatione & non de credulitate sermo est. Ad quam tamen, ut diximus, ante omnia fides necessaria est: deinde puritas. Oportet enim accedentem, mundum gestare cor ab omni malitia, & mundum corpus ab omni luxuria; ut sit sanctus corpore, & spiritu. Procul absit omnis livor, omne odium, omnis ambitio, omnis illecebra: sanctum sit pectus in quo Sanctum Domini recondendum est. Sicut scriptum legimus: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum*, Dominus Deus vester. Unde Isaias: *Mundamini qui fertis vasa Domini*, id est pectora vestra: in quibus veluti in vasis sacrum Domini corpus & pretiosissimus Christi sanguis infunditur, & insinuatur. Si enim puros & inauratos calices ad hæc sacra mysteria celebranda paramus, quanto magis aurea & fulgida debent esse pectora, in quibus veluti sacrariis, & reliquiariis eadem mysteria reconduntur. Unde Apostolus: *An nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis: si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* Audes tu o sacrilege in pectoris tui sacrario, quod Deus inhabitat, turpia idola, & nefandas imagines carnalium cogitationum, & spurcissimorum desideriorum involvere? Putasne Deus tali dignabitur consortio, tali commercio sociabitur? *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.*

Ibid. 24. *1. Cor. 7.* *Lev. 11.* *Isaiæ 52.* *1. Cor. 3.* *2. Cor. 6.* *1. Cor. 5.*

ſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri neque in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

*Exod.*12. IX. Quam pulchre agni paſchalis figuram perſtrinxit, quam aperte nobis azyma cum quibus editur commendavit? Paſcha noſtrum Chriſtus eſt. Procul, procul omne fermentum, longe ſit omnis iniquitatis corruptio. Purus agnus non cum fermento nequitiæ, ſed cum azymis ſinceritatis & veritatis edendus eſt. Quid enim? Panes illos propoſitionis ſacros Propheta Domini contingere non audet, niſi a ſacerdote Domini de puritate requiſitus, vaſa puerorum a quibus edendi erant, ſancta eſſe prænoviſſet: & nos panem Angelorum illotis manibus contrectabimus, immundis faucibus aſſumemus? Omnia munda vult Author puritatis, mundam Matrem elegit mundum Diſcipulum dilexit: munda ſyndone involutus eſt, mundo in tumulo, & in quo nondum quiſquam poſitus fuerat tumulatus eſt. Ab his qui ſunt mundo corde videtur: & ab his qui ſunt mundo corpore poſſidetur? Sed cum fide & puritate comitetur etiam pietas, quæ cultus Dei eſt, id eſt, fervoris & devotionis igniculus: quo veluti ſacro quodam incendio holocauſtum Domini in cordis altari ſuccendamus. Hujus cœleſtis ignis ſcintillam in pectoribus noſtris facile excitabimus; ſi clementiæ immenſitatem, beneficii magnitudinem, dignationis gratiam & inæſtimabile pondus amoris conſiderare voluerimus; ſi viſcera illa pietatis Dei noſtri erga nos ſolicite attenderimus, quibus ſic amavit, ſic extulit nos, ſic magnificavit facere nobiſcum, ut ipſa ſe nobis viatoribus majeſtas nunc offerat in cibum, quæ poſtmodum triumphatoribus ſe largietur in præmium. Ut uno communi cibo paſcantur, & eadem menſa conſideant, vernaculus & filius, pauper & dives, ſervus & princeps, miles & dux, vilis de terra vermiculus, & cœleſtis gloriæ Angelus. Quid, inquam, hac gratia magnificentius, quid honorificentius, quid ſublimius? Quid retribuemus tibi Domine, quas gratias agemus pro tanto munere, quod largiri dignatus es nobis? Hoc itaque in primis conandum eſt; ne tam immenſæ charitatis dignationi ingrati inveniamur; ne dona Dei veluti inſenſibilia pecora ſuſcipiamus. Perpetuo mente volventes Prophetæ vaticinium, quod prædiximus: *Beſtia quæ montem tetigerit, lapidabitur*. Illius quoque inſolentis pauperis & pannoſi non immemores: qui quamvis vocatus & invitatus, imo & compulſus, quia tamen ad menſam potentis Principis nuptialem, ſine veſte nuptiali præſumpſit accedere, debito ſupplicio punitus in tenebras exteriores ab ipſo pio, ſed juſto Domino projectus eſt. Quo putas ſupplicio ſe ingerentis temeritas punietur, ſi ſic invitati & compulſi audacia vindicatur? Quia ergo paupertatem, & nuditatem noſtram omnes agnoſcimus, ſi recte, ſi pie ad cœleſtis Regis nuptiale epulum accedere cupimus, prius aurum illud charitatis ignitum, quo locupletemur, Apoſtolico moniti conſilio, nobis emamus: & veſtimentis albis puritatis & ſanctitatis, ne nuditas noſtra appareat, nos induamus: & collyrio fidei optimo mentis noſtræ oculos præungamus: ut ſic nitidi & puri, cum cœleſtibus Principatibus intra regalem aulam ad menſam Domini ſedentes, ut læti jucundi & digni convivæ, divinis conſpectibus placeamus.

Apoc. 3. *Ibidem.*

X. Quam aperte hunc triplicem diſpoſitionis ornatum Apoſtolus ad Hebræos commendavit, dicens: *Habentes, itaque fratres fiduciam, in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam, & viventem, per velamen, id eſt, carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem (fidelis enim eſt qui repromiſit.)* Videtis certe quia non ſit inventio noſtra, ſed Apoſtolica ſententia, quam de triplici diſpoſitione præmiſimus. *Habentes*, inquit, *fiduciam in introitu ſanctorum* ad conſpectum Dei, ad Angelorum frequentiam in cœleſtem gloriam, ad beatarum animarum conſortium. Non in meritis noſtris, ſed *in ſanguine Agni. Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos*, ſed *per velamen*, id eſt velatam, ſub panis ſpecie Carnem Chriſti: hoc eſt in Domini juſtificationibus, non in noſtris. Hoc enim Sacramentum eſt pignus æternæ hæreditatis, hæc unica anchora ſpei noſtræ, hoc unicum ſolatii noſtri aſylum: per hoc ad Dei noſtri conſpectum intra ſancta ſanctorum cœleſte confidimus introire. Hac, inquam, muniti fiducia, licet peccatores, licet debiles, & infirmi: Domino tamen monente, & ſuadente, imo præcipiente. Et quomodo monente, quomodo ſuadente? *Niſi manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam* æternam *in vobis*. Hac ejus admonitione ſuccenſi, etſi timentes & trementes: tamen, quia ſic præceptum eſt, accedamus. Sed quomodo? Cum vero corde, id eſt ſpiritu fervido; nam ubi deeſt ſpiritus, non eſt veritas; vani enim ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſpiritus Dei. Unde Dominus in Euangelio: *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*. Congeniti ſunt ſpiritus & veritas, & ab invicem nequeunt ſeparari. Exemplo innoteſcet: videas quam plurimos in oratione jactantes: Deus meus, amor meus, bonum meum, dulcedo mea, gloria mea, deſiderium meum, deliciæ meæ! Si adeſt ſpiritus, verum dicis: alias ſine dubio mentiris, & veritas non eſt in te. Nam Deus tuus venter eſt, & deſiderium tuum pecunia, aut honor, aut libido, aut quodvis aliud temporale bonum, in quo ſumme oblectaris. Quid de Deo te jactas, quem non geſtas

Heb. 10. *Apoc.* 7. *Tit.* 3. *Dan.*19. *Epheſ.*1. *Heb.* 6. *Jo.* 6. *Ibid.* 4. *Philip.*3.

gestas in pectore? quem solis labiis honoras, & cor tuum longe est ab illo? De his
Psal. 5. Propheta: *Non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.* Vacuum spiritu cor, linguam orantis mendacem facit. De quibus
Philip. 3. etiam Apostolus: *Quorum Deus venter est: & gloria in confusione*, id est, quorum omnis gloria & lætitia in ventre, aut sub ventre est.

Heb. 10. XI. *Accedamus* ergo *cum corde vero*, id est, devoto, & fervido *in plenitudine fidei*. Non ait in fide, sed *in plenitudine fidei:* ut insinuet, quam integra, quam perfecta fides accedentis esse debeat, qua corpus Domini ab aliis alimentis, cordis palato dijudicet & discernat. Multo enim firmius hoc credere ac profiteri debemus quam si centum oculis vidissemus: quoniam corporalis oculus facile deludi potest, Dei autem veritas delu-
Mat. 24. di nequit, & deludere nescit. *Cœlum*, inquit, *& terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Sequitur: *Abluti corde a conscientia mala*, id est, puri & nitidi, sine peccati contagio, sine omni affectu & proposito peccandi. Et pro commissis jam peccatis adjungit: *Abluti corpus aqua munda*, hoc est, unda lacrymarum affluenti mundati; vel si mavis: Baptismi lavacro purificati. Vides juxta decretum Apostolicum, fidem, puritatem, & fervorem in accedentibus commendari. Sic ergo
1. Cor. 11. accedamus, sic de pane illo edamus, & de A calice illo bibamus, tenentes *spei nostræ confessionem indeclinabilem*, id est firmam & immobilem spem consequendæ beatitudinis, ex tanto munere. Qui enim dedit propriam carnem, non negabit hæreditatem promissionis suæ. Indubium obsidem nobis reliquit, & *fidelis est qui repromisit:* utrimque spes nostra firmatur & roboratur: & propter vatem, & propter fidelitatem. Non est itaque unde frustrari timeamus; sed promissionis verbum attendamus: *Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Non sicut manducaverunt patres* B *vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Quid clarius, quid jucundius, quid firmius? His auditis quis valeat hæsitare? Nunc, inquit, habet vitam æternam in anima, & postmodum, ut integra & perfecta sit ejus beatitudo, in corpore. Ego, cui adhæsit, cui in altari invisceratus est, quia vita sum, vivificabo & *resuscitabo eum in novissimo die:* ut corpore & spiritu totus deificatus, meo jucundissimo aspe- C ctu cum Angelis in gloria perfruatur: quam nobis præstare dignetur, qui eam repromisit Jesus Christus Dominus noster: cui cum Patre, & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Heb. 4. *Ibid. 10.* *Jo. 6.*

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS CONCIO.

DE EXULTATIONE PARVULORUM IN VISITATIONE EJUSDEM SS. VIRGINIS, CUM EXPLICATIONE CANTICI *Nunc dimittis, &c.* ET EXHORTATIONE AD VIRGINES SACRAS.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Lucæ 1. v. 39.

CONCIO CXLIII.

I. QUID est hoc quod audivimus, Fratres? Quid in auribus nostris insonuit? Rem profecto mirabilem, & cui a sæculo non est audita similis. Ex secreto maternorum viscerum duo parvuli, totius mundi gaudia futura præludunt: ante ortum gratulantur infantes, & prius norunt oblectari quam nasci. O tripudium nativitate antiquius! Ex matrum visceribus nondum editi parvuli, mutuo se salutant, & unus gratiam infundit in alterum, alter infusam ab alio recognoscit; unus dona largitur, alter pro donis refert gratias: certant invicem donis & gratia ante
Isaiæ 66. cunabula pueri. *Quis audivit unquam tale?* D *quis vidit huic simile?* Certantes olim pueros in utero Rebeccæ audivimus, & ante ortum invicem contendentes. Mirandam profecto monomachiam in arctissimo uteri campo, grandi futurorum mysterio: quoniam duorum populorum duo infantuli typum gerebant. Sed longe hoc tripudium illo duello mirabilius. Antiquior ibi pugna natali, hic amor: ibi certamen, hic gratia: ibi dissidium, hic fœdus. Certabant in utero illi, isti tripudiant. Sed longe præstat amicitia bello, quia illi quid agerent ignorabant, isti sciebant; non suo enim, E sed solo Spiritus sancti instinctu illi certabant: hi vero longe felicius, & multo prodigiosius festivam cordibus lætitiam agunt, & amicitiam quam ineunt, optime norunt. O cordatos pueros, o infantes dissertissimos!

Gen. 25.

Pueros

Pueros dixerim an viros? Certe ante cunabula viros; neque viros modo, sed insignes in utero philosophos. O Beatum Baptistam Domini tali gloria decoratum! Nam de Christo vero Deo & homine quis mirabitur? De Christo longe prius vaticinatum
Jer. 31. fuerat: quia novum esset facturus Dominus super terram, ut femina circumdaret virum. Hoc vaticinium in Joanne etiam impletum est, sed longe distantius: quia quod Christo perpetuum erat, Joanni ad punctum datum est: transeunte enim illo Divini luminis ra-
(*a*) dio, ad infantiam Joannes rediit (*a*). Christus Dominus infantiam non novit: infantiam dico, non corporis, sed mentis; semper enim fuit mente qui est.

II. Sed jam hujus tam mirandi tripudii modum, & causam penitus inquiramus a radice, quod ajunt, mysterium exordientes. Post infectam peccato protoplasti naturam, communi lege nullus nascitur non infectus, servituti addicti nascimur, & ante sumus jugulati quam nati: primos generis nostri truncos prius habuimus occisores, quam genitores. Hac etiam peccati lege Joannes tenebatur, hac communi macula in utero fœ-
Lucæ 19. dabatur. Venit Deus in mundum, ovem quærere, quam perdiderat. Utero Virginis concipitur, tegmine carnis velatur, prospicit statim sub jugo pressum amicum, & communi tabe fœdatum: dolet amici vicem amicus pius, festinat liberare dilectum: non in longum differt, non largas præbet inducias morbo, sed virgineo vectus curru, per montium culmina properat ad amicum. Sic enim
Ibid. 1. Lucas Euangelista festinabundam commemorat Virginem per montana; & multo ante sapientissimus Salomon hoc ipsum in spiritu
Cant. 2. luculenter cecinerat dicens: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Nequeo satis mirari, tam lucidam & tam expressam hujus mysterii prophetiam. Quid aptius dicere potuit, si vidisset? Certe vidit non corpore sed spiritu. O celerem columbam per culmina montium pervolantem Virginem Deiparam! O festinabundum hinnulum juga collium transilientem Christum Dominum! O faciem decoram, o vocem dulcissimam, vocem potentem, vocem acutam, senis cogna-
Lucæ 1. tæ viscera penetrantem! *Ecce*, inquit, *ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*. Illa enim voce sonora, dum cognatæ perculit aures, latenti intra viscera puero Spiritum sanctificationis immisit. Hac voce potenti infans in utero parentis perculsus excutitur, excitaturque ignorantiæ somno sopitus, oculos cordis aperit, & latentem post parietem carnis cœlorum Regem mira perspicacitate cognoscit. Festinat exire obviam majestati, publicare latentem: invadit ventris angusti latera prodire conatus: sed immaturo adhuc partu exitum negante natura. Mira res! genua flectit utero, & quem verbis salutare non potuit, prophetico gaudio recognovit. Adorat velut alter Jonas in uteri templo Factorem suum: & quia suo *Jonæ* 2. non finitur, parentis evangelizat eloquio.

III. O mirabilem Præcursorem, o visum acutum, o plusquam lynceos oculos, Dei majestatem intra Virginis viscera penetrantes! Fervens nuntius, qui ante gestivit nuntiare, quam vivere; impatiens dux, qui antequam perveniret ad ortum, pervenit ad Regem; ante rapuit arma, quam membra; ante aciem petit, quam lucem; & ut vinceret mundum, vincit ante naturam. Quid dicam Fratres? Joannes antequam Christum præcelleret, seipsum præcessit: S. P. Augustinus (*b*). Cui comparabimus parvulos istos? (*b*) aut cui assimilabimus eos? Similes profecto sunt musicis citharædis citharizantibus in *Apoc.* 14. citharis suis, qui conceptam animo harmoniam consonantibus citharis modulantur. Neque enim aliter, miro concentu temperante, prophetant Matres spiritu parvulorum, & intus dictantibus pueris, sono resonant præsagientes amœno. Solet hoc naturali quodam prodigio in consonantibus citharis evenire, ut unius chorda pulsata, alterius quæ eodem puncto concinis est chorda & nulla alia contremiscat. Cujus causam cum sæpissime perquirerem, invenire non potui. Quis enim non miretur, quod sola consonantia motum faciat? Ita omnino contingit in proposito: concinentes erant citharædorum cœlestium lyræ: una Verbum, altera vocem gestat. Et quid Verbo consonantius sua voce? Personat una, contremescit altera. *Ut facta est*, inquit, *vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit* *Lucæ* 1. *infans in utero meo*. Quid ni exultaret, quid ni contremisceret lyra, etsi non pari puncto, simili tamen temperata concentu? Sancto itaque Spiritu afflatus Joannes non solum a contagio peccati mundatur, sed etiam accelerato judicio præsentem inspicit Redemptorem. Prærursoris officium ab utero

(*a*) Joannem, cum in utero matris exultavit, rationis usum recepisse constans est Patrum omnium, & Doctorum sententia adversus Calvinum. An vero usus ille rationis tunc acceptus perseveraverit, non una omnium opinio est. Negativam sequitur S. Orator; affirmativam S. Ambrosius non obscure exprimit in Luc. lib. 2. num. 30. cui plerique adhærent.

(*b*) Serm. 199. in Append. num. ult., olim de Sanct. 22., & post in Append. 77. Quæ quidem allegatio ad proxime antecedentia verba refertur, ab iis nempe, *Fervens nuntius*, usque ad ea, *Quid dicam Fratres? Joannes antequam Christum præcederet, se ipsum præcessit*.

ro inchoat: & prius officium novit exercere, quam vitam. Injunctum ſibi a Deo munus accelerat immaturus ortu, maturus officio, ne videlicet ſibi datum quiſpiam furripiat honorem. *Venit* namque *in teſtimonium*, *Jo. 1.* *ut teſtimonium perhiberet de lumine*. In hoc natus, in hoc miſſus a Deo non patitur a quopiam ejus teſtimonium præveniri, ne Præcurſoris ei quiſquam auferat dignitatem. Magna hæc Joannis gloria, quod poſt Virginem ſacram primus Verbum incarnatum agnovit, & primus omnium promulgalvit. Neque enim Virgo propalaverat ante. Magnus Deitatis præco miſſus eſt Joannes, tantum ſacramentum primus prodidit orbi: poſt hunc pia mater, deinde graviſſimus *Lucæ 1.* pater, deinde Joſeph, deinde Angeli, Re- *Ibid. 2.* ges, paſtores, etiam jumenta agnoverunt. Novit Simeon, novit Prophetiſſa Anna, no- *Mat. 2.* verunt alii: ſed primum omnium Joannes & *Lucæ 2.* novit, & prodidit: hoc ſolus decoratus honore. Non ergo ſolummodo ſanctificare ami- *Lucæ 1.* cum Chriſtus accelerat: ſed etiam honorare; ſanctificare quippe abſentem poterat, ſed adeſſe feſtinat, ne dilecto conceſſum alius furripiat locum. Tantum namque Incarnationis myſterium diu in mundo latere non poterat. Prius itaque in utero demonſtravit tripudio, quem poſtmodum in deſerto oſten- *Jo. 1.* ſurus erat digito. O verum amicum Chriſtum, cui eſt tanta ſolicitudo pro amico! Diſcamus ab his amicitiam Fratres, diſcamus ab eis neceſſitudinis jura; vera namque illa neceſſitudo eſt, quæ non tam corporis, quam animæ damna deplorat: quæ vulnera cordis pluſquam corporis in amico *2. Tim. 4.* ſanare feſtinat: quæ, nunc conſulendo, nunc *Tit. 1.* corripiendo, nunc admonendo a jugo peccatorum exonerare conatur amicum. *Væ* *Ezech.* adulatoribus amicis, *qui conſuunt pulvillos* *13.* *ſub* amicorum *cubito: & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas:* ut quiete dormiant in peccato. Væ palpantibus vitia, qui fucatum liniunt parietem ſine temperamento, ut non appareat peccati macula, & gravius invaleſcat. Penſate Fratres, qualia ſunt ulcera peccatorum. Si ab alieno enim maculæ originalis contagio mundare amicum ſic feſtinat Chriſtus; a proprio mortalis criminis reatu quanta celeritate nobis, ut munde- *Iſaiæ 5.* mur, feſtinandum eſt? Væ qui protrahunt iniquitates ſuas trahentes iniquitatem in funiculis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum! Quibus dum ſecuriores ſunt, repentinus ſuperveniet interitus, & non effugient.

IV. Sed ad hiſtoriam redeamus. Poſtquam igitur Virgo regia uteri ſui myſterium propalatum vidit: exultans animo, plena Spiritu, repleta gaudio, fervore Spiritus inflammata, ſuavem Domino cecinit cantilenam. Virgo inquam illa, cui etiam loqui rariſſimum erat, præ magnitudine Spiritus, voce ſonora cantare compellitur. O nimiam Spiritus redundantiam, o fervorem cordis immenſum! Beatæ aures, quæ ab ore Virgineo feſtivum canticum audire meruerunt. Non eſt auditum ſimile canticum ab initio. Unde merito canticorum canticum venit nuncupandum. Quia videlicet, & authoris majeſtate, & materiæ dignitate, & ſtyli acrimonia, omnia Sanctorum cantica exuperat. Plures namque olim matronas, ut viros ommittamus, cantica edidiſſe Scriptura commemorat. Cecinit Deo Debora victoriam a Siſara: Judith Holofernem extinctum: Moyſi ſoror Pharaonem ſubmerſum: Anna quoque pro Filio Samuele longiores Deo gratias edidit; ſed non ſic Hebræas illas audire canentes, ut Prophetiſſam noſtram delectat. Magnum illum citharædum agnoſco ſua cithara perſonantem, & virtute harmonica dæmones expellentem. Notam omnibus figuram ediſſero: David cithara perſonante Saulis obſeſſum animum diabolus deſerebat. Mira res! Muſica fugatur zabulus, & qui juxta ſententiam Job, ſagittas reputat quaſi paleas, & lapides fundæ velut ſtipulas ſpernit, deridet etiam vibrantem haſtam, & duriſſimos malleos pro nihilo pendit; ad citharæ ſonitum tremefactus recedit; & quem nulla vis ſuperat, ſuperat harmonia. Latet pro certo in cithara illa myſterium. Figura illa erat hæc veritas. Hic impletur quod ibi ſignatur. Hoc eſt illud dulciſſimum decachordum, quo citharista propheticus toties gloriatur: hoc dæmon expellitur, Præcurſor ſanctificatur, puer exultat, mater prophetat. Hoc decachordo etiam nunc cum devote concinitur, iniquas cordis ſuggeſtiones propulſari, lubricas carnis tentationes emolliri, dæmones peſſimos effugari merito crediderim. Unde non abs re a cunctis fidelibus hoc canticum maxime celebratur, & ſumma devotione recolitur. Denario itaque verſuum numero completur, ut decachordi teneat veritatem. Ecce authorem cantici, ecce harmoniæ cœleſtis modulatorem. Chriſtus intus dictat, Virgo foris perſonat. Ab hujuſmodi compoſitore & cantatrice qualem reputas prodire cantionem? Sed res ipſa quæ concinitur, etiam altiſſima eſt, & cui omnis laus nequeat adæquari. Non modo inſignes principum victorias; non acies hoſtium leviter profligatas; non currus Pharaonis ponto ſubmerſos; non ſicco per undas veſtigio tranſeuntem populum Virgo commemorat; grandius hæc perſonat femina, altior illi cauſa canendi. Myſteria magna canit, ineffabilia dona recenſet, pro Filio non Prophetа ſolum, ſed Deo Prophetarum Domino gratias refert. Et quia (mirabile dictu) ſuum & omnium genuit Conditorem, quia divinam utero progeniem geſtat, quia divinum Verbum ventre recondit: Numen in carne pangit, viſcera divinæ pietatis extollit, dejectos ſuperos, inferoſque levatos, divites excluſos, paupereſque ditatos, potentiam magnam nimis inæſtimabile pondus amoris, mundi reparationem, diaboli dejectionem,

Judic. 5. *Ibid. 16.* *Exod. 15.* *1. Reg. 2.* *1. Reg. 16.* *Job 41.*

pec-

peccati everſionem, potenti ſermone deſcribit. Non tali Sappho carmine fluit, non lyricus ſic poeta demulcet, conſonat myſterio ſtylus mirificus, dulcis, ſuccinctus, floridus, levis, placidus, fluidus, plenus, ornatus, venuſtus, ſpiritu, & devotione refertus; neſcias elegantiæ an ſapientiæ, cui tribuas palmam. Mira utrimque venuſtas, arcta ſermonis methodo numeroſos ſenſus includit, exiguo metrorum ambitu graviſſimas ſententias claudit. Nunquam ſic femina locuta eſt, nunquam ſic cecinit virgo. Sileant omnes muſæ, ſileant gentilium celebratæ camœnæ, ſileat ſibylla furens, ſileat lacinioſa poeſis, ſileat ſirena dulcis, garrula etiam philomela conticeat: ſileat omnis hominum aviumque harmonica laus. Cithara Regis ſonat, Deipara Virgo canit. Sed jam ipſam Virginem canentem audiamus.

Lucæ 1. V. *Magnificat anima mea Dominum: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, &c. Quam venuſte, quam pulchre ſenioris cognatæ palinodiam canit; quam pie, quam humiliter impenſas ſibi laudes in bonorum omnium largitorem Deum detorquet: ac ſi dicat: Tu me o Eliſabeth cognata magnificas: ſed ego non magnifico meipſam, ſed *Ibidem.* pro his omnibus quæ dixiſti, *Magnificat anima mea Dominum. Exultavit* etiam, ut ais, ad vocem meam infans in utero tuo: ſed & *Spiritus meus* ſupra modum præ gaudio exultat *in Deo ſalutari meo*. Tu me beatam dicis; nimirum, quia neque prima, neque ſola: *Ex hoc* enim *beatam me dicent omnes generationes*, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Sed unde beatam? Merito meo? Imo reſpectu divino. Nam *quia reſpexit* Altiſſimus *humilitatem ancillæ ſuæ, ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Sed merito, ſed juſte: *Fecit enim mihi magna qui potens eſt*. Agnoſco gratiam, magnitudinem non uſurpo; magna ſum, fateor, ſed non ex meipſa magna ſum, ſed: *Quia fecit mihi magna qui potens* potuit, & fecit: & fecit, quia voluit: ideo *ſanctum nomen ejus*, benedictum, & glorioſum. Quanta mihi fecerit, quantam in me potentiam oſtenderit, ſolus novit. Ego dicere non ſufficio; ſed pro his nomen ejus ex intimis viſceribus benedico. Sed nunquid ſoli? Imo toti hoc beneficium impenditur orbi. Nam *miſericordia ejus a progenie*, & *in progenies*, omnibus quo ad ſufficientiam; ſed *timentibus eum* quo ad efficaciam. Sed quam miſericordiam? Quia a peccati ſervitute potenti ejus virtute homines liberati, & regni cœleſtis participes effecti ſunt. Ex generationibus namque humanis opere ſuo redemptis, Angelorum ruinas reparavit; illos potenter dejecit, hos miſericorditer ſublevavit. *Fecit*, namque, *potentiam in brachio ſuo*, Verbo ſuo, Filio ſuo; *diſperſit ſuperbos*, & an- *Iſaiæ* 14. gelos & homines, *mente cordis ſui*. Nam & *Apoc.* 13. angelos potentia gloriantes *depoſuit de ſede* cœleſti, & illuc *exaltavit* a terra humiliatos homines. *Eſurientes* quoque Gentiles populos gratiæ ſuæ *bonis implevit: divites* Judæos propter ſuperbiam ſuam *dimittens inanes*. Hæc, inquam, omnia tam potenter, quam miſericorditer operatus eſt, ex quo in oculis ejus inveni gratiam, ut fierem mater ejus. *Suſcepit* enim in utero meo *Iſrael puerum ſuum*, non alicujus merito, ſed *recordatus miſericordiæ ſuæ*. Recordatus & veritatis ſuæ, quia ſic promiſerat *ad patres noſtros*, ſpecialiter *Abraham*, & *ſemini ejus*, non ad tempus, *ſed uſque in ſæcula*. Quod enim ſemel aſſumpſit, in perpetuum non dimittet. *Lucæ* 1. *Ibidem.*

VI. Quam mire, quam ſuccincte Verbi incarnationem expreſſit, *ſuſcepit*, inquit, non enim converſione Divinitatis in carnem, non ſubſtantiarum confuſione, mixtione, aut compoſitione aliqua utriuſque naturæ, ſed aſſumptione mirifica humanitatis in Deum, Deus homo factus eſt. Illum autem benedictiſſimum divinæ, humanæque naturæ ſuppoſitum Jeſum, *puerum* nuncupat, & *Iſrael:* aptiſſime quidem utrumque, & convenientiſſime: quia & ab omni peccati labe puriſſimum, & ab utero comprehenſorem, Deitatiſque oculatiſſimum noverat inſpectorem. Rationem quoque hujus tam admirandæ unionis ſapienter exprimit, cum ait: *Recordatus miſericordiæ ſuæ;* id eſt: non alicujus meritis, *non ex operibus juſtitiæ quæ* *Tit.* 3. *fecimus nos*, ſed ex miſericordia ſua, & gratia ſua pura. Quis enim tantum donum unquam potuiſſet promereri? Et aliam quoque rationem ſubjungens, ait: *Sicut locutus eſt ad patres noſtros*, id eſt, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum. Sed de tempore quoque, ſi dubitas quamdiu hæc tam pia hominis ſuſceptio, hæc Dei hominiſque tam mira conjunctio duratura eſt? *Uſque in ſæcula*, inquit: & ita concludit. Audiſti unquam diſertiorem, ſuaviorem, elegantiorem cantilenam? Quid hac Virgine ſapientius, quid elegantius, quid prudentius? Quam brevi eulogio modum, proprietatem, rationem, utilitatem, & tempus tam admirandi operis circumſcripſit, quam perite, quam ſuccincte ea definivit, quæ neque longo potuiſſent explicari ſermone? Hanc audire geſtiebat in Spiritu ſapientiſſimus ille Salomon, qui cum nulli ſapientia cederet, huic ſoli cedere non erubeſcit. Hanc ad canendum provocabat, cum ait: *Quæ habitas in hortis*, id eſt, o deliciarum hortus: *Amici auſcultant te, fac me audire* *Cant.* 8. *vocem tuam*. Auſcultant te, inquit, amici: id eſt, ſponſus & amicus ejus Joannes: ſic *Jo.* 3. enim ſe ipſe Joannes nominare ſolebat, auſcultant te, inquam, maximi illi citharædi, auſcultant te Angeli, auſcultant te omnis cœleſtis illa majeſtas. O feminarum pulcherrima fac me audire vocem tuam! *Vox enim* *Cant.* 2. *tua dulcis & facies tua decora* nimis. Ex- *Lucæ* 1. pletis ergo tribus menſibus, poſtquam cognata Eliſabeth filium ſuum peperit, & Virgo eum manibus tenens benedixit, ad propria

pria rediit, ſicut advenerat lætabunda. Hæc de hiſtoria.

VII. Æmulamini vos quoque, o Virgines, hanc Virginem, & celeri poſt eam greſſu virtutum montana conſcendite: pervolate perfectionis culmina, & ardua euangelicæ inſtitutionis juga tranſilite; ipſæ namque ſcitis, quia in hoc poſitæ eſtis, & hoc ipſum a primo veſtræ religionis ingreſſu ſedulo deſtinatis. Quid enim aliud hæc veſtra religio geſtit? Quid aliud iſta profeſſio ambit, niſi volatum, niſi curſum, niſi aſcenſum? Ardua eſt profecto virtutis via, difficilis aſcenſus ad vitam, & pœnitentiæ rigor vigore animi ſuperandus: pertinaci opus eſt labore, ut ad perfectionis faſtigia pertingamus. Nullus deſidioſus hanc arripiat viam, nullus lubricus hoc iter aſſumat. Sunt enim qui ferventer incipiunt, ſed poſt modicum itineris aſperitate perterriti, aut ſiſtunt, aut deſiſtunt, & cum opprobrio ad inferiora relabuntur: quibus proculdubio melius fuerat non inchoaſſe quod nequeunt. Hos illa Euangelii deriſio perculit, qua dicitur: *Hic homo cœpit ædificare & non potuit conſummare*. Quare non prius ſedens ſumptus computavit hujuſmodi? Nulla autem vos inſtituti aſperitas deterreat ab incœpto, perſeverate inſtanter, alacriter cœptis inſiſtite. Labor improbus omnia vincit. Timorem hunc nocturnum a cordibus veſtris repellite, hic enim degeneres animos arguit, & faſcinat hallucinantes oculos, ut non videant veritatem: hic exiguos cumulos in montes altos, & culices parvos in grandes magnificat elephantos. O ſi daretur rem ipſam ut eſt, & non per ſpeculum intueri! *Jugum* fateor eſt quod imponitis, ſed *ſuave; onus* quod aſſumitis, ſed *leve*. Non premit, ſed fulcit; non dejicit, ſed reficit; non onerat, ſed levat. Nolite religioſi itineris foveas admirari, nolite prærupta perfectionis expaveſcere; ſunt in eiſdem paſſim prata virentia, fontes dulciſſimi, amœna virgulta, quibus viator amplius reficitur, quam ex via laſſatur. Superatis autem hujuſmodi jugis, arridet ſurſum ampla planities, aſpectus placidus, delicioſa manſio, quæ eſt jucunda: quo, dum celerius pervenitur, omnis præteritus labor penitus traditur oblivioni. Brevis namque labor, & inennarrabile ſolatium. State ergo, & rebus vos ſervate ſecundis: veniet ecce tempus, quando hujus vos non pigebit meminiſſe laboris.

VIII. Scio tamen, unde quibuſdam accreſcere ſoleat progrediendi difficultas. Nempe ex carnalium paſſionum, deſideriorum temporalium, & curarum pondere. Hujuſmodi namque ponderibus preſſi, & talibus pedicis irretiti pedes animæ, id eſt, affectus lentius vadunt. Unde non tam via difficilis, quam pes gravis: non aſcenſus arduus, ſed magis ligatus eſt greſſus. Solvite ergo hujuſmodi peccatorum nexus, & infelices has paſſionum ſarcinas procul abjicite, & pervia vobis erunt montana virtutis. Exurgite cum Maria, ut feſtinetis: feſtinate, ut perveniatis. Quæ enim in peccatis jacet anima, quomodo feſtinabit? Quæ præ tædio non feſtinat, quando perveniet? Pellatur ergo culpa, pellatur & deſidia: pollutus enim gemmarum pavimentum, & civitatem auream ingredi non permittitur: & regnum cœlorum niſi violentus nullus arripiet. Non ergo fruſtra dictum eſt, quod Maria exurrexerit, & quod feſtinaverit in montana: ſed proficiendi modus in Deipara Virgine nobis eſt definitus. Sed dicetis forſitan: Quomodo tu nos in montana feſtinare compellis, cum id aperte Pſalmographus interdicat? Exprobrat enim quibuſdam id ſuadentibus, dicens: *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer?* Et alius Propheta clarius: *Qui crediderit non feſtinet*. Ecce feſtinationem & curſum, quem tu indicis, Veritas interdicit. Sed vere non obviat dictis eloquium ſacrum. Hæc enim verba Scripturæ propter quoſdam imbecilles & inconſtantes introducta ſunt, qui præ nimia puſillanimitate & impatientia, ſi eodem menſe vel anno, quo viam religionis arripiunt, quo volunt perfectionis, aut devotionis non attingunt, labaſcunt illico, & deficiunt: diffidenteſque omnino, a ſancto vitæ propoſito pueriliter deſiſtunt, impoſſibilem ſibi exiſtimantes propoſitam perfectionem. Quibus diabolus ſæpius ſuggerit illud: Ut quid vexaris? Ut quid fruſtra contendis? Ut quid inani labore conſumeris? Ecce tamdiu conatus nihil profeciſti? Quid adhuc perſtas? Ardua eſt perfectionis via, & non poteris ad eam: lætare, & quieſce. *Melius eſt* tibi *videre quod cupias, quam deſiderare quod neſcias*. Huic ergo tam perniciosæ ſuggeſtioni fervidus religioſus, & conſtans, ingenue reſpondens, ait: *In Domino confido*. O perfidi! O mendaces! *Quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer?* Tranſmigrare non poſſum, ſufficit ire. Paſſer iſte ſolitarius quem dicitis, quia pondus non habuit peccatorum, celeriter potuit tranſmigrare, & virtutum culmina tranſilire: mihi peccatori ſat eſt pedeſtrem ſequi. Quis enim in filiis Dei ſimilis erit Deo? Etſi ergo remoror, etſi detineor: in propoſito tamen perſiſtam, & non meis viribus, ſed de illius gratia, & virtute confiſus, non diffidam.

IX. *Qui* ergo *crediderit: non* ſic *feſtinet*, ut deficiat, ſed ſic *feſtinet*, ut perveniat. Habet ſuos gradus perfectio, quos non facile exiguo tempore liceat tranſilire. Nam ſemen in ſatis primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica fructificat ultro. Et teſte Euangelio, tale eſt regnum Dei. Quid acceleras, quid feſtinas; quid anxiaris, quia non obtinuiſti, quia non perveniſti, quia non comprehendiſti? Paulus poſt penetratos cœlos & luſtratum Dei paradiſum, non putat ſe comprehendiſſe, & tu heſternus Frater vel Monialis, jam obtinuiſſe gliſcis? *Expecta Dominum*, vi-

Lucæ 14. Pſal. 90. Mat. 11. Lucæ 1. Apoc. 21. Mat. 11. Pſal. 10. Pſal. 10. Pſal. 88. Eccli. 9. Pſal. 10. Mat. 15. 2. Cor. 12. Philip. 3.

Pſal.26. *viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Perfectionis via non pervolanda, ſed perambulanda eſt. Multa patientia & longanimitate opus eſt ut pervenias: diutino labore perveniendum eſt, quo feſtinas. Quamvis, ſi bene advertas, Pſalmographus non feſtinationem, ſed tranſmigrationem reprehendit: non enim ait: *Quare dicitis animæ meæ* feſtina: ſed *tranſmigra*. Tranſilire, non feſtinare, refugit. Quidam enim converſi ad Dominum, picarum more ſalientes omiſſis mediis ad ultima perfectionis ſtatim tranſiliunt: quibus hujuſmodi ſaltus ſæpius vertitur in ruinam. In ipſo quippe religionis introitu, & primis foribus, cum deberent ſolicite conſcientiam ſuam diſcutere, vitam præteritam & annos male conſumptos cum animi contritione cogitare, commiſſa diu ſcelera deplorare, humilitatis & obedientiæ exercitiis fideliter deſudare, ſacris lectionibus, & meditationibus indefinenter inſiſtere; omiſſis his, ea quæ perfectorum ſunt inſolenter arripiunt; Scripturas ſacras diſcutiunt, prædicationibus publicis inſiſtunt, præſidere melioribus geſtiunt: & qui religioſiores videntur, gaudia ſpiritus, & cœleſtes theorias ante cordis munditiam avidiſſime perquirunt. Hujuſmodi autem celerones ſicut præpoſtere conſcendunt, ita celeriter cadunt.

X. Vos itaque Virgines poſt Mariam in montana virtutum feſtinate: ſed patienter, ſed longanimiter, ſed humiliter. Humilem ſequimini humiles, modeſtam modeſtæ, & Chriſto gravidam, vos quoque Chriſto fœcundatæ. Neque enim in alta properare poteſt, quæ Chriſto gravida non eſt. Feſtinat Maria in montana accelerante ſe fœtu: & vos proculdubio cum gaudio feſtinabitis, ſi Chriſtum mentis utero concepiſtis, ſi ipſum cordis alvo geſtatis. Chriſtus in utero non oneri eſt, ſed levamini: prægnantem animam non onerat, ſed levificat: fœtis animabus montana non ſunt aſpera, ſed vacuis. Unde enim hodie in velatis Virginibus tanta tepiditas; niſi quia fœtus divini ſteriles ſunt? Audias ubique in clauſtris miſerabiles querimonias de abſtinentia, de paupertate, de jejunio, de vigilia, de obedientia, de clauſura, de diſciplinæ monaſticæ rigore, de vitæ regularis auſteritate. Ardua illis videntur montana virtutis, quia inanes & vacuæ ſunt gratiæ cœleſtis. Nam quæ Verbo Dei gravida eſt, ſponte, non vi, feſtinat ad alta. Unde ergo in eis tanta violentia, niſi quia deficit gratia? Heu cœleſtis illa requies & amœnitas paradiſi, in carcerem hodie reputatur; religionis deliciæ, devotionis ſolatia, in amaritudines & lamenta verſa ſunt.

2. Cor.3. Spiritus quoque vera libertas in ſervitutis
Heb. 6. materiam deputatur. *Confidimus autem de vobis*, Dilectiſſimæ, *meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur:* Chriſto enim gravidas vos eſſe devotio fervida, affectio flammea, facies læta, & vita pura demonſtrat. Quia ergo ſpontaneum vos Deo ſacrificium obtuliſtis, cum omni gaudio & alacritate *Apoc.14.* Agnum ſequimini, quocumque ierit. Feſtinate in montana, conſcendite poſt Mariam, ſicut ſcriptum eſt: *Adducentur Regi virgines* *Pſal.44.* *poſt eam*. Ita dico vobis, hanc æmulamini, hanc ſequimini: hac enim duce, hac magiſtra, celeriter properabitis, & feliciter pervenietis quo tenditis: ad illam videlicet perpetuam & immarceſſibilem gloriæ coronam, quam nobis præſtare dignetur Dominus virtutum & ipſe Rex gloriæ: cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. *1.Petr.5.*

POSTILLA.

I. In hiſtoria ſancti Euangelii rem quandam magnam, prodigioſum miraculum narrat nobis Euangeliſta: & more tragœdiæ vel comœdiæ, quatuor perſonæ excellentes introducuntur, veluti in ſcena quadam. Prima perſona, introducitur Virgo quædam, Virgo prægnans: prægnans, non de viro, ſed de Spiritu ſancto: Genitrix, non Regis aut Principis, ſed Dei. Hæc, licet Virgo, per montana tota inflammata cum feſtinatione incedit (quo enim Virgo Deo plena, ait Ambroſius (*a*), niſi in montana conſcenderet?) Pſalmus: *Montes excelſi cervis, petra* *Pſ. 103.* *refugium herinaciis*. Cum feſtinatione vadit: non enim ponderi eſt Infans in utero, ſed levamini. Imprægnata, ſed non aggravata: gravida ſine gravamine. Quomodo enim gravaret in utero matrem Verbum Dei, quo omnia ſuſtinentur? Portat enim *omnia* *Heb. 1.* *Verbo virtutis ſuæ*. Factus in utero, matrem ipſam portat, & veluti radius flammigerans vapori virgineo impreſſus corpus levat in montana, animum rapit in cœleſtia. O felix ſilva quæ talem viatorem habuiſti! O admirabile ſpectaculum! Puer Deificus, Infans cœleſtis, nondum natus, jam iter agit per montana! O currus triumphalis uteri Virginalis, quo cœleſtis Rex, non tam hominum, quam Angelorum caterva ſtipatus itineratur, vehitur per montana! Clarior eſt currus, illa quadriga ignita, qua vectus *4.Reg.2.* eſt Elias in cœlum. Ibi ardor igneus, hic ardor Spiritus; ibi quadriga equorum, hic virtutum; ibi vehitur Propheta, hic Deus Prophetarum. Sed quænam, obſecro, itinerandi ratio? quæ cauſa feſtinationis? Audiamus. Conceperat Eliſabeth ſenex & ſterilis *Lucæ 1.* miraculo duplicato, Præcurſorem Domini Joannem Baptiſtam, ducem & armigerum cœleſtis Regis, anteſignanum totius Dominicæ phalangis. Hic adhuc ergaſtulo peccati originalis detinetur, & carcere peccati gravatur.

(*a*) In Luc. lib. 2. num. 19. *Quo enim jam Deo plena, niſi ad ſuperiora, cum feſtinatione contenderet? Neſcit tarda molimina ſancti Spiritus gratia.*

vatur. Festinat Mater ad senis parituræ obsequium; sed Filius festinat sanctificare suum Præcursorem; eripere, ac liberare suum ducem. Ecce quatuor personas totius mundi primates. Virgo puerpera, Sterilis prægnans, Verbum Domini, Propheta Domini, duæ matres, & duo parvuli. Canunt matres, ludunt parvuli intra viscera. Audi mysterium, audi mirabile sacramentum. Intrat Virgo domum senis, salutat eam, intrat vox illa a Verbo Dei in utero existente, emissa per os Virginis in aures Elisabeth: penetrat senilia viscera virtus voci impressa. Jacebat infans in senilibus visceribus securus, veluti in cervicali suo: tangitur virtute vocis, aperit oculos, agnoscit Deum nube carnis, & nube ventris reconditum: excitatur, exurgit, concutit latera matris, gestit erumpere, gestit clamare foras, negat exitum uterus clausus, partus immaturus erumpere non sinit membra infirma, natura prohibente detinetur: lingua immobilis & tenera loquelæ officium negat, gestit clamare, & hæret lingua palato. Accusat naturæ tarditatem Propheta Domini, & quoniam verbis non potest, prophetico gaudio & corporis motu salutat. Flectit ergo puer, ad mensuram palmæ, puer sex mensium, genua intra viscera matris: cum ingenti lætitia & gaudio Regem
Jonæ 2. Sanctorum, ut Jonas, in ventre adorat, dicens: Beneveneris in mundum Rex supreme, Deus æterne! Felix adventus tuus, & benedictus uterus qui tantum thesaurum clausum portat!

II. O singulare spectaculum! O prodigiosum stupendumque miraculum! Prius cognovit Creatorem quam se; prius adorator & prædicator, quam natus. P. Augustinus (*a*)
(*a*) ista omnia *in sermone Sancti Joannis*, ubi, sic ait: Fervens Nuntius, qui ante gestivit nuntiare quam vivere. Impatiens Dux, qui antequam perveniret ad corpus, pervenit ad Regem; ante rapuit arma, quam membra, ante aciem petit, quam lucem; &, ut vinceret mundum, vicit ante naturam. Ipse enim sine visceribus, viscera matris exsuscitat; &, quia tardabat corpus, solo spiritu implet euangelizantis officium. Quid dicam, Fratres? Joannes antequam Christum præcederet, seipsum præceffit. Impletur ergo puer Spiritu sancto, & quod propria lingua non potuit, lingua matris intonuit. Sicut bonus pulsator intus tetigit claviculas, & fecit foras sonare fistulam maternæ linguæ. Sed, quid mater dicat, audiamus:
Lucæ 1. *Benedicta tu inter mulieres*; imo super mulieres; imo super omnes gentes; imo super omnes creaturas, &c. *Et* benedicta *quæ credidisti*. Multas virtutes potuit laudare in Virgine; sed fidem elegit, quoniam illa in conceptione Verbi multum resplenduit in Virgine. Et, ut cognoscas, quanta fuerit fides in Virgine, & quam merito laudetur

A ab sterili; vel ex solo Abraham disce, qui summopere fuit fide celebratus. Sic enim ipsum laudat Scriptura: *Credidit Abraham* *Gen. 15.* *Deo, & reputatum est ei ad justitiam*. Interim, o pulcherrima feminarum: *Quæ habi-* *Cant. 8.* *tas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam*. Auscultat Verbum, & amicus Joannes, auscultant Angelorum chori cum jubilo. Eja ergo canta Cantrix cœlestis, canta suprema Cantrix. Eja saliant ista verba viva, formata in vestro pectore Virginali, formata a Verbo æterno, quod est in tuo utero. Verba de Verbo, temporalia
B ab æterno. O Sybilla super omnes Sybillas! Resumat vestrum virgineum os illos mysticos versus, mensuratos mensura Spiritus sancti, quos in te intonasti Domina, altius quam Prophetæ, elatius quam Seraphim. Eja pulcherrima feminarum, *sonet vox tua* *Ibid. 2.* *in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora*. Incipe cantare canticum novum, pro novo, pro singulari, pro admirabili beneficio Dominicæ Incarnationis. Non hic transitus maris rubri causa cantandi, non victoria hostium, non liberatio israelitici populi, non particulare aliquod beneficium in lege veteri, ut Moyses, Maria soror ejus, Anna mater Samuelis, Ezechias *Exod. 15.* & alii cecinerunt. Sed, quæ occasio canen- *1. Reg. 2.* di Mariæ? Quid incitat ad canticum Virgi- *Isaiæ 38.* nem? Quoniam Deus est homo, quoniam Redemptor conceptus est, quoniam in utero ejus Deus clausus latet in forma infantis. Vita venit in mundum, libertas toti generi humano de cœlo missa est, &c. Hæc causa canendi, hæc jubilandi occasio. Inde tripudiat Virginis anima, inde exultat spiritus ejus in Deo salutari suo. Magnum sacramentum, supremum mysterium; altissimum
D canticum debet esse, quod in tanti beneficii gratiarum actione respondet.

III. Audiamus ergo canticum canticorum ore Virginis personatum, Verbo æterno dictatum, a Spiritu sancto formatum: *Magni-* *Lucæ 2.* *ficat anima mea Dominum*. Vide Virgo, quid ais. Tu Deum magnificas? *Magnus Dominus* *Ps. 146.* Deus *noster est* magnitudinis *ejus non est numerus*. Immensus est, & tu illum magnificas? Ego magnifico: non quia magnitudinem præbeo, sed quia magnitudinem ejus ostendo; aut, quia magnitudinem ejus prædico, vel perpendo. Anima Virginis magnificat
E Deum, sicut pictura pictorem. Ecce vides picturam, & ais: O magnus pictor! Aliud vidisti, aliud laudasti. Quis non Deum laudet, qui in una anima Virginis, tot virtutum, & creaturarum, & donorum congessit munera? *Magnificat* ergo *anima mea Domi-* *Lucæ 1.* *num*. Sed, & corpus magnificat; quia magnum fecit, nova magnitudine molis & corporis. Nam ante Deus incorporeus erat, & expers magnitudinis corporeæ. *Et exultavit spiritus meus*. In quo Virgo? Non in pom-

(*a*) Serm. 199. paulo ante in Concione allegato.

pis, non in divitiis, non in turba famulorum, non in amplis poſſeſſionibus, non in veſtibus auratis; ſed *in Deo ſalutari meo*.
Gen. 2. Tuone, an omnium? *In Deo ſalutari meo*. *Meo:* quia meo filio, quia ex me genito, quia in me formato. *Meus* eſt. *Meus:* quia *os de oſſibus meis, & caro de carne mea*. Non ſic eſt Sanctorum, non ſic eſt aliorum, ſed eorum Dominus: *Meus* autem Filius & Dominus. Pro iſta materia nota bonum punctum. Virgo ſacratiſſima diu tenuit myſterium Incarnationis ſecretum, & altiſſimum ſacramentum inaudita taciturnitate occultabat. Videns autem, quod in ejus ſalutatione Eliſabeth Spiritu ſancto plena ſecretum cognoverat, & alta voce prædicabat; quoniam jam in publico vidit ſuam excellentiam prædicari, & jam notum eſſe ſecretum; in voce laudis & exultationis etiam ipſa prorupit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*. Nota ex Chryſoſtomo (*a*): quantus Virginis pudor, cum venter creſcebat, Joſeph ſubtriſtis cogitabat eam dimittere; nec tamen Virgo ſecretum pandit Joſeph, quoniam non crederet; ſed a Domino remedium expectabat prudentiſſima. Nota punctum ſingulare. Quare *cum feſtinatione?* Quia noverat Joannem eſſe in peccato originali, feſtinabat liberare, ut ait Origenes (*b*). Videant, qui ſunt in peccato mortali, qua diligentia procurare debeant, ut exeant. Exemplum: ſi domus comburitur: quanto magis anima? Similiter videant Paſtores, quam ſolicitudinem debeant animabus ſuorum.

Lucæ 1.

Ibidem. (*a*) *Mat.* 1.

Lucæ 1. (*b*)

IN FESTO ASSUMPTIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

CONCIO PRIMA.

CONCORDIA EUANGELII CUM VITA B. V. MARIÆ.

Maria optimam partem elegit. Lucæ 10. v. 43.

CONCIO CXLIV.

Lucæ 10.

I. VALDE mirum eſt, quorſum in die tantæ ſolemnitatis Eccleſia concinat duarum ſororum Euangelium. Quomodo *intravit Jeſus in quoddam caſtellum:* quomodo Martha miniſtrat, Maria ſedet: Martha conqueritur, Jeſus reſpondet pro Maria. Quid hoc ad Virginis Aſſumptionem? Sed, ſi alterum ſenſum myſticum quem Eccleſia intendit, attenderis, invenies Euangelicam lectionem brevi compendio totam Virginis vitam deſcribere; ſummatimque univerſam Virginis hiſtoriam texere; atque nihil in toto Euangelio vacare a myſterio, & propoſito hodierno: ut planius patebit, ſigillatim ſingulas ejus partes exponendo.

Ibidem. II. *Intravit Jeſus in quoddam caſtellum, &c.* Quod caſtellum fortius, quod firmius, quod pulchrius, quam Virgo ſacratiſſima? Cujus animam ſic Deus gratia firmavit; ut neque dicto, nec facto, nec cogitatu, a Deo unquam declinaverit. O quam fortiſſima turris anima illa ſacratiſſima, quam nullis fraudibus dæmon valuit expugnare! imo nec illam interius auſus eſt impugnare. Hujus enim caſtelli nunquam, vel unam pinnam dæmon potuit obtinere. Caſtrum non ſolum invincibile, ſed etiam impugnabile. Licet enim ab hoſte perſecutionem paſſa ſit, non tamen tentationem a carne, ſicut ſcriptum eſt: *Abimelech non tetigit eam*. Conſidera a principio ſæculi, & diſcurre per omnes filios Adam: nihil ſtabilius, nihil immobilius, nihil firmius hac ſacra Virgine reperies. Turris fundata ſupra firmam petram in montibus ſanctis immobili fundamento. Siquidem: *Deus in medio ejus non commovebitur*. De hac Virgine in Canticis legitur: *Sicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Vere turris David. Illius, inquam, David qui ſuperbum Goliam quinque lapidibus de torrente, id eſt, quinque vulneribus, & crucis baculo, gloriantem in calvariæ monte proſtravit. Facta eſt hæc turris, Eccleſiæ propugnaculum, & peccatorum unicum refugium, ut ad ipſam confugiant omnes rei, omnes mœſti, omnes afflicti, & ea protegente liberentur ab hoſte. O homo! In quacumque tribulatione ad Mariam fuge. Sive peccatis afflictus, ſive perſecutionibus attritus, ſive tentationibus turbatus, hanc turrim petito, ad Mariam confugito. *Mille enim clypei pendent ex ea*, & contra omnem æſtum tribulantis, & ad omnem faciem perſequentis dæmonis, tutiſſimum in ea clypeum invenies, quo te protegas. Ibi eſt enim *omnis fortium armatura*, ibi fides Apoſtolorum, ibi fortitudo Martyrum,

Gen. 20.

Mat. 7.

Pſal. 86.

Pſal. 45.

Cant. 4.

1. *Reg.* 17.

Cant. 4.

(*a*) Seu Auctore Imperfecti in Matth. Homil. 1. sub initium. *Jeſus enim, qui in utero ejus erat, feſtinabat adhuc in ventre Joannem poſitum ſanctificare.*
(*b*) Super Luc. cap. 1. in Viſit. B. M. V. Homil.

rum, ibi puritas Virginum, Doctorum sapientia, Anachoritarum paupertas, devotio Confessorum; ibi denique omnium Sanctorum virtus agglomerata reperitur. Nihil enim usquam Sanctorum speciali privilegio concessum est, quod non a principio vitæ accumulatius præfulgeat in Maria. Ecce castellum fortissimum, ecce turrim inexpugnabilem, quæ nunquam diabolo præstitit tributum aut fidem. Hanc intravit Jesus,
Jo. 1. quando *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, inde inimicos expugnaturus, & regnum suum recuperaturus, in quo ab initio dæmon fuerat intrusus. Sic enim solent Reges terræ, quotiescumque rebellante regno, tyrannus dominatur, occupare castrum aliquod in regno, unde possint totum dominium suum recuperare. Hic est ille tyrannus, cujus opera Christus venit dissolve-
Mat. 12. re, & a regno suo expellere, sicut scriptum est: *Nunc judicium est mundi: nunc*
Marc. 3. *princeps hujus mundi ejicietur foras*. Rebel-
Jo. 12. laverant enim sui contra eum, dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos*. Et sicut in
Lucæ 19. Psalmo scriptum est: *Dirumpamus vincula*
Psal. 2. *eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum*. Sed ignorantibus illis, *intravit Jesus*
Lucæ 10. *in quoddam castellum*, id est, Virginis uterum, unde totum mundum ditioni suæ subjugavit. Statim enim ut de castello hoc egressus est, viriliter agere cœpit: mundum scilicet invadere, tyrannum excludere, & propriam hæreditatem spoliato dæmone ad se
Ibid. 2. reducere; pastores a proximo, Reges a lon-
Mat. 2. ginquo ad sui obedientiam celerrime trahens. Unde, & spoliatoris nomen sortitus
Isaiæ 8. est, sicut apud Isaiam legimus: *Voca nomen ejus, accelera, spolia, detrahe: festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ*. Venit igitur cœlestis ille Pastor quærere ovem quæ pe-
Lucæ 15. rierat, drachmam quam perdiderat.

III. *In propria venit, & sui eum non receperunt:* sed
Jo. 1. *mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam*. O felix mulier, o beatissima mulier quædam super omnes mulieres, mulierum corona, mulierum gloria, mulier admirabilis, mulier stupenda! Mulier de qua Joannes in Apocalypsi
Apoc. 12. admiratus, expavit dicens: *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, & luna*
Jo. 1. *sub pedibus ejus. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit*. Latentem enim sub homine Deum, quis cognosceret? Deum, inquam, in homine quis audeat suspicari? Sola ista prudentissima mulier, sola cognovit, sola recepit, sola adoravit, vestivit, unxit, pavit, fovit, & ut Martha fidelissima ministravit. *Excepit illum in domum suam*, in uterum suum, intra viscera sua, & in virgineo tha-

A lamo peregrinantem in terris Regem gloriæ hospitavit, & velut altera Sunamitis summo Prophetæ, Prophetarum Domino, mensam, candelabrum, lectulumque paravit. *4. Reg.* 4.
Lectulum in utero, mensam in pectore, candelabrum in intellectu. In utero illius quievit, in pectore pastus est, & ab intellectu illius creditus est. Non est extincta *Prov.* 31.
in nocte candela ejus, id est fides, in passione. Mulier ergo hæc Beata, *excepit illum in domum suam*. Nec solum recepit, sed, ut *Lucæ* 10.
dictum est, vestivit, & pavit: &, ut ait Anselmus (*a*), omnia misericordiæ opera in (*a*)
B ipsum exercuit. Et ut hæc diffusius prosequamur: singula misericordiæ opera sigillatim numeremus. Primo igitur recepit peregrinum, & hospitavit: peregrinum, inquam, qui de seipso per Prophetam dicit: *Quoniam advena ego sum & peregrinus, sicut* *Psal.* 38.
omnes patres mei. Et de quo alius Propheta: *Quare*, inquit, *quasi colonus futurus es in* *Jer.* 14.
terra, & quasi viator declinans ad manendum? Cui etiam Discipuli dixerunt: *Tu solus peregrinus es in Jerusalem?* Hunc igitur *Lucæ* 24.
cœlestem peregrinum beatissima hæc mulier
C excepit, & stricta veste, indumentoque paupere atque levissimo vestivit, ne videlicet vestis longitudine a mortalis vitæ cursu præpediretur, ad quem currendum exultavit ut *Psal.* 18.
gigas, usque ad lignum crucis. Veste paupere vestivit eum, sed munda atque purissima; de qua Salomon in Proverbiis: *Sin-* *Prov.* 31.
donem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Sindonem, hoc est mundissimam texuit telam, nitidissimam purissimamque sacrosanctam illam carnem, quam
D sapientissimus artifex Spiritus sanctus ex virgineis sanguinibus, veluti ex staminibus, in visceribus illius, ut in textorio fine virili opere contexuit. Illam telam quasi propriam, & ex carne ejus contextam; sapiens mulier vendidit Deo Patri, ut inde talarem tunicam & polymitam Filio suo faciat. *Gen.* 37.

IV. Et quo pretio vendidit, o bone Deus! quo pretio vendidit telam istam? Quid pro illa tunica datum est ei? Quis numerare valebit; quis audebit enarrare, quis cogitare sufficiet? Omnium gratiarum plenitudo, omnium virtutum, & bonorum plena possessio, cœlestiumque gemmarum, & margaritarum inæstimabilis thesaurus datus est
E ei. Vestita est ab eo gloria, & decore, cœlorum terrarumque Regina constituta est, & in ministerium data est illi omnis creatura, quæ sub Deo est. Ecce sindonis pretium, ecce quanti tela vendita est. Sed ad quid? Ut videlicet inde fieret cingulum Chananæo. O pulcherrimum Chananæum divino splendore indutum, & virgineo cingulo cinctum, qui immutabilis manens, forma Dei non amissa, in hominis formam veluti mutatus apparuit. Habebat ab initio Cha-

(*a*) Homil. Euang. secund. Lucam: *Intravit Jesus in quoddam castellum*, tom. 3. pag. 238. edit. Colon. an. 1573.

nanæus hic ampliſſimas veſtes a Patre, ſolo cingulo indigebat, quo immenſos illos exuberanteſque ſinus ampliſſimorum veſtimentorum colligeret, *ad currendam viam*, ſicut *Pſal.18.* ſcriptum eſt: *Dominus regnavit, decorem indutus eſt: induit Dominus fortitudinem, & precinxit ſe.* Ecce veſtes, ecce cingulum: veſtes a Patre, cingulum a Matre: veſtes ab æterno, cingulum ex tempore. O quales veſtes, decor & fortitudo! ſicut & alibi ſcriptum eſt: *Fortitudo, & decor indumentum ejus.* Audi decorem: *Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Confeſſionem, & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.* Audi fortitudinem: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Ecce veſtes. Audi cingulum: *Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens.* O quam præcincta æternitas ſub unius diei puero! Quam præcincta ſapientia in infante, potentia in tenero, fortitudo in parvulo, majeſtas in paupere, divinitas in homine, Angelorum decus in vagientis corpuſculo! O quam collectos ſinus geſtas ſub cingulo carnis, bone Jeſu, in præſepio, adoratus ab Angelis, comitatus a beſtiis! Quanta majeſtas, quanta humilitas, quæ amplitudo, quæ arctitudo! Accepit igitur peregrinum, induit Chananæum. Pavit quoque famelicum abundanti pectoris ſui lacte, panem de cœlo ipſa pavit, Angelorum panem ipſa ſatiavit ubere de cœlo pleno.

Prov.31. Pſ. 103. *Philip.2.*

V. Neque ſolum hoc: ſed etiam captivum redemit. Sed quomodo hoc fecerit audiamus: humanum genus quoddam magnum debitum ex peccato contraxerat, quod cum Deo perſolvere non poſſet, captivitatem incurrit. Miſertus Filius Regis, pro captivo ſpopondit Patri, factuſque eſt fidejuſſor illius, cujus erat conditor; neque tamen habebat unde ſolveret. Inſtat Pater: *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui & captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico, Fili mi, & temetipſum libera: quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Erue quaſi damula de manu, & quaſi avis de manu aucupis*, redde debitum. Quid fidejuſſor faceret, qui unde ſolveret pro ſervi peccato non habebat? *Stipendia enim peccati mors*, & peccati retributio pœna eſt: pœnam vero impaſſibilis pati non poterat. Venit igitur ad Virginis menſam, & inde numeroſam pecuniam accepit, quam redderet creditori: accepit namque carnem unde Patri redderet pro amico, quem ſibi fecerat ex ſervo, tot pretia peccatorum. O quam plene ſolutum eſt ab eo peccati debitum, o quam bene numeratam pecuniam creditori dedit ſuper crucis menſam! Quot flagella, quot alapas, quot punctiones, quot vulnera, quot injurias, quot lacrymas, quot tormenta, demum atrociſſimam mortem. Ecce captivi pretium quo ſolutus eſt ab ergaſtulo. Pretium igitur redemptionis Chriſtus perſolvit, ſed hæc mulier illi dedit unde ſolveret: ipſe Redemptor eſt, ſed ab ipſa accepit unde redimeret. O quantum tibi tenemur Virgo Beata, quid tibi pro tanto beneficio retribuemus? Viſitavit quoque ægrotum in arctiſſimo crucis lectulo recumbentem. *Stabat* enim *juxta crucem Jeſu* *Jo. 19.* *mater ejus*, pallebat ille, plorabat ipſa: defunctum quoque poſt modicum ſepelivit. Quid ergo pietatis, quid officii non implevit in Filio? aut quando ab obſequio deſtitit? Nunquid non tibi videtur mulier hæc, quæ tam ſolicite, tam anxie miniſtravit Martha nomine? O Martha, Martha! numquam fuit ab initio talis Martha. A principio diligenter recenſe hujus Virginis miniſterium; & primo conſidera ipſam in viliſſimo tugurio parientem, in alieno domicilio, in alieno oppido, ſine famula, ſine lectulo, ſine foco, ſine aliquo famulatu. *Lucæ 2.* Puerperam aſpice illam fugientem poſt modicum in Ægyptum, intempeſta nocte, hyeme, per deſerta invia, & arenoſa, quæ vix camelis pervia ſunt, ſolo uno Sene comitatam. *Mat. 2.* Conſidera ipſam in Ægypto ſexennio inter barbaros, ignotos, crudeles, idololatras exulantem, ſuo labore, & ſudore victum, veſtimentumque parantem. *Ibidem.* Attende ex Ægypto redeuntem, pro Filioque timentem, nutrientem, ſervientem, & poſtea prædicationis tempore ubique ſequentem. Sequebatur eum tenerrima Virgo, per vias, & caſtella, non ſine magno labore, & corporis detrimento, quocunque ibat, ubicunque prædicabat: neque enim ab eo per diem abeſſe poterat. Quid dicam anxietates, ſolicitudines, timoreſque quotidianos, quos pro Filio quotidie timebat? Timebat enim, quod aliquando futurum non ignorabat. O quos cruciatus, quos dolores tam acerrimos in fine perpeſſa eſt! O Virgo, quis unquam pro aliquo ſuſtinuit, quanta tu pro Dei Filio in hac vita perpeſſa es? Quænam ancilla ſic ſervivit unquam domino ſuo, ſicut tu filio tuo, tam liberaliter, tam diligenter, tam placido vultu, tam læto animo, tam continuo ſervitio? O Martha, Martha! Martha hoſpitio, Martha naſcenti, Martha viventi, Martha morienti! Quam bene impleſti, quod in principio promiſeras: *Ecce ancilla Domini.* *Lucæ 1.* *Mulier*, inquit, *Martha nomine excepit illum in* *Ibid. 10.* *domum ſuam.*

Rom. 6.

VI. *Sed huic erat ſoror nomine Maria.* Bernardus (*a*): Diſtingue, inquit, in illa ſuprema Maria duplicem portionem: Martham in corpore, Mariam in ſpiritu: Martham *Ibid. 2.* (*a*)

(*a*) Serm. 2. in Aſſumpt. B. M. V. num. 9. *In hac una, & ſumma Maria, & Marthæ negotium, & Mariæ non otioſum otium invenitur.*

tham in ministerio, Mariam in otio: Martham in officio, Mariam in jubilo: Martham corpori Domini ministrantem, Mariam ad pedes Domini sedentem. Agnovisti jam Martham, disce nunc Mariam: sorores namque sunt: Martha & Maria, in Virgine non sibi dissonant, nec discordant. Fuit enim hoc mirabile in Virgine, quod cum in utraque vita, activa scilicet, & contemplativa, omnes excederet, ambas tamen in seipsa feliciſſime copulavit. Neque enim actio contemplationi, neque contemplatio actioni adversabatur: sed mirifico quodam sancti Spiritus artificio, ita assidue serviebat, ut semper oraret, ita semper orabat, ut assidue serviret. Martha serviebat, ut Domino; Maria vacabat, ut Deo. Audisti Marthæ hujus solicitudinem: audi nunc Mariæ vacationem. *Sedens*, inquit, *secus pedes Domini, audiebat verbum illius*. Ad illos utique pedes, de quibus Psalmus: *Ut intingatur pes tuus in sanguine*. Ante quos, teste Propheta, *egreditur diabolus*. Pedes Domini humanitas ejus, nam *caput Christi, Deus*, ut Apostolus inquit. Ad hos beatos pedes continue sedens Maria audiebat verbum illius. O piissime Deus! Quis enarrare sufficiat inter ipsam serviendi solicitudinem ad hos pedes, quo fervore, qua dulcedine, quo gaudio spiritus hujus Virginis agebatur? Quanto mentis ardore hæc Virgo intus inflammabatur, quanto jubilo illius animus quotidie replebatur, quando Deum Sion oculis cernebat, & amplexibus applaudebat? die noctuque beatissimis ulnis sustinens eum, qui sustinet orbem. O quibus radiis Sol ille infinitus, nebula carnis opertus, puriſſimam hujus Virginis mentem irradiabat, decorabat, purpurabatque! O quos favores in corde illius ex gremio imprimebat, quali nectare intus potabatur, cum eum lacte potabat! Qualis nubes lucida, cum purpureis coloribus sole irradiante coruscat, talis hujus Virginis anima Deo illuminante fulgebat. Quid dicam de illa tam longa conversatione cum puero, cum adolescente, cum juvene, cum viro? Quæ verba, quæ colloquia, quæ responsa, quæ mysteria, quæ secreta, quæ oracula? O felicem scholam, ubi Deus, & Filius magister est, & Mater, & Virgo discipula! Tam longo tempore, tam continuo auditu, tam frequenti magisterio, quid a tanto Magistro non didicisti? Quid a tanto Domino non impetrasti? Quid, obsecro, tunc temporis cogitabas o Virgo? Quid in animo sentiebas? Quid in illo tuo sacratissimo pectore agebatur? Existimo enim (neque me fallit opinio) tenerrimum hujus Virginis corpusculum, mentemque delicatissimam, irruentis luminis voluptatisque torrentes, ex illo vivo fonte ructantes, tolerare non potuisse, nisi eam Spiritus sanctus desuper obumbrasset, intusque virtute nimia solidasset: in mortali etenim corpore, gustus hujusmodi, nisi miraculo solidata sentire non posset, & vivere. Unde miraculose factum existimo: ut, aut omnino non deficeret, aut non continue esset in raptu. Sed sustentabat eam Spiritus sanctus inter tot splendores, & delicias, ne raperetur ecstasi, ut Dei Filio necessarium Marthæ ministerium non deesset. Si enim in unum coacervaveris quicquid omnes Apostoli, Prophetæ, Martyres, Virgines, & alii Sancti de Deo gustaverunt, & ad hujus Virginis glorioſæ gustum sensumque comparaveris: erit velut granum ad montem, gutta ad oceanum, stella ad solem. Quodammodo enim hujus Virginis caro spiritualis erat: tum propter majorem illius puritatem, tum propter ferventes divinorum influentias, tum propter frequentes suavitates, quas fere continue degustabat. Ecce magnam illam Mariam, ecce maximam beatarum Mariarum, ecce maximam feminarum.

VII. Sed inter hæc omnia, *Martha satagebat circa frequens ministerium*. Spiritus cœlestia pervolabat, corpus vero in obsequio satagebat. Audiebat quieta, ministrabat solicita. Sed quando, obsecro, Martha de Maria conquesta est? Hoc nobis restat exponendum: sed facile intelligimus, si advertimus duplicem in Maria sicut in Christo portionem, superiorem, inferioremque: & secundum superiorem portionem, sicut & Filium, passionem Christi acceptare: secundum vero inferiorem, cum Filio recusare. Prænoverat enim ipsam, aut ex Scripturis, quas præ omnibus capiebat, aut ex Simeonis dicto, quo monita fuerat, aut ex Filii relatu, a quo fuerat edocta, ut præsentem mitius sustineret. Non enim Apostolis suis eam prædixit, & Matri occultavit, quæ omnium secretorum ejus erat maxime conscia. Noverat ergo etiam ab incarnationis initio, ad quid Deus incarnatus, ad quid natus, ad quid inter homines conversatus esset: & cum Domini voluntate suam voluntatem conformabat, Filiique mortem, quam Pater volebat, Mater non recusabat. Sed Mater erat, & ut mater filii mortem secundum sensum vehementer abhorrebat. Pugnabant igitur in Virginis corde, ut in campo plano duo illi gigantes amores, amor Filii, & amor mundi, sensumque Virginis in diversa trahebant. Et licet ante passionem, quotiescumque Filii passio menti occurrebat, graviſſime tristaretur: tamen ipsa redemptionis mundi consideratio, & Filii exaltatio, & eximius fructus inde venturus, Deique Patris agnita voluntas, hujusmodi mœstitudinem leniebant, doloremque temperabant. Sed postmodum, quando adveniente die Filium suum dilectissimum specioſissimumque vidit lacerum, pallidum, turgidum, nudum, plagatum, cruentum, & inter latrones patibulo affixum: quando, inquam, ipsum tam atrociter laniatum aspexit, tunc non remansit in ea sensus, neque vigor: nulla tunc temporis consideratio tam acerrimum potuit lenire dolorem:

Lucæ 2. *Psal. 67.* *Habac. 3.* *1. Cor. 11.* *Lucæ 10.* *Ibid. 2.* *Mat. 20.*

rem: sed, ut penitus a portione superiore destituta, inferior portio clamabat: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Luc. 10. Eratque mirum spectaculum, & dirum, videre Filium in cruce pendentem, de suo piissimo Patre pia querimonia conquerentem, & clamantem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!* Mat. 27. Et Matrem amarissimam, ad crucis pedem pene exanimem, itidem ad Filium acclamantem: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquid me solam ministrare!* Psal. 21. Non attendis, amantissime Fili, acerrimos mei, quos patior, cordis dolores? Non consideras, quod ad pedes tuos præ tristitia morior omni spirituali solatio destituta? Nullum ibi amoris vocabulum sonat: Filius Patrem, non Patrem, sed Deum: & Mater Filium, non Filium, sed Dominum dicit. Utrobique etiam de eodem est querimonia. Filius ad Patrem, *ut quid dereliquisti me:* Mat. 27. Mater ad Filium, *quod soror reliquit me solam.* Luc. 10. In horto namque cum oraret, Patris vocabulum iteravit, dicens: *Pater mi, Pater mi,* Mat. 26. si forte ipsum posset ad misericordiam inclinare: jam vero in medio tribulationis afflictus, & destitutus, clamat: *Deus meus, Deus meus.* Ibid. 27. Ac si diceret: Non te mihi jam Patrem exhibes pium: sed Deum severissimum, quem pro vilis vernaculi tam atrocibus tormentis exposuisti. Neque hoc conqueror, quod me ipse qui genuisti crucifigis: tu enim me crucifigis, cum isti nullam haberent in me potestatem, nisi Jo. 19. illis desuper datum esset: propter tuam obedientiam morior, *fiat voluntas tua.* Mors mea mundo necessaria est, Mat. 26. fiat quod vis. *Sed ut quid dereliquisti me?* Ibid. 27. Non est Patris obedientem Filium in tali agone derelinquere. *In te speraverunt patres nostri: speraverunt & liberasti eos. Ad te clamaverunt & salvi facti sunt: in te speraverunt & non sunt confusi.* Psal. 21. Solus ego despicior, solus relinquor, solus, quasi pro nihilo apud te computor? Omnibus misericordem te exhibes, soli Filio obsequentissimo severum te præstas?

VIII. Talibus Filius querimoniis Patrem pulsat, talibus & ipse pulsatur a Matre. *Domine non est tibi curæ.* Semper tibi fuit cura mei, nunc cum magis indigeo, nunc, cum præ amaritudine penitus deficio, *non est tibi curæ?* Cui Filius eisdem, ut dicitur, consonantibus respondit: Matrem non Matrem, sed Mulierem vocans. Jo. 19. *Mulier, ecce Filius tuus.* Luc. 10. Quasi dicat: *Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima.* Scio, & video dolorem tuum, turbationem tuam, & amaritudinem tuam: & me ista tua afflictio magis cruciat, quam crux ista in qua pendeo. Sed quid faciam tibi Martha? Quid faciam tibi amantissima Mater? *Porro unum est necessarium.* Necessaria est mors quam patior, & multipliciter necessaria. Necessarium est unum mori pro populo, ne tota gens pereat; Jo. 11. necessarium est unum mori, ut tota gens vivificetur; necessarium est, & evitari non potest; necessarium propter Patris obedientiam; necessarium propter Scripturarum veritatem; necessarium propter mundi salutem. Sed audi Mater mea amantissima solatium, ne te penitus a me destitutam conqueraris. Licet modo vexetur, licet turbetur Martha, sed pars ista Marthæ, cito transibit, cito cessabit: *Maria* enim *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Luc. 10. Cessabit dolor, cessabit gemitus, lacrymæ siccabuntur. Non jam amplius insultabit Judæus, non improperabit Pharisæus, non damnabit Pilatus, non erit ultra crux, non mors: non ultra Marthæ hujus ministerio indigebit, cui Angeli famulantur: non Marthæ hujus hospitio claudetur, qui ad Patris dexteram sessurus est: sed Mariæ pars *non auferetur ab ea in æternum,* Ibidem. id est, resurrectionis gaudium, redemptionis fructus, hujus tanti certaminis corona, & reparati mundi lætitia, quam Maria prospicit, & quam prætendit: hæc in sæculum sæculi permanebit in æterna gloria.

IX. Hæc de Euangelio dicta sunt, ut appareat, quam opportune in Virginis laudem illud concinat Ecclesia. Cæterum quod ad præsentem festivitatem spectat: ultima Euangelii pars, quam pro titulo posui, ita universa complectitur, ut nihil supra. Cum enim tres sint electorum decedentium partes: bona eorum, qui ad purgatorium vadunt: melior eorum qui statim evolant ad cœlum, receptaque una stola ad futuram resurrectionem aliam præstolantur: optima illorum est, qui statim utramque recipiunt, corpore, & animo beati. Hæc pars post Christum, soli, ut creditur, Mariæ obtigit. Quamvis de illis, qui cum Christo surrexerunt, non incongrue Hieronymus (*a*) dubitaverit. (*a*) Neque solum in hoc optimam partem Beata possidet: sed discurre per omnia virtutum, charismatum, gratiarum genera, & vide si non in omnibus Maria optimam partem elegerit. Amen.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ

CONCIO SECUNDA.

DE DUPLICI ASCENSIONE, NOSTRA, ET SS. VIRGINIS.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Cant. 8. v. 5.

I. DE duplici ascensione, altera nostra, & altera Virginis sacræ futurus est nobis sermo. Propheta ille Psalmographus, spiritualis ascensionis animæ CONCIO CXLV.

(*a*) Serm. de Assumptione B. Mariæ ad Paulam, & Eustochium, non procul ab initio. Qui tamen Sermo, ut alibi in notis monui, Hieronymi non est.

mæ noſtræ principium, formam, & terminum deſcribens, ita pronuntiat: *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit*. Vere beatus cui Dominus auxiliatur: nam ſine ejus auxilio, mortalium animus ad omnia bona penitus invalidus eſt. Auxilium autem Dei omni volenti præſto eſt, ad omne opus bonum paratum: noſtra eſt culpa ſi bona facere negligimus. Cum autem boni quippiam operamur, noſtrum eſt opus, ſed non omnino noſtrum eſt, ſed ſicut ſcriptum eſt: *Omnia opera noſtra operatus es nobis*. Videat nunc humana ſuperbia, quis ſibi locus gloriandi relinquitur. *Nunquid*, obſecro, *gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra, contra eum, a quo trahitur?* aut calamus contra eum, qui ſcribit in eo? Sic de operibus noſtris vere, & juſte, niſi in Deo, gloriari non poſſumus; ſed ſicut ſcriptum eſt: *Soli Deo honor & gloria*. Quicquid enim boni facimus, inſtrumenta Dei ſumus: libera quidem, tamen ejus virtute, & motu omnia bona perficimus. Ecce ergo omnium bonorum principium, ſcilicet auxilium Dei. Quod etſi cunctis non deſit, ut ſupra diximus, ſpeciali tamen modo cooperatur Sanctis, & inde beati.

Pſal. 83. Ibid. 10. 1. Tim. 1.

II. Quid autem in viro ſancto ex hoc Dei auxilio ſequatur attende: *Aſcenſiones*, inquit, *in corde ſuo diſpoſuit*; id eſt, in corde ſuo ſcalam poſuit, per quam conſcendat in Deum. Neque enim aliunde melius aſcenditur quam in corde: *Inviſibilia* quippe Dei, *per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Sed ſi noveris inhabitare teipſum, intus invenies faciliorem ſcalam: quia profecto altior eſt ſcala affectuum quam creaturarum: imago enim Dei eſt anima noſtra, & in ſeipſa Deum clarius inſpicit quam in rebus. Radix noſtri profectus in corde eſt, hinc oritur exterior hominis compoſitio, & vitæ reformatio. Sed nunquid ſemper proficere poſſumus & augeri? Non utique; ſed *in valle lacrymarum*. Quamdiu vallem iſtam incolimus, creſcere in noſtra poteſtate eſt: veniet autem nox, quando nemo poterit augeri: tunc enim *ſi ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. O miſerandam hominum cœcitatem! Breviſſimum tempus nobis conceſſum eſt ad augmentum; & qualiter in fine illius reperti fuerimus, tales ac tanti erimus in æternum. Et tantæ opportunitatis obliti, profunde dormimus. Quanta ubique mortalibus ſitis, quantus ardor, & deſiderium honoribus, facultatibus, dignitatibus creſcendi? quæ omnia poſt modicum evaneſcere nemo ambigit: & perpetuam obtinere celſitudinem tam omnes poſſunt, quam omnes contemnunt. Non tamen quamlibet celſitudinem, ſed ut ait: *In loco quem poſuit*, id eſt, uſque ad terminum præfinitum a Deo. Omnium enim natura conſtantium in corpore certus eſt terminus augmenti, & decrementi: ita & animorum magnitudinis, & augmenti, a Deo præfinitus eſt ſtatus. *Ipſe* enim *dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, in miniſterium, in ædificationem corporis Chriſti*. Neque omnium membrorum eadem magnitudo eſt: ſed alia oculorum, alia aurium, alia brachiorum. Quale ergo quiſque a Deo in Chriſti corpore ſortitus eſt miniſterium, talem ab eo gratiam accepit. Neque utique dicit vas figulo, cur me feciſti ſic? ſatis proficies, ſi ad functionis tuæ deſtinatam gratiam bonis operibus ſatagis pervenire. Hoc agamus omnes, una cunctis hæc ſit, & præcipua cura profectus: nemo ſe ſatis profeciſſe putet, quantumcumque profecerit. Quid enim? Chriſtus, ut Euangeliſta ait: *Proficiebat ætate, ſapientia, & gratia coram Deo, & hominibus*: & tu ſatis profeciſſe te jactas? Paulus non ſe putat comprehendiſſe, aut perfectum eſſe, ſed de ſeipſo ait: *Unum autem, quæ retro ſunt obliviſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora extendens meipſum, perſequor ad bravium ſupernæ vocationis*, &c. Et tu quaſi jam perfectus, & conſummatus, ais: ſatis profeci? Si perfectus es, perfectis Paulus indicit, ut ita ſapiant: videlicet, ſe nondum eſſe perfectos: quoniam viæ perfectio in perfici eſt, non in perfecto eſſe ſicut in patria. Unde in Canticis, ſtatura ſponſæ aſſimilata eſt palmæ, propter hoc abſque dubio; quia palma contra omnium aliarum arborum morem, quo altius creſcit, eo amplius in truncо turgeſcit. Talis profecto eſt omnis anima juſta, quæ in omnibus, quæcunque agit, ſemper proſperatur, & creſcit. *Non ſic impii, non ſic*; ſed ſicut Paulus ait: *Mali homines, & ſeductores, proficient in pejus; errantes, & in errorem mittentes*. Videas eos fervide, quæ bona ſunt inchoare, ſed deficiunt ſtatim, & in bono incœpto continue exiliores fiunt. Non eſt enim in eis virtus, quæ bene cœptis incrementum præſtet, & eos augeat. Felix ille, qui retro non redit, ſed interius renovatus de die in diem pervenit ad ſenectam uberem: in qua Dei beneplacito conſummatus, *occurrit in virum perfectum, in menſuram ætatis, plenitudinis Chriſti*.

Ephes. 4. 1. Cor. 12. Iſaiæ 45. Rom. 9. Lucæ 2. Philip. 3. Cant. 7. Pſal. 1. 2. Tim. 3. 2. Cor. 4. Pſal. 91. Ephes. 4.

III. Sed jam ſpiritualis ſcalæ gradus, per quos anima ex deſerto peccatorum in perfectionis culmen conſcendere poſſit, in Euangelica lectione pandamus. *Intravit Jeſus in quoddam caſtellum*. Firmiſſima caſtra Jeſus inhabitat, animas vero mobiles, & inſtabiles introire minime dignatur. Noveris itaque, quicunque Deo te in religione voviſti; caſtrum Domini te eſſe, & aſſiduis invaſionibus oppugnandum. Quid miraris ſi ingreſſo Jeſu cordis tui hoſpitium, interius exteriuſque concutitur? An non legiſti: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem?* Et, quod *tamquam aurum in fornace probavit electos dominus?* Et

Lucæ 10. Eccli. 2. Sap. 3.

2.Tim.3. rursus in Apostolo: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur?* Sustine ergo inimicorum impulsus, & constanter resiste: quoniam eximia tibi hoc conflictu corona paratur. Hic sane primus scalæ gradus est, & totius structuræ fortissima basis, ut noveris te esse castellum: si enim robur animi, & constantia desit, quicquid superextruitur debili fundamento, construitur ad ruinam. Grandis virtus perseverantia est: qua sola bene cœptis consummatio præstatur. *Heb.* 13. Unde Apostolus: *Optimum est*, inquit, *gratia stabilire cor*. Animo determinato & gratia stabilito: nihil permanentius, nihil for- *Jacob* 1. tius. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*. Fortissimi castri conditiones optime nosti. Si bene munitum, si bene vallatum undique, si profundissima fovea undequaque circumdatum, si ingressus arduus, si janitor ferus, aliisque pluribus munitionibus firmatum est. Has & ipse habere curato, ut diutius hospitem Jesum tibi possis ab hostibus vendicare.

IV. Sed hoc unum agnoscito: nunquam hospitium cordis tui Dominum Jesum intraturum, nisi hospitam animam intus invenerit. Unde sequitur: *Et mulier quædam Mar-* *Lucæ* 10. *tha nomine excepit illum in domum suam*. Non hospitatur Jesus in cujusquam domicilio sine hospitis beneplacito. Si anima foris vagatur: ingressum differt, donec hospita redeat. Si ergo ipsum hospitari desideras, noveris, & ipse inhabitare teipsum. Hic est secundus gradus scalæ, quo anima proficit ad virtu- *Isaiæ* 32. tem. Est enim silentium justitiæ cultus, & collectio hæc animæ, omnis virtutis initium, sine qua impossibile est quempiam in bono augeri diutius. Unde, & filio suo magnus *Gen.* 49. quidam Patriarcha dicebat: *Effusus es sicut aqua, non crescas*. Et Psalmus: *Ædificans* *Ps.* 146. *Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit*. Et adhuc apertius: *Qui habitare* *Ps.* 112. *facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem*. Anima quæ in domo sua diutius residere curat, etiamsi sterilis prius fuerit, & sine fructu, fiet profecto Dei gratia fertilis, & fœcunda. Quo ergo magis in seipsa vires suas colligit, eo amplius, & in statura sua crescit, & in fructu operis proficit. Sed nunquid expectavit hæc mulier, ut Jesus veniret in castrum? An non obviam ei extra processit, & pia cum devotione suscepit? Occurre & tu, o anima, hospiti Christo, noli expectare, ut pulset. Nonne vidisti eam, quæ sæpius rogata aperire distulit, quomodo postea sublato pessulo delusa remansit? Quia enim non statim receptus fuerat, abscessit. An non merito super tanta ejus protervia eam dedignaretur, cum tam dulciter, & pie roganti: *Aperi mihi soror mea, amica mea, co-* *Cant.* 5. *lumba mea, immaculata mea*; tam dure, & tam ingrate respondetur ab illa: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quasi non per hoc amplius mundaretur, si citius aperiret.

V. Tertius hic spiritualis scalæ gradus est lætitia scilicet, & bona voluntas, sine qua quicquid Deo offeras, placitum esse nequit. De his Psalmus: *Servite Domino in lætitia.* *Psal.* 99. Et iterum: *Voluntarie sacrificabo tibi. Hilarem* *Psal.* 53. *datorem diligit Deus*, & voluntarium servi- 2.Cor.9. torem acceptat. Ab initio enim non placuerunt ei coacta servitia. Monachus qui regnis & principatibus, si liceret, monachatum commutaret, nondum est assecutus quam pretiosus thesaurus sit ibi absconditus. *Exeamus* *Heb.* 12. itaque *ad eum extra castra*, ut ait Apostolus, & venienti Domino tota mentis exultatione occurramus, scientes utique uberem apud eum hospitii esse mercedem. Non dormia- *Mat.* 25. mus in adventu ejus, ne cum fatuis virginibus excludamur; sed sicut Psalmographus ait: *Psallam & intelligam in via immaculata, quan-* *Ps.* 100. *do venies ad me*. Christo Domino cum ramis & floribus obviam exit, qui sanctas ejus inspirationes & devote recipit, & cum gaudio implet. Sed otiosum esse non puto, quod *Lucæ* 10. Domino non Maria, sed Martha prior occur- *Jo.* 11. rit; quia videlicet, teste Gregorio (*a*), qui (*a*) contemplationis arcem tenere desiderat, ut prius in actionis campo se exerceat necesse est. Nemo repente fit summus. Exerce teipsum prius ad pietatem, qui spiritus desideras obtinere dulcedinem. Actio enim pia contemplationem non repellit, sed advocat. Hinc est, quod Martha *vocavit Mariam so-* *Ibidem.* *rorem suam*. Unde & apud Sanctos sæpius compertum est: inter ipsas medias pietatis functiones, divinæ sapientiæ radium splendescere clariorem. Spiritus sancti dulcedo, bonis operibus, quam precibus facilius obtinetur. Nam & apud justum Principem, promerenti, quam roganti, dignitatis & honoris præmia citius dantur. Noli ergo otiosa petitione contendere: studiosa actione citius obtinebis. Quartus hic gradus scalæ est, sine quo quisquis sursum contendit, frustra nititur ad ruinam.

V. Sed qualis hæc pietatis actio esse debeat, ex sequentibus adverte. *Martha*, in- *Lucæ* 10. quit, *satagebat circa frequens ministerium*. Non remisse, non tepide, sed cum omni fervore & diligentia opus Domini & ministerium explendum est. Pudeat in hoc a sæcularibus vinci. Utinam utinam eo fervore, & ea solicitudine spiritualia & æterna, quo ista temporalia faceremus! Fœtidum lutum sedulo aggregamus, & obryzum aurum stulte negligimus. Et hoc quale malum est? Studiosos in minimis ad majora provehere usitatum est. Unde fideli servo Dominus ait: *Euge serve bone & fidelis,* *Mat.* 25. *quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam*. Huic quinto gradu sextus jungatur, devota petitio: ut ea quæ fervido operis ministerio

(*a*) Ita Gregorius in 1. Reg. cap. 4. lib. 5. num. 67. *Nullus est perfectus in contemplatione, qui ex labore boni operis non pervenit ad arcem ejusdem contemplationis.*

sterio promeremur, assidua oris postulatione petamus. Ipse enim qui ad operandum invitat, provocat etiam ad petendum, dicens: *Petite, & accipietis: pulsate, & aperietur vobis.* Mat. 7. Vide ut Martha solicita, inter sua ministeria hujus postulationis oblita non sit, sed ad Dominum conversa ait: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Luc. 10. Ita & nos frequenter in afflictione clamemus: *Domine non est tibi curæ?* Ubi pietas, ubi misericordia? Quænam oblivio hæc? *Non est tibi curæ* quia perimus? Sed, o si sciremus quanta est illi cura pro nobis! Utinam vel tanta esset nobis cura de nobis! 1. Petr. 5. Unde Petrus: *Omnem solicitudinem vestram*, inquit, *projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Et Propheta: *Dominus* Psal. 39. *solicitus est mei.* Placita Deo querela est, ubi Martha conqueritur de Maria. Sic namque temporalium administrationi insistere debemus, ut cœlestium contemplationi ardentius inhiemus. Sic continue audiendo verbo Dei intenta sit nostra Maria, ut Martha de illa justam habeat querimoniam.

VII. Hi sunt gradus eburnei, *ex quibus* Psal. 44. *delectaverunt te filiæ regum, in honore tuo.* Hi sunt gradus purpurei, per quos in ferculum magni Salomonis conscenditur: quos Cant. 3. pius Rex charitate constravit propter filias Jerusalem. Eburnei sunt proprer puritatem, purpurei propter charitatem. Non ascendet per eos anima coinquinata, quia eburnei sunt: neque anima tepida, quia purpurei sunt; sed quæ jam vitiorum sordibus expiata, toto mentis desiderio ad superna festinat, poterit his gradibus ad veri Salomonis reclinatorium pervenire; ubi non jam de temporali ministerio solicitetur, ut Martha; sed jucundissimo otio perfruatur cum Luc. 10. Maria; de qua in Euangelio legimus: *Quia sedens juxta pedes Domini audiebat verbum illius.* Si quis ergo Christi suavissimo colloquio frui desiderat, ad pedes sedeat, quie- Psal. 33. tem teneat, inquirat pacem, & persequatur eam. Inter curarum & negotiorum strepitus impossibile est audire Jesum: in secreto Isaiæ 40. loquitur ad cor, & nisi silenter & attente audiatur, non percipitur ejus sermo. Quam bene hoc noverat qui dicebat: *Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* Job 4. Sedeat igitur, sed ad pedes: non temerarie Luc. 10. festinet ad caput. Nam & Maria non prius Jo. 12. caput unxit unguento, quam lacrymis ri- Mat. 26. gaverit pedes ejus. Contemplationis hic re- Luc. 7. ctus est ordo: ut *justus in principio accusator* Prov. 18. sit *sui*, & postmodum laudator sit Dei: prius studeat ad pedes Jesu contritionis & doloris lacrymas fundere, peccatorum suorum sordes abluere, & postmodum accepta fiducia, unguentum devotionis in vertice fundat. Janua spiritus afflictio est: & per dolorem cordis ad spiritus gaudia pervenitur. Frustra enim quæritur spiritus unctio, si non prius fiat peccatorum ablutio. Unde

A in Ecclesiaste: *Omni tempore sint vestimenta* Eccle. 9. *tua candida: & sic oleum de capite tuo nunquam deficiet.* O sacrum oleum, o unguen- Jo. 12. tum nardi spicati pistici pretiosum! Beatus qui te invenit, felix qui possidet te. Omne aurum & argentum, & quicquid in vita desideratur, huic balsamo suavissimo comparari non valet: omnes delicias & dulcedines exuperat hujus unguenti suavitas ineffabilis: ideoque non pedibus, sed capiti Salvatoris infunditur; sed varie. Quibusdam sat est guttatim stillare dulcedinem, neque enim unctionem hanc sacram in abundantia possident, quia quo pretiosior, eo rarior invenitur. Aliis autem tanta unguenti plenitudo donatur, ut fracto cordis alabastro abun- Marc. 14. dantissime effundant super caput Jesu. Felix anima, quæ unguenti hujus plenitudinem & fortitudinem ferre non valens, tota effunditur in Jesum. Quid enim aliud ecstasim animæ dixerim, nisi vasculi cordis rupturam, & pleniſſimam spiritus effusionem? De qua Propheta: *Effunde*, inquit, Thren. 2. *sicut aquam cor tuum in conspectu Domini.* Sed sive ad pedes, sive ad caput steterit, intenta sit anima non ad loquendum, sed C ad audiendum Dilecti sui verbum. Ut quid enim loquetur in præsentia Salomonis, simplex & indocta juvencula? Exemplum sit tibi Maria, quæ utrobique silentium tenuit, & gratiam invenit. Denique: *Sedens secus* Luc. 10. *pedes Domini*, non loquebatur quidem, sed *audiebat verbum illius.* Et in Psalmo legimus: *Audi filia, & vide.* Non ait: Lo- Psal. 44. quere. Verbosas, & loquaces animas, non tam exaudit Altissimus, quam eas quæ verbis carent, affectibus abundant. Ad quid enim verbositas hæc apud scientem omnia? *Orantes*, inquit, *nolite multum loqui, sicut* Mat. 6. D *ethnici* faciunt. *Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.*

VIII. Tu ergo, si quandoque datum tibi fuerit ad pedes Domini Jesu sedere, silentium tene, auditum para, non verbum: non enim loqui venisti, sed audire. *Audiam quid loquatur* Psal. 84. *in me dominus Deus*, ait Propheta. Et tu similiter audi intra te, quid dicatur. O mira ineffabilis locutio, cum eructat cor meum non a seipso, sed a Deo verbum bonum: & *lin-* Psal. 44. *gua mea* fit *calamus scribæ, velociter scri-* E *bentis!* Mea me ipsum alloquitur lingua, & intellectus meus ipse est lingua spiritus, quo loquitur mihi. O verbum dulce, o verbum suave, non a me inventum, sed a plenitudine spiritus eructatum! Verbum non sonans, sed penetrans, non loquax, sed efficax: non obstrepens auribus, sed affectibus blandiens. Vere Domine: *ignitum elo-* Ps. 118. *quium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.* Inflammat animam, adurit viscera, incendit cor, concutit animam, excitat affectum, provocat desiderium: terrorem incutit, amorem elicit, vigorem tribuit:

buit : denique ſicut quidam experti ſunt:
Lucæ 24. *Cor noſtrum ardens erat dum nobis loqueretur in via*. Omni melle dulcior, & omni dul-
Cant. 4. cedine ſuavior ſermo tuus Domine. *Favus diſtillans labia* tua, *mel & lac ſub lingua*
Pſ. 118. tua. Noverat hoc qui dicebat: *Quam dul-*
Cant. 5. *cia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo*. Denique: *Anima mea liquefacta eſt*,
Exod. 34. poſtquam Dilectus *locutus eſt*. In Exodo
2. Cor. 3. legimus, quod ex conſortio divini ſermonis Moyſi facies rutilabat, uſque adeo ut non poſſent intendere in eum filii Iſrael propter gloriam vultus ejus. Putaſne & modo hujuſmodi ſplendor deerit mentibus alloquentibus Deum? Imo, ut exiſtimo, ob hoc maxime fulgor ille in facie Moyſi exterius reſplenduit, ut interiorem animæ, quam Deus alloquitur, demonſtraret decorem, ac per hoc ad ſui colloquium nos amplius invitaret. Proh noſtram inſaniam miſerandam, qui tantam pulchritudinem ſponte oblatam negligimus & contemnimus! Temporalibus commodis & negotiis ſæcularibus indefeſſe, die noctuque deſudamus: & *unum* illud *neceſſarium* & optimum pro nihilo pendimus, in quo ſolo vitam omnem, & annos noſtros expendere debuiſſemus. Ad inutilia negotia brevis eſt annus, & ad Domini colloquium quævis hora longiſſima eſt. Si qua ergo vobis, Fratres, cura ſalutis, ſi qua ſpiritus & amoris ſcintilla, ſi quod cœleſtis deſiderii veſtigium in corde eſt: obſecro vos in Domino Jeſu: quieſcite jam a temporalibus curis,
Pſal. 45. vacate modicum a ſæcularibus negotiis. *Vacate*, inquam, *& videte quoniam ſuavis eſt Dominus*. Nolite negligere gratiam, quam vobis offert, ſedete vel ad modicum cum Maria ad pedes Jeſu: intrate quotidie vel ad horam cubiculum cordis veſtri: *& clauſo*
Mat. 6. *oſtio orate Patrem veſtrum*. Audite Magiſtrum veſtrum, alloquimini Deum veſtrum. Erit enim profecto hoc otium vobis omni negotio majus, omni lucro utilius, omni ſolatio ſuavius. Hæc de noſtra aſcenſione, & ſpirituali animæ ſcala, dicta ſufficiant.

IX. Ad Virginem ſacram nunc verba vertamus: cujus magnitudinem, pulchritudinem, dignitatem, ſplendorem Angeli, qui in occurſum aſcendenti venerant admirantes, hæc verba profantur: *Quæ eſt iſta, quæ aſ-*
Cant. 8. *cendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum?* Multa ſunt quæ mirantur in ea. Primum: quod de hujus ſæculi ſpinoſo & arenti deſerto talis roſa legatur, cui in toto Dei cœleſti viridario ſimilis non eſt alia. Quam bene eam Dilectus ſuus
Ibid. 2. in Canticis comparat: *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. O roſa vernans, o lilium candidiſſimum, & puriſſimum! Quanta hodie fragrantia & lætitia, cœleſtem Jeruſalem ſpecie tua, & pulchritudine perfudiſti? Qua ſuavitate, quo gaudio Angelorum cuneos tuo aſpectu & decora præſentia oblectaſti? Quam vere de te ſcriptum fuerat: *Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ejus?* Eccli. 26. Quia ſicut Regis potentis curiam Regina pulcherrima ſua ſpecie & honeſtate ornat, implet, & venuſtat: ita Regis æterni curiam Virgo decora tua præſentia decoraſti. Quis hodie tui cordis delicias dicere ſufficiat, quis explicare queat o Virgo? Quid ſentis, quando ſole pulchrior, & luna candidior de ſepulchro ſurgens Dilecti tui brachiis ad amplexus & oſcula ridentibus oculis ſuſciperis, & manibus ejus ſacris ad alta proveheris? Cum inter Angelorum canentium tripudia, & animarum ovantium crepundia, Filii Dei, & tui dilectiſſimi dulcia oſcula ſuſcipis, & ad cœleſtia regna ejus ſinu læta conſcendis? Felicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactentis: verum feliciora profecto quæ hodie ab ore ſuſcipis in throno ſedentis. Quid de tuis deliciis dicam, o Maria? Si *oculus non vi-* 1. Cor. 2. *dit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus* Iſaiæ 46. *ſe;* quod præparavit gignenti ſe, & proculdubio præ omnibus diligenti, quis loquetur? Hæc Bernardus (*a*). Hanc deliciarum & (*a*) gaudiorum affluentiam, inter alia, cœlorum cives mirantur in Virgine. Admirantur quoque dignitatem & ſublimitatem ejus nimiam. Cum enim cæteris quiſque, quantumvis dilectis & ſanctis, ad honoris, & dignitatis culmen ſatis ſit, quod Angelorum, aut Archangelorum manibus deferantur ad gloriam: hæc Regina potens non Angeli, aut Archangeli, non etiam Cherubim, aut Seraphim alicujus manibus, ſed innixa ſuper Filium Dei, & Principem cœli Dilectum ſuum, cum incredibili pompa & triumpho ſupernam civitatem ovanter ingreditur.

X. Quantus honor, quanta celſitudo, quanta majeſtas! Omnis militia cœleſtis, omnis Angelorum candidus & decorus ſenatus, omnis illa Poteſtatum & Dominationum cœleſtium celſitudo cum Dei Filio Virgini Deiparæ obviam venit, & coram arca 2. Reg. 6. Teſtamenti tripudiat, cum in templum deducitur, Dei ſui aſpectibus præſentanda. Bis namque in veteri Teſtamento legimus arcam Domini cum gaudio fuiſſe receptam: ſemel a David in domum ſuam, & iterum a filio 3. Reg. 8. Salomone in templum Domini: in quarum utraque ſolemnitate omnia genera muſico- 2. Par. 5. rum cantorumque numeroſa varietas, Deo in excelſis laudes & gloriam perſonabat.

Quæ

(*a*) Hæc ſunt S. Bernardi verba Serm. 1. de Aſſumpt. B. M. V. num. 4. *Felicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactentis, cui virgineo Mater applaudebat in gremio. Verum numquid non feliciora cenſebimus, quæ ab ore ſedentis in dextera Patris, hodie in beata ſalutatione ſuſcepit, cum aſcenderet ad thronum gloriæ epithalamium canens, & dicens: oſculetur me oſculo oris ſui? Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ ſingularis. Quod ſi oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: quod præparavit gignenti ſe, & (quod omnibus eſt certum) diligenti præ omnibus, quis loquatur?*

Quæ quidem arcæ geminata festivitas duplicem aliam designavit solemnitatem. Alteram quam fecit Pater Filio suo Jesu, dum
Coloss.2. arca illa sacra, *in* qua *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi:* id est, humanitas ejus defertur in cœlum: alteram quam fecit Filius Matri suæ, dum in templum Dei arca illa Deifera introducitur, cum Deo suo perpetuo regnatura. Quis ibi fuerit Angelorum jubilantium concentus, quis etiam cœlestium instrumentorum & citharœdorum strepitus, quis jubilus, quæ musica, quæ harmonia dicere quis sufficiat? Sed ex ipsa figura conjectari fas est, ubi
2.Par.5. dicitur: *Tam Levitæ, quam cantores, id est, & qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun, filii, & fratres eorum vestiti byssinis, cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, & cum eis sacerdotes centum viginti canentes tubis. Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur. Rex autem Salomon &*
3.Reg.8. *omnis multitudo Israel quæ convenerat ad eum gradiebatur cum illo ante arcam.* Per quos quidem Sacerdotes & Levitas concrepantes, omnis illa cœlestium cantorum multitudo designatur, quæ in hac sacra solemnitate mirificam Reginæ cœli musicam personaverunt. Astant ergo beatæ Virginis tumulo circumcirca Apostolicus cœtus, & desuper Angeli inenarrabili lætitia cum Dilecto cantica dramatis frequentantes. Eorum voces in Canticis attende: intonat primo dilectus
Cant. 2. ad eam voce suavi: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Jam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit.* Transiit clamor insultantium Judæorum, transiit tempestas inundantium tribulationum. *Flores apparuerunt in terra nostra,* humanitate mea, quam de utero tuo sumpsi; *vineæ florentes,* id est, Ecclesiæ: *dederunt odorem suum,* sicut vidisti, sicut audisti. *Surge* ergo, *propera amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Non enim decet, ut putrescat in sepulchro corpus, quod non maculatum est vitio, aut redigatur in pulverem caro, quæ totius nescivit peccati labem. *Veni* ergo *de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Id est, de omnium montium, & collium cœlestium rosis, & floribus vernantibus coronaberis. Ad hanc vocem dilecti, quasi a somno excitata Virgo exultans clamat: *Vox dilecti*
Ibid. 5. *mei. Anima mea liquefacta est, ut* dilectus *locutus est.* Surgitque de tumulo sole clarior, luna candidior. Qualis sponsa cum pro-
Psal.18. cedit de thalamo gemmis & monilibus ornata sponsi sui aspectibus præsentanda. Levatur ergo super aera, undique concrepantibus Angelis.

XI. Quid agitis Apostoli, cur non post tergum abeuntis clamatis, dicentes: Virgo prudentissima, quo progrederis, quasi aurora valde rutilans, filia Sion pulchra ut luna, electa ut sol. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis! Revertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te?* Jam cœlos læta contigerat manibus delata Potentis: cum ecce obviam ei occurrit Angelorum innumera multitudo, decorem illius & gloriam admirantium, voceque jucunda percunctantium: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Alii vero dicebant: *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Alii autem: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Quibus illa mira benignitate respondit: *Ego flos campi, & lilium convallium. Ego murus: & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Sic breviter de se quærentibus satisfacit Virgo beata. Sed non facile interrogatio solvitur, non leviter quæstio ista concluditur. Quis vobis, o Angeli, respondebit, quis dicere poterit, *quæ est ista?* Non mihi si linguæ centum, si ora centum, si ferrea vox, si centum, inquam, ora darentur, dicere non sufficerem, *quæ est ista.* Hæc rubus ille ardens, & incombustus, cui Dominus impressus. Hæc vellus madidum in area sicca, cui se placidus e cœlo imber infudit. Hæc scala cœli per quam ascendunt & descendunt Angeli, in cujus medio affixus est Christus. Hæc porta orientalis clausa, per quam solus intrat, & egreditur Princeps. Hæc virga Aaron nullo humano opere florida, super cujus florem spiritus Domini requievit. Hæc *mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus:* cujus partum observat serpens antiquus. *Quæ est ista?* Templum Dei est, Spiritus sacrarium est, Filii Dei thalamus est, Trinitatis domicilium est, purpura Regis est; hæc propitiatorium, hæc arca, hæc urna, manna, hæc arca testamenti; hæc tiara Pontificis aurea, cui sacrum Dei nomen insculptum. O Angeli quid dicam vobis? *Quæ est ista?* Mater Dei est, sponsa Dei est, filia Dei, paradisus Dei est, Regina cœli est, columna mundi est, janua paradisi est: per hanc Deus ingressus est mundum, ut reus quondam ingrediatur cœlum: per hanc Deus est humanatus, ut sit homo redemptus, diabolus superatus, & infernus spoliatus. Hanc Prophetæ pronuntiaverunt, Patriarchæ præsignaverunt, vaticinia promiserunt: hanc cœlum colit, mundus honorat, infernus pavet, Angeli venerantur, homines deprecantur: hanc omnes generationes sæculorum prædicant, & beatam dicunt, & qui sunt, & qui fuerunt,

Cant. 66. *Ibid. 7.* *Ibid. 6.* *Ibid. 3.* *Ibid. 6.* *Ibid. 8.* *Ibid. 2.* *Ibid. 8.* *Exodi 3.* *Judic. 6.* *Gen. 28.* *Ezec.44.* *Num.17.* *Isaiæ 11.* *Apoc.12.*

& nati natorum, & qui naſcentur ex illis. Talis eſt Dilecta noſtra, Chariſſimi, talis eſt Soror noſtra. Sed quid nos eam vobis prædicamus? Vos potius nobis dicite *quæ eſt iſta?* qui ejus decore & venuſtate, qui ejus ſplendore & claritate fruimini: vobis nunc melius innoteſcit *quæ eſt iſta*. Sic ergo Virgo ſacra, Filii ſui unigeniti manibus delata, Patris omnipotentis conſpectibus præſentatur, & ſuper Cherubim ad dexteram ſuam in ſolio regio collocatur. In quo cum eodem Filio ſuo vivit, & per illum regnat felix & glorioſa in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO ASSUMPTIONIS
B. VIRGINIS MARIÆ
CONCIO TERTIA.

HOMO DE TERRA TERRENUS, MARIA TOTA CŒLESTIS; ET DE ILLIUS GLORIOSA ASSUMPTIONE.

Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima, porro unum eſt neceſſarium.
Lucæ 10. v. 41. & 42.

CONCIO CXLVI.

I. QUoties profunda meditatione, irradiante Deo, veluti ex alta ſpecula, ſtudia hominum, cogitatus, & opera diligentius intueor: quoties vagos eorum diſcurſus, & ſuperfluos labores attentius inſpicio; vix me contineo a lacrymis præ dolore, videns filiorum Adæ errorem, cæcitatem, tenebras, & inutilem vexationem. Quis enim non doleat, quis non miſereatur tantam hominum multitudinem, tam impie deluſam atque fruſtratam, ut ſine cauſa conditi fuiſſe videantur? Cujus, inquam, viſcera non rumpantur, & cor mœrens, ſanguinis guttas non effundat, cum ingenuam creaturam, propter quam aſtra, cœli, maria, elementa & cætera omnia orbis hujus corpora condita ſunt, viderit denſiſſimis tenebris involutam, penitus neſcire quo vadat? Omitto nunc Paganorum, Judæorum, Indorum, Hæreticorum gentem innumeram, quibus æterna damnatio reſervatur: quibus utique melius fuiſſet non naſci, cum ad nihil aliud nati videantur, niſi in combuſtionem perpetuam, & cibum ignis. Ex his quos ſacra fides inſtituit, & illuminavit ad vitam, perraros ubique reperies, qui veri & æterni boni deſiderio teneantur, qui utili officio vitam expendant: ſed alios acquirendis divitiis, alios ampliandis honoribus, alios perfruendis voluptatibus implicatos, vanitatibus deditos, luſiſſe vitam, impenſam & operam perdidiſſe. Quam improbo labore, quanta cura & anxietate umbratiles iſtas bonorum formas, fictaſque rerum imagines & phantaſmata perſequuntur! Quam ardenti cupidine & deſiderio viles cardorum lanugines, inſenſatorum puerorum more per aera volitantes inſectantur! Et ſuper his obtinendis, inveniendis, acquirendis quam ſtulte miſerabiliterque vexantur! O curas hominum, o quantum eſt in rebus inane! *Filii hominum uſquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Uſquequo*, inquam, *parvuli* diligetis *infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia* cupient? Quam pulchre de his Iſaias Propheta prædixerat olim: opera eorum, opera inutilia, telas araneæ texuerunt: *Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: Opera eorum opera inutilia.* Videmus araneas eviſcerari & exinaniri, ut telam faciant; quam cum multo labore & aſſidua opera orditæ fuerint, a modico vento diſſipatæ in nihilum diuturnus ille labor evanuit: quæ tamen etſi diu permaneant, ad nihil aliud utiles ſunt, niſi ad capiendas muſcas. Talia ſunt mortalium opera, hujuſmodi ſunt iſtorum labores: non erunt illis telæ eorum in veſtimentum, ſed in confuſionem & nuditatem, & exitium ſempiternum.

Pſal. 4. *Prov.* 1. *Iſaiæ* 59.

II. Cui comparabimus homines iſtos, aut cui aſſimilabimus eos? Similes ſunt profecto propellentibus prægrandem ſcopulum, & multo cum ſudore illum evellere conantibus: aut civitati populoſæ, quæ multis expenſis & indefeſſo labore, montem altiſſimum, fruſtra & ſine cauſa ſcrobibus planare conantur: quos ſi quiſpiam viator ſenſatus viderit inutiliter deſudantes, aut miſeratione commotus lacrymas fundet, aut riſu percitus in cachinnos erumpet. Talis eſt vita hominum, Fratres, ſimiles ſunt hi quos mundus potentes, cordatos, & ſapientes vocat: *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Proh dolor! *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Felix cui Deus aperuit oculos, ut videat veritatem, & fugiat vanitatem. Conatur Salomon in Eccleſiaſte reducere homines ad cor, ut intelligant fallaciam quam ſequuntur, ne videlicet fruſtra laborent ſub ſole, & breviſſimo vitæ ſuæ tempore inaniter conterantur. Propoſuit in corde ſuo diligenter inquirere rationes & cauſas rerum, & inveſtigare ſapienter, quid expediat homini ſub ſole, quo facto opus ſit omnibus diebus vitæ ſuæ: qui, cum ingenio & ſapientia omnes mundi homines antecelleret, omnibus ſæculi bonis quæ homines deſiderare poſſunt ſolerti experientia perluſtratis, cum vacua omnia reperiſſet, clamat ad cæteros: *Vanitas vanitatum* filii Adam, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* Quid miſeri, fallaces has bonorum

Rom. 1. *Pſal.* 13. *Eccle.* 1. *3. Reg.* 3. *Eccle.* 1.

um-

umbras tam anxie amplectimini? Credite sapienti, credite experto, credite deluso. Vidi omnia, probavi omnia, & nihil in eis reperi præter laborem, anxietatem, amaritudinem, & dolorem. Quis unquam ab initio cunctis opibus abundavit, ut ego? Nemo sic honoratus, nemo sic ditatus, nemo sic dilectus, nullus unquam sic in orbe celebratus, nullus a gentibus cum tanta reverentia & admiratione cultus. Abundavi deliciis, *magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium: possedi servos & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, & magnos ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Jerusalem. Coacervavi mihi argentum, & aurum, substantiam regum & provinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos, & urceos in ministerio ad vina fundenda;* denique: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* Quadraginta millia equorum in stabulo meo habui, & plusquam trecentas feminas in deliciis. Quis ita regnavit deliciis affluens ut ego? Rex potens, pacificus, sapiens, glorioſus: & tamen quid dicam vobis o Filii hominum? *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Omnia quæ desideratis, habui: omnia quæ concupiscitis, expertus sum. Nolite decipi, nolite errare; credite mihi, nulla in eis felicitas, nulla satietas, nihil est in eis nisi vanitas, & afflictio spiritus.

Eccles. 2.

Ibid. 1.

III. Quod si sapienti & experto fides adhibenda est, dicam tibi o homo, quid expediat tibi sub sole: *Deum time, & mandata ejus observa. Hoc est omnis homo.* Hoc solum utile judicavi: cætera omnia vanitas, & afflictio spiritus. Sed non leviter pertranseundum est, quia non dixerit: Hoc homini conducibile fore; sed *hoc est*, inquam, *omnis homo.* Quia videlicet hoc proprium hominis munus, & officium sit. Habent omnia sub sole destinata propria officia quibus exerceantur, & nihil penitus in toto orbe otiosum. Cœlum volvitur, astra lucent, sol irradiat, terra germinat, plantæ pullulant, arbores fructificant: bruta quoque destinatis officiis homini deserviunt, alia portandis oneribus, alia colendis agris, alia custodiendis hæreditatibus, alia deferendis hominibus; sicut cuique a natura donata est habilitas, ita servit. Nunquid homo solus sine officio erit? *Nunquid* Domine, *vane constituisti filios hominum?* Abſit ut homo solus vanus sit, propter quem cætera omnia vana non sunt. Quæramus ergo, quod sit hominis officium proprium, quid opus illud in quod conditus est: hoc enim scire maxime hominem decet, ut illud exequatur & impleat. Qui enim jumentis proprias actiones adaptat, suam ipse ignorare non debet. Discurramus ergo per omnia officia, quæ homines exercere solent, & quæramus in eis, quod sit hominis proprium. Arare, seminare, plantare, texere, ædificare, & quicquid aliud est artis mechanicæ, opus hominis proprium esse non potest: neque enim homo propter illa, sed illa omnia propter hominem; non hoc a principio Deus instituit, sed necessitas adinvenit ad fulciendam & sustinendam hominis vitam; omnes illæ artes repertæ sunt, ut homo fulciatur & vivat, nos autem inquirimus illius vitæ propriam functionem.

Pſal. 88.

A

B

C

D

E

IV. Exemplo id notius fiet. Da mihi hominem saturum & vestitum, qui cibo, potu, domo, vestimento non indigeat, qualem in principio Deus plasmavit Adam: de isto quæro, ad quid factus est, quid agere debeat, & in quo se exercere oporteat? Neque enim, ut diximus, frustra conditus est, ut otiosus sit. Eadem ratione magistratus, militia, imperia, regna, & quicquid aliud ad reipublicæ gubernationem spectat, propria hominis actio esse non possunt; cum hæc omnia propter hominem sint, & non homo sit propter illa. Sed neque ut comedat & bibat, & deliciis perfruatur homo conditus est. Major sum, & ad majora sum natus, ait Seneca (*a*), quam ut vile mancipium sim sensuum meorum. An non hæc omnia brutis conveniunt, & hujusmodi voluptatibus sæpius ab eis vincimur? Quomodo proprium est hominis munus, quod illi cum bestiis commune est? Arctamur undique, & confiteri compellimur cum Parente Augustino (*b*): quod homo creatus sit, ut summum bonum intelligeret; intelligendo amaret; & amando eo frueretur. Et sicut Apostolus ait: Ut simus in laudem gloriæ ejus, & notas nobis faceret divitias gloriæ suæ, & magnitudo ejus nobis innotesceret; ut sic die ac nocte laudemus, benedicamus, glorificemus, & exaltemus nomen ejus in sæcula. Hoc est hominis officium, hoc opus in quod conditus est. Omnia faciunt officium suum: homo fac tu quoque tuum. Quid alienis operibus implicaris, opere tuo relicto? Cum Deum laudas, homo es: cum plantas, ædificas, seminas, deficis ab homine, quoniam non in hoc, & propter hoc conditus es, ut illa faceres, in quibus tamen tu fere omnem tuam vitam expendis. Vides quanta hominum multitudo frustra vivit ab humano opere & usu aliena; qui more pecorum ignorantes seipsos, ita sunt quasi non sint, quia frustra sunt. De his Propheta: *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti*

Gen. 1.

(*a*)

Epheſ. 1. Coloſſ. 2. Epheſ. 1. Dan. 3.

Pſal. 57.

(*a*) Epist. 65. in edit. Veneta an. 1658. *Major sum, & ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis.*

(*b*) Lib. de Cognitione veræ vitæ num. 1. in Append. tom. 6. *Constat profecto naturam rationalem ad hoc solum factam, ut factorem suum verum Deum intelligat, intelligendo diligat, diligendo, in eo, qui est æterna vita, æternaliter beate vivat.*

cuti ſunt falſa. Omnes enim, ſicut diximus:
Pſal.13. *declinaverunt inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Non
Lucæ 10. eſt, inquam, qui bonum illud *unum neceſſarium* perquirat & exequatur, in quo ſolo ſalus & vita hominis poſita eſt. Omnes circa multa diſtrahuntur & occupantur, in quibus non eſt niſi vexatio, & dolor, & afflictio ſpiritus. Neque tamen idcirco dixerim hoc, quia opera quæ ſunt vitæ neceſſaria damno: non ſunt illa opera mala, ſed a malo ſunt. Nam ſi peccatum non fuiſſet, hæc omnia homines non occupaſſent. Non eſſet fames, neque nuditas, neque aliæ neceſſitates innumeræ, quibus tollendis univerſa hominum multitudo deſudat. Ex peccato Adæ inutilis hæc occupatio hominibus ſuperaddita eſt: qua ſublata, officio ſuo homines incumberent, & opus ſuum exercerent.

V. Felices vos o Fratres mei, quibus datum eſt Deo vacare, die ac nocte in Dei laudibus inſudare. Vos homines eſtis, vos quod hominis eſt facitis: ſic vivitis quaſi in vobis non peccaſſet Adam: quia idipſum ſoli facitis poſt peccatum, quod ſi non peccaſſet, omnes homines facturi eſſent. *Optimam*
Ibidem. *partem* cum Maria elegiſtis, ſolicitudines Marthæ cæteris relinquentes. Vere: *Funes*
Pſal.15. *ceciderunt* vobis *in præclaris*, & portio iſta veſtra præclara eſt vobis. *Gaudete & exul-*
Mat. 5. *tate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Labor modicus, & copioſa merces. Hoc *unum neceſſarium* amplectimini, hoc *unum* exequimini, in hoc tota vita verſamini, ſemper memoria retinentes, quia in hoc ſolum conditi eſtis. Agite, inquam, in terris, quod ſemper in cœlo facturi eſtis. Neque
Pſ. 121. enim ibi aliud opus eſt, niſi laus. Ad quid enim aſcenderunt illuc tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael? Non utique ad aliud, niſi ad confitendum nomini Domini. Unde
Pſal.83. ait: *Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Hoc *unum*
Pſal.26. Propheta cupiebat, dicens: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Hoc *unum* etiam Apoſtolus deſiderabat, dicens:
Philip.3. *Unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* Hoc eſt *unum* illud *neceſſarium* optimum, quod ſancti Patres in eremo requirebant: qui relictis omnibus, quæ deſiderari poſſunt, huic ſoli operi tam ſedulo & tam ſolicite vacabant; ut grandem jacturam facere viderentur ſi vel per horam ab eo ceſſarent. Defixis namque in cœlum oculis, eos ad iſta terrena deflectere ultra nolebant: ſed nunc legendo, nunc orando, nunc meditando, nunc contemplando, velut a diverſis locis in unum ſignum cordis ſui ſagittas dirigebant. Hæc
Mat. 13. eſt illa una pretioſa margarita, pro qua ſapiens negotiator libenter dedit omnia ſua, & emit eam. Hic theſaurus abſconditus, quem qui reperit in cordis ſui agro, beatus & dives eſt. Sedete, Fatres, ad pedes Jeſu cum Maria, ut audiatis in ſilentio verbum *Lucæ 10.*
ejus, & *impleamini ab uberibus conſolationis* *Iſaiæ 66.*
ejus. In hac ſchola frequentes, vitæ Magiſtrum audite; ſcientes quia in hoc ſolo poſiti eſtis, & ad hoc ſolum religionis clauſtrum introiſtis: nihil aliud vobis incumbit, aliud vobis officium non injungitur. Prophetam ſuper hoc audite: *Bonum eſt*, inquit, *viro, cum portaverit jugum ab adole-* *Thren.3.*
ſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia levavit ſe *ſuper ſe.* Hoc Monachi opus, hoc officium eſt, hæc pars illorum qui jugum Domini cum gaudio ſuſceperunt. Felix vita, quæ tali expenditur miniſterio: cui pro labore quies, pro opere otium, pro negotio ſilentium indicitur. Cæteris dicitur: *In* labore *vultus tui veſceris pane* tuo: *la-* *Gen. 3.*
bores manuum tuarum quia manducabis. Mo- *Pſ. 126.*
nacho nullus labor imponitur, niſi ut non laboret, imo ut quieſcat cum Deo ſuo, & tota die delectetur in eo. O præclaram ſortem, o vitam dulciſſimam, o paradiſum amœnum, cui dulcior alius promittitur paradiſus! Labor ſine labore, opus ſine opere, otium omni negotio majus.

VI. Hanc partem optimam ſibi elegit Maria, Maria illa felix, maxima beatarum Mariarum, maxima feminarum. Maria, inquam, illa, quæ neque ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Non de te, o Virgo Beata aliud opus legimus, niſi hoc. Non erant tibi ampliſſimæ facultates unde famelicos aleres, nudos veſtires, infirmos curares, indigentibus neceſſaria miniſtrares: non de te miracula & portenta mirifica legimus, niſi poſt mortem tuam. Euangelium autem nulla de te ſcribit miracula, quibus vita tua in populis magnificaretur, & in oculis gentium illuſtraretur. *Omnis gloria filiæ regis* *Pſal.44.*
ab intus, in fimbriis aureis: in puriſſimis cogitationibus, in ardentibus deſideriis, in ineffabilibus gaudiis, in cœleſtium virtutum ſpiritualibus infuſionibus, & lucidiſſimis theoriis. Hæc erat vita Mariæ: uni ſoli neceſſario vacare, illi ſoli intendere, circa multa non ſolicitari. Quæ eſt omnis contemplatio, ſi ad ejus ecſtaſim; quæ eſt omnis devotio, ſi ad ejus ſpiritum comparetur? Quis unquam Anachoretarum tam vivax & potens viſu, ut irreverberata acie ſolem lucidiſſimum ſpecularetur, ſicut Aquila hæc perſpicaciſſima, *amicta ſole, & luna ſub pe-* *Apoc.12.*
dibus ejus? Qualis fuit oculorum ejus pulchritudo, & venuſtas aſpectus, quæ Regem majeſtatis ſolo intuitu vulneravit? Unde ait: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, in uno* *Cant. 4.*
oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Et quaſi non valens aſpectum pulcherrimum ſuſtinere; vulneratus clamat: *Averte oculos* *Ibid. 6.*
tuos a me; ipſi me avolare fecerunt. Unde avolare? niſi a ſinu Dei Patris, in uterum Virginis Matris? Et iterum: *O quam pul-* *Ibid. 4.*
chra es amica mea, o quam pulchra es! Oculi
tui

tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Quoties oculorum repetit pulchritudinem, quoties visus decorem exaggerat: ut in illis se maxime captum, & delectatum ostendat? Vere pulchra, & bis pulchra: pulchra facie, pulchrior fide, pulchra in corpore, pulchra in mente, pulchra interiori gaudio, pulchra exteriori obsequio, pulchra cum gignitur, pulchra cum genuit, pulchra in Ægypti exilio, pulchra in cœlesti regno.

Cant. 4. VII. *Oculi tui columbarum.* Propter quod columbarum? Columbæ cum in terra pascuntur, oculos in terram non figunt, sed raptim videntes granum, statim visum in cœlum attollunt. Tales sunt Mariæ oculi, cujus obtutus raptim terrena transiens cœlestia frequentius perlustrabat. Sic enim Filii sui, & sponsi Joseph ministerio incumbebat, ut cœlestia semper intueri non defineret. Columbinos oculos Maria habet; corvinos habent, *Psal.* 16. de quibus scriptum est: *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Jam vero interiorem quam diximus pulchritudinem, quoniam sermo explicare non sufficit, tacendo magis *Cant.* 4. laudat, cum ait: *Absque eo quod intrinsecus latet.* Quasi dicat: Quid in te soror mea foris eniteat, homines utcumque videre possunt, quid intus lateat, soli Deo perspicuum est tantorum munerum largitori. Solus quippe novit sacratæ mentis secreta, gaudiorum excessus, amores ecstaticos, virtutum omnium divitias ineffabiles, quas speciali quadam prærogativa in ea accumulare dignatus *Luc.* 1. est. Propter quod spiritus Mariæ exultat, non in hominum gloria, non in omnium generationum laude, sed in Deo salutari suo, cui solummodo exultationis ejus ratio, & *Ibidem.* causa nota erat. Unde, secundum Bernar- (*a*) dum (*a*), propterea Spiritus sanctus illi obumbrasse dicitur, quia sanctus quidquid in ea gestum est, sic in suo secretissimo consilio Spiritus obumbrando celavit, quatenus sibi tantummodo notum esset & Virgini, cui soli datum est nosse, quod soli datum est experiri. Hæc igitur præclara illa Salvatoris discipula quæ non ad horam, aut per *Ibid.* 10. diem, sicut Magdalena, sed triginta tribus annis in schola illius, ad pedes ejus sedens *Ibid.* 2. audiebat verbum illius, & conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Cui propter singularem & excellentem eruditionem, cœlestis Magister ad Patrem unde venerat rediturus, scholam & cathedram suam *Jo.* 21. reliquit: non quidem ut oves suas regeret sicut Petrus: sed ut Discipulos suos cœlesti sapientia, quam ab eo didicerat, erudiret: quoniam & propter ingenii vivacitatem, & diuturnioris scholæ assiduitatem, cæteris omnibus condiscipulis sapientior & doctior habebatur: quam quidem scholam duodecim annis (*b*) (ut fertur) rexit ac tenuit; Apo- (*b*) stolorum omnium, & Discipulorum Christi, Ecclesiarumque Magistra: unde & cunctas hæreses solam interemisse, in Ecclesia Dei merito decantatur.

VIII. Quis hujus tam familiaris, & dilectæ discipulæ lectiones, quas audivit, enarret? Quis sacramenta quæ novit intelligat? Edissere nobis, o Virgo Beata, dulcissimos illos dialogos, familiares locutiones, & arcana colloquia, quæ habuisti cum Filio, quando in gremio tuo recumbens, cœlestia tibi secreta pandebat, & dulcia illi in doctrinæ præmium oscula referebas. Quid tunc differebat? Quid docebat? Quid illum percontabaris? Quid tibi respondebat? Noveras enim optime eum quis esset, noveras divinæ sapientiæ in eo latere thesauros, noveras abyssum luminis profundissimam, intra tenerrimi pectoris angustias latitantem: omniaque ejus verba, sicut Dei omnipotentis oracula conservabas. O felicem feminam, quæ nectareo illo divinæ sapientiæ poculo tamdiu potata es! Cur nos, obsecro, Virgo, his tantis divitiis defraudasti? Cur thesauros istos desiderabiles a tuis servitoribus abscondisti? Cur dialogos illos dulcissimos ad eruditionem & consolationem nostram scripturæ non mandasti? Quid nobis nunc gratius, quid dulcius, quid utilius dari posset, quam ut colloquiorum hujusmodi sapientissimo & salutari pabulo frueremur; interrogantem Matrem, & Filium respondentem de cœlestibus audiremus? Sed non decuit margaritas pre- *Matt.* 7. tiosas omnibus palam fieri, & sacramenta cœlestia, quæ non licet homini loqui, co- 2. *Cor.* 12. ram omnibus publicari: ac propterea, non edita sunt. Quæ enim nobis edidit Salvatorem, quando si deceret, utilem populo celaret sermonem? Sicut ergo in vita præ cunctis dilecta, super omnes sapientia & devotione volavit: ita hodie in cœlum assumpta super omnes gloria & honore sublimata est. *Ascendit* namque *super Cherubim, & volavit: volavit super pennas ventorum.* Ubi *Psal.* 17. enim arca Deifera nisi super Cherubim locanda erat? Quanta gloria, quanta majestas omnibus cœli Principatibus, & Potestatibus anteferri: ab omnibus coli, & sicut Reginam cœlorum, & Dominam, toti cœlesti curiæ præsidere? Hæc tua pars Virgo Bea-

(*a*) Homil. 4. super *Missus est* num. 4. *Et fortasse propter hoc maxime dictum est, obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri.*

(*b*) Juxta eorum opinionem, qui Beatissimam Virginem anno ætatis 60. obiisse autumat cum Nicephoro lib. 2. Hist. cap. 21. & S. Antonino part. 4. tit. 15. cap. 45. §. 4. Si enim ponas, ut verosimilius est, B. Virginem annos numerasse quindecim, cum Jesum peperit, tum annos 33. vitæ Christi addas, duodecim supererunt anni a Christi morte ad mortem Virginis numerandi, juxta laudatam opinionem. Sed duplo amplius extendendum est hoc tempus, si aliorum sequamur sententiam, qui Beatissimam Virginem anno ætatis 72. obiisse putant, ut Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 21. sect. 1. A Lapide in Acta Apost. cap. 21. vers. 17. Card. Gotti Verit. Relig. Christ. tom. 4. part. 2. cap. 40. §. 3. n. 12. & 13.

ta, hic honor, hæc gloria. Quod enim de nullo Sanctorum credere fas est: hoc de te sancta canit Ecclesia: *Quod exaltata sis super choros Angelorum ad cœlestia regna;* ubi cum Filio tuo vivis, & regnas felix, & gloriosa in sæcula sæculorum. Amen.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ

CONCIO QUARTA BIPARTITA.

EXPOSITIO MORALIS EVANGELII: ET DE ASSUMPTIONE B. VIRGINIS.

PARS PRIOR.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ 10. v. 43.

CONCIO CXLVII.

I. DUo mihi hodierna celebritate tractanda se offerunt: ac proinde in duas concionem hanc dividam partes. Priori moralem expositionem Euangelicæ historiæ expediemus, atque eas exponemus proprietates, quas Deus requirit magnopere in eo, quem velut hospes inhabitat. Posteriorem vero partem Divæ Virgini tribuemus: ostendemusque juxta thema propositum, quod *optimam partem* elegerit *sibi Maria. Intravit Jesus in quoddam castellum.* Esto & tu castellum, ut intret in te Jesus. Nam domos vilibus contectas paleis, & tuguria quæ igne concupiscentiæ facile inflammantur, & domos fragiles, veteres, ruinosas, quæ leviſſimo tentationis vento cito prosternuntur, non intrat Jesus: sed domos stabili fundamento subnixas, firmas, constantes, perseverantes in bono: quæ omni impulsui tentationum, & persecutionum resistunt. Qualis est illa de qua in Euangelio: *Omnis, qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram; & descendit pluvia & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra* firmam *petram.* Castellum itaque fortiſſimum debet esse anima, quam inhabitat Jesus. Nostis bene conditiones castri optimi: nam debet esse constructum in alto supra firmam petram, & muro fortiſſimo, & antemurali, & cavea profundiſſima vallatum. Debet habere etiam pontem elevabilem sublicium, portam ferream, janitorem rigidum, qui nemini parcat, sed fortiter custodiat ingressum; multam commeatus provisionem, & machinarum munitionem, vigiliam diligentiſſimam, & alia similia, quæ omnia spiritualiter debet habere castrum Christi. Habeat in alto fundamentum, non in terra; sicut Apostolus ait: *Nostra conversatio in cœlis est.* Sit fixum & firmatum fortiter super firmam petram fidei; sit charitate vallatum: *Fortis* enim *est ut mors dilectio.* Habeat antemurale patientiæ, in quo recipiat ictus persecutionum, & tentationum; & foveam humilitatis profundam; fontem elevabilem cogitationis, id est, dominium cordis; portam consensus ferream & difficilem, ut scilicet pro toto mundo non consentiat peccatis. Habeat quoque rigidum janitorem timorem Domini, qui omnes violentos appetitus etiam sensuales in hoc ostium irrumpentes facile jugulet & disperdat: & verbi Dei & spiritualis doctrinæ abundantiſſimum commeatum, & omnium virtutum moralium copiosam munitionem, & vigiliam diligentiſſimam super cor, quod est hujus castri arx principalis; sicut scriptum est: *Omni custodia, custodi cor tuum, quia ex ipso vita* & mors. Si talis fuerit anima: intrabit in eam Jesus.

Lucæ 10. *Mat.* 7. *Philip.* 3. *Cant.* 8. *Isaiæ* 26. *Eccli.* 39. *Prov.* 4.

II. Heu Fratres mei! Vallati sumus undique inimicis, & die ac nocte non cessat conflictus: multa fortitudine opus est, ut evadere possimus. Huic animæ castello præfecit nos Deus; Christo fidem dedimus in Baptismo: videamus, ut cum venerit ad judicium, non ut fœdifragi & proditores arguamur, semper coram oculis habentes verbum Apostoli: O Timothee *depositum custodi.* Quid ergo? Ad modum castrorum cordis nostri arcem defendamus. Si quis a longe apparuerit hostis, id est, carnalis appetitus, illico rationis telo confodiatur, & verbi Dei jaculo configatur. Et si coacto agmine malarum cogitationum, & stultorum desideriorum acies violenta irruerit, tolle pontem, diverte cogitationem, occupato imaginationem, & frustrata residebit. Nihil enim utilius, nihil melius, ad vitandos irruentium tentationum conflictus, quam occupare animum, & in aliud ipsam cogitationem divertere. Hunc imaginationis pontem si quam celeriter levaveris, omnis tentationis impetus, ut dixi, frustratus evanescet. Quod si aliunde impetum fecerint, & muri ostio approximaverint; vide, ut fortiter obsistas; ibi enim totum pondus certaminis est, quoniam rupto charitatis muro, aut confracto voluntatis ostio, actum est de castro. Quantumvis enim foris inimicorum acies perstrepat & invadat; quamdiu ostium consensus steterit, in tuto res est. Propter quod in hujusmodi ostio conservando maxima cura adhibenda est. Juvat multum ad hoc ostiarii fortitudo. Vide ne sicut Isboseth filius Saul, huic ostio mulierculam ostiariam præficias, & ab inimicis in inguine confossus intereas. Noli salutem tuam verecundiæ sæculari committere; debilis quippe ac fragilis hæc ostiaria est, & quæ facile decipiatur aut superetur: leviter namque aut passioni cedit, aut fraudi succumbit hujusmodi custodia, & irruenti voluptati aditum præbet. Quid trepidas, ait, quid times? secreto fiet; nemo sciet; parietes sunt undique, nemo videbit: & si casu res cuipiam innotuerit, providebitur,

2. Reg. 4. *2. Tim.* 1.

bitur, ne prodeat in publicum: & si publicata fuerit, cito evanescet, & in oblivionem tradetur. Quanta quotidie fiunt graviora, & post modicum sic oblivioni sunt tradita, ac si nunquam fuissent? Omnia cum tempore transeunt, & labuntur, neque solus es: nemo est qui non aliquando desipiat: nullus mirabitur, quia nemo sine crimine vivit. His & similibus suasionibus facile cedit victa verecundia, & januam hosti tradit. Non sic timor Dei fortis & rigidus, non sic facile suadetur, non sic leviter superatur. Videt namque quam stultum sit, pro modica & levissima voluptate, & gaudio temporali Deum offendere, ejus gratiam & amicitiam amittere, gloriam sempiternam perdere, gehennam interminabilem incurrere; & quod Deus non sit ut homo, ut vel decipi, vel vitari, vel oblivisci, vel superari possit. Unde ait: *Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum.* *Job* 17. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* *Heb.* 10. Arreptoque verbi Dei gladio, omnes illos procaces appetitus violenter irrumpentes jugulat & discerpit. Hunc ostio cordis custodem adhibete Fratres, ita dico vobis hunc præficite: nam *per timorem Domini declinat omnis a malo.* *Prov.* 15.

III. Audistis quale debet esse Christi hospitium: nunc habitatores ejus attendite; quos nisi ibi Christus repererit, in eo utique non introibit. *Mulier*, inquit, *Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria.* *Lucæ* 10. Erat etiam ibi forsan & Lazarus, quamvis de illo taceat Euangelium. Sint ergo ibi Martha, Maria, Lazarus, & fraterna concordia Christum Dominum in mentis hospitio suscipiant. Sit in corde actio diligentissima, contemplatio ferventissima, cura vigilantissima: apud has enim libenter hospitabitur Christus. Sit hujusmodi anima pia in proximum, devota in Deum, solicita in seipsam: qualis erat illa cui dicitur: *Surge, propera amica mea, formosa mea, columba mea.* *Cant.* 2. Tribus etiam nominibus pro tribus officiis nuncupavit. Amica in proximorum obsequio, formosa in divinæ contemplationis otio, columba in propriæ conscientiæ scrutinio. Nam quæ amicum videt in suo fideli paupere famescentem, indigentem, afflictum, & plagatum, & non ei succurrit, quomodo amica est? Christus in sua persona nullo nostro obsequio indiget, eget in paupere, famescit in mendico. Quænam ergo hæc amicitia, quæ charitas est: fulgere auro, splendere margaritis, & Christo in paupere famescenti neque frustum panis porrigere? Si amica es, in hoc Christi pauperum subsidio amicam te esse monstrato. In contemplatione formosa; ibi enim omnis animæ decor, & pulchritudo est; ibi namque anima fervore purificatur, spiritu decoratur, igne cœlesti innovatur, lacrymis abluitur, & super nivem dealbatur. Denique facies Moysi ex Dei colloquio rutilabat. Unde Psalmus: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam. Oblivisce populum tuum, & concupiscet rex decorem tuum.* *Psal.* 44. In sui vero solicitudine columba. Non potest ei deesse gemitus, si se inspexerit carne gravari, & nolentem repugnantemque trahi in sensum peccati, & non bonum quod vult, sed malum quod odit quotidie agere. *Rom.* 7. Quod si vel ad modicum se viderit vitiis sordidari, non solum gemet, sed & rugiet a gemitu cordis sui, donec gemitibus purgetur a culpa. *Psal.* 37. Tales igitur habitatores in mentis hospitio Christus inveniat, hujusmodi ei ad ostium foris occurrant, & dicant: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* *Lucæ* 42.

IV. Sed adverte, quod ex his sola Martha prior occurrit, & illa ad Christum Mariam sororem adduxit. *Jo.* 11. Non existimes, quod ad contemplationis culmen subito debeas pervenire: oportet illam prius in proximorum obsequio promereri. Exerce teipsum ad pietatem, & per hanc pervenies ad desideratam contemplationem; pietas enim promissionem habet vitæ præsentis pariter, & futuræ; hic & ibi remuneratur; hic contemplationis dulcedine, ibi visionis fruitione. Unde Gregorius (*a*): Qui ad contemplationis culmen pervenire desiderat, prius in campo actionis seipsum exerceat. Nam, & Jacob cum diu serviisset pro Rachele, Liam prius accepit, ex qua cum filios plurimos procreasset, iterum serviendo pervenit ad Rachelem. *Gen.* 29. Cum ergo in vita activa proximis serviendo multos bonorum operum fructus edideris, in laboris præmium optata contemplationis dulcedine perfrueris. Tantum vide ne deficias, ne desistas, sed cum multa patientia, & longanimitate, si opus est, etiam quatuordecim annis, ut bonus Jacob, lippientem etiam Liam sustine, ut optatæ Rachelis pulchritudine potiaris. *Martha* ergo *excepit illum in domum* prior. *Et huic erat soror nomine Maria.* *Lucæ* 10. Martha sine Maria parum prodest. Exercitatio enim corporalis per se sine fervore & devotione, ad modicum utilis est. Non aspicit Deus, quantum, sed ex quanto, non manum sed affectum, non quantum labores, sed quantum ames. Vidua quæ duo æra misit in gazophylacium, *Ibid.* 21. judicio Domini plus omnibus misit, quia plus dilexit. Maria sine Martha placere potest, sed Martha sine Maria nequaquam. Illud maximum, & egregium; utramque vitam in unam eandemque personam convenire. Ut scilicet: *Exultationes Dei* sint *in faucibus* ejus, *& gladii ancipites in manibus* *Ps.* 149. ejus: & neque cordis exultatio solicitam manum in opere retardet, neque manus solicita ferventem exultationem in laude restinguat. Quam gloriosus apparuit ille Propheta Re-

(*a*) Ejus testimonium recitavimus in notis ad Concionem secundam hujus argumenti.

Regius! quam ſpectabilis & admirandus! qui ſic pugnavit, ut nunquam oraſſe, ſic oravit, ut nunquam pugnaſſe videatur. Quid dicam de Paulo Apoſtolo? qui iter agendo, prædicando, corripiendo, differendo, cum toto orbe pugnavit: & tamen paradiſum, quem ſemel luſtraverat, animo nunquam deſeruit. Sic plerique in Eccleſia Doctores, & Pontifices, viri undique perfecti & conſummati: quos neque pondus regiminis gravavit in ſcribendo, neque nimia ſcribendi ſolicitudo occupavit in regendo; nam ut ſtrenui ambidextri, & otio & officio plurimum valuerunt.

2. Cor. 12.

V. Sed in hac ſpirituali domo ſemper Martha gravatur, ſemper conqueritur de ſorore. Anima enim quæ aliquando bonum Dei verbum, & virtutes ſæculi futuri guſtavit, quæ introducta in cellam vinariam, vino illo ſpiritus ſuaviſſimo potata, & balſamo illo devotionis ſuaviſſimo delibuta eſt: vix poteſt ulla cauſa, ullave ratione ab illa ſuavitate ſeparari. Quod ſi cogente neceſſitate, aut urgente fraterna charitate ad tempus divellitur, non ſatiatur, non quieſcit, donec redeat ad pedes Jeſu, & verbi ejus pabulo ſaginetur. Neque eam vel fratrum utilitas, vel bonorum operum fructus, vel multorum meritorum pondus conſolari poteſt in exequendo officio; quam expertæ ſuavitatis memoria totam rapit, & abſorbet in dulciſſimi ſponſi amplexus, & oſculi deſiderium. Quam multa ſuper hoc in Sanctis exempla reperimus; qui licet viri miſericordiæ, & animarum veri zelatores exiſterent, ne tamen a Rachelis amplexibus ſejungerentur, ſolitudinis latebras ſolicite perquirebant, & quam longe poterant a populis fugiebant, totis viribus id agentes, ut animarum curam, & prælationis onus evaderent. Sic Beatus Gregorius, ſic Divus P. Auguſtinus, ſic Sanctus Hieronymus, viri tam inſignis ſapientiæ & eloquentiæ, tam eximiæ ſanctitatis & gratiæ, ut plurimum verbo, & exemplo Eccleſiæ Dei in Epiſcopali dignitate profuturos, neque ipſi qui eam declinabant dubitare poſſent; omnia tamen illi ſuaviſſimo, & dulciſſimo otio poſtponebant. Contemplare modo Beatum illum Hieronymum, ſapientiæ, & eloquentiæ miraculum, in linguis Græca, Latina, Hebraica, & in ſacris literis peritiſſimum conſilio & prudentia diſertiſſimum, ſanctitate conſpicuum, vita & moribus probatiſſimum: conſidera, inquam, Eccleſiæ Dei ſidus fulgentiſſimum, virum populo Dei tam utilem, & neceſſarium, inter beſtias, & tigrides in ſolitudine commorantem, ſibi ſoli vacantem, ſibi viventem.

Lucæ 10.

VI. Nunquid non rationabiliter Eccleſia apud Chriſtum de illo conqueri poſſet? Nunquid non merito cum Martha Dominum interpellare: *Domine non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Quoties ab omnibus mundi partibus ad ipſum Epiſcopum epiſtolæ directæ & delatæ ſunt, hanc ipſam querimoniam continentes? Quid agis cum beſtiis? Quid tibi & ſolitudini? Quouſque latitabis? Quouſque otiaberis? Ad quid iſta tua ſapientia? Ad quid ſcripturarum tanta peritia? Ad quid tanta gratiarum moles in te uno congeſta? Quid Domini tui talentum in ſolitudine perfodis? Quid fulgentem lucernam ſub eremi modio abſcondis? *Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt? poterat unguentum iſtud venundari multo, & dari pauperibus.* Quibus Dominus: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? ſinite eam, bonum opus operata eſt in me.* Sinite ut impleatur, poſtea effundet: ſinite ut ditetur, poſtea erogabit: ſinite ut audiat modo in aure, quod poſtmodum prædicet ſuper tecta. Quam concinne in Canticis adoleſcentulas tumultuantes deterret idem ſponſus, ne dilectam ſuam a dulciſſimo ſopore audeant excitare! Quam uno ore loquitur in epithalamio pro dilecta, in Euangelio pro Maria, cum ait: *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam*, donec *ipſa velit!* Ac ſi dicat: Sinite illam, ut dormiat quantum vult: ipſa melius novit quando debeat excitari, quæ in ſui ſponſi ſacro pectore requieſcit. Sinite, nolite excitare; charitas enim quæ illam ſoporavit, illam opportuno tempore ſuſcitabit; & quæ eam ad tempus in eremo abſcondit, illam commode populis publicabit. Idem ipſe nunc quoque tacente Maria, increpanti ſorori pro illa reſpondit: & ipſe ejus factus eſt advocatus, qui judex fuerat interpellatus. Defendit a Phariſæo, defendit ab Apoſtolo, defendit a ſorore. Quid ni taceat, quæ talem ac tantum ſe noverat habere defenſorem? *Martha, Martha ſolicita es*, inquit, *& turbaris erga plurima. Porro unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit.* Non tu malam, ſed illa meliorem; tu turbaris, illa quieſcit; tu fatigaris, illa oblectatur; tu intendis multitudini, illa vacat unitati. *Porro unum eſt neceſſarium.* Unum illud optimum, & æternum tuæ prævalet multitudini; una margarita pluribus argenteis anteponitur; una gemma pluribus aureis antefertur; unus filius Rachelis pluribus Liæ filiis prælatus eſt. Laudo tuam ſolicitudinem, ſed Mariæ pacem magis commendo. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Et ideo optima, quia non auferetur. Nam tua auferetur, & bono tuo auferetur: iſta quæ optima eſt, non in æternum ceſſabit, non cum vita finietur, ſed manebit, & permanebit in æternum; & cum vita deſierit, tunc ipſa magis incipiet. Non ergo ſorori ſuccenſeas, non eam judices, non velut vacantem & otioſam accuſes; crede mihi, ne dubites, *Maria optimam partem elegit.*

Ibidem.

Mat. 25. *Ibid. 5.* *Marc. 14.* *Mat. 26.* *Marc. 14.* *Mat. 10.* *Cant. 2.* *Lucæ 7.* *Mat. 26.* *Lucæ 10.* *Mat. 13.* *Gen. 37.* *Lucæ 10.*

VII. Vere ita eſt bone Jeſu: optima hæc portio eſt: *Beatus qui tenuerit eam;* & qui eam expertus eſt, in verbis tuis ambigere nullo modo poteſt. An non optima pars in pace & quiete, ſine labore & anxietate, ſine tædio & gra-

Prov. 3.

& gravedine; parum est hoc, imo cum multo gaudio & jucunditate, cum incredibili suavitate & dulcedine, perpetuam sibi gloriam promereri? & temporali gaudio æternum sibi acquirere paradisum? Quis non eligat talem partem? A gaudio ad gaudia, a deliciis ad delicias, a pace in pacem, a paradiso in paradisum transire. Ut quod sufficere nobis poterat ad laboris, & certaminis præmium, id promerendæ beatitudinis, & consequendæ felicitatis reputetur ad meritum. *Quis audivit unquam tale? quis vidit huic simile?* O immensam bonitatem, o magnificentiam singularem, ut Dei maxima & præclarissima dona, velut eximia nostra merita remunerentur! Quis tam immensæ largitatis, & munificentiæ pondus, gratiam pro gratia, & donum pro dono reddentis, valeat æstimare? Considerate Fratres: si cuipiam mercenario daretur optio, & ab eo qui eum conduxerat, diceretur ei; ecce ligonem, excole vineam, perfodito terram, & dabitur tibi argenteus; vel certe, si magis placet, ecce mensam omnibus avibus, fructibus, & obsoniis refertissimam, sede & ad libitum manduca, lude, quiesce, oblectare, & vespere itidem accipies. Quis, inquam, ita fatuus esset, ac mentis inops, ut non potius jucunditatem eligat, quam laborem? Ita omnino, certe ita est in proposito. Quiescere in Christo non minoris meriti est, quam laborare pro Christo. Gaudium in Spiritu sancto, crucis trophæo in mercede æquiparatur: lætari in Christo, & pati pro Christo æqua lance appenduntur. Nemo dicere hoc auderet, nisi quiescentem Mariam laboranti Marthæ, officio & merito Dominus prætulisset: *Maria optimam partem elegit*. Unde P. Augustinus (*a*): Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis. Hanc sarcinam si nullus imponit, vacandum est veritati: si imponitur, suscipienda est propter necessitatem charitatis.

Isaiæ 66.

(*a*)

VIII. Sed dices forsitan: Cur igitur non omnes hanc partem eligimus? Ad quid proximorum necessitatibus sublevandis incumbimus? Optima pars optime eligitur: nulla sit Martha in mundo, orationi & contemplationi omnes vacemus, omnes Mariæ partem optimam prosequamur. Utinam Fratres, utinam! Erit aliquando hoc, sed non in hoc exilio: nunc pauci, quos æquus amavit Christus, hoc possunt: non omnibus datum est adire Corinthum: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius vero sic*. Virginitas conjugio pretiosior est, nullus autem sanæ mentis hoc dubitat, non tamen omnibus datum est ut virgines sint. Pro una Maria centum reperies Marthas in Ecclesia. Balsamum illud pretiosum, & nectar dulcissimum non cuicumque vasi a Deo infunditur. Purissima debet esse anima, quæ Dei spiritu repletur, & speciosissima, quam cœlestis Sponsus ad osculum & cubiculum dignatur assumere. Nullum cum terra debet habere commercium, quæ cœlorum Regi in contemplationis thalamo copulatur. Unde Bernardus (*b*): Delicata nimis est spiritualis consolatio, & non dabitur admittentibus alienam. Sit ergo quisque sua sorte contentus, quamdiu ad altiora non vocatur, aut provehitur. Quod si vocatur, si idoneus est, optimum proculdubio præeligendum est. Noli dicere, satis est, sufficit mihi hæc pars bona; sic salvari possum, sic possum ad gloriam pervenire. Abjecti & infimi animi verbum hoc est. Cur si prævales, non ascendes? Cur non eris quicquid esse poteris? Datur aurum, cur sufficiet argentum? Semel dumtaxat hac vivitur vita, quod hic amiseris, in æternum non recuperabis. Denique Paulum Apostolum audiamus; qui cum plurima Dei dona & multiplices gratias Ecclesiæ a Deo collatas recensuisset, dicens: *alii per spiritum datur sermo sapientiæ: alii sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu: alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum:* post hæc quasi consulens adjungit: *Æmulamini charismata meliora*.

(*b*)

1. Cor. 7. Ephes. 4.

1. Cor. 12.

IX. Quod si unum illud necessarium & optimum, maxime eligendum, & maxime prosequendum scire vultis; attendite quod sequitur: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam nihil sum*. Nam, sicut aurum omnibus metallis, ita charitas omnibus Dei gratiis & muneribus antefertur. Non est in tota domo Dei jocale aliquod pretiosius charitate. Hæc omnium bonorum, virtutum, & charismatum maximum & potissimum: hæc est illa pretiosa margarita, quam qui invenit, dedit omnia sua, & comparavit eam. Hic ille thesaurus in agro absconditus, quem qui invenit, dedit omnia sua, & emit agrum illum. Quinimo: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam:* & quasi arena exigua reputabitur. Hæc est via illa altior, via amplior, via securior, planior & brevior perveniendi ad Deum: per hanc, si quis iverit, perveniet ad Deum quem desiderat. Omnis via quæ a charitate non procedit, circuitus est. Heu nos miseros & cæcos, qui tam brevi compendio, & tam certo relicto, ambages quærimus, & vias longas & difficiles ambulamus! O si omnem operam, & industriam,

Ibid. 13.

Mat. 13.

Cant. 8.

Sap. 5.

quam

(*a*) De Civit. Dei lib. 19. cap. 19. Post ea verba: *Si nullus imponit*, ita legendum: *percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati, si autem imponitur suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas.*

(*b*) Seu Gaufridus Abbas in Declamationibus ex Bernardo declam. 55. *Pretiosa siquidem divina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam.*

quam in acquirendis scientiis, & veluti effodienda sapientia consumimus, in hac sola margarita perquirenda, emenda, possidenda impenderemus! O si hanc exhiberemus industriam, & diligentiam, excitando, inflammandoque affectui, & vivificandæ voluntati, quam ornando intellectui, & sensui illustrando impendimus, quanto meliores, & beatiores essemus! Sed stulti nimium & *Job 24.* sine sensu pascimus sterilem, & quæ non parit, & viduæ non benefacimus: inflantem *1.Cor. 8.* scientiam magnificamus, & ædificantem charitatem negligimus. Non autem, si quis multum sapit; sed si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo. Unde prudenter satis quidam hunc nostrum miserandum errorem deplorans, & coarguens ait: Amare Deum dum sumus in corpore plus possumus, quam vel eloqui vel agnoscere. Amando plus nobis proficimus, minus laboramus, illi magis obsequimur. Malumus tamen semper quærendo per cognitionem, nunquam invenire quod quærimus, quam amando possidere, quod non amando frustra etiam inveniretur.

X. Eligamus ergo, Fratres, de cætero hoc optimum & necessarium. Hoc inquiramus, hoc prosequamur, in hoc inveniendo & possidendo, omnem vitam & operam expendamus. Ut scilicet, in corde nostro hunc charitatis ignem accendamus, & accensum, ne deficiat, devotionis oleo foveamus; ne cum *Mat.25.* Sponsus advenerit, extinctas lampades nostras inveniat, & nos foris relinquat. Recordemur semper illius Dominici eulogii: *Luc. 12.* *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur* & ut ardeat? Ac si dicat: Hoc volo, hoc jubeo, hoc super omnia mihi gratissimum: ut ignis hic sacer semper ardeat in pectore vestro, altari meo, sicut in *Lev. 6.* lege præceptum est. Quod si defecerit; nutriat eum sacerdos mane subjiciens ligna, hoc est, sacris literis & exemplis. Hæc enim maxima & potissima debet esse cura Sacerdotum: Dei amorem & spiritus fervorem in populo quotidiana exhortatione, & frequenti doctrina excitare, excitatumque nutrire: ne contra Apostolicam admonitio- *1.Thes.5.* nem, ex defectu doctrinæ, spiritus extinguatur. Ligna in Ecclesia non desunt, unde sustentetur hic ignis; sunt multæ & densissimæ sylvæ, unde quotidie præscindantur; & tanta est condensitas, ut nequeant exhauriri. Est grandis sylva creaturarum, magna etiam Scripturarum, neque minor beneficiorum & exemplorum, quotidie in Ecclesia pullulantium. Sed, proh dolor! Deest ignis. Quid prodest igni extincto superjactare ligna? Ignem hunc præstare non est nostrum, *Luc. 12.* sed ejus qui venit illum mittere in terram, *Act. 2.* qui in die Pentecostes super Apostolorum vertices, flammantes linguas de cœlo pluit; sicut scriptum est: *De excelso misit ignem in* *Thren.1.* *ossibus meis, & erudivit me.* Væ mundo a tanta frigiditate! Non est hodie amoris Dei scintilla in terris: nam quoniam abundavit iniquitas, refrixit charitas multorum. Im- *Mat. 24.* pletum est Apostolicum vaticinium: quod *2.Tim.3.* in ultimis diebus erunt homines amatores voluptatum magis quam Dei. Rogemus ergo instanter, & totis præcordiis deprecemur Dominum: *Cujus ignis est in Sion, & ca-* *Isaiæ 31.* *minus in Jerusalem;* ut ab illo cœlesti incendio demittat in terram fulgurantes scintillas, quæ corda nostra algentia, & frigida excitent, & inflamment; per quas ad illum veniamus caminum, in quo cum beatis illis Spiritibus inflammati, & incensi, in ejus *2.Cor.3.* imaginem transformemur; & transformati ejus claritate & gloria perfruamur: ad quam nos perducat ipse Dominus noster Jesus Christus, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ

CONCIONIS QUARTÆ BIPARTITÆ

PARS POSTERIOR.

De Assumptione B. Virginis.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ 10. v. 43.

I. EXposita sit hactenus allegoria histo- Concio riæ: nunc juxta prothematis senten- cxlviii. tiam ostendendum, quomodo Maria illud sibi non solum elegerit, sed præelegerit. Quod satis erit in aperto, si totum vitæ ejus discursum præ oculis habeamus. Quid enim aliud fuit vita Mariæ, nisi jugis & continua contemplatio, fervor devotionis perpetuus, & spiritus incendium non interruptum? Non lego de te, o Virgo beata, miracula & prodigia multa; non longas in expeditione Euangelica peregrinationes; non eleemosynas copiosas, quia unde eas faceres non habebas; non ægrotorum curas, & captivorum redemptiones; non amplissimas templorum structuras, & cœnobiorum ditissimas dotationes; *Omnis glo-* *Psal.44.* *ria filiæ Regis ab intus*, in corde fervido. *In fimbriis aureis;* hoc est, in purissimis cogitationibus, in ardentissimis desideriis, in omnium virtutum omnigena, & multiplici varietate; sicut in Canticis dicitur: *Quid* *Cant. 7.* *videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* id est, castra virtutum? Non quod illi deessent eximia Marthæ officia, tanto utique nostris clariora, & excellentiora, quanto præstat, Deo in sua persona, quam in famulis deservire: sed hæc Marthæ occupatio, ad partes Mariæ prosequendas, nullum erat sacræ Virgini impedimentum; sicut de ipsa scriptum est: *Ego dormio, & cor meum* *Ibid. 5.* *vigilat.* Ac si dicat: exterius quidem dormio officiis occupata, sed interius vigilo sem-

semper orationi intenta; ex quo enim in clariſſimum Divinitatis jubar hæc aquila perſpicax, & ſublimis oculos ſuos defixit, nunquam eos amplius ad terrena deflexit. Prius enim quam Verbum Dei ſacro utero geſtaret, triennis in templo a parentibus præſentata, in aliarum virginum comitatu, diebus, ac noctibus orationi, & contemplationi vacabat. Ante quippe Deum noverat, quam ſeipſam; & infans adhuc eloquio, animo jam orabat. Poſtquam vero Angelo nuntiante Mater Dei effecta eſt; eorum, quæ in ea impleta ſunt, myſteriorum magnitudine abſorpta, & immenſo illo claritatis pelago tota mente immerſa; veluti continua quadam ecſtaſi interius rapta, ſicut euangelica nobis lectio patefacit: *Luc. 2.* *Conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.*

II. Quid enim? Si nos tepidos, & ignaros, quæ in ea facta ſunt myſteria, dum ea contemplamur, ſic rapiunt, & afficiunt: quid de ipſa ſentiendum eſt, quæ hæc omnia, & animo viderat, & corpore experta eſt? Nos ſola cogitatione deficimus: quomodo illa tantorum ſacramentorum pondus, & guſtus, & æſtus valuit ſuſtinere? Aut quomodo obliviſci poterat Deum, quem utero prius, gremio poſtea, manibus, pectoreque *Iſaiæ 49.* geſtabat? *Nunquid obliviſci* poterat *mater filii uteri ſui*, & talis, ac tanti Filii? Poſt aſcenſionem vero Filii in cœlum, nihil de illa legimus; niſi quod (ut fertur) oratorio clauſa myſteria omnia, quæ viderat & audierat, animo retractabat; aſſidua mente percurrens, quomodo eum concepit, quomodo peperit, quid in templo ei dictum ſit a Simeone, quid cum illo ſuſtinuit in Ægypto, verba, miracula, doctrinam, converſationem, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem & cætera omnia, quæ Virgo prudentiſſima, & ſapientiſſima, in corde ſuo aſſidue conferebat, & prout optime noverat, Diſcipulos edocebat. Hæc omnis Virginis vita. Hæc totius peregrinationis ejus breviſſima ſumma. Cæterum: quos in hac tam ſublimi, & cœleſti vita gaudiorum motus pertu·rit, quos Spiritus ſancti afflatus perſenſerit, nemini mortalium cognitum eſt: ſola novit, quæ ſola illo irradiante, & ſpiritu obumbrante meruit experiri. Ac proinde quamvis de Virgine ſacra nihil fere aliud in Euangelio referatur niſi quod Filium Dei Spiritu ſancto conceperit, & aluerit: ex hoc tamen unico ejus faſtigio, tam ampla, & immenſa cogitandi, & enarrandi nobis inſurgit hiſtoria, ut tot Sanctorum voluminibus non modo nequeat exhauriri, ſed neque pro merito attingi. Majora enim & ſublimiora fuerunt, quam ut humano ſenſu valeant comprehendi. Unde cum finierit homo de ea loqui, tunc incipit: imo necdum ſe incœpiſſe cognoſcit: & cum nunquam ab ejus laude ceſſaverit, nihil aliud invenit niſi voluiſſe dicere. Motus cordis tui, o Virgo, noſtram ſuperant facultatem, noſtros conatus excedunt: altius volaſti, quam noſter ſuſtineat intuitus. Vita tua non debuit ſcribi, ſed cogitari: quia quo non pertingit animus, quomodo perveniet calamus? Quis enim, obſecro, ardores illos & æſtus animi tui pluſquam ſeraphicos exprimat, quos in ruminandis ſcrutandiſque tot tantiſque myſteriis, in te ipſa celebratis & peractis, perſenſiſti? Quis ignem illum ardentiſſimæ charitatis in viſceribus tuis æſtuantem, quo in eum, qui talem ac tantam te fecerat, ut in ſuam te Matrem eligeret, inceſſanter ardebas, enarrabit? Vere ſi optimum, & maxime neceſſarium charitas eſt, ſicut diximus, in hoc non ſolum homines, ſed & Angelicos ſpiritus ſuperaſti.

III. Triplex namque, ut Doctores ſancti aſſerunt, eſt amor Dei: ſcilicet naturalis, acquiſitus, & infuſus. Amore naturali, omnis creatura ſuum magis quam ſeipſam diligit Creatorem. Nam, cum omnibus creaturis non ſolum animatis, ſed etiam inanimatis naturaliter inſitum ſit, conſervare ſeipſas, & omni ſe ſtudio cuſtodire: major tamen eſt hujuſmodi inclinatio, & fortior, ad eſſe illud Divinum æternum, & immenſum, a quo omnes pendent, quam ad proprium. Uſque adeo, ut ſi per impoſſibile, Deus aliquod in ſe detrimentum pati poſſet; potius totus orbis permitteret ſe perire. Ex qua naturali in Deum dilectione in fine mundi omnis creatura contra rebelles ejus, & pertinaces, qui eum dictis, & factis exacerbaverunt, in debitam ultionem, & vindictam armabitur. Amor acquiſitus eſt, qui ſpiritualibus exercitiis & orationis frequentatione nobis acquiritur. Hunc bonis operibus excitamus, nutrimus, augemus, aſpirante divina gratia. Atque hoc eſt, quod dicit: *In meditatione* *Pſal. 83.* *mea, exardeſcet ignis.* Amor infuſus eſt, de quo dicit Apoſtolus ad Romanos: *Charitas* *Rom. 5.* *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Hoc triplici amore, quantum omnes Sanctos, & electos Dei Beata Virgo ſuperaverit, facile eſt videre. Et de naturali quidem, præter communem illum & univerſalem totius creaturæ amorem, ſpecialem alium ſibi proprium, ac peculiarem, qui omnium naturalium maximus eſt, ſola in Deum habuit; quo nullus neque in cœlo neque in terra potuit gloriari, quoniam nulli alteri conceſſus eſt. Quis namque hominum, vel Angelorum dicere potuit Deo? *Filius meus es tu, ego bo-* *Pſal. 2.* *die genui te*, præter ipſam? Jam vero quam potens ſit hic amor in filios: vel in ipſis brutis, & avibus agnoſcamus. In mulieribus namque uſque adeo maternus hic amor exardeſcit, ut in gnatos quos lactant ludicris geſticulationibus ſæpius debacchentur. Nulla eſt enim ſine inſania mater in filium. Solent quippe matres deformes & ignavos, imo fœdiſſimos & abominabiles filios, in quibus nulla apparet dilectionis occaſio, vi quadam naturæ diligere; neque quavis turpitu-

pitudine filiorum offenduntur: nam ex ſuis viſceribus genitos nimio proſequuntur amore. Quomodo ergo putatis Virgo illa piiſſima unicum amabat Filium ſpecioſiſſimum, pulcherrimum, ſapientiſſimum, obedientiſſimum, optimum, omnibus donis, & gratiis pleniſſimum, omni virtute, & ſapientia clariſſimum, & pluſquam dici poteſt, omnibus bonis, quæ deſiderari poſſunt in homine perfectiſſimum? quem ultra omnia hæc apertiſſime noverat, & ſuum, & omnium verum Deum, & potentiſſimum conditorem? Cum, inquam, talem Filium gremio geſtabat, ubere lactabat: quos æſtus, quas flammas, nativus ille ignis in ejus viſceribus emittebat?

IV. Neque ſicut aliæ matres, communem cum viro habebat filium, ſola quippe eum conceperat, ſola genuerat: totus undique ſuus erat, totus ex viſceribus ejus progenitus: nullum habebat ille in terris patrem, nullum illa noverat in filio participem: ſola ſoli, & ſoli ſolus erat. Non cum homine, ſed cum Deo communem habebat Filium: illius Mater erat in terris, cui Deus Pater erat in cœlis. O inæſtimabilem Virginis charitatem, o incomprehenſibilem Puellæ teneræ celſitudinem! De amore autem acquiſito, ſi ullis exercitiis hic amor acquiri poteſt, ipſa ſibi eum præ omnibus comparavit. Quæ enim triginta tribus annis die ac nocte cum ipſo converſata eſt, quæ a latere ejus nunquam diſceſſit, quæ illum in infantia fovit, in pueritia aluit, in adoleſcentia pavit, quæ ſemper ut fideliſſima famula illi uſque ad mortem miniſtravit, & omnia ſui cordis ſecreta cum illo contulit; dicite, obſecro, ex tam longa converſatione, ex tam frequenti colloquio, ex tam aſſiduo comitatu quantus illi in corde amoris ignis congeſtus eſt? Infuſi vero amoris quanta fuerit magnitudine dotata, quis non videat? Quæ in gratia concepta, gratiam quam ſemel acceperat, ſemper bonis operibus adauxit, & peccatis nunquam amiſit.

Lucæ 1. Quæ in Verbi Dei conceptione ab Angelo gratia plena ſalutata, poſtea Spiritus ſancti obumbratione ſuperadimpletur, ut ex plenitudine ejus per Filium recipiant univerſi.

Jo. 1.

Act. 2. Et poſt hæc omnia in die Pentecoſtes Spiritu ſancto jam pleniſſima, iterum eundem Spiritum ſanctum per amplius, & plenius quam Apoſtolicus ille cœtus acceperit, ut eſſet in ea abundans, & ſuperabundans gratia: cui non per partes, ut cæteris, ſed tota ſe infudit gratiæ plenitudo. Cum itaque amor infuſus nihil aliud ſit, quam ipſa gratia, aut ipſi gratiæ appendix ſit, ubi tanta fuit gratiæ plenitudo, quantum fuit infuſi quoque pondus amoris? Denique in cujus utero novem menſibus Sol ille divinitatis ardentiſſimus, veluti in quadam nubecula corporaliter latuit: quibus exiſtimas eam fulgoribus, & ardoribus inflammavit? O Viſcera virginea, tot ac tantis æſtibus inflammata! O pectus ſacrum, in quo triplex hic amoris caminus tam potentiſſime ardebat! Quomodo ſuſtinuiſti, quomodo non defeciſti, quomodo tam immenſo amoris calore ſolutum non fuiſti?

V. Jam ex hoc, Fratres, conjectari poteritis, quam gravis illi fuerit poſt aſcenſionem Filii abſentia, quam dura & intolerabilis hæc vitæ mortalis peregrinatio, quibus deſideriis, quibus lacrymis optaverit & æſtuaverit exire ab hoc ſæculo, & eſſe cum Filio. Quo cruciabatur amore, quo fervebat deſiderio, quo æſtuabat affectu, ut cum illo eſſet, quem ſuis oculis viderat cum mirabili triumpho cœleſtia penetrantem, quem noverat Angelicis Spiritibus præſidentem, apud quem tantam gloriam, & lætitiam ſibi paratam non ignorabat. O quomodo exardeſcebat in ejus pectore hoc deſiderium, quoties videbat viros illos ſanctos, & devotas feminas ſecum commorantes, effuſis lacrymis Magiſtri ſui abſentiam deplorare, præſentiam deſiderare, & non tam vocibus quam affectibus ei acclamantes: *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum*, quo abiit dilectus tuus, & quæremus eum tecum! Quibus tunc exiſtimas ſingultibus, & ſuſpiriis, quam inenarrabilibus gemitibus, & clamoribus, ſpiritus ejus cœleſtes illos Spiritus interpellabat: *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum: ut nuncietis ei, quia amore langueo:* quia deficio præ amore, quia tota amore liqueſco. Mitigate flammas, obſecro, temperate incendium: *fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo:* neque enim *fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt.* Unde non immerito crediderim, hoc toto exilii ſui tempore, ad ſuſtinendos ecſtaticos illos amoris impetus, odoriferis eam paradiſi floribus, & purpurantibus malis, id eſt, luciditſimis e cœlo revelationibus, & dulciſſimis ſuavitatibus, ab Angelis fuiſſe fulcitam, ne deficeret præ amore; & ſic roſis illis candentibus, atque liliis vernantibus paſtam: *Donec aſpiraret dies, & inclinarentur umbræ.* Erat etiam illi non modo temperamento, ſed etiam ſolatio Dei filii ſui, quem ſic diligebat, voluntas, qua detinebatur in terris, a qua neque ad momentum unquam, neque ad modicum deviavit. Erat quoque Eccleſiæ novellæ neceſſitas, quam ſuo magiſterio ſtatuebat: erat etiam ſanctorum, & fidelium omnium conſolatio, ad eam undique confluentium, quos veluti pullos ſub alis ſua præſentia confovebat. Ab omnibus ſiquidem mundi partibus innumera converſorum fidelium multitudo confluebat in Jeruſalem, ad videndum magnum illud orbis miraculum, divinum illud, & cœleſte oracullum, & ſacroſanctum illud tabernaculum, in quo dignatus eſt Dei Filius incarnari. Et res ipſa opinione major erat, viſaque expectationem adventantium ſuperabat. Tantus erat undique ad eam fidelium concurſus, ut

Cant. 5.

Ibid. 2.

Job 6.

Cant. 2.

Mat. 23.

plenis

plenis iretur ad eam viis. Penſate, Fratres, quid nunc fieret, ſi eam haberemus in terris. Quis in tota Eccleſia non ad tantum ſpectaculum properaret? Et certe multo nobis fideliores, & ferventiores erant primi illi fideles, qui in fundamento Eccleſiæ poſiti ſunt, ut immenſum illud ſanguinis pelagus, pro Chriſto illis temporibus effuſum, ſatis oſtendit. Manſit igitur non modo dies aliquot, ſed & annos plurimos Virgo ſacra in terris, Deo pro ſua Eccleſia providente, ut ejus doctrina, & moribus fundaretur.

VI. Venit ergo dies illa tam amabilis, & deſiderata, quando placuit Deo eam ab hoc exilio revocare; &, ut fertur; oranti, & idipſum cum lacrymis expoſtulanti Gabriel ille familiaris ejus apparuit, quam ſic affatur: Gaude, & lætare Virgo pura, exaudita eſt oratio tua, impletum eſt deſiderium tuum: ſicut deſideraſti glorioſa pervenies, & ſicut promeruiſti cœleſti gloria coronabe-
Luc. 1. ris. O quantum hoc nuntio gaviſa eſt, quomodo exultavit ſpiritus ejus in Deo ſalutari ſuo! Congregatis ergo undique Apoſtolis, & Sanctis omnibus, qui tunc erant in Jeruſalem, aſtantibus & orantibus, ſicut Dio-
(a) nyſius (a) in libro de Divinis Nominibus refert: flexis genibus, oculis in cœlum ſuſpenſis, ſine febri, ſinæ ægritudine, ſine anxietate, ſine dolore, imo cum immenſo gaudio, & tripudio beatiſſimum Filio ſpiritum tradidit, & pretioſiſſimas corporis ſui reliquias Eccleſiæ dereliquit. Sed ad modicum tempus; non enim digna erat terra tantum poſſidere theſaurum: non decebat, ut ſacrarium illud, unde Deus carnem aſſumpſerat, verteretur in cineres: neque juſtum videbatur, ut caro quæ peccati corruptionem non noverat, corrumperetur in pulverem. Ea-
(b) dem ergo tranſitus ſui die (b), vel ſicut quibuſdam placet, poſt triduum, veniens Filius ejus cum tota cœleſti curia, ſacroſanctam illam animam corpori ſuo infudit, & in momento ſuſcitatam, glorioſam & immortalem, cum incredibili gaudio & honore, lætantibus Angelis, & exultantibus cœleſtis curiæ Poteſtatibus, eam in cœlum levavit, & ſuper omnes Angelorum beatiſſimos choros ſuis manibus collocavit. Triplicem itaque hodie feſtivitatem colimus: Tranſitum ſcilicet Virginis, quo migravit a vita: reſurrectionem ejus, qua immortali gloria veſtita eſt: & glorioſam ejus Aſſumptionem, qua corpore, & anima felix in cœleſtia convolavit: quarum omnium cum quælibet per ſe celeberrima ſit; unita, & coadunata ſolemnitas quanta erit veneratione colenda?

VII. Quid vero in illo ejus beatiſſimo tranſitu actum ſit, quæ ultima verba recedens dixerit, quid Apoſtolis commendaverit, quidve ſanctis quæ aderant mulieribus locuta ſit, quaſve ab eis recommendationes, quas preces, vel laudes abiens acceperit, penitus neſcimus: quamvis in quibuſdam apocryphis libellis (c), nonnulla de Virginis tranſitu memorantur; quorum multa parum veriſimilia ſunt, ac propterea pro nunc omittuntur. De gaudio autem, & exultatione Angelorum, & magnifico ejus in cœlos ingreſſu, quicquid dici poteſt, minus eſt a vero. Si enim cuicumque animæ e corpore migranti, cum regna cœleſtia ingreditur grandis fit ab Angelis, & tota illa civitate ſolemnitas: de Regis cœlorum Matre quid putandum eſt? Et ſi, ut Divus Hieronymus (d) refert, in aliquorum Sanctorum exitu, Angelorum multitudo exultantium, & concinentium in terris audita eſt, quanto id amplius hodierna die in Deiparæ Virginis Aſſumptione credendum eſt? Qui ſic honorat famulos, quomodo Matrem ſuam ampliori non dignaretur honore? Proculdubio igitur, ſicut idem Hieronymus ait, Filius ejus cum omni cœleſti curia hodie deſcendit, & propriis eam manibus ſuſcipiens, eam in cœleſtibus ſupra Angelorum vertices collocavit, obſtupentibus, & tam ſublimem ejus dignitatem admirantibus Angelis, & acclamantibus: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Quid ni admirentur tam ſublimem feminæ celſitudinem, ut non angelico ſubſidio, ſed Unigeniti Filii Dei ſinu deportetur in cœlum? Jam, o Beata dic nobis quid ſenſiſti, quando luna clarior dilecti Filii tui amplexibus ſuſcepta es? Quando te tot millium Angelorum occurrentium frequentia ſalutavit, & mirificis laudibus, & canticis ſublimavit? Unde Bernardus (e): Felicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio: verum feliciora quæ hodie ſuſcepit ab ore in throno ſedentis. Qualis tunc fuit mutua utriuſque collocutio, & ſalutatio? Quid tunc Mater dixit Filio? Quid Filius Matri reſpondit? Quomodo putas fulgent in cœlo duo illa luminaria ſplendidiſſima? Quomodo lætificat civitatem Dei, Regis & Reginæ tam jucunda præſentia? Lætamini Fratres, & gaudete, quia cito videbimus, cito aderimus, cito exultabimus, & dicemus, *ſicut audivimus*, *Pſal.47.* ita & *vidimus in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus*. Sic ergo tota illa cœleſti curia ovante, & exultante, manibus ſapien- *3.Reg.8.*

(c) (d) (e)

Cant. 8.

(a) De Divin. Nominib. cap. 3. §. 2.

(b) Incertum plane eſt, quanto tempore B. Virgo poſt tranſitum reſurrexerit, & in cælum fuerit aſſumpta, ut notat Suarez in 3. part. tom. 2. diſp. 21. ſect. 2. Probabilior conjectura videtur, id poſt triduum accidiſſe, præſertim ſi ad ea reſpiciamus, quæ tradit Nicephorus lib. 2. cap. 22., & lib. 15. cap. 14. ex Juvenale Epiſcopo Jeroſolymitano.

(c) Qualis eſt liber *de Tranſitu Virginis*, qui a Gelaſio inter apocrypha recenſetur diſt. 15. cap. *Sanctæ Romana*, & putatur eſſe, qui ſub falſo nomine Melitonis Sardenſis legitur Bibliot. Patrum tom. 1. part. 2. pag. 212.

(d) Serm. de Aſſumptione B. Mariæ, falſo Hieronymo adſcripto, & inter apocrypha rejecto in vol. 5. edit. P. Martianæi. Vide ibi pag. 87. in fin.

(e) Teſtimonium dedimus in notis ad Concion. 2. hujus argumenti.

tissimi illius, ac potentissimi Salomonis arca Deifera in templum illud cœleste non manufactum hodie introducitur, & Cherubim expandentibus alas, & eam velantibus, honorificentissime in paradisi gloria collocatur: ad quam nos perducat ipse Jesus Filius ejus, cui cum Patre, & Spiritu sancto est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Heb. 9.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ

CONCIO QUINTA BIPARTITA.

PARS PRIMA.

DE DIGNITATE ANIMÆ, ET GLORIOSISSIMA SS. VIRGINIS ASSUMPTIONE.

Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis. Cant. 4. v. 8.

CONCIO CXLIX.

I. MAgna prærogativa animarum Angelicis choris inferri. Quæ enim aut qualis est anima nostra, si Angelicæ naturæ comparetur? Est enim anima, materia prima in genere Spirituum. Supremus enim Spiritus, Deus est: inferior Angelus; infimus vero anima. Sed, quorum est dispar natura, merito & beneficio Redemptoris facta est æqualis gratia. Apocalypsis capite vigesimo primo: *Mensura hominis, quæ est Angeli.* Situantur autem animæ in choris Angelicis, secundum merita. Nam anima sæcularis, quæ rebus creatis bene usa est in servitium Creatoris, annumeratur Angelis: quæ vero omnia pro Deo dereliquit, ut Deo in corde suo pararet aptam sedem, annumeratur Thronis: quæ vero bene prælaturam gessit, Principatibus: quæ multos lumine doctrinæ illuminavit, Cherubim: quæ vero, amore in Deum exarsit, adeo ut vitam pro ipso exponeret, Seraphim. Nullus autem quantæcumque sanctitatis sit Sanctorum, secure omnibus Angelicis choris præferri potest; nec hoc de aliquo Ecclesia affirmat. Sed dices: Si gloria correspondet merito: quomodo non Paulus, aut Petrus, aut Stephanus omnes Angelos excedit gloria? videntur enim omnes excedere merito. Quis enim Angelorum lapidatus est? Quis crucifixus est? Quis assatus est? Quis excoriatus est? Sancti autem ista passi sunt pro Domino; Angelus autem sine difficultate Deo se copulavit. Responsio: Angelus uno actu meritorio tantum meruit, quantum Sanctus pluribus actibus meritoriis per totam vitam suam. In illa, scilicet, conversione ad Deum, quando aliis corruentibus ipse perstitit, etiamsi tunc nulla fuerit in eo contradictio, vel difficultas. Nec tota ratio meriti in actus difficultate consistit; imo magis in actus perfectione, & intensione, & ardore charitatis a qua elicitur. Et hæc fuit in Angelis, pro naturæ dignitate, & gratiæ magnitudine excellentior, quam forte fuit in ullo Martyre exponente se morti.

Apoc. 21.

II. Sola igitur Virgo Dei Mater, sola illa est, de qua sine omni hæsitatione & scrupulo tota Ecclesia aperte clamat: Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum; sola Regina cœlorum, sola Domina Angelorum, meruit esse & nominari. Sed, quomodo Angelicis choris præferatur, non omnino constat. An his ita major sit, ut suprema sit, supremi chori, sicut de Lucifero dicitur: quod fuerit supremus Seraphim; an e diverso, non annumerata præcellat, sed extra per se chorum faciat & hierarchiam. Tangit quæstionem istam Bonaventura 2. Sententiarum, distinctione 9. quæstione 7. Et latius Doctor noster Ægidius de Roma (*a*). Aliqui affirmant primam partem, propter has rationes. Primo: secundum Ezechielem latera civitatis sunt æqualia; & unum latus est natura Angelica, & aliud latus est natura humana: ergo nec chorus Angelicus sine anima, nec anima sine choro. Secundo: quia, ut dicitur Deuteronomii, capite trigesimo secundo: *Constituit terminos populorum, secundum numerum filiorum Israel;* id est, Angelorum. Tertio: quia, ut videtur Judith decimo tertio: Subvenisti ruinæ nostræ in conspectu Dei nostri. Et Psalmo centesimo nono: *Implebit ruinas.* Ergo non est anima, ubi non fuit ruina; & omnis ruina fuit in aliquo choro, igitur, &c. Quarto: quia creatura intellectualis repræsentat naturam increatam: sed in ista sunt tantum tres Personæ, nec possunt esse quatuor personæ: ergo in Angelicis Spiritibus solum sunt tres hierarchiæ, nec potest poni quarta pro Virgine. Applica ex istis rationibus unam vel duas.

(*a*)

Ezech. 43.

Deut. 32.

Judit. 13.

Ps. 109.

III. Sed non obstantibus his rationibus, quoniam dignitati Virginis magis favet opposita positio, quam videtur sequi Sanctus Bonaventura (*b*): dico; quod Virgo per se facit chorum. Nempe in ipsa est *perfectio viarum* Dei: Job capite quarto; id est, creaturarum. Quoniam numero novenario imperfecto additus est denarius chorus, ut esset undequaque perfectus numerus intellectualium creaturarum. Et hoc, validioribus authoritatibus probatur. Primo: nam Psalmo quadragesimo quarto: *Astitit Regina a dextris tuis.* Filius autem *sedet a dextris* Patris. Sicut ergo in dextera Patris solus re-

(*b*)

Job 4.

Psal. 44.
Ps. 109.

sidet

(*a*) In 2. Sent. dist. 9. q. 3. art. 1.
(*b*) Loco paulo ante allegato in ipso textu Concionis.

sidet Filius; ita in dextera Filii sola residet Mater. Est ergo proprius thronus Virginis supra omnes, & extra omnes Angelicos choros. Secundo, probatur ex illa authoritate Canticorum sexto: *Sexaginta sunt Reginæ,*
Cant. 6. *& octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est.* Ac si aperte diceret: Eam nec Reginis, id est, Angelis: nec concubinis, id est, animabus beatis: nec adolescentulis, id est, animabus justis hic in Ecclesia crescentibus; nec alicui ordini beatorum vel justorum annumerandam: sed solam, unicam, & per se venerandam, & collaudandam. Tertio: ratione probatur: quia, aut chori Angelorum distinguntur dignitate, aut officio, aut gratia vel gloria. Si dignitate: quanto dignior est Mater Regis
Heb. 1. servo Regis, tanto melior Angelis effecta est; cui enim aliquando Angelorum dixit; Mater mea es tu? Tu hodie genuisti me? Et hoc argumentum sumitur a simili, in quo
Ibid. 3. Apostolus probat; quod Christus amplioris gloriæ ac dignitatis habitus est præ Moyse. Si distinguntur officio: quia scilicet Angeli custodiunt unam animam, Archangeli unam civitatem vel provinciam, Virtutes faciunt miracula, Potestates coercent, & arcent dæmones, &c. Hæc omnia officia in sola Virgine perfectius reperiuntur. Ipsa enim non unam animam vel provinciam, sed universam protegit, & custodit Ecclesiam. Ipsa fugat omnes dæmones, extirpat hæreses; perspicacior Cherubim, ardentior Seraphim, capacior Thronis ad Deum retinendum. Non ergo de choro aliquo est, sed omnis chorus est.

IV. Si vero gratiam vel gloriam consideres, non dubitamus, eam multo amplius excedere in beatitudine supremum Seraphim, quam unus chorus alium; imo quam supremus Spiritus excedat infimum chorum Angelorum vel Spirituum. Cæteris enim per partes: ipsi plenitudo gloriæ collata est. Ipsa enim, altius volat intelligentia, profundius penetrat abyssum Divinitatis, arctius hæret amoris vinculo, amplius gustat delectationem suavitatis. O quomodo dicit hoc
Ezech. 17. Ezechiel. *Aquila*, inquit, *grandis, & magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Aquila est Virgo: quoniam lucem illam Solis inaccessibilem sola super omnes puras creaturas visu penetrat. Et sicut aquila avium regina, ita Virgo Spirituum Domina. Ista Aquila ad æthera altius volat, & ex alto prædam, id est, animam peccatorum conspicit, quam rapiat ad cœlestia ungulis suæ charitatis. *Magnarum alarum:* nempe, quia totum Domini Tabernaculum, id est, Ecclesiam habet protegere sub alis. *Longo membrorum ductu.* Audi, quam *longo:* ab infimo peccatore, usque ad supremum Angelum; imo usque ad Dominum Angelorum. Non est, qui de ista Virginis largitate non accipiat. Peccator veniam, justus gratiam, Angelus gloriam, Deus carnem. *Plena plumis & varietate.* Plumas carni inhærentes, virtutes, quas ipsa acquisivit in vita, intelligo. Varietatem desuper nitentem, donorum & gratiarum splendorem varium, sibi de cœlo collatum perpendo. Splendens ergo virtutibus, fulgens donis *venit ad Libanum.* De Libano venit ad Libanum; de Libano puritatis, ad Libanum claritatis; de Libano innocentiæ, ad Libanum gloriæ. Et altius volans in Libano, conscendit altissimam Cedrum Divinitatis. *Et tulit medullam cedri.* Quia Divinitatis arcana, & intimas divitias & gloriam, ipsa supra omnes creaturas penetrat. Cujus gloriæ & beatitudinis respectu quasi superficialis videtur omnis aliorum Sanctorum gloria. Ipsa enim intimius pascitur ex
Psal. 80. adipe frumenti; ipsa intimus beatificatur, & in cellam vinariam amoris & fruitionis
Cant. 2. Dei, multo interius est a Deo Rege cœlesti introducta. Vides, quantum interest inter gloriam Virginis, & aliorum? Vides, quanto hodie altius est sublimata *aquila* ista *grandis?* Audi modo, qua corona hæc Aquila decoretur in Libano: *Coronaberis*, inquit
Ibid. 4. thema. Sequitur: *De capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Vide altissimos montes, ex quibus habent colligi rosæ & flores ad coronam Virginis.

V. Quinque differentias posuit, per quas quinque genera Beatorum significat; de quorum verticibus & cacumine gloriæ Virgo coronatur. Quoniam, quidquid in eis supremum est, una Virginis corona concluditur. *Amana*, naturam Angelicam significans, per se positum est, & sine divisione, & in principio, quasi supremus mons. *Sanir & Hermon* montes, duo genera Sanctorum veteris legis, scilicet, Patriarcharum & Prophetarum designant: ideo simul eos posuit sub uno vertice. *De cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Leones vero & pardi, in lege gratiæ, duo alia Sanctorum genera significant. Omnes enim Sancti novæ legis Regnum cœleste vel sanguine vel virtute possident. Leones ergo dicimus in Euangelio, qui fortes in prælio sanguinis effusione in cubilibus gloriæ requiescunt, id est, mansionibus; de quibus Dominus: *In domo Patris mei, mansiones mul-*
Jo. 14. *tæ sunt.* Pardos vero nuncupari credimus eos, qui multimoda varietate virtutum, & vario decore ornati, cœlestis aulæ militibus sunt annumerati, *vestiti duplicibus*, infu-
Prov. 31. sis & acquisitis virtutibus. *Coronaberis* ergo o Virgo Maria, *de capite Amana, de capite Sanir & Hermon, de cubilibus leo-*
Cant. 4. *num, de montibus pardorum;* quia quidquid gratiæ, quidquid luminis, quidquid gloriæ in omnibus Angelis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus est; totum hoc Virgini collatum est. Et una ejus corona omnes aliorum

rum coronas ſuperat, & varietatem ſplendoris continet. Eſt enim in capite ejus quintuplex aureola: ſcilicet, puritatis cum Virginibus, fortitudinis cum Martyribus, ſapientiæ cum Doctoribus, innocentiæ cum Angelis, Genitricis Dei ſine alio participe.
Apoc.12. Et hoc forte ſignificant duodecim ſtellæ, quæ in ejus corona in Apocalypſi ponuntur. Duodecim ſcilicet, ſingulares & eximiæ excellentiæ ſupra cæteros, quæ ſplendent in Virgine, & quas nimis prolixum eſſet enu-
(*a*) merare. Bernardus (*a*) in ſermone primo: Si
1. Cor.2. oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor
Iſaiæ 64. hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe; quid præparavit gigenti ſe, & præ omnibus diligenti ſe, quis loquatur? Et, ſi ubi tu es, illic & miniſter tuus erit: quan-
Jo. 12. to juſtius, ubi tu es, & Mater tua erit. Et, ſi miniſtros tecum collocas ſuper duodecim
Mat.19. ſedes, ut judicent duodecim Tribus Iſrael: o Domine, quanto altiori tecum throno ſedet, quæ novem menſibus ſedes tua fuit in corpore, in cujus animo continuo quieviſti; numquam exili peccato, numquam vel minima levitate commotus. O quali honore afficit
Deut. 5. Matrem, qui parentes ſub vitæ pollicitatione præcipit honorari!

VI. Quis hujus diei feſtivam lætitiam, quis Angelicum tripudium, quis totius cœleſtis curiæ exceſſivum gaudium loqui valeat? imo vel cogitare, quo honore, quo amore, quo fervore hodie Virgo beata a ſupremis illis Spiritibus recipitur in cœleſti palatio? Quomodo læti occurrunt, feſtivi curſitant, mutuo collaudant, mutuo gratulantur, & mutua ipſa gratulatione fit major lætitia? Ecce, jam Virginis corpus jacebat in ſepulchro: & aſpiciens Filius ſupernus de ſede majeſtatis ſuæ vidit cœleſtem margaritam terreno pulvere occultari. Quid hoc eſt, inquit: nonne hoc corpus meum, quod ſuper omnem claritatem ſplendet ex illo Virgineo corpore ſumptum
Gen. 2. eſt? Nonne caro de carne ejus, & os de oſſibus ejus ſum? Quomodo ergo mira claritate ſplendebo in majeſtatis ſolio; & Matris corpus vermibus ſcaturiet in ſepulchro? Non patiar: hoc dedecus meum eſt, quidquid injuriæ maternum corpus habuerit. Nec juſtum eſt, ut ſubſit corruptioni corpus, quod nulli ſubjectum fuit concupiſcentiæ, & indignum, ut putreſcat in ſepulchro corpus, quod non fuit vitio contaminatum, & ſentiat labem putredinis, quod non eſt expertum labem criminis. Eja igitur: agite, o cœle-
Pſal.80. ſtes milites: eja, ite: *Sumite Pſalmum, date tympanum, Pſalterium jucundum cum cithara: buccinnate in neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Veſtræ dicam? imo meæ: mea eſt enim Matris meæ gloria. Mittitur ergo ante ipſum magna multitudo cœleſtium Poteſtatum, & veluti apes ſepulchrum Virginis circumdant, circum, & ſupra volitantes: fit claritas ingens per circuitum & copia nimis. Conveniunt etiam Spiritu ſancto inſpirati Apoſtoli, ut ait Chryſoſtomus; & ita cœleſtis Eccleſia viatrici Eccleſiæ agglomeratur. Reſonant hinc cantica, inde perſonant laudes, & veluti per modum chori una Eccleſia alteri reſpondet, expectans vocem illam dilecti ſuſcitantis ſponſam ſuam; & dicunt Chriſto: *Sonet vox tua.* *Cant. 2.*

VII. Tunc repente de ſolio ſuperno clamat Verbum Dei vivum, & alta perſonat voce: *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni, exurge pſalterium* meum, *& cithara*, & veni. *Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano*, ne moreris, *veni coronaberis*. Tunc, ut vox Altiſonantis perſonuit, anima illa beatiſſima, virgineis artubus incluſa, ſtatim exit de tumulo ſplendens ſuper ſolis ac lunæ claritatem: qualis ſolet regia ſponſa exire de thalamo, gemmis, & auro, & lapidibus ornata, in die quando ſponſanda eſt. Tunc ergo cœleſtia undique perſonant inſtrumenta: flectunt omnes genua, & cum omni veneratione Angelicis manibus ſenſim in aera levatur Deificum Tabernaculum. Stupet Apoſtolicus cœtus, & quaſi extra ſe poſitus, lacrymis facie perfuſi, poſt ipſam Virginem vocem attollunt. Virgo prudentiſſima, quo progrederis, *quaſi aurora conſurgens*, valde rutilans? Filia Sion tota formoſa & decora nimis: filia Jeruſalem quo tendis tam glorioſa, & nos deſeris? Tu cœleſtes divitias petis; nos in terrenis miſeriis: tu cœleſtia palatia regnatura ingrederis; nos in valle lacrymarum orphanos dimittis: tu cuneis Angelorum inſereris; nos rictibus caulis luporum lacerandos dimittis. O Virgo decora omnes noſtras tribulationes, omnes perſecutiones, omnes anguſtias, quas pro Filio tuo patimur a toto mundo, in tua præſentia tolerabiles erant. Tu triſtibus ſolatium; afflictis requiem; lugentibus levamen ſemper fuiſti. Ad Apoſtolos Virgo ait: *Conſolamini, conſolamini populi meus.* Jamque medio aere ferebatur: quum ſubito tota reſidua curia e cœlo commovetur, & venit ei obviam cum ejus Filio glorioſo. Cogita modo, ſi potes, o anima, qualis exceſſus gaudii, quantave lætitiæ exuberantia fuerit, quando in conſpectu omnium Beatorum Filius & Mater ſibi mutuo obviant: quando recipitur, amplexatur, oſculatur a Filio: quando duo illa corpora omni luce clariora, mutuis ſalutationibus ſe ſalutant. O qualia verba! O qualia dicta! Melius eſt penſare, quam dicere. Bernardus (*b*): Felicia prorſus oſcula labiis impreſſa Lactentis: verum feliciora, quæ hodie Beata, in ſalutatione ab ore ſuſcepit in trono ſedentis. *Ibidem.* *Pſal.56.* *Cant. 4.* *Pſal.18.* *Cant. 6.* *Iſaiæ 40.* (*b*)

VIII. Nunc ad Angelos convertamur, & videamus quid ipſi faciant, quomodo cantent, quomodo plaudant. Audiamus Salomonem

(*a*) Ejus teſtimonium recitatum eſt in notis ad Concionem 2. hujus argumenti.

(*b*) Serm. 1. in Aſſumpt. B. V. M. num. 4. Jam ſupra non ſemel allegatum eſt teſtimonium hoc.

monem Virginis ſecretarium, qui in ſpiritu iſta prævidit & ſcripſit. Stupent ergo omnes Angeli ſuper tanta Virginis dignitate, ſuper tanto honore illi tributo a Creatore omnium. Et ad ſe converſi, non quaſi ignorantes, ſed quaſi admirantes, tres quæſtiones faciunt inter ſe; quemadmodum & in Aſcenſione Filii, aliæ tres quæſtiones deſcribuntur ab Iſaia factæ. Scripſit ergo Iſaias hiſtoriam triumphi Regis gloriæ: ſcripſit Salomon triumphum Virginis Deiparæ. Quærebant ergo inter ſe primi, dicentes: *Quæ*
Cant. 8. *eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Quæ eſt iſta?* Non ignorantis eſt ergo, ſed admirantis iſta eſt quæſtio: *Quæ eſt iſta?* Vide, *qualis eſt iſta* Virgo: cujus pulchritudinem & dignitatem Angeli admirantur. Non potuit amplius laudari ab Angelis, quam admiratione. Siquidem in rebus comprehenſibilibus admirari, ignorantiæ eſt ſignum; in incomprehenſibilibus eſt ſignum ſapientiæ. Solent homines prudentes in terris alienis non admirari de aliquo, ne appareant ignorantes. Sed Dei laus perfecta, admiratio eſt. Qui non admiratur, ideo, quia non intelli-
Ibid. 6. git. *Quæ* igitur *eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens?* Tales flores, tales roſas parit deſertum? Tales margaritæ in valle lacrymarum gignuntur? Alii dicebant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus?* Totum enim cœlum, & terram & orbem ſuo odore replevit. Alii dicebant: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora:* rubra charitate, candens puritate? Quis poterit iſtis reſpondere, *quæ* ſit *iſta?* Etiamſi ſtellæ vertantur in linguas, & arenæ maris in verba commutentur, non poterit dignitas Mariæ pro merito explicari. Reſpondeat eis ejus
(a) ſacellanus, Bernardus (a) in expoſitione *Salve Regina*, fere ſimilis iſtis quæ ſequun-
Gen. 28. tur. *Quæ eſt iſta? Iſta* eſt ſcala illa Jacob, cujus unum extremum terram tangit, & cacumen cœlos penetrat; terram cum cœlo connectens, cœleſtibus agglomerans terrenos; per quam, Angeli ad hominem deſcendunt, & Angelici homines aſcendunt ad ſuperos: in cujus medio, utero ſcilicet pretioſo, Filius Dei infixus fuit limo terrenæ noſtræ ſubſtantiæ conglutinatus, & nexibus
Ibid. 6. carnis ligatus. *Iſta* eſt arca illa, in qua to-
Ibid. 7. tum humanum genus in diluvio peccatorum a ſubmerſione liberatur. *Iſta* eſt rubus illa
Exod. 3. Moyſi ardens, & non combuſta, generans,
Num. 17. & non corrupta. *Iſta* eſt virga Aaron, ſine humiditate germinans, ſine concupiſcentia concipiens cœleſtem Florem. *Iſta* eſt vel-
Judic. 6. lus Gedeonis in area ſicca ſæculi ſine diviſione, id eſt, corruptione, cœleſtem imbibens rorem, id eſt, Verbum Dei. *Iſta* eſt ſanctuarium, *iſta* propitiatorium, *iſta* eſt arca Teſtamenti, *iſta* eſt urna illa dulciſſimum manna continens de cœlo. Quid dicam, *quæ* ſit *iſta?* Cœlum eſt, ſtella eſt, hortus deliciarum eſt, & paradiſus Dei; eſt oliva fructifera, eſt columna mundi, eſt corona noſtra, eſt Dei ſponſa, ſoror, filia, & Mater eſt. De hac, & ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta eſt. Per hanc mundus redemptus eſt, infernus ſpoliatus eſt, dæmon contritus eſt, cœlum apertum eſt. Per hanc Deus deſcendit ad hominem, homo aſcendit ad Deum. Mors deſtructa eſt, peccatum abolitum eſt, gratia inventa eſt, miſeria ſublata eſt. Hæc ruinas Angelorum reparavit, vitam hominibus contulit, ægris ſalutem refudit, captivis libertatem dedit, miſeros in cœleſtibus collocavit. Hæc Angelorum lætitia, hominum corona, mulierum gloria, totius Eccleſiæ decus, & ſpes unica in dextera Filii reſidens, benedicta per ſæcula. *Exod. 15.* *Ibid. 25.* *Heb. 9.*

IX. Figura hujus Aſſumptionis fuit illa arcæ deductio, cum omni genere muſicorum, inſtrumentorum: & a Rege David ſaltante præ gaudio coram illa. Sola filia Saul ſynagoga, longo ſupercilio, & ſuperba cervice livore tabeſcit. Ideo, ſterilis manſit ſine filiis, ſine fructu. Alia figura in Salomone obviante matri ſuæ, & ſolium ejus a ſuis dexteris ponente. Hujus admirabilis Aſſumptionis figura habetur in tertio Regum capite decimo octavo. De Nubecula parva. Dic figuram, & expone. Quod dicitur: Septima autem vice; id eſt, ſeptima ætate. *Ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Per humilitatem: alias enim magna erat nubes, quæ continebat in gremio Deum: capacior erat cœlo iſta nubes. Nubes, inquam, levis; nubes ſine peccato, ex humore aquæ, id eſt, carne paſſibili, ſed ardore ſolis elevabatur, id eſt, amore Dei per contemplationem in cœleſtibus morabatur. Ecce nubem parvam, *quaſi veſtigium hominis*. In Chriſto Jeſu, caput Divinitas eſt. Apoſtolus: *Caput Chriſti Deus.* In Canticis: *Caput ejus aurum optimum.* Pes autem ejus eſt humanitas. Pſalmus: *Ut intingatur pes tuus in ſanguine;* id eſt: corpus. Virgo veſtigium hujus pedis: quoniam, ſicut veſtigium aſſimilatur pedi, ita Virgo eſt vera imago & effigies humanitatis Chriſti, in tota vita ſua. Hæc Virgo *aſcendebat de mari.* Magna gloria Virginis aſcendentis dicta eſt. Quanta lætitia, quantus triumphus! Sed, numquid ſine labore, numquid ſine pugna Virgo triumphat? Non certe: ecce de mari tribulationum, de mari perſecutionum aſcendit. Novit fluctus ſæculi, novit commotiones, novit tempeſtates. Ecce a principio per deſertum fugit cum Filio, ſeptem annis in ter- *2. Reg. 6.* *3. Reg. 2.* *Ibid. 18.* *1. Cor. 11.* *Cant. 5.* *Pſal. 67.* *3. Reg. 18.* *Mat. 2.*

(a) Seu quiſquis demum ſit Auctor ſermonum 4. in Antiph. *Salve Regina*, quos Bernardo abjudicat Mabillonius, & inter ſpuria rejicit vol. 3. pag. 804. Porro Bernardum B. V. Mariæ ſacellanum vocat S. Orator noſter, ex eo forte, quod tali titulo decoratum fuiſſe ab ipſa Virgine, veteri inſcriptione traditum ſit: apud Henriquez in Menolog. Maji 13.

ra aliena exulat: paupertate premitur, & sine cognatis: non est, qui succurrat: inter idololatras populos sola cum Filio & Josepho, alienigena commoratur. Quanta sustinuit ibi, quanta passa est! Jam tempore prædicationis, tempore passionis, quis omnia enumeret? O quam juste eodem suscipitur solio cum Filio, quæ eodem pependerat patibulo! *Stabat*, inquit, *juxta crucem Jesu Mater ejus*. Nunc stat a dextris gloriæ, quæ tunc stabat a dextris passionis. Sed quid ait Elias? Nubes ascendit de mari Achab: ascende, comede, bibe, quia sonus multæ pluviæ est. Virgo ascendit, Virgo levatur ad sidera. Tu Achab frater Patris, o populo Christiane, frater per naturam humanam tui Patris, tui Conditoris. Dum enim nostram assumpsit naturam factus est frater noster, qui erat Pater noster, Conditor noster. Tu ergo frater tui Patris, ascende, comede, bibe, in saturitate; lætare, jucundare: non erit jam terra tua, anima tua sterilis: nubes ascendit de mari; pluvia ingens gratiarum irruet. Nimius imber donorum de nube descendet, totam perfundens Ecclesiam, omnes animas fœcundans.

Jo. 19.

3. Reg. 18.

X. Ecce, postquam Virgo ascendit; *quasi hortus irriguus* facta est Ecclesia. Synagoga terra arida est sine fructu, sine germine. A te enim Virgo, & per te, & ex te, confertur Ecclesiæ, cœlestium virtutum & influentiarum ingens pluvia. Per quam, ut ait Bernardus (*a*), Deus disposuit dare, quidquid conferendum est mundo. Psalmus: *Myrrha, & gutta, & casia, a vestimentis tuis a gradibus eburneis*. Ascensus eburneus, & gradus eburnei sunt, per quos Virgo ascendit. Vide, quos gradus: vide, quam eburneos. Primus gradus: a Deo in Matrem suam æternaliter prædestinata. Secundus: a Patriarchis figurata. Tertius: a Prophetis annuntiata. Quartus: ab Angelis salutata. Quintus: a Spiritu sancto imprægnata, & Mater sui Creatoris effecta. Sextus: in cœlum hodie super omnem creaturam exaltata. O felices gradus! O purpurei gradus! O puriſſimi, o limpidiſſimi, & eburnei gradus! *Quam pulchri sunt gressus tui*, per gradus istos, *Filia Principis*, Sponsa Principis, Mater Principis! *Absque eo, quod intrinsecus latet*. Quid intrinsecus latet? Quid est intra Virginem? *Quid* videtis *in Sulamite, nisi choros castrorum*, & castrum chororum? Latent chori gratiarum, latent castra virtutum, latent ordines meritorum. Alia quæcumque anima magna est, si castrum Dei est: sed in Virgine, latent chori castrorum, latent colligatæ, connexæ omnes virtutes & gratiæ. Et nonne amplius latet? Utique: latet leo in ove, Deus in Virgine, sol in nube. *Ecce nubecula parva*, in qua latet Deus: imo ampla, imo amplior cœlo, capacior universo. Sed ad gradus eburneos redeamus. A quibus, ait Propheta, de vestibus illis stillabunt aromata illa pretiosa. A vestibus ascendentis stillat gutta, stillat casia, stillat myrrha. Gradus profectus diximus esse. Vestes Virginis virtutes sunt. De quibus Psalmus: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Quænam ista varietas vestium; nisi, quam Hieronymus (*b*) exponit? Cæteris per partes: in ea, Martyrum fortitudo, Virginum puritas, Apostolorum dignitas, Confessorum sanctitas, Doctorum claritas. Veniet dies, o beata Virgo, quoniam *omnibus his, velut* vestimento *vestieris*, quibus universitas Sanctorum splendet, & fulget. Ab istis ergo vestibus Virginis stillat *myrrha* compunctionis peccatoribus, stillat *gutta* devotionis justis, stillat *casia* perfectionis Sanctis. Inde fluit amaritudo mundificans animam his, qui adhuc in vita sua sordescunt; fluit etiam dulcedo lætificans, justis a sordibus purificatis; fluit etiam fortitudo ratificans eos, quos contritionis amaritudo purgaverat, devotionis dulcedo lætificaverat. Nullus ergo, *qui se absondat a calore ejus*: nullus est, cui de pallio ascendentis non fluant stillicidia salutis. Omnes ergo unanimes Fontem vitæ adoremus, de cujus plenitudine in abundantia per canalem, id est, Matrem suam, tam abunde replemur, roramur, & fœcundamur.

Psal. 44.

Isaiæ 58.

(*a*)

Psal. 44. 1. Par. 9.

Cant. 3.

Ibid. 7.

Ibid. 4.

Ibid. 7.

2. Reg. 18.

Isaiæ 49

Psal. 44.

Psal. 18.

Psal. 71.

Jo. 1.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ

CONCIONIS QUINTÆ BIPARTITÆ

PARS ALTERA.

SPONSI AMOR SPONSAM PELLICIENTES AD GLORIAM.

Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis. Cant. 4. v. 8.

I. POssunt autem illa verba thematis, dirigi, non solum a Filio in Matrem suam, ut exposita sunt: sed etiam, a dilecto ad amicam suam, id est, a Verbo sponso, ad animam justi sponsam suam: in quo, multum nos movet, quod tam repetito vocabulo clamat: *Veni, veni, veni!* O bone Jesu, quanto amore diligis animam, quam tuo sanguine redemisti! Quanto desiderio vocas oblitam! Quanto gaudio suscipis venientem ad te! Quis poterit satis explicare, quantus sit affectus tam crebro vocantis, tam anxie

Concio CL.

Cant. 4.

(*a*) Serm. 3. in Vigil. Nativ. Domini num. ult. *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret*.

(*b*) Serm. de Assumpt. B. M. pluries in antecedentibus allegato tom. 5. pag. 85. *Ave*, inquit, *gratia plena: & bene plena, quia cæteris per partes præstatur: Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ*,

xie vociferantis, tam ardenter invitantis? *Veni*, inquit, *de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis*. Moveat te ad veniendum, quod ſponſa mea es. Et quantas tibi delicias; & quantum putas tibi gaudium apud ſponſum tuum paratum, qualem thalamum, qualem thronum? Moveat te igitur amor ſponſi tui; & moveat te arrha illa ſanguinis ſui pretioſi, quam pro te obtulit in cruce, & tibi offert in altari. Quod ſi tepida es, nec eodem amore ardes cum ſponſo; ſaltem, moveat te corona, moveat te decor, & ſplendor gloriæ tibi paratæ. *Veni*, inquit, *coronaberis*. *Veni* ergo *ſponſa*: & ſi non: *veni* ſaltem; ecce corona. *Veni* amore mei: & ſi non: ſaltem *veni* amore tui. Si non vis venire propter ſponſum tuum, ſaltem *veni* propter commodum tuum. O anima mea, dilecta mea, quænam tibi relicta eſt excuſatio tarditatis? Si non amas me, ſaltem ama te. Præclara tibi apud me parata ſunt ornamenta decoris, ſpecioſæ veſtes, monilia fulgida. Si ergo non te moveat amor meus, moveat te ſaltem utilitas tua. *Veni coronaberis*. Ut quid miſera hujus ſæculi blandimenta fallacia, inania bona, fugacia ſequeris oblectamenta, oblita tantorum bonorum, tam grandis felicitatis, æternæ quietis, quæ tibi a me parata ſunt? Non te decipiat ficta ſæculi ſpecies, non te detineat figura hujus mundi, quæ præterit. *Veni de Libano, veni coronaberis*. Quid ceſſas venire ad coronam, venire ad palmam, venire ad regale convivium, ad ſceptrum regni, ad gremium ſponſi, ad delicias paradiſi? Quid trepidas venire ad me Dominum tuum, ſponſum tuum, creatorem tuum? manibus meis formata, ſanguine meo redempta: anima, pro qua tot labores ſuſtinui, tot improperia pertuli, tam grandia ſupplicia in carne paſſus ſum. Pro te relictis nonaginta novem ovibus in cœlo, ad hujus vallis lacrymarum miſerias deſcendi: pro te oblitus majeſtatis, & gloriæ meæ, ſacco mortalitatis indutus ſum: pro te in præſepio jacui, in patibulo pependi: pro te laboravi, pro te jejunavi, pro te lacrymatus ſum, pro te ſanguineum ſudorem ſudavi, & totum corporis mei ſanguinem effudi. O ingrata! o lapidea! Quid ſtas? quid hæres? Quid immerſa deliciis, volutabro ſcillino infixa moraris? *Veni coronaberis*.

Cant. 4. *Luc.* 15. *Cant.* 4.

II. O dilecte mi! *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo?* Deduc me poſt te Domine; *Curremus in odorem unguentorum tuorum*. Ad te niſi per te nemo poteſt venire. Scio Domine, ſcio: ſi ſparſeris odorem tuum, ſi fragrantiam ſuavitatis tuæ immiſeris olfactui meo, in odorem unguentorum tuorum curram. Quamdiu non flagrat odor tuus, fœtore illecebroſæ voluptatis falſo detineor. Suavis putatur voluptas, dum non fragrat vera ſuavitas; curremus in odorem, curremus ad viſionem. Emitte fragrantiam tuam, & vadam ad coronam tuam. Sparge odorem tuum, & ibo ad thalamum tuum. Placet hic, Fratres mei, deplorare cordis noſtri cæcitatem, mentis noſtræ tenebras; qui tam ardenti deſiderio vitam iſtam mortalem & mortiferam, imo mortem potius iſtam vitalem amplectimur; & quaſi magnum malum mortem ipſam corporis, ingreſſum noſtræ felicitatis refugimus. Quanto dolore cruciamur, ſi inſtet jam dies egreſſus de tanta miſeria, & introitus in tam ſublimem gloriam! Ad paradiſi delicias non niſi inviti venimus. Et quare inviti, niſi quia non credimus, niſi quia non ſperamus, niſi quia non amamus? Nam, ſi futuras illas cœleſtes delicias vel modicum ſperaremus, non eſſet unde mortem timeremus; imo eſſet, unde eam nimium optaremus. Fidei ergo, ſpei, & charitatis tepor, aut pravæ conſcientiæ pondus mortem corpoream lugubrem efficiunt. Sunt enim, qui felicitatem & credunt & amant, ſed tamen, conſiderantes vitæ præteritæ flagitia, eam ſibi non ſperant. Non ergo ad ſponſum, ſed ad judicem, non ad thalamum, ſed ad judicium ſe venire pertimeſcunt. Nec vocari ſe ad coronam, ſed ad pœnam, interiori ſuo judicio ſententiam ipſam judicis prævenientes, cognoſcunt. Non enim de Libano, ſed de cœno vadunt. Et ob id, non gloriam, ſed gehennam imminere conſpiciunt. Quorum juſtum eſſe timorem, quis ambigat? Non enim ſponſa eſt iſta quæ vocatur, ſed ancilla; imo, non vocata, ſed coacta vadit. Quod pulchre declarat Glorioſus Martyr Cyprianus (*a*) ſermone decimo tertio de Mortalitate. Quam præpoſterum eſt, inquit, quamque perverſum: ut cum Dei voluntatem fieri quotidie poſtulemus, dicentes: *Fiat voluntas tua*: quando tum, cum vocat nos Deus de hoc mundo, non ſtatim voluntatis ejus imperio favemus; obnitimur, & reluctamur, & pertinacium more ſervorum, ad conſpectum Domini cum triſtitia & mœrore perducimur: & volumus ab eo præmiis cœleſtibus honorari, ad quem venimus inviti. Hæc ille. Non ſitiunt tales ad Deum fontem vivum, non clamant cum Propheta: *Hei mihi! Quia incolatus meus prolongatus eſt. Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini!* Apparere formidant, non deſiderant: & refugiunt, non cupiunt. Anima igitur, quæ ad Deum ſecura ac læta venire cupit; cum vivit in ſæculo, moretur in Libano. Meminerit quia dictum eſt: *Veni de Libano, coronaberis*. Acſi diceret: Coronari vis? *Veni de Libano*. Si te delectet corona in exitu: in vita Libanus non diſpliceat. *Veni* ergo *de Libano*, non de Ægypto, non de

(*a*)

Pſal. 19. *Pſal.* 41. *Cant.* 4. *Mat.* 6

(*a*) Lib. de Mortalitate poſt medium. Ita ex Baluzii editione legendum. *Quam præpoſterum eſt, quamque perverſum, ut cum Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos, & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis ejus imperio pareamus; Obnitimur, & reluctamur, & pervicacium more ſervorum ad conſpectum Domini, &c.* ut jacent.

*Pſal.*51. de Babylone, non de Edom. Non enim, ut ait Pſalmus: *Congregabo conventicula eorum de ſanguinibus*. Et, *caro & ſanguis, regnum* 1.Cor.15. *Dei poſſidere non poſſunt*. Sed, *de Libano*. O præclarus, o decorus mons Libanus! de quo ſolo animæ migrant ad cœlos, recipiuntur in cœleſtibus regionibus ad coronam: non patet janua cœli, niſi euntibus a Libano.

III. Quis, obſecro, Libanus iſte, tam affinis cœlo, & cœleſtibus regionibus tam propinquus? Libanus candorem ſonat: eſt autem candor, non quæcumque albedo, ſed fulgor ipſe lucis, candet & albet; qualis fuit ille veſtium Chriſti in transfiguratione. Ex luce ergo albicante, & albedine micante candor conſtat; & fulgore adjecto candor inſurgit. Quid albedo, niſi naturæ puritas? Quid lux, niſi gratiæ venuſtas? Si ergo puritati naturæ addas gratiæ fulgorem, anima candida erit. A Libano vadit innocentiæ: ſi macula quantumvis parva fuerit, Libanus non erit. Ideo, cum ſponſam vocaret a Libano, quaſi teſtimonium perhibens puritatis illius, præmiſit: *Tota pulchra es amica mea,* Cant. 4. *& macula non eſt in te*. Et nunc ſtatim adjungit: *Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis*. O Domine! Si Mat. 19. hæc ſic ſe habent; ecquis poterit ſalvus fieri? Prov.20. Quis gloriabitur mundum ſe habere cor? Nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Quem non tetigit univerſalis illa labes peccati? Quem non proprii facinoris reatus fœdavit? Ecce Joannes ille, quem tu 1. *Jo.* 1. plurimum diligebas, de ſe ait: *Si dixerimus*, quia *peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. Sola tecum Virgo dilecta Mater tua, ſola iſtam meruit pulchritudinem, illi ſoli datus eſt candor iſte Libani. Sola eſt, quam culpa non maculat, quam labes prima, quam ſerpentis afflatus non infecit. Sola eſt *inno-* *Pſal.*23. *cens manibus & mundo corde:* ideo ſola poteſt aſcendere *in montem Domini*, de Libano in- (*a*) nocentiæ. Hieronymus (*a*), in iſto ſermone: Totam eam ſic incanduerat Divinus amor, ut nihil eſſet in ea, quod humanus violaret affectus; ſed ardor continuus, & ebrietas profuſi amoris. Quis ergo? Sola ne *coronabitur?* Non coronatus eſt Petrus? Non coronatus eſt Andreas? Non coronatus eſt Paulus? Quomodo ergo gloriatur Paulus, dicens: *De reliquo, repoſita eſt mihi corona ju-* 2.*Tim.*4. *ſtitiæ?* Et tamen, a Libano innocentiæ non ivit, qui Eccleſiam perſecutus eſt, qui inter 1.*Cor.*11. *Act.* 9. lapidantes Stephanum primus fuit, & peccatorem ſe primum eſſe fatetur, dicens: *Ibid.* 7. *Quorum primus ego ſum*. An forte Paulus 1.*Tim.*1. coronatus eſt; ſed, quia non ivit a Libano, ideo coronatus eſt, ſed, non de capite Amana, de vertice Sanir, ſed aliunde coronatus eſt? Quaſi ſoli eunti de Libano, de Amana corona illa reſpondeat, & mons Amana ſolos coronet, quos Libanus miſerit? An forte non unus eſt Libanus tantum, ſed multiplex? Quod & repetita illa vox ſponſi ſonat: *Veni de Libano, veni de Libano*. Non ergo de ſolo Cant. 4. illo Libano ſublimi innocentiæ aſcenditur ad coronam: ſed eſt alter Libanus, qui etiam invitat coronandos in cœlum; de quo aſcenderunt illi, qui dealbaverunt ſtolas ſuas in *Apoc.* 7. ſanguine Agni, & candidas eas fecerunt: de quo etiam nos aſcendere, Deo adjuvante, ſperamus. Quis autem iſte Libanus ſit, Pſalmus quinquageſimus oſtendit: *Aſperges me* *Pſal.*50. Domine *hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Qui mundus eſt, *Jo.* 13. non indiget lavari: macula igitur erat, ubi lotio ſperabatur. Et tamen, tam fortis eſt iſta lotio, ut animam candidam & decoram faciat ſuper nivem. Libanus eſt pœnitentiæ, hyſſopi nomine ſignificatæ. *Veni* ergo *de Li-* *Cant.* 4. *bano* innocentiæ, ſi potes; ſi non: ſaltem *veni de Libano* pœnitentiæ, & *coronaberis*. O felices lacrymæ, quæ animæ maculas & rugas ſic abſtergunt, & purgant: & jucundus dolor, qui tantam parit in anima lætitiam!

IV. Duo ſunt, Fratres, quæ animam jam peccatorum ſordibus fœdatam abluunt & mundificant, ſcilicet, dolor pœnitentiæ, & amor Dei, dicente Propheta: *Si abluerit* *Iſaiæ* 4. *Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus, in ſpiritu judicii, & in ſpiritu ardoris*. Spiritus judicii eſt, in quo nos ipſi judicantes, ut reos accuſamus, dolemus, & punimus. Spiritus ardoris, & ſpiritus charitatis, qui animam dolore purgatam, calore illo vivifico ſplendidam & nitidam facit: ut non relinquatur in ea vel nota parva fœditatis, quæ ſponſi obtutum offendat. Anima igitur, quam doloris virtus, quaſi forte lavacrum purgat; charitatis ardor decorat & polit; in ea candor Libani eſt. Quod ſi hic pigri ſumus, ad eam expurgandam; maculam quam non laverit lacryma, exuret flamma. Propter hoc enim ignis ille purgatorii datus eſt, ut ardor ignis deleat culpam, quam pœnitentiæ dolor non abſtulit in præſenti vita, ſi illa venialis ſit: nam mortalis macula poſt mortem, quaſi nativa & ingenita animæ, igne punitur, & non deletur. Quod expreſſe duæ illæ ollæ, apud Ezechielem, capite vigeſimo quarto, ſignificant. Sume, inquit, ollam plenam oſſibus, & deinde: ſume ollam vacuam, & *pone ſuper prunas vacuam, & incaleſcat,* *Ezech.*24. *& liquefiat æs ejus, & confletur in medio ejus inquinamentum ejus, & conſumatur rubigo ejus*. Quid olla plena pinguiſſimo pædore ſignificat, niſi animam in peccato mortali diſcedentem e vita? Pinguedine enim luxuriantis ſæculi, & voluptuoſæ vitæ (*b*) Dives ille in Euangelio diſceſſerat, qui in igne, (*b*) *Lucæ* 16. aquæ guttam deſiderabat. Sed de hac olla quid dicitur? *Væ civitati ſanguinum, ollæ,* *Ezech.*24. *cujus*

(*a*) Serm. paulo ante allegato in prima parte hujus Concionis. Vide tom. 5. pag. 91. in fine: editionis P. Martianæi.

(*b*) Supplendum videtur: *plenus*.

cujus rubigo in ea est, & rubigo ejus non exivit de ea: per partes & partes suas ejice eam; non cecidit super eam sors. Sanguis enim ejus in medio ejus est. Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram. Et infra: *Immunditia tua execrabilis est.* O quales istæ maledictiones! Æternam pœnam, & sempiternam combustionem hæc omnia significant. Numquam talis anima Libanus fiet, etiamsi in æternum ardeat. Ubi valde notandum est, quod de ossibus fieri ignis ille præcipiatur, quo olla succenditur. Quia de medullis animæ ignis educitur, quo æternaliter comburitur, secundum illud ejusdem Ezechielis capite vigesimo octavo: *Producam ignem de medio tui, qui comedat te.* Et illud alterius Prophetæ: Ambulate in flamma ignis vestri, quem accendistis. Alia vero olla vacua quidem, sed immunda, inquinamento adhærente lateribus, significat animam sine mortali discedentem e vita: sed, cum notam venialis immunditiæ habeat, tamdiu super prunas manere jubetur, donec purum ab impuro separetur; & ære sublato, argentum purum, & purum remaneat, ut bene declarat Sanctus Pater Augustinus (*a*) in quodam sermone de Resurrectione. Cœlestis enim illa Jerusalem, quæ margaritis & auro puriſſimo structa est; quomodo sordidis pedibus calcanda est? Apocalypsis capite vigesimo primo: Non transibit per eam pollutus. Magna ergo spes, Fratres mei, datur peccatori, ut ad propositum redeamus: cum ei jam non de solo illo priori Libano præcipitur advenire, sed statim adjungitur: *Veni de Libano.* Ut, si innocentiam non habeat, non pigeat agere pœnitentiam, ut ei approA pinquet regnum cœlorum.

Ezech. 28. *Isaiæ 50.* *Ezech. 24.* (*a*) *Apoc. 21.* *Cant. 4.* *Mat. 3.*

V. Sicut autem bina repetitio illa *Libani* non caret mysterio; ita etiam, illa triplicata vocationis particula: *Veni de Libano, sponsa mea veni de Libano, veni coronaberis:* magnum habet sacramentum. Nam, præter hoc, quod, ut dictum est, affectus vocantis ardentissimus tam repetito vocabulo exprimitur; trina illa replicatio, aut tres motus euntis, aut tres gradus ascendentis, aut tres motionis causas designat, aut omnia ista simul. Tria enim sunt motiva, quasi tres aculei, qui animam ad sponsum venire stimulant: ut scilicet viam mandatorum ejus, per quam veniendum est, non deserat; scilicet, timor pœnæ, cupiditas præmii, amor Dei. Isti sunt tres digiti, de quibus Isaias Propheta ait: In tribus digitis terram appendit. Cor enim terrenum pondere malæ inclinationis ad infimas & terrenas voluptates delabens (Quoniam sensus, & cogitatio hominis prona est ad malum ab adolescentia sua) ut a cœlestium amore, & contemplatione non cadat, Deus tribus istis digitis quasi supra naturam propriam suspenB C D E

Isaiæ 40. *Gen. 8.*

sam detinet: dum scilicet, aut timore coercet, aut præmio mulcet, aut suo amore allicit. *Veni* igitur *sponsa* timore miseriæ. Ne, scilicet, si venire contemnas ad vitam æternam, reperias mortem. *Veni* amore gloriæ & bonorum. *Veni* amore sponsi tui te affectuosissime expectantis. Possunt etiam tres motus animæ designari. Scilicet: motus rectus, motus curvus, motus circularis: istis enim tribus motibus, secundum Dionysium (*b*), anima tendit in Deum. Vide Sanctum Thomam super Psalmos, super illo versu: *Circuivi, & immolavi, &c.* Motus curvus est, quo anima ex consideratione creaturarum tendit in Deum. Motus circularis, quo ex consideratione sui levatur ad considerationem sui principii, id est, Dei. Motus rectus est, quo immediate tendit in ipsum, sine medio creato. *Veni* ergo *de Libano, veni sponsa, veni coronaberis.* Possunt etiam tres gradus ascendentis animæ exprimi, de quibus Psalmus: *Ascensiones in corde suo disposuit;* primus est contemptus mundi, secundus gradus est contemptus sui, tertius gradus est gustus Dei. *Veni* ergo *de Libano sponsa mea veni, veni coronaberis. Veni*, inquam, per contemptum mundi ad contemptum tui; per contemptum tui ad desiderium Dei; & per desiderium Dei ad quietem in Deo, & Dei fruitionem. Tres illi primi gradus in ista mortali vita sunt, quartus in alia. Ideo ter vocat, ut meminerit tres illos gradus se ascensuram, ut ad quartum perveniat.

(*b*) *Psal. 26.* *Psal. 83.*

VI. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Ista diversitas florum, ex cacuminibus istorum montium decerptorum in una corona, diversitatem significat gaudiorum in una beatitudine. *Caput Amana*, Divinitas est: *Vertex Sanir*, humanitas Christi. *Hermon*, Virginem significat. *Leones*, ut dictum est, animas beatas: *Pardi* autem Angelicos Spiritus. Quid ergo flos iste, *de capite Amana*, nisi gaudium illud essentiale de visione Divinitatis significat? Et, quid flos *de vertice Sanir*, nisi gaudium de visione humanitatis? Siquidem egredietur, & ingredietur. Quid vero flos *de vertice Hermon*, nisi gaudium de Virginis glorioſæ jucunda societate? In aliis vero non ponitur vertex, neque caput: quoniam multi sunt Sancti, & multi Angeli sine numero, de quorum felici societate, anima gaudet in cœlestibus. O quale gaudium erit, æternaliter cum tam beata societate vivere, & commorari! Cui non erit omnis sæculi solitudo delectabilis, si per eam ad tam beatam societatem anima est perventura? Festinemus igitur, ut ait Apostolus, *festinemus*, Fratres, *ingredi in illam requiem.* Festinant autem ingredi, non qui tempus abbreviant, sed qui meritum

Cant. 4. *Heb. 4.*

(*a*) Vide Serm. 362. num. 9., alias de Diverſ. 221., qui secundus est de Resurrectione mortuorum.

(*b*) Vide Dionysium de Divin. Nominib. cap. 4. §. 8. & 9.

tum augent: non vitæ decremento, ſed gratiæ augmento. Quantumcumque in præſenti vita commorentur, multum feſtinant, qui multa opera bona multiplicant. Frequentatione enim meritorum, quaſi frequentatione paſſuum curritur ad coronam cœleſtem. Currunt ad vitam, qui eam anxie deſiderant: ſolicite quærunt, & feliciter inveniunt. Beata anima, quæ ad vocem ſponſi, aurem cordis non claudit; & vocata reſpondet: Adſum Domine. Nec ad vocem ſurda, nec ad obedientiam ſegnis, nec ad motum tarda, nec ad quærendum ſponſum
Cant. 5. ſuum, per vicos & plateas pigra. Ut cum ipſo, & in ipſo, & apud ipſum, æterna decoretur corona, & perpetua fulgeat gratia; ad quam nos perducat, &c.

IN FESTO ASSUMPTIONIS
B. VIRGINIS MARIÆ
CONCIO SEXTA.

QUALITER AD PROPOSITUM HUJUS SOLEMNITATIS SIT EUANGELIUM: ET DE THEMATE.

Maria optimam partem elegit.
Lucæ 10. v. 4.

CONCIO CLI.

I. NOn putandum eſt carere myſterio, Fratres, quod ſacri Euangeliſtæ, qui geſta Domini tam lucide conſcripſerunt; de Domina noſtra & ejus tranſitu brevem aut nullam fecere mentionem. An putatis, quod in ejus ortu & infantia non mira contigerint? Similiter in tranſitu, quis dubitat magna fuiſſe monſtrata miracula? cum Dominus Sanctos ſuos poſt mortem in teſtimonium vitæ præteritæ magnis ſoleat miraculis decorare. Quid ergo cauſæ
Mat. 3. eſt, quod Joannis geſta narraverint, & Matris Domini non meminerint? Multi diverſa ſenſerunt. Poteſt dici, quod, quia facta Virginis talia erant, ut nequiverint explicari ſermone; nec opus erat. Nam quid de illa poteſt dici, quod non claudatur in hoc, quod dicitur *Mater Dei?* Cogita quidquid vis virtutis & gloriæ: major eſt gloria *Matris Dei*. Ideo tibi non deſcribitur *Mater Dei*, ſed deſcribenda tuæ devotioni relinquitur. Pinge in corde tuo perſonam gratia plenam, virtutibus ornatam, omni macula vacantem: & hæc eſt *Mater Dei*. Nec opus eſt tibi alia ſcriptura. Quid addiſcere cupis, quam nec vales cogitare? Secunda ratio: quia ad laudem ejus pertinet, ut non hiſtoria, ſed prophetia, ejus geſta narret. Tam magna enim & excellens eſt, ut ejus gloriam, non tam hiſtorici narratores, quam prophetiæ annuntiatores conſcripſerint. Quod ergo non legis in Euangelio, reperies in prophetia. Vel forte hoc ideo eſt; quia Euangeliſtæ hiſtoriam rerum texentes, magis cu-

A raverunt, quæ pertinent ad doctrinam & ad teſtimonium veritatis, quam quæ pertinent ad laudem: non laudatores, ſed ſcriptores. Et hoc: ne cauſa id magis amoris quam veritatis ſcriptum videretur, ut ſimplex veritas verbis ſimplicibus narraretur. Quidquid ſit; de hoc magna fuit penuria Scripturarum: quando ſancta mater Eccleſia in feſto Aſſumptionis ſacratiſſimæ Virginis, nihil aliud reperit in Euangelio quod diceret, niſi, ut audiſtis, quomodo Dominus a Martha hoſpitatus ſit. Quid enim Aſſumptioni cum hoſpitio? Aut quando convenit ſolemnitati
B hiſtoria? ad quod propoſitum *intravit Jeſus* *Lucæ* 10. *in quoddam caſtellum?*

II. Duo agemus igitur in ſermone. Primo: qualiter ſit ad propoſitum textus Euangelii; ſecundo: circa thema inſiſtemus. Si litera Euangelii diligentius tractetur, & ſenſum non hiſtoricum ſed myſticum conſulamus: videbimus, qualiter tota litera hiſtoria ſit, non aperta ſed occulta, Matris Dei: & quam breviter, ſub typo alieni nominis, Virgo Dei Genitrix ſit deſcripta. Caſtellum forte voluntas humana eſt. Quid fortius quam quod liberum eſt, nec valet ad ali-
C quid cogi? Quid fortius quam quod non poſſit poſſideri quacumque vi, ſed ſola ſpontanea voluntate? O quot conflictus patitur cor hominis! Deo hinc invadente inſpirationibus, illuminationibus, terroribus; dæmone vero inde exagitante tentationibus, immiſſionibus malis, cupiditatibus. Uterque: Deus & dæmon toto tempore vitæ hominis, forte hoc caſtellum poſſidere volentes, contendunt. Sed quia caſtellum ſolet in malam partem accipi; ſecundum illud: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt:* ideo *Marc.* 11. forte voluntas mala caſtellum eſt, quippe, *Lucæ* 19.
D in quo dæmon eſt caſtellanus. Peccator enim fracto juramento fidelitatis, quo prius ſeſe Deo obſtrinxerat, factus eſt ei adverſarius, & factionis oppoſitæ; & valedicto Deo, tradidit poſſeſſionem cordis ſui inimico dæmoni, & junxit ſe ejus parti. Infelix anima, quæ contraria invenitur ſuo Creatori. Et vide, uſquequo procedat malitia peccatoris; ut Deum exauthorare & deponere velit. Dices: Abſit hoc a me; nunquam tale quid volui: peccator fui, malus fui; ſed Deum, Deum eſſe ſemper volui. Abſit, abſit talis impietas a me. Audi quomodo.
E Quoties peccaſti, toties Deum deponere, quantum in te erat, curaſti. Quid eſt Deus obſecro? Deus eſt ſumma poteſtas, cui omnia parent. Pone quod in rerum ordine ſit aliquid, quod Deo non eſt ſubditum, quod ſit extra juriſdictionem Dei; jam omnipotens Deus non eſt, jam non univerſalis Dominus eſt. Quod ſi ſic; nec Deus eſt: id enim eſt Deus, ut dictum eſt. Tu autem quoties peccaſti, quantum in te eſt, voluntatem tuam exemptam eſſe voluiſti, & eam a juriſdictione eximere curaſti: quippe, quia ejus legibus parere nolens, tibi

ipſi

ipsi factus es lex, tui juris & potestatis esse volens solius. Quid est enim, parere nolo divino præcepto, quam a divino mandato me eximo? Vis ergo aliquid esse in rerum ordine, scilicet voluntatem tuam, extra jurisdictionem Dei; ergo vis Deum jam non universalem habere potestatem; vis ergo Deum non esse Deum. Convictus es magni sceleris, ingentis impietatis; & nesciebas scelus tuum.

III. Ecce rebellionem, ecce castellum. Talis est peccatoris anima obstinata: nullis increpationibus, nullis consiliis, nullis persuasionibus, nullis inspirationibus cedens. Fuit autem hoc totus fere orbis ante adventum Christi, Deum ignorans, idola colens; & dæmon intruserat se in mundum, sine titulo ipsum possidebat: non erat ei alius titulus in hominem, nisi quia ipsum deceperat, ipsum miserum reddiderat. Recordatus est piissimus Creator suæ creaturæ; volens nos eripere de potestate tenebrarum, intravit in hoc castellum. Fortis
Lucæ 11. armatus custodiebat castellum suum: sed fortior eo supervenit, qui vasa ejus diripuit, & princeps mundi hujus ejectus est foras. Sed Conditor mundi, mundo adveniens non
Jo. 1. invenit receptorem, dicente Joanne: *In propria venit & sui eum non receperunt*. Sic
*Psal.*68. ipse conqueritur in Psalmo: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ*, id est, synagogæ. Nullus erat, qui hospitio cordis acciperet Peregrinum a cœlo exulantem in terra. Sed *mu-*
Lucæ 11. *lier quædam:* Mulier, gloria mulierum, corona mulierum, *excepit illum in domum suam:* hæc recepit in uterum suum, in corde suo. *Intravit* ergo *Jesus in quoddam castellum*. Ingressus ejus est incarnatio ejus: janua vero per quam ingressus est, Virgo Maria est. Ipsa est porta mundi & porta cœli: per hanc Deus ingreditur mundum, & per hanc peccator ingreditur cœlum. Per hanc Deus descendit ad hominem & per hanc homo ascendit ad Deum. Dicat ergo Maria: Porta facta sum cœli, janua facta sum Filio Dei. Hæc est glorioſa Sunamitis, quæ Prophetam, Dominum omnium Prophetarum, & hospitio recepit, & intra cordis sui domum, cœnaculum illi fecit, & in
4. *Reg.* 4. eo lectulum & mensam, & sellam & candelabrum ei posuit. Dilata hoc, si placet, & expone quemadmodum *Concione* 1. *in hac solemnitate Assumptionis Deiparæ*.

IV. *Et huic erat soror nomine Maria*.
Lucæ 10. Martha & Maria in hoc sensu nomina appellativa sunt, non propria. Martham ergo & Mariam in Virgine tibi demonstrabo. In Virgine glorioſa duas portiones reperio, scilicet, inferiorem, & superiorem; inferiorem vero corporalem, superiorem vero spiritualem. Martha prima, Maria secunda.
Jo. 1. Martha est, quæ Dominum carne vestit,
Lucæ 1. utero recipit, lacte nutrit: Martha est, quæ
Ibid. 11. cum ipso in Ægyptum fugit; Martha est,
Mat. 2. quæ juxta crucem Filio confixa manebat.
Jo. 19. Sed *huic erat soror nomine Maria*. Maria
Lucæ 10. est, quæ *conservabat omnia verba hæc, con-*
Ibid. 2. *ferens in corde suo:* Maria est, quæ oculis limpidissimis ipsum Verbum carne velatum adorat. Martha est, quæ Filium lactat; Maria, quæ eundem ut Deum suum adorat. O Virgo felix, tota Dei servitio dedicata, tota Deo consecrata. Servit & colit, lactat & adorat, vestit & laudat. Tota ut Martha serviens, tota ut Maria contemplans. Tota ejus substantia, & vita, & opera in Deum expensa. Audi Martham: *Magnifi-*
Ibid. 1. *cat anima mea Dominum*. Magnificavit, quæ magnum reddidit. Magnus corpore factus est, qui talis magnitudinis expers erat. Hæc anima est, id est, animatum corpus de quo sumpta est substantia carnis a Verbo. Hæc Martha est, quæ Deum carne vestivit: corporeum reddidit incorporeum, & magnum & extensum, invisibilem. Ad animalem partem in Virgine ista pertinent. Sed huic est soror Maria. Audi quid sequitur: *Et exultavit*, inquit, *spiritus meus in Deo salutari meo*. Hæc est Maria, quæ exultat in Deo, quæ laudat Deum; spiritualis hæc est, animalis pars illa erat: corpore vestio, & spiritu exulto. Martha prima est; Maria secunda. Maria ergo stans *secus pedes*
Ibid. 10. *Domini, audiebat verbum illius*. Libet hic, Fratres mei, contemplari istius Virginis felicitatem. Ipsa juxta pedes, id est, humanitatem Christi sæpe resedit: nam caput Christi Deus. Ipsa Filium parvulum, Filium puerum, Filium adolescentem, Filium jam virum apud se semper habuit: semper cum eo conversata, semper locuta, semper in eadem domo, in eadem mensa. Non latebat eam quis esset: quippe quem Ange-
Ibid. 1. lico nuntio, Spiritus sancti, virtute sine virili semine conceperat. Quid putas suavitatis, quid gloriæ in hac conversatione? Virgo, quem noverat Deum, Deum habebat in omnibus magistrum, socium, comitem; sola possidet, sola retinet. O felix & nimium felix quæ per triginta fere annos Deum habuit peculiarem sibi, sibi obedientem. *Erat*, inquit, *subditus illis*. Quanta
Ibid. 2. dignitas, quanta felicitas, sola habere potestatem super Deum in terris! Cæteri non agnoverunt, nisi cum resurrexisset. Hinc jure merito, o beata Virgo, te laudat omnis spiritus, quam sic dignificavit Deus, quæ tantam gratiam apud Deum meruisti. Sedens secus pedes audiebas Verbum in terris: nunc sedens ad dexteram majestatis, Verbum Dei tanto clarius, quanto propinquius conspicis.

V. *Quæ stetit & ait: Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam min-*
Ibid. 10. *istrare?* Quando hoc in Virgine, & quomodo impletum sit audiamus. Duos fuisse amores in Virgine, ac veluti duos gigantes in campo cordis Virginei decertasse, certum est: noverat enim Scripturas, noverat

rat prophetias, & sciebat ad quid Deus venerat, quoniam mundum redempturus erat: quomodo redempturus? morte scilicet & supplicio. Volebat quasi justa mundi redemptionem, sed nolebat quasi Mater Redemptoris Filii passionem. Amor mundi facit, ut velit mundum liberari: amor Filii retrahit, ut nolit Filium pati. Et tamen non nisi morte Filii mundum redimendum, noverat ex Scripturis. Stabat juxta crucem, dolet de Filii tormento, dolet de cruciatu, quem tamen mundo scit esse necessarium. Martha est quæ dolet de passione, sed Maria vult mundi liberationem. Sicut
Mat. 26. ejus Filius Patri clamat: *Pater mi si possibile est, transeat a me calix iste*. Sed quoniam scio calicem tuum, mundi esse medicinam; non mea voluntas sed tua fiat. Dolet Martha, cor Virginis tristatur, angustiatur; sed Maria a Filii voluntate non discrepat. Multum solatii & consolationis poterat redundare in Martham ex Maria: sed sicut in Filio, gloria portionis superioris non redundabat in portionem inferiorem, ut pati posset: ita in Virgine, ut compati & condolere posset, ratio non influebat in carnem, Deo hoc disponente, ut tanto magis Mater tristaretur pro Filio, ut eo amplius Filius de Matris tristitia Filii passionem duplicaret, quam in se & in Matre sua patiebatur: ut esset supra modum pœnosa passio, & ei deberet genus humanum quidquid potest debere. Agnoscamus ergo Matris & Filii unam esse querimo-
Lucæ 10. niam. Clamat Mater ad Filium: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea*, mens mea, spiritus meus, *reliquit me solam ministrare?* pati & dolere? Clamat Filius ad Patrem:
Mat. 27. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Mater de Filio, Filius de Patre pie conqueritur. Una utriusque querimonia: in utroque Martha & Maria conqueritur. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Deum vocat, non Patrem.
Ibid. 26. Quando orabat, dicebat: *Pater mi*, volens pietate nominis paterni inclinare ipsum ad evitandam passionem: sed jam in tormento positus: *Deus meus, Deus meus* clamat. Non sunt ista Patris opera: non est Patris derelinquere Filium in tormentis: non te ostendis Patrem in hoc; sed Deum, sed Dominum. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Parum est, quod me occidis, nisi quod etiam derelinquas. Tu enim es, qui me crucifigis: tu es, qui ut redi-
Philip. 2. meres servum, me Filium tradidisti. Pro tua obedientia morior. Non Judæi, sed tua obedientia est, quæ me crucifixit. Non Pilatus, sed Deus est, qui me judicat. Audi quomodo hic Dominus respondit Pilato,
Jo. 19. cum diceret, *nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te:* Quid ait Dominus? *Non haberes*, inquit, *potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper*. Acsi diceret: non tu me judicas, sed Pater meus. Non tu me condemnas, sed desuper est mortis meæ ordinatio. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Occidisti me, & insuper *dereliquisti me*. Porrigis tormentum, negas auxilium. Versus es mihi in crudelem. Non conqueror, quia occidisti; conqueror, quia saltem non adjuvisti. Non derelinquis tu peccatorem clamantem ad te, non servum desperantem: soli mihi factus es crudelis. Clamat peccator, & exaudis: ego autem clamavi per diem & noctem & non exaudies. *Tu vero repulisti & despexisti: distulisti Christum tuum: & non es auxiliatus* mihi *in bello*. *Psal. 21. Psal. 88.* Laurentio inter flammas, Stephano inter lapides, Sebastiano inter sagittas favorem *Act. 7.* dedisti: *Tu* autem *distulisti, repulisti Christum tuum*. Sed porro *unum est necessarium:* Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat. *Jo. 18.*

VI. Sed, priusquam ad expositionem thematis accedamus, si placet, moraliter literam Euangelii percurramus ad nostram eruditionem, ut inter medias laudes Virginis, aliquid etiam nostræ conscientiæ salutare perscrutemur. Notum est per istas duas mulieres, duas vitas significari, scilicet, activam, & contemplativam. Activam voco, quæ proximi necessitatibus succurrit, & in operibus pietatis erga proximum desudat, pascit famelicos, vestit nudos, visitat ægrotos, sepelit mortuos &c. Vita vero contemplativa est, quæ soli veritati perscrutandæ intendit, & luci oculos parat: tota intenta quomodo placeat Deo, ut possit probare cum omnibus Sanctis: *Quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. Semper to- *Rom. 12.* to ardore mentis quærens, quomodo placeat Deo, quomodo ejus voluntatem impleat; quid rectum sit in oculis ejus, in lege ejus die ac nocte meditans & scrutans testimonia *Psal. 1.* ejus, & conans pertingere ad interiora velaminis; parans Deo in cubiculo cordis sanctuarium, & semper cum Propheta scopans spiritum suum, ut dignetur Dominus in *Psal. 76.* templo cordis habitare. Hæc sunt vitæ contemplativæ exercitia: die etiam ac nocte laudare Deum, ruminari beneficia, quæ contulit tam mundo, quam ipsi particulariter; civitatis Jerusalem supernæ mansiones, & Angelicas turmas visitare. S. P. Augustinus (*a*), de utraque vita, sic ait: Otium sanctum quærit charitas veritatis; negotium *(a)* justum suscipit necessitas charitatis. Sed circa verba Euangelii oritur dubitatio, quænam istarum sit magis perfecta, & magis meritoria vita? Videtur enim quod activa sit magis meritoria: nam vita activa laborat pro Domino, contemplativa quiescit in Deo. Habet ergo jam contemplativa præmium magis, quam meritum. Quis enim de-

le-

(*a*) De Civit. Dei lib. 19. cap. 19.

lectando meretur, & non potius laborando? Quis audeat æquare in merito oblectantem se, cum certante in agone? Ista audit verbum: illa implet cum labore; in adimplendo majus est præmium, quam in audiendo. Sed audivimus oppositum a Domino in Euangelio. Ecce Martha laborabat, Maria quiescebat; & tamen ait Judex veritatis: *Maria optimam partem elegit*. Quid putatis dicturam Martham si non impediret Magistri amor, ac reverentia? Igitur, Domine, & ego sedere volo, quiescere volo. Sudoribus meis præfers Mariæ quietem? Quære igitur Domine, quæ præparet necessaria, quæ pascat te.

Lucæ 10.

VII. Fratres mei, nemo iratscatur, nemo indignetur. Certe ita est. Quiescere in Domino, non minus, imo magis est meritorium sæpe, quam laborare pro Domino. Cujus signum est, quod multi norunt laborare, pauci norunt quietis virtutem: non enim in præmiando, sola laboris quantitas; imo magis operis qualitas pensatur. Audi exemplum. Adduxisti lapicidam in domum tuam, & aurifabrum expertissimum, ut facerent opus insigne, vel in auro, vel in lapide pretioso: adduxisti etiam mercenarium, ut glebas, id est, terram foderet. Veniunt vespere accepturi mercedem. Das aurifici ducatum aureum, das mercenario argentum. Quis non irrideat mercenarium, si suos labores extollat contra te, dicens: Injuste facis, nam ego in sudore vultus mei, tuli pondus diei & æstus: ubi hic tantum, nescio quas, formavit figuras; & eum in pretio sic mihi anteponis? Quis, inquam, illum non irrideat, dicens: Frater memento, quod tu circa terram operatus es: iste vero in auro, vel lapide pretioso. Major est tuus labor: sed pretiosius est istius opus, nec tam pensandus est labor operis, quam pretiositas operis, in præmiando. Sic omnino, sic est in opere nostro activo, & contemplativo. Ut ait S. Thomas secunda secundæ, quæstione centesima quinquagesima secunda, articulo secundo in corpore: Vita activa directe ordinatur ad amorem proximi; contemplativa, ad amorem Dei immediate. Et quanto pretiosior est amor Dei in se, quam amor Dei in proximum: tanto perfectior contemplativa, quam activa. Unguentum effusum supra caput Domini, Judas pauperibus melius erogari putavit; sed, quid ait Dominus? *Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me*; nam melius in Dei cultum, quam in proximi pauperis inopiam sublevandam, erogatum est unguentum; quia latria hoc, pietas hoc: illud vero eleemosyna; quod longe minus est, quam pietas. Radix ergo meriti in charitate est: labor ostensivus est charitatis: sed

Mat. 20. *Gen.* 3.

Mat. 26.

magis ostendit charitatem, qui relictis omnibus soli Deo vacat; majus indicium amoris est, omnia pro Deo relinquere, quam rebus pro Deo bene uti: majus ergo meritum est in contemplativa. O fratres, si sciretis quantum valet colere Deum, honorare Deum, & stare ad pedes Domini! Illud est supremum opus. Illa hora, qua agit anima cum Deo, suprema est, optima est; totius vitæ nostræ jucundissima ac utilissima est. Psalmus: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*. Illa brevissima, certissima, securissima via est in cœlum, & suavissima, non habens solicitudines, non anxietates, non divisum esse in pluribus: sed uni soli insistere, quod est; amare Deum, colere Deum, delectari in Domino. Et illud solum est necessarium. Ideo, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. A Martha, sua pars auferetur. S. P. Augustinus (*a*): Tolle ægros; cui porriges medicinam tuam? Tolle pauperes; cui dabis elemosynam tuam? Laborent ergo alii circa proximos: *Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam*.

Psal. 49. *Lucæ* 10. (*a*) *Psal.* 72.

VIII. Verum est, quod in viris perfectis istas duas vitas Dominus conjungit: sorores enim erant Martha, & Maria. Profecto res stupenda: si quis videat quæ David scripserit, putabit eum toto tempore vitæ suæ clausum, soli contemplationi vacasse. Si rursum historiam legat, & prælia & varietates videat: putabit eum nec una hora contemplatum fuisse. Sic activus, ut non contemplativus; sic contemplativus ut non activus. Eodem modo de Moyse in regendo populo, & scribendo Pentateucho. Eodem modo de Paulo in euangelizando, in solicitudine Ecclesiarum, & in scribendo ac prædicando. O quantum associatæ in illo duæ istæ vitæ! *Omnia possum*, inquit, *in eo qui me confortat*. Sic de cæteris Apostolis. Psalmus: *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum. Exaltationes Dei in gutture eorum*: ecce contemplationem. Sed nunquid manus otiosæ? Non: sed quid ait? *Et gladii*, inquit, *ancipites in manibus eorum*: ecce activam, ecce sororem. Gladii ancipites in manibus Apostolorum erant: duplicia opera, scilicet, opera studiosa, & opera miraculosa, quibus totum mundum subegerant, sanctitate vitæ, & potestate miraculorum. Notanda hic tamen, neque otiose prætereunda, quæ de utraque hac vita scribit S. P. Augustinus (*b*) in explanatione tituli Psalmi quinquagesimi primi. Duo, inquit, genera hominum attendite: unum laborantium, alterum eorum inter quos laboratur: unum de terra, alterum de cœlo cogitantium: unum in profundum cor mittentium, alterum cor

Philip. 4. *Ps.* 149. (*b*)

(*a*) Lib. 1. de Trinit. cap. 10. *Non partem malam dixit, quod agebat Martha, sed istam optimam, quæ non auferetur. Illa enim, quæ in ministerio indigentiæ est, cum indigentia ipsa transierit, auferetur.*

(*b*) Usque ad ea verba: *& hæc de prima parte*, hausta sunt omnia ex S. Patre loco citato in textu, quamquam perturbate, nec iisdem semper verbis.

Angelis conjungentium: unum sperantium de terrenis, quibus pollet hic mundus, alterum præsumentium de cœlestibus, quæ promisit non mendax Deus. Non interim desperandum de hominibus bonis, si per eos terrenum aliquid administretur: nec rursum continuo gratulandum hominibus, qui cœlestia agere dignoscuntur negotia: cum plerumque illi, qui negotiis sæcularibus implicati sunt, cor semper sursum habeant; & isti, qui cœlestia semper prædicant, cor trahant in terra. Mixta ergo sunt hæc duo genera hominum. Invenimus enim civem Jerusalem, civem regni cœlorum administrare aliquid in terra, ut puta: purpuram gerit, magistratus est, ædituus est, proconsul est, Imperator est, rempublicam gerit terrenam: sed cor sursum habet si Christianus est, si fidelis est, si pius est, si contemnens in quibus est, & sperat in quibus nondum est. De hoc genere fuit illa sancta mulier Esther, quæ cum esset uxor Regis, & oraret coram Deo, ubi mentiri non posset, in oratione sua dixit: ita sibi fuisse illa ornamenta regalia, sicut *pannum menstruatæ*. Non ergo desperemus de civibus regni cœlorum, quando eos videmus aliquando aliqua gerere Babyloniæ negotia, aliquid terrenum in republica terrena. Nec rursus continuo gratulemur omnibus hominibus, quos videmus agere negotia cœlestia: quia & filii pestilentiæ sedent aliquando in cathedra Moysi; de quibus dicitur: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim & non faciunt. Illi in terrenis rebus levant cor in cœlum; isti in cœlestibus verbis trahunt cor in terra. Et hæc de prima parte.

Esth. 14.

Psal. 1. *Mat.* 23.

IX. Tres partes sunt eorum, qui in Domino moriuntur. Bona, melior, optima. Bona pars est eorum, qui post mortem non statim evolant ad cœlum, sed detinentur in purgatorio. Est bona pars: quoniam licet ad tempus ibi luant, tamen securi sunt de præmio: jam sunt sine periculo, & Deo grati sunt. Quando audimus, Fratres, animam in purgatorio torqueri igne & cruciatibus diversis: pro pietate debita ingemiscimus; & forte de ipsis nobis, qui in deliciis sumus, magis dolendum est. Utinam nos de purgatorio securi essemus! utinam nobis liceret commutare nostrum periculum cum ipsorum tormento! Bona igitur pars eorum est, quorum tormentum cito transibit, & sequetur æternum præmium. Melior sed pars est eorum, qui statim solutis corporeis vinculis evolant ad Deum, terrenis tribulationibus purgati. Felices animæ, quæ brevi purgatorio vitæ præsentis purgatæ, statim pelago voluptatis immerguntur. Sed non omnino consummata gloria est, quorum una portio manet in pulvere, postea glorificanda. Unde tenentur continuo desiderio vestiendi corpora sua, ut sit particeps gloriæ corpus, quod fuit etiam virtutum & laborum instrumentum. Ita clamant Apocalypseos sexto capite: *Usquequo Domine (sanctus & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de iis, qui habitant in terra? Et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum & fratres eorum.* Unde, quantumvis sanctus, quantumvis justus, hujus gloriæ consummationem expectat. Ideo Apostolus ad Hebræos capite undecimo, postquam in catalogo Sanctorum laudaverat fidem Abel, Henoch, Noe, Abrahæ, Saræ, Isaac, Jacob, Joseph, Moysis, Rahab, Gedeonis, Barach, Samsonis, Jephte, Davidis, Samuelis, qui per fidem vicerunt, & operati sunt justitiam; tandem subjungit in fine capitis: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem. Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur.* Erit ergo eorum gloria, postea accidentaliter & extensive major: non tamen intensive & essentialiter. Sola igitur Dei Genitrix, sola *optimam partem elegit*. Illi soli data est ista pars, ut statim glorioſa corpore & anima assumeretur in cœlum. Decebat enim hoc, ex parte Dei, & ex parte sua, & ex parte nostra. Ex parte Dei: quoniam cum sit justissimus, non permitteret corrumpi corpus in sepulchro, in quo nulla fuit corruptio peccati. Ex parte Virginis; quoniam Matrem Dei hæc gloria decens est præ aliis Sanctis: non decet uterum, qui fuit Verbi sacrarium, in terra putrefieri. Sed ex parte nostra longius poterit deduci. Ad ædificandam fidem, ad erigendam spem, ad inflammandam charitatem nostram, decuit Virginem corpore in cœlum levari. Et pro hoc.

Apoc. 6.

Heb. 11.

X. Supponamus primo, quod articulus ascensionis sit difficillimus post articulum resurrectionis. Quoniam, sicuti difficile est credere, quod corpus resolutum in pulverem sit iterum vivificandum; ita etiam difficile est credere, quod corpus istud carneum, ponderosum, calcare habeat sidera. Quamvis si recte pensetur non esset difficile: quoniam si Deus animæ beatæ faceret corpus de cœlo sicut fecit corpus de limo; quis miraretur si ille homo cœlestis habitaret supra sidera? Quid ergo magis miraris, si hoc fiat in corpore carneo? An nescis, quod licet substantia corporis glorioſi caro sit, tamen dispositio & ornatus glorioſior cœlo est? Nam levitas, subtilitas, agilitas, claritas, major est quam cœlestis, dicente Euangelista: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*. Quid ergo trepidas, si caro sic decorata, cœlum inhabitet. Sed tamen, non considerantes ista nec ponderantes, sed attendentes dispositionem præsentis corporis animalis turbantur, quando dicitur, quod hoc corpus habeat calcare sidera. Non respicientes quod ait Apostolus: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Pro istis ergo necessarium fuit aliquod testimonium, quo id persuaderetur, ut ait Job: *Annuntiat de ea*, scilicet felicitate, *amico suo, quod possessio ejus sit, & ad*

Mat. 13.

1. *Cor.* 15.

Job 36.

eam

eam possit ascendere. Testimonium autem hoc est ascensio Christi. Si enim Christus resurrexit, & nos resurgemus; & si Christus ascendit, & nos ascendemus; non enim decet caput esse sine membris. Sed tamen, licet ista consequentia Apostoli bona sit; poterat aliquis dicere (*a*): Christus Deus est; & quis ut Deus? Surrexit ille qui potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam; mihi autem vermiculo unde hæc potestas? Propter hoc S. Matthæus: *Multa*, inquit, *corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis*; ut eorum resurrectio tuæ fidei de resurrectione daret firmitatem. Jam non est quod causeris: ecce puri homines cum Christo resurrexerunt. Similiter dicam de mysterio ascensionis in cœlum. Testimonium ascensionis Christi firmum erat & validum ad confirmandum ascensionem nostram. Quoniam si Christus ascendit, caput nostrum; & nos membra ejus ascendemus. Sed tamen ad auferendum scrupulum de resurrectione nostra, sicuti multa corpora cum Christo surrexerunt; ita etiam ad confirmandam fidem nostram de assumptione humana in cœlum opus erat, ut aliquis purus homo cœlos ascenderet cum Christo, ne illud solius Christi privilegium fuisse credatur; & ne dicat aliquis, quis sicut Christus? Deus erat, & virtus Divinitatis unitam carnem rapuit in cœlum; in me non est Divinitas. Ecce ergo, jam sublata est omnis occasio incredulitatis. Christus sociam habet in gloria Virginem, quæ purus homo est: & licet Dei Mater sit, Deus tamen non est. Ibi omnis homo potest aspirare, ubi sibi similem agnoscit esse sublimatam. Et hoc est, quod Psalmographus intonat, dicens: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Tu*, sed non *tu* solus: sed *tu, & arca sanctificationis tuæ*. Arca Deifica, arca intus & foris deaurata, Virgo Dei Genitrix. *Non est* enim *bonum hominem esse solum*: adjutorium sibi simile datum est homini in solo: adjutorium sibi simile detur homini Christo in cœlo. Adsit Regina a dextris solii sedentis, quæ stabat juxta crucem tam dira patientis.

(*a*) Jo. 10.

Mat. 27.

Ps. 131.

Exod. 25.

Gen. 2.

Psal. 44.

XI. Figura hujus. Bis legimus arcam Domini in Templum cum festivitate magna illatam. Primo: tempore David, qui *adduxit arcam Dei cum gaudio, & saltabat totis viribus ante Dominum; & omnis domus Israel* cum eo *ducebant arcam testamenti Domini, in jubilo & in clangore buccinæ. Et introduxerunt arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi quod tetenderat ei David: & obtulit David holocausta, & pacifica coram Domino*. Idem, & prolixius legimus in libro primo Paralipome-

2. Reg. 6.

1. Paral. 15.

non capite decimo quinto; ut videre est ex verbis sequentibus: *David, & omnes majores natu Israel, & tribuni, ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom, cum lætitia. Cumque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes. Porro Davit erat indutus stola byssina, & universi Levitæ qui portabant arcam, cantoresque. Universusque Israel deducebant arcam fœderis Domini in jubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & citharis concrepantes*. Secundo: illata est arca Domini in templum, quod extruxerat Salomon, non minori pompa & solemnitate. *Congregati sunt* enim, *omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israel, ad Regem Salomonem in Jerusalem: ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, id est, Sion. Convenitque ad Regem Salomonem universus Israel. Veneruntque cuncti senes, & tulerunt arcam sacerdotes. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israel, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oves & boves absque æstimatione & numero. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sancta sanctorum, subter alas Cherubim*. Quis putat sapientem Prophetam coram ligno ludere? Quis putat talem festivitatem lignis Sethim esse tributam? Aliud est, quod mente concipit, aliud est, de quo tripudiat Rex. In figura arcæ intrantis tabernaculum, solemnizat Christum intrantem *tabernaculum non manu factum, non hujus creationis*. Arcam illam mysticam humanitatis benedictæ, assumptæ in cœlum, veneratur Propheta. Alii vero in figura veritatem celebrant; in fide & lumine Prophetæ. Iste, quod scit, colit; illi colunt, quod nesciunt. Sed & aliam solemnitatem Salomon arcæ fecit: primam fecit pater, secundam filius. Prima solemnitas significat: quoniam primo arca corporis Christi, Deo Patre solemnizante, cœlum intrare deberet: secunda solemnitas significat, quod arca Virginea, Salomone Filio unico Jesu Christo solemnizante, assumenda esset in cœlum. Sed jam, obsecro, qualis ista fuerit solemnitas attendamus: quoniam ibi in historia, multa & diversa instrumenta musicalia legimus. Secundo: omnes majores natu, principes, duces, senes, & universum Israel fuisse congregatos. Tertio: mactasse Salomonem, *boum viginti duo millia*. Quæ omnia significant solemnem receptionem Matris in cœlo. Dic historiam, ut est in aliis sermonibus de Assumptione Virginis.

3. Reg. 8.

Heb. 9.

2. Par. 5.

3. Reg. 8.

(*a*) Ita S. Gregorius Homil. 21. in Euang. num. 6. *Sed fortasse aliquis dicat: Jure ille surrexit, qui cum Deus esset, teneri a morte non potuit. Ad instruendam ergo ignorantiam nostram, ad roborandam infirmitatem nostram suæ resurrectionis exemplum nobis sufficere noluit, solus in illo tempore mortuus est, & tamen solus minime resurrexit. Nam scriptum est: Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.*

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ

CONCIO SEPTIMA.

DE ASSUMPTIONE SS. VIRGINIS IN DELICIIS, EX HOC MISERO DESERTO.

Quæ est ista quæ ascendit de deserto, innixa super dilectum suum.
Cant. 8. v. 5.

* CONCIO CLII.

I. QUæ est ista, &c. Verba sunt Angelorum mirantium: de pompa, de gloria, de fastu ascendentis Dominæ, & interrogantium. Unde nota, quod novitas est, quæ facit admirationem. Nam minora, admirabiliora videntur majoribus, si sint nova. Exemplum est in P. Augustino (*a*) Tractatu vigesimo quarto in Joannem, de gestis miraculis Christi. Nam majus est augmentare fructum in campis, quam quinque panes in manibus comedentium. Majus est tot quotidie homines nasci, qui non erant: quam paucos resurrexisse, qui jam erant: (*b*) Serm. 4. de Resurrectione Corporum (*b*). Aliud exemplum. Ecce, cum Dominus ascenderet in cœlum, mirati sunt Discipuli, videntes proprio motu & virtute per aerem ascendere corpus Domini. Sed dicunt Angeli: *Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum?* At nonne majus est, & magis admirandum quod ascenderit crucem, quam cœlos? Nonne magis admirandum quod steterit inter latrones, quam Angelos? Nonne Deum pati mirabilius, quam Deum adorari ab Angelis? Hoc suum est, illud alienum est ab ipso Deo. Id mirandum, hoc non admirandum. *Quid admiramini?* Sed possumus nos quoque in illos retorquere sermonem, & dicere: Milites cœlestis patriæ, quid admiramini de Matre, quid de sponsa Filii Dei? Miramini nos mirantes de Filio: nos miramur, quare vos admiremini de Matre. An novum est, quod mater sequatur filium? Nonne per medios enses & lanceas matres sequuntur suos filios? Etiam in brutis, rapto pignore, sequitur vociferans mater. Si ubi ipse est, illic & minister ejus erit; quanto amplius illic & Mater ejus erit? Non miremini, quia sequitur; imo, quare tam tarde sequatur potius miremini. Latro de patibulo statim rapitur ad paradisum; Mater duodecim annis in exilio post ascensionem Filii. Hoc mirandum. Ista Mater, quæ apud crucem vexata est dolore, post desiderio videndi Filium. Quid admiramini gloriam ascendentis? Potius miremini dignitatem parientis. Quod si magna videtur in ascensu, major vobis appareat in partu. Innixa super dilectum ascendit; nimirum, quia ipsum peperit. Deliciis affluit, quæ mundi gloriam in utero concepit. *Cant.* 8.

II. Dicite, obsecro, quid admiramini? Nonne justum est, ut lactis recipiat pretium? Nonne justum est, ut dolorum quos accepit pro Filio, recipiat mercedem a Filio? Ista est, quæ in Ægyptum cum ipso fugit; ista est, quæ Deum labore manuum suarum aluit; ista est, quæ juxta crucem in passione, corde transfixa stetit. Filius vulneratur in corpore, ipsa in corde. Vulnera in Filio sparsa sunt per totum corpus, & unita in corde Matris. Lancea non rapuit animam Filii in corpore, animam istius in corpore Filii transfixit. Ista est Mater ejus, & martyr ejus; Genitrix ejus, & sponsa ejus. Nonne rectum est, ut recipiat coronam gloriæ ab illo, cujus passionis gladius animam ejus perforavit? Non sedebit ad dexteram in cœlo, quæ non dereliquit latus ejus in sepulchro? Non associabitur regnanti, quæ fuit socia patienti? Multum admiror Angeli, cur admiremini. Sed, dicitis forte: O dignum omni stupore est, videre carnem fluxam, carnem fœnum & herbam super omnem Spiritum collocatam. Quis non stupeat videre super cœli culmina, super sidereos vertices, super omnem Angelicam naturam, carnem de limo formatam elevari? Feminam de deserto mundi hujus, ad dexteram omnipotentis, tanto jubilo cœlestis militiæ conscendere? Videmus Angelos tripudiantes, dæmones trementes ac fugientes, dicentes: *Castra Dei sunt hæc.* Quis non admiretur tantam excellentiam unius mulieris? P. Augustinus (*c*): O Angeli non miremini, quod caro omnem transcendat Spiritum, quia Supremus Spiritus, factus est caro. Magis mirandum est, quod, qui super omnia est Deus, ad infima carnis descenderit; quam, quæ infra omnia erat, caro super omnia elevetur. Ecce admiremini potius descendentem Deum, quam ascendentem carnem. Nam *Verbum caro factum est:* & ita prope se supremam carnem posuit. *Mat.* 2. *Jo.* 19. *Lucæ* 2. *Isaiæ* 40. *Gen.* 2. *Cant.* 8. *Gen.* 32. (*c*) *Jo.* 1.

III. Sed tria sunt, inquiunt, quæ miramur: quod *de deserto:* quod *deliciis affluens:* quod *innixa super dilectum.* Et ista tria, erunt puncta in sermone. Primum, de *deserto*, *Cant.* 8.

(*a*) Tract. 24. in Joann. Euang. num. 1.

(*b*) Serm. 242. in diebus Paschalibus, 13. de Resurrectione corporum contra Gentiles, alias de tempore 147. Ita num. 1. *Majora quidem miracula sunt, tot quotidie homines nasci, qui non erant, quam paucos resurrexisse, qui erant.*

(*c*) Testimonium hoc inter Augustini Opera necdum inveni. Aliquid simile legitur apud S. Bernardum Serm. 4. in Assumpt. B. Mariæ num. 1. *Quid mirantur de terra deserta Mariam ascendere delitiis affluentem? Miretur potius pauperem Christum de cœlestis regni plenitudine descendentem. Longe enim ampliori miraculo dignum videtur, Dei Filium paulo minus ab Angelis minorari, quam Dei Matrem super Angelos exaltari.*

to, de quo ascendit: secundum, de deliciis, quibus abundavit: tertium, de dilecto, cui innititur. Desertum mundus iste est. Ut namque S. P. Augustinus (*a*) de Transfiguratione Domini: Per desertum, hujus vitæ peregrinatio designatur. Inde est, quod in eremo aquæ amaræ tribulationum, igniti serpentes peccatorum. Et in Psal. 62. (*b*) Super illud: *In terra deserta, & invia, & inaquosa:* Sæculum, inquit, est hoc desertum. Parum est, terra deserta, ubi nullus hominum habitat: insuper & sine via, & sine aqua. Utinam vel viam haberet istud desertum; utinam illuc homo incurrens vel nosset qua exiret. Non videt hominem ad solatium, non videt viam qua careat deserto. Ergo ibi divertit? Sed utinam esset vel aqua, unde reficeretur, qui inde non potest exire. Malum desertum, horribile & timendum! Sed desertum vel maxime mundus est, quia sunt in deserto, incompto, horrifero, & horrisono, tria hæc: solitudo, spinæ & cardui, & laquei ad capienda animalia. Hæc omnia sunt in mundo post peccatum. Ecce homo, quantumcumque vadas associatus militibus & famulis, quantumcumque rebus temporalibus abundes, si in peccato es, solus es. Desertum est, ubi non est, qui ubique est; desertum est anima, quam non inhabitat, qui omnia replet Deus. *Cor*, inquit, *eorum longe est a me*. Desertum est ergo cor, cui deest verus inhabitator Deus. Ecce *relinquetur domus vestra deserta*. Domus hominis conscientia hominis est, in quam homo debet ingredi assidue, & cum Domino quiescere. Si Dominus recedit, habitatur a bestiis, a dæmonibus, a serpentibus, a regulis. Ecce, desertum est, ubi feræ ambulant. Desertum est multitudo reproborum, qui derelicti a Deo, a Sanctorum numero separati, suo pondere premunt Ecclesiam, & ipsi pœnarum pondere postmodum puniendi. Præterea qui diversis venenatarum bestiarum, passionum, inquam, ac vitiorum suorum tumultibus in conscientiæ suæ abditis quatiuntur. Qui semper in motu sunt, semperque vagi, nunquam stabiles, nunquam in eodem statu permanentes; nunc superbia intumescunt, nunc ira ferveſcunt, nunc tristes, nunc leves, nunc pressi silentio, nunc risu dissoluti transgrediuntur indigeste precepta, & pacem turbant. Quamdiu tamen timent, quamdiu dolent, quamdiu admittunt correptionem, nec fugiunt satisfactionem: desertum non sunt. At si venientes in profundum malorum, contemnunt, si correpti reclamaverint; nihil honestum, nihil quietum, nihil insuper ordinatum responderint: sed tumidi, sed inflati, etiam in ipsum a quo corripiuntur, verbis indignationis insurrexerint; ita ut necesse sit relinquere eos sibi; desertum non dubites eos nominare. Væ illis, qui a Deo derelicti & hominibus, dimittuntur secundum desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis: addentes peccata peccatis, contemptum jungentes contemptui, contumelioſi, elati, detractores, Deo odibiles, *impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem Dominum nostrum Jesum Christum negantes. Hi sunt nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus fori maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

IV. Quot spinæ sunt in hoc deserto! Vide carnis concupiscentias, illecebras, & agnosce spinas acutas. Has sentiebat, qui dicebat: *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & non est sanitas in carne mea*. Pater Augustinus (*c*), sagittas vocat concupiscentias post peccatum. Et non solum caro, sed totus iste mundus sensibilis plenus est. Quid sunt divitiæ, nisi spinæ? Vide in Euangelio: *Spinæ suffocaverunt* semen. Glossat postea, divitias. Quid sunt pompæ, quid sunt sæculi curæ, quid sunt ambitiones, quid cupiditates nisi spinæ? Totus ergo mundus spinarum plenus est. P. Augustinus serm. 8. de Nativ. Joan. Bapt. (*d*): Vacua Dei timore pectora, & Spiritu sancto arentia, deserto squallentis eremi comparantur. Desertus enim erat totus hic mundus ante Christi adventum, & ab omni cultura Dei, fidei, & timoris alienus: peccatorum spinis obsitus squallebat, tamquam ager incultus, & nullum penitus fructum, nullam bonorum operum fœcunditatem attulerat. Non sentiunt spinas istas sæculi amatores, quoniam Deo & Spiritui mortui sunt. Job: *Esse sub sentibus, delicias computant*. Tu statue in corde tuo declinare vanitatem, sequi virtutem & veritatem; & videbis, quantum pungant, affligant animam spinæ istæ, dum invitus cogeris deserere plurima, quæ te vehementer cruciant in hoc deserto. Hoc ergo mirantur Angeli, quod de loco spinarum ascendat deliciis affluens; quod de loco sentium, non puncta descendat, non vulnerata labatur ad inferos; sed jucunda cœlos conscendat. Utique magnus fuit Abraham; sed vidit ipsum dives in inferno; prope erat, qui videri poterat. Magnus Jacob; sed quid ait? Descendam in infernum lugens. Magnus David: sed ait: *Dolores inferni circumdederunt me*. Omnes isti post mortem puncti spinarum aculeis, ad inferos cum mœrore descendebant ex hoc deserto

Mat. 15. *Ibid.* 23. *Ibidem.* *Gen.* 4. *Job* 14. *Prov.* 18. *Pſal.* 80. *Judæ.* *Pſal.* 37. *Lucæ* 8. *Job* 30. *Cant.* 8. *Lucæ* 26. *Gen.* 37. *Pſal.* 17.

(*a*) Ita apud Bartholomæum Urbinatem in Milleloquio Veritatis S. Augustini sub tit. *Desertum*.

(*b*) Usque ad ea: *malum desertum, horribile, & timendum*, ex S. P. Augustino hausta sunt in Psal. 62. v. 3. num. 8.

(*c*) In Psal. 37. num. 5. *Ipsam pœnam, ipsam vindictam, & forte dolores, quos hic necesse est pati & animi, & corporis, ipsas dicit sagittas*.

(*d*) Sermo est 196. in novissima edit. Append. tom. 5., primus in natali S. Joannis Bapt., olim de Sanctis 20., & post in Append. 76. Inde sumpta sunt verba num. 2. usque ad ea: *fœcunditatem attulerat*.

ſerto. Jure ergo mirandum eſt, quæ ſit iſta tam potens, tam ſublimis, quæ de deſerto aſcendit, de loco ſpinarum, & affluat deliciis. O Angeli! Sola hæc Virgo aculeos ſpinarum neſcivit; ſola, nec vulnerata, nec
Cant. 2. puncta eſt ſpinis. Quippe *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*, id eſt, animas ſanctas. Ecce, ſi totum cœlum revolvas, omnes dicunt, ſe ſenſiſſe has ſpinas. Hoc Petrus, hoc Paulus, hoc Iſaias, hoc de-
Lucæ 2. nique ipſe Joannes, qui in utero ſanctificatus eſt, fatetur. Audi Joannem Euangeliſtam & virginem: *Si dixerimus quoniam pec-*
1. Jo. 1. *catum non habemus, ipſi nos ſeducimus.*

V. Iſta tota pulchra, tota formoſa aſcendit, valde rutilans, ſine labe. Non fuit in deſerto, quæ ſemper fuit Spiritus ſancti habitaculum, & novem menſibus Verbum ute-
Lucæ 1. ro geſtavit. Semper Deo plena: nam, *Dominus tecum*, ait Angelus: antequam Deum conciperet. Soli pedes Virginis, non ſunt ſpinis perforati, quia a Domino ſolidis cal-
Cant. 7. ceis eſt calceata. Ideo, ait: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Obſecro: quid facit calceamentum ad ſemitarum pulchritudinem? Pes rectus rectam facit ſemitam. Calceamentum pulchrum, ſi pes non ſit rectus, non imprimit in ſemita ſua pulchritudinem. Sanctus Pater noſter
(a) Auguſtinus (*a*): Ad Deum, non itur pedibus, ſed affectibus: pedibus animæ, Deo ap-
Lucæ 18. propinquamus, non corporis. Phariſæus ille, pedibus corporis appropinquare volebat Deo; ſed longe erat a Deo. Pedes duo animæ: intellectus, & voluntas. Iſtis imus, dum contemplamur, dum amamus. Sed non eſt nativa pulchritudo in iſtis; non credas te rectis greſſibus ire ad Deum, niſi ſint caleati gratiis, & charitate. Charitas eſt, quæ rectificat greſſus ad Deum. *Pulchri ſunt greſſus tui, filia Principis, pulchri ſunt greſſus tui:* ſed noli te jactare de naturæ excellentia, noli gloriari de naturæ dignitate; ſed de gratiæ, ſed de muneris prærogativa, de calceamentis virtutum, & gratiarum, quibus Deus, tuos ipſe pedes calceavit, quibus eos munivit. Ibi pulchritudo greſſuum, inde ſplendor inceſſus tui. Natura quippe Evæ filia; dono vero, Dei Mater. Natura de limo formata; gratia ſuper cœlos elevata. O Maria ſi non præventa fuiſſes, filia iræ fuiſſes. Præventa es; & Mater es gratiæ. In te quippe opus Artificis materiam ſuperat. Materia terra eſt, opus vero Artificis, te Matrem Dei, & Spiritus ſancti habitaculum fecit. *Pulchri* ergo *ſunt greſſus tui*, ſed
Cant. 7. non in pedibus naturæ: ſed *in calceamentis* gratiæ. Sed, o Domine, benedictum nomen tuum in æternum. Tu feciſti deſertum noſtrum populoſum; de cœlis ad terram deſcendere, & nobiſcum habitare dignatus es. Tu ſpinas noſtri deſerti poſuiſti ſuper caput tuum, *Mat. 27.* ne pungerent pedes affectionum noſtrarum. Tu punctus es doloribus, ut nos affluéremus deliciis paradiſi.

VI. Sed & laqueos Domine diſſolviſti & rete rupiſti aucupis diaboli; & *laqueus con-* *1. Jo. 13.* *tritus eſt, & nos liberati ſumus.* *Pſ. 123.* O quot & quam execrabiles laqueos diabolus parat animabus! O quam in medio laqueorum poſiti ſumus! P. Auguſtinus (*b*) in Pſal. 141. In (*b*) via Chriſti hinc & hinc laquei. Laquei a dextris, laquei a ſiniſtris. Laquei a dextris, proſperitas ſæculi: laquei a ſiniſtris, adverſitas ſæculi. Laquei a dextris, promiſſiones: laquei a ſiniſtris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, a via noli recedere: nec promiſſio te capiat, nec terror elidat. Et lib. Soliloquior. cap. 16. (*c*) Ecce (*c*) filius ipſe Belial tetendit ante nos laqueos infinitos, & omnes vias noſtras implevit decipulis ad capiendas animas. Laqueos poſuit in divitiis, laqueos in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in ſomno & vigiliis, laqueos poſuit in verbo & in opere, & in omni via noſtra. Et cap. 17. Verſutus eſt, Domine, iſte hoſtis tortuoſus, nec facile deprehendi poſſunt circuitus viæ ejus, nec cognoſci ſpecies vultus ejus, niſi tu illumines. Nam, & nunc hic, & nunc illic; & nunc agnum, & nunc lupum; nunc tenebras, nunc lucem ſe oſtendit: & ſingulis quibuſcumque qualitatibus, locis & temporibus, ſecundum varias rerum mutationes, varias tendit & pedicas; ſagittas ſuas abſcondit in pharetra; laqueos etiam *Pſal. 10.* abſcondit ſub ſpecie ſanctitatis: non enim ſolum in carnis operibus, quæ de facili cognoſcuntur, & non tantum in ipſis vitiis, ſed in ipſis quoque ſpiritualibus exercitiis laqueos abſcondit ſubtiles, & ſub virtutum colore ipſa vitia induit, cum ſe transformat *2. Cor. 11.* in Angelum lucis. Hæc & multa alia contra nos nititur iſte Satan. Et ad hæc, quis idoneus, ut cognoſcat? Nam, dum anima unum evadit, aliud incurrit. Ecce vincis gulam, & de victoria ipſa, vana gloria inſurgit. Humilis fugis gloriam ſæculi, & de ipſa gloria, quam ſpernis, ſurgit vana gloria, quæ te opprimit. Veluti alter Eleazar *1. Mach.* ſub elephanto quem dum occidis, ſuccum- *6.* bis. Tu autem melius facies, ſi ipſam vanam glariam ſuo gladio interficias: veluti David Goliath. Quando ſcilicet, de hoc hu- *1. Reg.* miliaris, quod vane gloriaris. Plenus eſt *17.* ergo mundus laqueis; quoniam, ut ait Sapiens: Omnis creatura in odium creaturæ, *Sap. 14.* & in muſcipulam pedibus inſipientium. Sed

tu

(*a*) Vide Enarr. in Pſal. 119. num. 8., & Enarr. in Pſal. 94. num. 2., ubi hæc ad rem leguntur. *Pedes enim noſtri in hoc itinere affectus noſtri ſunt. Prout quiſque affectum habuerit. Prout quiſque amorem habuerit, ita accedit, vel recedit a Deo.*

(*b*) In Pſal. 141. num. 9.

(*c*) Extat in Append. tom. 6. in noviſſima edit. Quæ autem hic allegantur ex cap. 16., & 17. non eodem ordine, & verbis digeſta leguntur in fonte, uſque ad ea verba: *& ad hæc quis idoneus, ut cognoſcat?*

Pſ. 115. tu Domine dirupiſti vincula mea. Dæmonum inſidias patefeciſti, & per medios laqueos, & tempeſtuoſum mare, viam feciſti ſecuram pedibus noſtris. *Exod.* 14.

VII. In Canticis: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Imminens ſuper retia. *Surge, propera amica mea, & veni.* Paries corpus eſt. Labitur corpus in paſſione; ſed ſtat Verbum, quod non patitur. Corporis paries & maceria diſſolvitur, ſed Verbum ſtat immobile. Denique ait Pſalmiſta: Si non Moyſes ſtetiſſet in confractione coram eo. Quis Moyſes ſumptus de aquis, qui venit per aquam? Chriſtus verus Moyſes, venit non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Hic ſtetit in confractione. Quomodo ſtetit, ſi confractus eſt? Quia ſcilicet, paries labitur, paries concutitur: ſed in confractione parietis corporis, Verbum ſtetit. *Proſpiciens*, inquit, *per feneſtras*. Quid feneſtras, niſi ſenſus vocat? De quibus dicitur: *Aſcendit mors per feneſtras noſtras*. Proſpicit ergo per feneſtras, quoniam dolores, & pœnas, & tormenta, ſcientia noverat, qua creaverat. Si eſt, inquit, malum in civitate, quod ego non fecerim? Non utique malum culpæ, ſed pœnæ. Qui fecit pœnas, noverat in ſua ſapientia ſine pœna pœnas, ſine dolore dolores, ſed modo jam per feneſtras aſpicit: quia dolores & pœnas, quas ſua æterna ſapientia noverat, modo etiam experitur. Imminens ſuper retia. Quæ retia, niſi diaboli tendicula? Ecce rete fuit, quod ait: *Dic, ut lapides iſti panes fiant. Mitte te deorſum.* Sed imminet, dum ſuperat. Rete fuit, quod per ſervos ſuos ait: An licet tributum dare Cæſari? Nam, ait Euangeliſta, volentes eum capere in ſermone. Rete fuit illud de muliere adultera. Acceſſerunt, inquit, tentantes eum. Rete magnum fuit, quod dicunt; ſi Filius Dei es, deſcende de cruce, & credimus tibi. O perverſe dæmon! Hoc procuras per membra tua? O nequam! Quid facilius; clavum pellere de manibus, an dæmones de corporibus? Quid facilius; plagas de pedibus pellere, an ſupra aquas ſiccis pedibus ambulare? Quid facilius; vivum deſcendere de cruce, an quatriduanum Lazarum levare de ſepulchro? Fallacia eſt, rete eſt. Illa vidiſtis & non credidiſtis; quomodo credetis ſi hoc faciat? Rete eſt occultum: nam jam mortis pœnitet dæmonem. Redemptionem voluit impedire: pactum facit de fide; ſciens, quoniam eos Dominus ſæpius gentem incredulam nominaverat. Et, quoniam Dominum fidem illorum ſitire agnoſcebat, fidem pollicetur, ut redemptionem impediat. O ſtulti! Quid fides valebit, ſi non ſolvatur pretium? Non aperietur regnum credentibus; ſi prius clavis crucis non aperuerit per Chriſti mortem. Inſani! *Fruſtra jacitur rete, ante oculos pennatorum.* Imminet ſuper retia. Omnia retia dæmonum authoritate ſcripturæ ſuperavit. Phariſæorum calumnias ſua ſapientia diſſolvit, & pactum iniquitatis ſua fortitudine confregit. Imminet ergo ſuper retia. Quod ſequitur: *Surge, propera amica mea, & veni.* O Domine, quid hoc? Prius dixeras: Nolite ſuſcitare dilectam; ad quietem hortabaris: modo, ut ſurgat, ut properet, ut feſtinet, ut veniat, hortaris? Nimirum: quia jam fracta ſunt retia, diſſoluti ſunt laquei, plana eſt via ſalutis. *Surge*, ergo, *propera, veni* ſponſa, nam ſecurus eſt acceſſus. Hæc ſumpta ſunt ex Origene ſuper Cantica. Hoc autem, quod ait: *Innixa ſuper dilectum ſuum:* oſtendit ſecuritatem & tranquillitatem in Virgine. Nam non movebitur in æternum, quæ ſuper tam firmam petram innititur. P. Auguſtinus (*a*): Non, inquit, erunt volubiles cogitationes noſtræ. Quomodo hoc? Nonne multæ & variæ agnitiones ſuccedunt in Beatis & Angelis, & aliæ deſinunt, & aliæ incipiunt? S. Thomas (*b*) gloſſat de cogitatione in Verbo. Ibi enim ſtabilitas, ibi ſemper invariabilis cognitio, quia invariabile objectum, & potentia ſemper ei intenta, ut ait Bernardus (*c*) ſuper Cantica, ſermone trigeſimo primo. *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum.* Non eſt jam o Virgo unde timeas inſidias, Judæorum conſilium, populorum concitationem, militum catervam. Non, unde doleas vulnera, tormenta, mortem, unde ſanguinem Filii fundi aſpicias. Jam dolores, jam tormenta, jam triſtitiæ tranſierunt. *Confortavit Dominus ſeras portarum tuarum;* ut non intret ad cor tuum per portas ulla triſtitia: ſed læteris & glorieris, ſed omnibus deliciis æternaliter perfruaris in gloria; ad quam nos perducat &c.

Cant. 2. *Jer.* 9. *Amos* 3. *Mat.* 4. *Marc.*12. *Jo.* 8. *Mat.* 27. *Jo.* 11. *Pſ.* 105. *Exod.* 2. *Jo.* 5. *Cant.* 2. *Mat.* 17. *Marc.* 9. *Prov.* 1. *Cant.* 2. *Ibid.* 8. *Pſ.* 147.

IN

(*a*) De Trinit. lib. 15. cap. 16. *Fortaſſis etiam volubiles non erunt noſtræ cogitationes ab aliis in alia euntes, atque redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram uno ſimul conſpectu videbimus.* Mentem S. Patris in hoc teſtimonio explicat S. Bonaventura in 3. ſent. diſt. 14. art. 2. quæſt. 2. in reſp. ad 1.

(*b*) 1. part. quæſt. 58. art. 1.

(*c*) Serm. 31. in Cant. num. 1. *Cum igitur ipſe, qui ſic eſt, immo qui non ſic, aut ſic eſt, videtur ſicuti eſt; ſtat, ut dixi, illa viſio, quia nulla eam interpolat viciſſitudo.*

IN FESTO NATIVITATIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

CONCIO PRIMA.

DE QUINQUE LIBRIS: VITÆ, NATURÆ, SCRIPTURÆ, EXEMPLI, ET CONSCIENTIÆ.

Liber Generationis Jesu Christi, &c. Matt. 1. v. 1.

CONCIO CLIII.

I. QUINQUE librorum differentias legimus in sacra Scriptura. Scilicet librum vitæ, librum naturæ, librum scripturæ, librum exempli & ideæ, librum conscientiæ: quos qui habuerit in sua bibliotheca, & frequenter eos legerit, beatus proculdubio erit. Primus liber est liber vitæ, qui secundum P. Augustinum (*a*) est præscientia sive prædestinatio electorum, qua eliguntur ad vitam, quorum nomina scripta sunt indelebiliter in Dei notitia. Secundum illud Apostoli: *Cognovit Dominus qui sunt ejus*. Unde Cassiodorus (*b*) ait: Liber vitæ est notitia eorum, qui eliguntur ad vitam. Et hæc conscriptio, hæc electio dicitur liber vitæ. Liber, quia sunt in Dei memoria: vitæ, quia solum est eorum, qui ordinantur ad vitam. Et sic accipiendo, soli electi sunt scripti in hoc libro. Et sic accipit Apostolus, cum de quibusdam Sanctis ait: *Quorum nomina* scripta *sunt in libro vitæ*. Alio modo accipitur generalius: & sic liber Dei, sive liber vitæ, est Divina Sapientia, sive Verbum Dei, in quo sunt eminenter rationes ideales, sive ideæ omnium creaturarum: & in quo, sicut in speculo mundo, relucent omnium creaturarum formæ. Et hic dicitur liber vitæ: liber, quia in eo omnia videntur: vitæ, quia omnia vivunt in ipso, etiam quæ secundum se non habent vitam: ut lapis, argentum, & aurum. Secundum illud: *Quod factum est, in ipso vita erat*. Et ideo licet lapis non vivat in se, tamen idea lapidis in Verbo non solum viva, sed & vita est in Deo. Atque sicut res in Verbo perfectiores sunt quam in seipsis, sic & perfectius vivunt in Verbo, quam in se ipsis. Propter quod P. Augustinus (*c*) super Genesim ad literam, cognitionem Angelorum in Verbo vocat matutinam, & cognitionem Angelorum in proprio genere vocat vespertinam: quia prima notitia multo clarior, & perfectior, & lucidior est, quam secunda. Et sic accipitur liber vitæ in Psalmo: *In libro tuo omnes scribenter*. Non solum boni, sed & mali. Et in Apocalypsi quando dicitur, quod aperietur liber *qui est vitæ*, & judicabuntur mortui, non solum boni, sed & mali, secundum ea, quæ in illo scripta sunt. In hoc libro soli Angeli & Beati legunt, quisque pro suo ingenio & facultate, unde superiores illuminant inferiores. Felix schola tot & tantorum scholarium, sub uno Magistro, & in uno libro.

II. O quam innumeri, & quam subtiles & potentes intellectus! Et omnes legunt ab initio in hoc libro, & legent in æternum, & nunquam finietur liber: semper invenient quod discant in illo. In hoc libro leguntur secreta consilia Divinæ Sapientiæ, & profunda & altissima Dei judicia. Legitur abyssus illa profunda Divinæ providentiæ, & mirabilis ars, qua Deus mundum gubernat, & subtilissimæ rationes omnium quæ geruntur in mundo, quæ nobis sunt impenetrabiles, inscrutabiles; secundum illud Apostoli: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Et Dominus ad Job: *Nunquid nosti ordinem cœli, ut ponas rationem ejus in terra?* id est: nosti modum & artem divinæ providentiæ, ut possis ex ea dare rationem eorum, quæ fiunt in terra? In hoc quoque leguntur nomina prædestinatorum, & imperscrutabilis illa abyssus Divinæ prædestinationis. Felices illi qui in hoc libro scribi, non dico, meruerunt, sed acceperunt.

Philip.4. *Jo. 1.* *Pſ. 138.* *Apoc.20.* *Rom.11.* *Job 28.*

(*a*) De Civit. Dei lib. 20. cap. 15. *Et qui non sunt inventi*, inquit, *in libro vitæ scripti, missi sunt in stagnum ignis. Non Deum liber iste commemorat, ne oblivione fallatur: sed prædestinationem significat eorum, quibus æterna dabitur vita. Neque enim nescit eos Deus, & in hoc libro legit, ut sciat: sed potius ipsa ejus præscientia de illis, quæ falli non potest, liber est vitæ, in quo sunt scripti, idest ante prægogniti.*

(*b*) In Psal. 68. v. 29. *Verba talia per tropicam locutionem de Deo dici frequenti lectione notissimum est. Nam delere, & scribere, & librum habere, datum est homini causa memoriæ... Sed liber iste notitiæ, Domini est inviolabilis, firmaque sententia... Ibi enim quod scribitur deleri non potest, quia totum in prædestinatione solidatum, & nullus eventus mutare potevit, quod illa providentia superna decrevit.*

(*c*) Vide lib. 4. cap. 22.

perunt. Non enim ex meritis est illa prædestinationis conscriptio, sed ex pura gratia, & dono Dei, quæ prima, & maxima est omnium gratiarum. Non enim, quia Deus prævidit sanctitatem & meritum, ideo elegit, ut ipsa prævisio meritorum ratio sit prædestinationis & electionis; sed e contrario, quia Deus prædestinavit & elegit, ideo sancti erunt & boni, teste Apostolo ad Ephesios: *Ephes.* 1. *Qui elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati* coram eo. P. Augustinus (*a*): Non quia futuri eramus sancti, ideo elegit: sed quia elegit, ut essemus sancti. Electio causa est sanctitatis, non sanctitas electionis. Non in nobis, sed in Deo, non in merito, sed in gratia primum fundamentum & origo est nostræ salutis: quia *quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit*. Bernardus (*b*): Catena ista indissolubilis est: non valet eam infringere totus mundus, neque totus infernus; quia qui ab æterno scriptus est in libro vitæ, proculdubio non delebitur in æternum. Et quamvis Psalmus dicat: *Deleantur de libro viventium;* deletio ista intelligenda est secundum præsentem Dei justitiam, aut privative: sicut Deus dicitur odisse, quos non amat, excæcare, quos non illuminat, indurare, quos non emollit, sic quoque dicitur radere, quos non scripsit; unde quod sequitur expositio est, scilicet: *Et cum justis non scribantur*, id est, deleantur: privative, non positive, id est: non scribantur. Hæc prædestinatio rarissime revelatur, nescit homo an odio vel amore dignus sit: sed Apostolis fuit aperta. In hoc libro sicut diximus, nullus mortalium leget, aut rarissimus, sed soli Angeli. Legit ad modicum in eo Paulus in raptu, 2. *Cor.* 12. & descendit expavescens. *Audivi*, inquit, *arcana verba*, &c. Non sufficit intellectus, nec lingua ad explicandum ea. Legebat & in eo ad modicum in cœna ille Discipulus dilectus Domini, & ex illa lectione in illud *Jo.* 1. mirabile principium erupit: *In principio erat verbum*, &c. Liber iste primæ classis discipulorum est.

Rom. 8. *Psal.* 68.

III. Sed divina providentia parvulis suis providit de alio libro rudimenta continenti & elementa prima, in quo legerent, mundo scilicet isto sensibili, qui dicitur liber naturæ, in quo discerent literas utcumque conjungere & efferre, & ratiocinando, & syllogizando, ut parvuli ex istorum sensibilium cognitione ad sapientiam intelligibilium pervenirent. Sicut Apostolus ait: *Rom.* 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles*. Non sic a creatura cœli, quæ legit in libro Vitæ. Unde Bernardus (*c*) optime comparat mundum istum visibilem libro communi catenæ appenso, qui solet esse in claustris Ecclesiarum, ad hoc, ut omnes qui voluerint legant in eo: sic iste mundus omnibus gentibus, & nationibus, & populis objectus est ad legendum, ut legant in eo sapientiam, potentiam, bonitatem, magnitudinem, pulchritudinem, æternitatem, perfectionem Artificis, & ut Dominum agnoscant, & adorent: & hoc quamdiu duraverit hæc schola puerorum, de qua Paulus: *Cum eram parvulus, sapiebam ut parvulus*. 1. *Cor.* 13. Nam veniet tempus, quando cœlum plicabitur sicut liber, & nullus jam in eo leget. Non quod plicandi sunt cœli sicut liber, sed quia tunc nullus leget in eo libro. Ideo plicari dicitur: nam damnatis non dabitur locus, Beati vero assumentur ad librum majorem, scilicet Vitæ. *Et erunt* *Jo.* 6. *omnes docibiles Dei*. Unde Pater Augustinus (*d*): Non erunt tunc volubiles cogitationes nostræ, & quasi ex uno in aliud redeuntes, sed unico intuitu omnia videbimus, non jam Deum in creaturis, sed omnes creaturas in Verbo. Interim felix, qui istum libellum elementarium legere novit: non despiciamus eum: quia pulcher est, & magna sapientia lucet in eo. O quam mirus & quam pulcher! quos characteres habet! quam pulchros! Solem, lunam, stellas, cœlum, terram, maria, & differentias animalium, & avium, & arborum, & florum. Sed nos quasi parvuli attoniti admiramur pulchritudinem characterum, & nescimus legere neque intelligere: sicut parvuli, & sicut rustici, videntes descriptiones pulchras in Ecclesia. O si intelligeremus, o si legeremus, o si creaturas penetraremus, sicut justi & sancti; quem gustum, quam sapientiam intra corticem inveniremus! quam magna theologia & philosophia latet in his rebus, si eas intelligeremus! Unde Psalmus: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum* *Psal.* 18. *ejus annuntiat firmamentum*. Unde, sicut ajunt Bernardus, & Chrysostomus (*e*), mundus iste non solum in usum & in ministerium, sed & in doctrinam, & in magisterium datus est: nos autem usum quærimus, de magisterio non curamus. Quæso, quid nobis serviunt serpentes, dracones, aspides, crocodili, elephantes, leones, ursi, lupi, vulpes, ciconiæ, grues, vespæ, culices, formicæ, pullices, & similia: quæ tamen omnia propter hominem facta sunt? Non serviunt

(*a*) De Prædestin. Sanctorum cap. 18. *Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est: nempe manifestum est: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.*

(*b*) Vide Serm. 2. in Festo Ascens. num. 5., & Serm. 4. de Diversis num. 5.

(*c*) Serm. 9. de Divers. initio. *Et est velut communis quidam liber, & catena alligatus (ut assolet) sensibilis mundus iste, ut in eo sapientiam Dei legat quicumque voluerit.*

(*d*) Verba ipsa dedimus in notis ad Concionem 7. in Festo Assumptionis.

(*e*) Ille quidem loco paulo ante citato; hic vero Homil. 6. in Genesim, & Homil. 5. in Epist. ad Corinth. 1.

viunt ad usum, sed proficiunt ad magisterium. Unde Dominus: *Estote prudentes, sicut serpentes.* Et alibi: *Respicite volatilia cœli.* Et Salomon: *Vade ad formicam o piger.* Et Job: *Interroga jumenta, & docebunt te.* Non est minor fructus in illis, quam in aliis, quæ serviunt ad usum, si ea intelligeremus. Quid namque formica vilius? sed si attendas agmen formicarum, & videas illam rempublicam ordinatissimam formicarum & apum: quam diligenter colligant, quo zelo in communi, quomodo se juvant: magna philosophia reipublicæ & religionum in illis. Quid culice vilius, qui nos inquietat? sed si consideres illam mirabilem structuram, junctauramque pedum, totamque corpusculi compositionem, proboscidemque illam, ceu elephantis, hiantem & perforatam, & qui vix videtur habere oculos, & novit ambulare, volare, & custodire se: & qua aviditate deglutit sanguinem humanum, & quot in illo operationes & sensus, quos cœlum non habet, & prudentiam: & totum super debile fundamentum: si posueris digitum totus evanescit: quis non mirabitur sapientiam, & potentiam Artificis, qui super tam debili fundamento talem fabricam composuit?

Mat. 10. *Ibid.* 6. *Prov.* 6. *Job* 12.

IV. Magna itaque sapientia, & philosophia in his rebus latet, sed nescimus eam, neque intelligimus, quia non rerum visibilium significationes, & voces, ut rationales, sed solum usum, ut jumenta quærimus & attendimus. Unde miror: cur, cum tot libros philosophiæ Aristoteles, Plato, Theophrastus, Plinius, Dioscorides, Avicenna, Galenus de rerum proprietatibus, & virtutibus herbarum, lapidum, & plantarum scripserint: de hac vero philosophia tam modicum scriptum sit. Vix invenimus, qui hoc munus objerit in scribendo, ut doceret nos legere hunc libellum. In Job ultimis capitulis, ad Job de hac mystica philosophia Deus mirabiliter loquitur de rhinocerote, de equo, de gallo, de accipitre, de aquila, de behemoth, quasi nobis aperiens modum ad philosophandum de rebus: sed hoc longum esset modo prosequi, opus hoc non sermonum, sed longioris voluminis est, ideo transeo. Audiamus nunc de his libris Psalmistam mirabiliter personantem: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum*, id est, Deus Angelo. Ecce primum librum, & primam scholam. *Et nox*, id est, creatura sensibilis, nocti, id est, homini mortali, *indicat scientiam;* Ecce secundum librum & secundam scholam. De hac prosequitur: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Omnibus loquuntur, omnibus proponuntur gentibus & nationibus, ita ut sint inexcusabiles. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, imaginem suam, est enim sol quasi Dei simulacrum quoddam depictum: nam quod est sol corporibus, est Deus ipsi soli & rebus omnibus. Unus est, omnia vivificat, omnia generat, omnia sustentat, omnia penetrat lux ejus & virtus. *A summo cœlo* usque ad infimum accedente sole, omnia generantur, recedente, omnia corrumpuntur: *Nec est qui se abscondat a calore ejus.* Hujusmodi est Deus. Sed & incarnationis mysterium in ejus cursu depictum est: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo exultavit: a summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.* Quid similius Verbo incarnato egresso de Virgine? *Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Fecit circulum suum, & complevit triginta tribus annis, operando salutem in medio terræ. De quo Psalmus: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Quam bene, quam luculenter locutus est Psalmista de hac schola.

Pſal. 18. *Jo.* 16. *Pſal.* 73. *Pſal.* 64.

V. Vide nunc tertium librum, & tertiam scholam. *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Hic est liber Scripturæ; non enim sufficiebat homini ad vitam notitia naturalis: opus erat sapientia revelata. Nam sicut Apostolus ait: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis*, scilicet creaturis, sapientia, magnitudo, bonitas, æternitas. Sed non sic Incarnatio, non Redemptio, non misericordia, non justitia, non bonorum remuneratio, non malorum punitio, non judicium, non denique via virtutum, fides, spes, charitas, patientia, &c. quæ necessarium est nosse viatori. Deus ergo ex pietate, videns quia non sufficeret ille libellus, addidit revelationem, ut esset magister qui fuerat creator; & voluit scribi ad mundi eruditionem, dilatans & explicans scientiam illam naturalem per legem scriptam. Unde Jacob: *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Nam quod creando inseruerat naturæ, hoc docendo magis explicite tradidit: quod per creaturas ingerit, hoc ipsum loquitur per scripturas. O quantum debitum, o quam mira sapientia, o quanta in veneratione habenda! Non ex pectore Socratis, vel Platonis, sed ex illo fonte perenni, ex illaque abysso Divinæ sapientiæ prodiit. Unde qualis sit hæc sapientia attende: *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, &c.* Nolo immorari singula explicando: sequitur: *desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Alibi: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: Lætabor ego super eloquia tua; Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.* Mundanus & *animalis homo, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Ideo non gustat, & quærit libros philosophorum: verba autem libri hujus omni odio habet,

Pſal. 18. *Pſal.* 18. *Pſ.* 118. *Jacob* 1. *1. Cor.* 2.

bet, quod est signum reprobationis in Euangelio. Si ex Deo effetis, agnosceretis loquelam meam, quia ego ex Deo exivi: *Vos ex patre diabolo estis*, non potestis audire sermonem meum. De hoc libro figura in Ezechiele est, & Apocalypsi de libro scripto intus & foris, dulci in ore & in utero amaro, in quo scriptæ erant *lamentationes*, & *carmen*, & *væ*. Clausus erat liber, & apertus est: *Beatus quem tu erudieris*. Dominus dedit illis sensum, ut intelligerent scripturas. *Devora*, & prædica. Quia qui non optime callet scripturas, non debet assumere officium prædicandi. Liber iste est sacra Scriptura, scriptus intus propter mysticos sensus, foris propter literalem. In literali, sensus alii latent: quod non est in aliis libris. In ore dulcissimus, propter agnitionem Dei bonitatis, & misericordiæ (est namque sapientia juxta nomen ejus sapidissima) & in utero amarus, quia *qui addit scientiam, addit & laborem*. Lætatur videns Dei clementiam, sed amaritudo grandis, videndo ingratitudinem contemptorum, mendacium, vilipendium filiorum hominum. Non est qui gratificet, amet, gratias agat pro tantis donis, & recognoscat: suscipimus dona Dei, oblatrantes, & blasphemantes dantem Dominum. In isto libro scriptæ sunt *lamentationes*, pœnitentia: *carmen*, gaudium Beatorum: *væ*, damnatio malorum: luctus, cantus & planctus. Tota fere sacra Scriptura ad hunc finem tendit: & ad hoc, prætendit movere peccatores, & ad pœnitentiam: & ad hoc, proponit hominibus gaudia cœli, & tormenta inferni. Hoc etiam nos in omnibus concionibus facere debemus, hæc utilissima scientia: excitare peccatores, clamare, ostendere brevitatem vitæ, & finem ejus, ut homines resipiscant ab hac cupiditate sæculi, & phreneſi qua retinentur, & videant, & provideant futura. *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent*.

VI. Sed, o magna Dei clementia, o mira Dei providentia! Agnovit Dominus rusticitatem, & habetudinem nostram, & ruditatem, & quod non possumus neque ejus dicta intelligere, & sapientiam revelatam capere, quia parvuli sumus: unde motus pietate, quæcunque docuerat in libro naturæ, & in libro scripturæ theorice, practice nobis descripsit in alio libro exemplari, & ostensivo, & ideali: more eorum, qui cum exprimunt aliquam formam domus, ut intelligantur, describunt, & formant eam in pergamena charta: & sic geometræ circino depingunt in charta quod docent, ut videatur oculis quod aures non capiunt. Hic liber est Verbum incarnatum, in quo nobis depicta est omnis vita spiritualis & Christiana, quæ in Euangelio & aliis libris traditur, ut in eo legamus charitatem, pœnitentiam, humilitatem, mansuetudinem, castitatem, contemptum mundi, & cæteras virtutes. Hic est liber justorum, hunc respiciunt, hoc enchiridion semper in manibus & præ oculis habent. De quo Job: *Quis mihi tribuat auditorem, & librum scribat, ipse qui judicat?* id est, in se ipso judex scientiam vitæ, quam jubet, scribat. *Per singulos gradus meos pronunciabo illum*. Sive negotians, sive comedens, sive ambulans, sive quodcumque opus exercens: semper præ oculis habebo exemplar istud. *Et quasi principi offeram eum*. Erit mihi liber ad legendum, & sacrificium ad offerendum. Scriba hujus libri, Deus; calamus, Spiritus sanctus; uterus virginalis, pergamena charta; atramentum, sanguis purissimus ejus. In ejus utero scriptus, compaginatus, compositus est hic liber: ex illius sanguinibus formatus est ille sacratissimus character Verbi Divini. De hoc Psalmus: *Eructavit cor meum verbum bonum*, sed Angelis: & placuit scribere illud pro mortalibus, ut in uno eodemque libro Angelus & homo legerent. Sic solemus nos conceptus nostros invisibiles ad memoriam & ad eruditionem aliorum, literis formare, & in literis effigiare, & quasi in vasculis reponere servandos.

VII. Sed quomodo scriptus sit, attende: *Lingua mea calamus scribæ* facta est *velociter scribentis*. Quæ est ista lingua? Attende: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus* sanctus *qui loquitur in vobis*. Et in symbolo: *Et in Spiritum sanctum Dominum, qui locutus est per Prophetas*. Hæc lingua factus est calamus, effigians & formans in utero Virginis. *Spiritus sanctus superveniet in te. Velociter scribentis*, & quam velociter scribentis, quam velociter! In uno instanti formatum est corpus, & organizatum, animatum, plenum gratia & sapientia, & gloria, sicut modo in cœlo. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. O præclaram scripturam, o pulcherrimum characterem, in quo tale latet Verbum æternum! O scriptum egregium, quod modo omnibus mortalibus proponitur ad legendum: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ* Dei *absconditi*! Hæc scriptura tam pulchra, quæ & qualis sit sequitur: *Speciosus forma, diffusa est gratia*, &c. Hæc, inquam, scriptura tam pulchra, in quo libro, in qua papyro scripta est? Utique in pergameno Virgineo purissimo, sine nota & nevo peccati. Unde bene & apte in themate dici potest: *Liber generationis Jesu Christi*. Optima comparatio. Duas optimas comparationes legis de Virgine in Scriptura: unam qua comparatur velleri; Psalmus: *Descendet sicut pluvia in vellus*. Quam exponit Hieronymus (*a*): Quoniam vellus de carne ortum, non habet vitia

Jo. 8. Ibid. 16. Ibid. 8. Ezech. 2. Apoc. 10. Ezech. 2. Psal. 93. Lucæ 24. Eccle. 1. Deut. 32. Job 31. Psal. 44. Mat. 10. Lucæ 1. Coloss. 2. Psal. 44. Psal. 71. Judic. 6.

(*a*) Seu Auctor Sermonis de Assumptione Virginis tom. 5. operum S. Hieron. in edit. P. Martianæi. Vide ibi pag. 85.

tia carnis. Et sic Virgo, licet carnea sit, sic tamen carnea quasi argentea, sine omni macula & concupiscentia. In hoc vellere silenter se infudit ros ille Dei, id est, Verbum æternum, *dum* medium *silentium contineret omnia*. Eam totam perfudit Spiritus sanctus. Purpura excellenti tinxit, ut ex illa fieret purpura Regis caro illa Christi sacratissima. Bona comparatio, sed non inferior ista, qua comparatur pergamenæ chartæ purissimæ: in qua, & de qua scriptum est Verbum æternum. Unde de illa exponi potest figura illa de tiara Pontificis, quæ super omnia ornamenta ponebatur in fronte Pontificis ex auro purissimo: in qua sculptum erat, Sanctum Domini. Hæc Virgo tota aurea, tota divina, super omnia vestimenta super duodecim lapides, super tunicam talarem, & rationale, & humerale in fronte Pontificis, super omnes Apostolos, Martyres, Doctores, Patriarchas, Prophetas, per vestes illas designatos locatur. Sicut ipsa ait: Ego *in omni populo, & in omni gente primatum habui*. In quo opere celario Spiritus sancti, *Sanctum* illud *Domini* sculptum est, de quo Angelus: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Ac propterea merito omnibus Sanctis præponitur. O mirabilis Femina, in cujus utero formatum est Verbum, quod sine tempore æternaliter in sinu Patris tenebatur occultum! Hujus Virginis diem natalem colimus. O cum quanto gaudio & reverentia tantæ Reginæ natalitium diem celebrare debemus, per quam omnes renati sumus ad æternam felicitatem! De hoc libro satis.

Sap. 18.
*Exod.*28.
*Eccli.*24.
*Exod.*28.
Mat. 1.

VIII. Restat nunc quintus liber, scilicet conscientiæ, de quo in Apocalypsi dicitur: Aperientur libri; & aperietur liber qui est vitæ, & judicabuntur mortui. Hic liber rationum est: ideo ex libro Domini, & illo judicabimur. In hoc libro omnia quæ gessimus: & cogitationes, & desideria, & verba, & opera scripta apparebunt. Sunt modo quasi obliterata: attamen tunc apparebunt. Sicut in papyro scripta, quibusdam succis malorum medicorum, non apparent characteres literarum, sed ad ignem positi, tota apparet scriptura: sic in illo igne omnia monstrabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium, quæ modo obliterata sunt. Unde Bernardus (*a*) loquens de conscientia, ait: Membrana subtilis est, & atramento imbibita radi non potest, quicquid in ea scriptum est, etsi non appareat modo scriptura illa. O cum quanta circumspectione debemus videre quid cogitamus, quid volumus, quid concupiscimus, quid scribimus! scientes, quia non prætereunt non obliterantur. Daniel: *Judicium sedit, & libri aperti sunt*. Væ illis qui cum turpibus illis formis, & simulacris, & lituris apparebunt coram tanta multitudine! O quomodo confundentur! Curemus itaque bonam habere scripturam conscientiæ, ut cum apparuerit liber vitæ, ex hac schola puerorum transferri mereamur ad scholam Angelorum, & cum illis legere Dei sapientiam in gloria: ad quam nos perducat Jesus Christus. Amen.

*Apoc.*20.
1.Cor. 4.
Dan. 7.

IN FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS MARIÆ

CONCIO SECUNDA.

AD MONIALES VIRGINES.
DE GENEALOGIA CHRISTI DOMINI.

De qua natus est Jesus. Mat. 1. v. 1.

CONCIO CLIV.

I. SOlent regii historici in suis chronicis ante omnia Principis describere genus, progenitorum antiquitatem, nobilitatem, potentiam. Et non abs re: videtur enim communiter nonnihil facere ad Principis gloriam, antiqua parentum nobilitas: quasi jam nihil fœdum aut turpe sperandum sit ab eo, cui ab antiquo tam nativa, & tam ingenita nobilitas est. Hoc nunc facit Euangelista Matthæus: scripturus namque Regis Regum Jesu Christi historiam, mores, actus, & opera, a progenitorum illius nobilitate & antiquitate sumpsit exordium, dicens: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham, &c.* Ut videlicet ex hoc appareat, quam nobilis secundum carnem extiterit; qui secundum Divinitatem suum genus ducit ex Deo. Neque mirandum hoc in Euangelista: cum per omnes canonicas historias tam sedulo id agatur. Fuit enim hoc maximæ curæ Spiritui sancto in Scripturis sacris, ab initio sæculi futuri Messiæ genus describere, lineamque generationis ejus usque ad ipsum non interruptam protrahere, omnibus aliis lineis intactis penitus, aut relictis. Itaque in Genesis libro ab Adam usque ad Noe, & rursus a Noe, usque ad Abraham, Isaac, & Jacob lineam protrahit. In libro Exodi, & aliis quatuor legalibus, in Josue, Judicum, & Ruth usque ad David. In libris Regum, & Paralipomenon, a David usque ad transmigrationem Babylonis generationem ducit, quam ad modicum prosequutus est Esdras scriba. A transmigrationis autem loco usque ad Christum per quater centum circiter annos Christi genealogia in libro alio canonico non reperitur, præterquam in Matthæo, qui Spiritu sancto afflatus eam ex Hebræorum annalibus verissime collegit.

Mat. 1.
Gen. 5.
*Ibid.*10.
*Ibid.*11.
*Ibid.*21.
*Ibid.*25.
Exod. 1.

II.

(*a*) Serm. in nativ. S. Joann. Bapt. num. 11. *Peccavi peccatum grande, quod sanguine vitulorum, vel hircorum deleri non potest, quia non holocaustis delectatur Altissimus. Memoria mea infecta est fœce hujus amurcæ; non est novacula, quæ membranam hanc radere possit, quia tota totam imbibit fœcem, &c.*

II. Unde, obsecro, tanta solicitudo, aut quænam tanta cura sacris Scriptoribus utriusque Testamenti, de Christi genere memorando enarrandoque? Nunquid Christus parentum gloria illustratur? aut putandum est, humano sensu scriptores istos a nobilitate generis & antiquitate, Christum illustrare voluisse? Sed contradicit ipsemet in Euan-
Jo. 5. gelio, cum ait: *Ego claritatem ab hominibus non accipio*. Non accipio, inquam, sed
Ibid. 7. præsto. *Clarifica me Pater apud temetipsum:* nam apud homines non curo: *claritate quam habui, prius quam mundus fieret:* nam mundialis claritas me non tangit. A te, inquam, solo clarificari me confiteor: in hominibus autem, aut de hominibus non glorior. Non enim mihi ex hoc gloria, quod Filius sum David, sed e converso ipsi David gloria, quod ex ipso sum ego. Si de genere gloriari libeat, Filius Dei sum: merito possum gloriari, Filius Dei sum. Nunquid
Apoc. 22. in hominibus gloriabor? *Ego*, inquit, *sum radix, & genus David*. A me, non ab ipso, genus denominatur, illustratur, nobilitaturque. Non enim in hac genealogia sicut in cæteris, a parentibus gloria descendit, sed ascendit: progenitores illustrantur a filio non e contra. Universa generis nobilitas & gloria hæc est, quod ex illo Christus originem ducit, & Filius Dei carnem assumpsit. Quantum in hoc gloriatus est
Gen. 12. Abraham, qui omnium laborum suorum, & asperrimæ peregrinationis, & exilii sui hanc unicam repromissionem in præmium primus gratanter accepit: abundantem existimans sibi a Deo laborum suorum retributionem, quod ex ipso Christus nasceretur, & in semine suo omnes gentes benedictionem acciperent. Quid dicam de ipso David? quam gloriabundus in Psalmo per-
Ps. 131. sonat, dicens: *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* plus in genere isto, quam in regni diademate glorians. Atque ut firmum sit promissum; Deum obtestans & deprecans ait: *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui*. Ac si diceret: Non, obsecro piissime Deus, non evacuent peccata David promissionem tuam, quam pollicitus es illi; sed sicut illi jurasti, ita adimpleas in veritate tua. Hoc est quod Dominus com-
Mat. 22. monere voluit legisperitos, quando eos de genere Christi requirens, ait: *Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt*
Ps. 109. *ei, David*. Et ille: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, si filius ejus est?* Ac si diceret: O cæci agnoscite, quia & Filius, tamen Dominus est, & non Christi gloria in David, sed e converso David gloria in Christo est. Ab ultimo igitur non a primo, in hac genealogia nobilitas ducitur. Non ergo hac ratione genealogia connectitur, ut ex progenitoribus Christus illustretur. Nam & apud sæculares, si quis Rex a communibus parentibus in regnum conscendit, non Rex de genere, sed totum genus de Rege gloriatur; ita omnino in hac Christi genealogia existimandum esse censuerim.

III. Est etiam aliud, propter quod non vulgari sensu, generis ista descriptio æstimanda est: quod in omnibus de quibus gentes gloriantur, nihil inanius, nihil futilius quam genus. Quænam, obsecro, in parentibus gloria, aut in quo generis ista gloriatio fundamentum solidum habere poterit? Quod si fundamento caret, inanis utique est. Quæramus ergo ista radicitus, & æquo animo ferte me altius hæc repetentem. Si enim in hominibus esset sicut in aliis naturis, verbi gratia, in plantis, in animalibus, in arbustis, in quibus ejusdem generis grandis varietas, & nimia multiplicitas est, ut in pomis, in pyris, in persicis: nam etsi omnia poma sunt, est tamen unum pomorum genus alio præstantius, odore, decore, sapore, naturalique valore. Similiter in animalibus, ut in equis, leonibus, & canibus, grandis est a natura varietas: quosdam enim equos militares, alios cursores, alios onerarios natura produxit. Et canum tam nota est omnibus varietas, ut probatione non indigeat. Poterit igitur equus ad sui generis equum comparatus, leo ad leonem, canis ad canem, merito gloriari, illique præferri, quoniam habet a natura unde glorietur & præstet. Sed homo ad hominem comparatus, ex stirpe quomodo glariabitur? Aut quænam est ista generis tam inanis ambitio? Est enim humana natura una & simplex, in omnibus æqualis, nullam habens in se generis neque perfectionis varietatem. Neque enim distantes nos natura produxit, sed ingenium, doctrina, mores, dignitas, gradus diversos in eodem hominum genere facit: vanitas autem fecit, in simpliciissima hominum natura, generum varietatem. Dic mihi, obsecro, quid habent isti præ aliis? aut in quo isti præstant aliis? Non ægrotant, non famescunt, non sitiunt, non frigent, non occumbunt sicut alii? non patiuntur quæ alii, non deficiunt, & lassantur sicut alii? Nunquid sunt hi alterius modi, aut sortis quam alii homines? At robustiores, grandiores, pulchriores, saniores, acutiores sunt, inquis; neque hoc ita est: videmus enim in his, vulgares homines sæpius nobiles anteire. Neque, si ita esset, adhuc generis esset ista diversitas, sed conditionis: accidentia enim sunt hæc, non proprietates. Nunquid non ex iisdem parentibus videmus filios prodire, corpore, & specie dissimiles, viribus & ingenio distantes? Et tamen non potest esse generis diversitas, ubi iidem parentes sunt. Quid? si in corporibus humanis esset tanta varietas, quanta est in canibus, adhuc homini non esset inde gloriandum: cum ejus potissima portio animus sit: animarum autem omnium unus est plasmator Deus.

IV. Unde igitur intumeſcis homo, unde gloriaris? Idcirco enim, ut exiſtimo, Deus hominum naturam unam, imo uniformiſſimam fecit; neque in hominibus, ut in Angelis, varias ſpecies multiplicavit: ut non haberet homo unde a natura ſuper hominem ſuperbiret: prænoſcens hominum arrogantiam & ſuperbiam. Bone Deus! Quis ſuſtineret hominum ambitionem, ſi in eorum natura hujuſmodi reperiretur diverſitas? Ecce modo cum æquales nos natura produxerit, homo hominem, non quaſi hominem, ſed quaſi pecudem reputat, atque peſſumdat: quid tunc facturum exiſtimas? Profecto & colloqui inferioribus illuſtriores deſpicerent, nec eorum conſortio dignarentur. Atque ut magis, atque magis concordiæ & pacis Deus homines admoneret, non ſolum eos natura pares condidit, ſed etiam ab uno homine omnes, velut ab uno trunco traduxit & propagavit, & ab uno utero derivavit: ut dum ſe germanos eſſe conſpiciunt, & ſe charius amplectantur, & ſe mutuo non contemnant. Oſtendam tibi, o homo, genus, de quo merito glorieris. Non utique in carne & ſanguine: 1.Cor.15. quoniam *caro & ſanguis*, & qui in eis gloriantur, *regnum Dei poſſidere non poſſunt*: *Jo.* 1. ſed gloriare, quia poteſtatem dedit tibi Deus filium Dei fieri, ſi credideris in nomine ejus: *Act.* 17. *ipſius enim genus ſumus*, ſicut ait Apoſtolus. Attendite de hoc Joannem in Epiſtola gloriantem: 1. *Jo.* 3. *Videte, fratres, qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur & ſimus*. Magnam utique Dei charitatem, grandem quoque hominis ſublimitatem habet. Hæc gloriatio vera, quæ ſecundum ſpiritum *Iſaiæ* 40. eſt. Nam: *Omnis caro fœnum*. Unde, ſi hujus, de qua prædiximus, generis gloriatio in ſæcularibus deriſibilis eſt: quid in vobis, Virgines Deo dicatæ, dicendum eſt; quæ carnem *Galat.*6. veſtram cum Chriſto crucifixiſtis, & veterem *Coloſſ.*3. hominem cum actibus ſuis, ut Chriſtum indueremini, ſpoliaſtis? Sponſæ Chriſti eſtis, quid in hominibus gloriamini? Filiæ Dei eſtis, nolite in carnis parentibus gloriari. In hoc vos ad invicem zelate: quænam huic Sponſo charior, quænam familiarior, quænam gratior exiſtat: quæ humilior, quæ obedientior illi ſit, cui magis ſecreta committat, cui loquatur amplius, & familiarius revelet myſteria. Pro 1.Cor.12. hujuſmodi igitur, ſi vultis, gloriemini, pro vobis autem nihil. Sicut per Apoſtolum ſcri- *Ibid.*10. ptum eſt: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Sed jam ad propoſitum redeamus.

V. Oſtendimus, ni fallor, ſatis aperte, non vulgari ſenſu, in principio Euangelii Salvatoris genealogiam recitari, atque in libris ſacris deſcribi, quaſi more ſæcularium Chriſtus in progenitoribus illuſtretur: hoc enim ipſa literæ ſeries oſtendit. Cum enim in hoc genere Salvatoris tot illuſtres matronæ, & ſanctiſſimæ feminæ extiterint, Euangeliſta ſolas eas commemorat, ut Hieronymus (*a*) inquit, quas Scriptura reprehendit, quas conſulto præterire debuerat, ſi de hac generis nobilitate curam habuiſſet: nihil enim ita genus obſcurat, ſicut infamis femina. Altiori ergo conſiglio id fieri putandum eſt, propter tria. Scilicet, propter veritatem Dei, propter fidem noſtram, propter Virginis gloriam. Propter veritatem Dei: ut appareat Deum impleſſe pro- *Rom.*15. miſſum, ſicut juravit patribus, ex ſemine illorum deſcendere Chriſtum. Quam fidem Virgo magnificat in Cantico, dicens: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſe-* *Lucæ* 1. *ricordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham & ſemini ejus in ſæcula.* Propter fidem noſtram: ut conſtet Jeſum, quem nos Meſſiam profitemur, ex Abraham & David ſemine generatum, ſicut in Prophetis olim fuerat prophetatum, ut non inſultet nobis Judæus, & opponat, ut olim; quod a Galilæa Propheta non ſurrexit: & *Jo.* 7. ſicut Nathanael doctus in lege pronuntiavit, antequam veritatem agnoſceret: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Poteſt utique: *Ibid.* 1. *Veni & vide*. Veni Nathanael, lege Matthæi Euangelium: & vide quia non a Nazareth, ſed a Bethlehem oriundus Chriſtus, quem dicimus, ex Patriarcharum ſemine duxit originem. Lege genealogiam, & intelliges prophetiam. Tertio, propter Virginem, quam pius Filius non ſolum apud Angelos, ſed etiam apud homines voluit eſſe illuſtrem. Ideoque licet pauperem & humilem Matrem elegerit Deus, ſed tamen genere illuſtriſſimam, nobiliſſimam, generoſiſſimamque multo amplius ſecundum carnem, quam ſit modo quæcumque illuſtris femina. Namque ab antiquo, multis ſæculis, longa progenie, a Patriarchis, & Regibus, & Sacerdotibus originem traxit. Recenſe nunc in toto orbe, quænam ſit, quæ tot Regibus, & Principibus polleat in origine. Nobiliſſima igitur fuit Virgo Maria ſecundum progeniem, & illuſtriſſima: qualem decuit eſſe Matrem Dei futuram. Neque enim decuit ruſticam eſſe, aut vulgarem: ne aliqua obſcuritatis & ignobilitatis nota redundaret in Filium. Nam etſi in hominibus non ſit illa generum varietas, quam excluſimus: nonnihil tamen a bonis parentibus, filii per generationem accipiunt. A bonis enim parentibus bonos naſci filios, id eſt, bene inclinatos, ut in pluribus videmus. Nam ſicut colorem, & figuram, & habitus, & motus, ægritudineſque varias, filii ex parentibus per generationem mutuantur: ita etiam mores, inclinationes, paſſioneſque animæ ab eiſdem traducunt. Ab iracundis enim parentibus, iracundos filios, & ex mitibus mites, & ex ingenioſis ingenioſos, & ex ruſticis ruſticos, ut plurimum naſci videmus.

Ita-

(*a*) In Matthæi cap. 1. *Notandum in genealogia Salvatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas, quas Scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret.*

Itaque si homini gloriandum est: non in progenitorum potentia, vel statu, sed in eorum virtute & probitate potius gloriandum: quorum oppositum in sæculo videmus. Decuit itaque eum, qui Rex & Sacerdos futurus erat in populo Dei, ex Regibus, & Sacerdotibus originem ducere: ut etiam secundum carnem, regnum & sacerdotium non usurpatum videretur, sed ei jure optimo convenire. Neque te moveat, quia non ad Virginem, sed ad Joseph genealogia deducta sit: servatus est enim Scripturarum mos ab Euangelista, in quibus non per feminas, sed per viros genealogia deducitur: & quia cognati erant Virgo & Joseph, deducto genere ad Joseph, deducitur ad Virginem. Hæc autem cognatio illo tempore nota erat omnibus, qui apud Judæam fidem Christi susceperunt: ideo eam Euangelista conticuit. Sed, ut inquit Eusebius (*a*) in Ecclesiastica historia: ab ipsis qui de Domini stirpe erant, quos tunc Dominicos appellabant satis aperte omnibus denuntiabatur: quam Damascenus (*b*) in quarto libro breviter percurrit.

VI. Ad vos, o Virgines, nunc nostra convertatur oratio. Vos, inquam, obsecro & obtestor, imitamini virgines Virginem: nobiles nobilem: imitamini, inquam, vestræ professionis unicam fundatricem. Hujus enim vitæ & professionis, quam tenetis, institutrix & fundatrix ipsa est. Hæc enim prima docuit inter homines cœlibatum, hæc vitam angelicam in carne adinvenit: hujus exemplo tam numerosa virginum multitudo candidata resplendet. *Exod.* 23. Ante hanc in lege virginitas perpetua probro dabatur: lex enim sterilem maledicit. *Judic.* 11. Unde & filia Jephte virginitatem suam ante mortem longe deflevit, lamentata est virginitatem suam moritura, id est, quia virgo & sine fructu moreretur. O Virgo beatissima, talia exempla tibi lex antiqua præbuerat? Unde didicisti, ubi legisti, virginalem Deo esse placitam puritatem, ut prima omnium, voto tuam Deo sacraveris pudicitiam? Neque solummodo sine exemplo virginitatem elegisti, sed etiam eam voto firmasti: & ita firmasti, ut non prius *Luc.* 1. Angelo conceptum Altissimi nuntianti assensum præbueris, quam de servanda virginitate ab illo rationem acceperis. Hoc autem vestrum sacrum collegium præ omnibus in Hispania hanc sacram Virginem æmulatur: quippe quia non solum virgines ut aliæ, sed etiam omnes nobiles estis, quemadmodum ipsa nobilissima Virgo fuit. Si ergo virginitatem sequimini, imitamini quoque humilitatem. Nulla in vobis nobilior, nulla illustrior genere est hac Virgine, & tamen quantæ humilitatis fuerit, attendite. Ecce Virgo Regia, Domina mundi, Mater Dei non dedignatur Sancto Fabro servire, parare cibum & mensam, & quasi viro in omnibus obedire, qui tamen in virginali matrimonio maritus erat: non igitur vos dedignemini alterutrum servire. Quæ nobilior in vobis est, ipsa sit humilior, nobilitatemque suam humilitate demonstret. Nulla enim major nobilitas est quam servire Christo. Si igitur præ cæteris ei similiores estis: ergo præ cæteris vos exhibete alacriores. Hujus enim Virginis hodie natalitia celebramus, illius natalitio debitum honorem rependimus. Hodie enim velut placidus lucifer in medio caliginis, tenebrosa nocte, repente mundo apparuit. Lætantur Angeli, festivumque Virgini carmen exolvunt; tripudiant, quia salus mundi jam instat, jamque nascentia primordia vident, quibus instauranda civitas sua est.

VII. O quanta lætitia, quale gaudium in cœlestibus agitur! Virga enim illa de radice Jesse, in Sanctis Patribus tam longe prius seminata, hodie pullulat exoriturque, de qua Flos nasciturus, quo medicandus est orbis; Flos cujus odore reviviscunt mortui, cujus sapore curantur ægroti, cujus decore lætantur Angeli; Flos candidus & rubicundus, *in quem desiderant Angeli prospicere*. *1. Petr.* 1. Lætare, o pater Adam, sed magis tu Eva mater exulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores, & quod infelicius est, prius peremptores, quam progenitores. Ambo igitur consolamini super filia, & tali filia. Quid dicebas o Adam? *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi*. *Gen.* 3. Ecce redditur tibi hodie femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba: quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. O admirandam & omni honore dignissimam Virginem, o feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem! ut Bernardus ait (*c*). Hujus igitur sacræ fobolis pedibus provoluti, ovantibus animis preces fundamus, cordisque tripudio jubilemus. Sub ejus nos protectione subdamus, viva voce clamantes: *Eja ergo Advocata nostra*, Domina nostra, lætitia nostra: *Eja ergo, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*. Ipsum inquirimus, ipsum anhelamus, ad ipsum properamus, illum toto cordis ardore concupiscimus. Tu Virgo nos dirige, tu nos ad ipsum deducito, tu, quo regnat, nos perducito: tu ipsum nobis ostende gloria & honore coronatum, Angelis stipatum, in dextera Patris altissimo throno sedentem, cum ipso regnantem, totumque orbem cum ipso moderantem. Sed ad Euangelicam historiam revertamur.

(*c*)

(*a*) Vide Eusebium Histor. Eccles. lib. 1. cap. 7.
(*b*) Orthodoxæ fid. lib. 4. cap. 15., quod inscribitur, *De Domini Genealogia, & Sancta Dei Genitrice*.

(*c*) Bernardi verba sunt ab iis, *Lætare o Pater Adam*, ad hæc usque; hausta autem sunt ex Homil. 2. super *Missus est* num. 3.

VIII. Cogitanti mihi ac diu hæſitanti, quid cauſæ ſit, quod cum Euangeliſtæ de Joanne Baptiſta, & aliis Apoſtolis tam longum fecere tractatum, de Virgine Maria, quæ vita & dignitate omnes antecedit, ita ſummatim percurrant hiſtoriam: cur, inquam, non traditum eſt memoriæ, quomodo concepta, quomodo nata, quomodo nutrita, quibus moribus decorata, quibus virtutibus ornata, quid cum filio in humanis egerit, quomodo cum illo converſata ſit, quomodo poſt ejus Aſcenſionem cum Apoſtolis vixerit: magna erant hæc, & memoratu digna, & quæ cum ſumma devotione a fidelibus legerentur, a populis amplecterentur. O, inquam, o Euangeliſtæ, quare nos tanto gaudio, veſtro ſilentio privaſtis? Cur hæc tam læta, tam deſiderata, tam jucunda conticuiſtis? Quis enim dubitat, quin in ejus nativitate & pueritia mira multa contigerint; & puella hæc in teneris annis ſtupendum ſæculis virtutum omnium monimentum extiterit? De his tamen omnibus nihil in canonicis libris expreſſum legimus, præter libellum quemdam apocryphum, quem (a) Beatus Hieronymus (a) ex hebræo tranſtulit: cujus, ut idem aſſerit, dubia fides eſt. Hæc, inquam, mihi hæſitanti, cur de actibus Virginis ſicut de actibus Pauli non eſt compoſitus liber: nihil aliud occurrit (accuſare enim Euangeliſtas negligentiæ, ſicut impium, ita & temerarium judico) quam ita placuiſſe Spiritui ſancto, ejuſque providentia Euangeliſtas ſiluiſſe, propterea quia *Pſal.44.* Virginis gloria, ſicut in Pſalmis legitur, omnis intus erat, & magis cogitari poterat quam deſcribi: ſufficitque ad ejus plenam hiſtoriam, quod ſcriptum eſt in themate: *Mat. 1.* Quia de illa *natus eſt Jeſus*. Quid amplius quæris? Quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi quod Mater Dei eſt. Quænam, obſecro, pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria Matri Dei non congruit? Solve cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, & deſcribe apud te in animo virginem quamdam puriſſimam, prudentiſſimam, pulcherrimam, devotiſſimam, humillimam, mitiſſimam; omni gratia plenam, omni ſanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam, omnibus chariſmatibus decoratam, Deo gratiſſimam: quantum potes tantum auge, quantum vales tantum adde: major eſt iſta Virgo, excellentior eſt hæc Virgo, ſuperior eſt Virgo iſta.

IX. Non eam Spiritus ſanctus literis deſcripſit, ſed tibi eam animo depingendam reliquit; ut intelligas, nihil illi gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quam animus in pura creatura concipere poſſit, defuiſſe: imo reipſa intellectum omnem ſuperaſſe. Ubi ergo totum erat, pars ſcribenda non fuit: ne putares, quod ſcriptum non fuerat, eidem forſitan defuiſſe. Si ancillas ſuas, & miniſtras domus ſuæ, potentiſſimus Dominus ita mirifice decoravit, ita donis & gratiis venuſtavit: qualem exiſtimas condidit Matrem ſuam, unicam ſponſam ſuam, quam ſibi ex omnibus elegit, & præ omnibus adamavit? Audi Prophetam: *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*. *Pſal.44.* Et: *Filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Adducentur Regi virgines:* ſed *poſt eam: proximæ ejus afferentur tibi in lætitia & exultatione*. Omnis, inquam, virginum candidatus chorus hujus laudes concinit, omnes vultum ejus deprecantur, & eam veluti Reginam venerantur & colunt: omnibus eam Altiſſimus præpoſuit, non ſolum Virgineis, ſed etiam Angelicis choris, quia Mater ejus eſt, & Matrem Dei decet omnis celſitudo. Quicquid igitur de Virgine ſcire, aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breviloquio: *De qua natus eſt Jeſus*. Hæc lon- *Mat. 1.* ga & pleniſſima hiſtoria ejus eſt. Anſelmus (b): De Virgine Maria ſolum dicere (b) quod Mater Dei eſt, ſuperat totum quod ſub Deo dici poteſt. Unde Beatus Thomas (c) (c) quandam ei dignitatis infinitatem attribuit; & merito: ſi enim quo altior eſt filius, dignior mater eſt, quis dubitat quin infiniti Filii, infinita quoque quodammodo ſit Matris authoritas dignitaſque. Cujuslibet enim civis matrem eſſe, dignitatis eſt: equitis matrem eſſe, majoris: Regis, majoris: Angeli, ſi matrem habere poſſit, majoris, Archangeli, majoris, Seraphim, multo majoris, Filii Dei Matrem eſſe, ita omnes has ſuperat dignitate, ſicut & Deus his omnibus major eſt. O miram puellam, ſui Creatoris Matrem! O ſtupendam dignitatem! Ut femina habeat cum Deo communem Filium, cui dicat ut Pater: *Filius meus es tu*; & ſit puella Ma- *Heb. 1.* ter ejus, cujus Deus Pater eſt. Sedet Filius *Pſal. 2.* ad dexteram Patris, ſedet Mater ad dexte- *Pſ. 109.* ram Filii, mutuoque communem Filium beatis oculis medium conſpiciunt. Videt Pater *Marc.26.* in Filio perſonam, quam ab æterno genuit: videt Mater in eo naturam humanam, quam in ſuis viſceribus aſſumpſit in tempore. Complacet Pater in Filio, gaudet Mater in Filio: ait Pater Filio, *ex utero ante luciferum genui te:* ait Mater eidem Filio, ex utero *Pſ. 109.* virgo genui te. Stupet de ſua gloria, neque ſuam valet ipſa comprehendere celſitudinem; eo enim ipſo quod Mater Creatoris effecta eſt, omnium creaturarum jure optimo Domina, Reginaque conſtituta eſt. Vere *fecit* tibi *magna qui potens eſt*, o Maria, vere ex hoc quod Matrem ſuam te conſtituit; *Lucæ 1.*

beatam

(a) Extat libellus hic inter Opera perperam Hieronymo adſcripta tomo 5. edit. P. Martianæi pag. 445. & titulum præfert: *de Nativitate S. Mariæ*.

(b) De Excellent. B. V. M. cap. 2. *Quamvis igitur hoc ſolum de Sancta Virgine prædicari, quæ Dei Mater eſt, excedat omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, vel cogitari poteſt, &c.*

(c) Vide S. Thomam in 1. ſent. diſt. 44. quæſt. 1. art. 3.

beatam te dicent omnes generationes sæculorum, & nati natorum, & qui nascentur ab illis.

X. Fuit olim in principio nascentis Ecclesiæ non mediocris hæsitatio de hujus Virginis nuncupatione. Ex hæreticis namque alii in Christo corpus non verum, sed phantasticum (*a*): alii corpus verum, sed non (*b*) carneum, cœleste tamen (*b*): alii corpus (*c*) carneum, sed non de Virgine sumptum (*c*): (*d*) alii de Virgine formatum, sed sine anima (*d*) asserebant. Qui omnes, & similes, Virgini, Matris Dei dignitatem, auferebant, quos omnes hoc unico verbo Euangelista convin-
Mat. 1. cit: *De qua natus est Jesus*. Et Apostolus
Galat. 4. Paulus alio consimili: *Factum*, inquit, *ex muliere*. Et bene, *factum*; in ea namque Spiritus sanctus ipsum non genuit, sed ex ea, & ut artifex corpus ejus effecit: unde non Christi pater, sed humanitatis ejus conditor est. Exclusis igitur hæreticis, inter fideles adhuc disceptatio non modica erat, an propter veram & indubitatam generationem temporalem, Virgo Mater Christi, an Mater humanitatis Christi dicenda esset: an audendum quoque eam Matrem Dei nomi-
(*e*) nare? Donec pleno Concilio (*e*) definitum est: eam plenis, ut dicitur, buccis, Theotocon, id est, Matrem Dei ab omnibus fidelibus vere & sine scrupulo nominandam; atque ut veram Dei Matrem ab omnibus venerandam. Quod nomen ex omnibus, ipsa in libro Ecclesiastici sibi delegerat, dicens: *Ego*
Eccli. 24. *mater pulchræ dilectionis, & timoris*, & magnitudinis, *& sanctæ spei*. Ac si diceret: Quid me aliis nominibus nuncupatis? Hoc solo nomine dignor, hoc solo cupio nuncupari vocabulo, in meam laudem hæ solum præ aliis personent voces, in his mihi supra modum complaceo verbis: *De qua natus est*
Mat. 1. *Jesus*. Nihil me ita delectat audire, quam cum dicitur mihi: *De qua natus est Jesus*. Et hoc verbum sæpius replicetur in laudi-
Philip. 2. bus, sæpius iteretur in canticis. Audi piissima, audi clementissima: *De qua natus est Jesus*. Hoc est enim nomen super omne nomen puræ creaturæ, in quo nemo tecum
Heb. 1. participiat, o Virgo. *Cui enim aliquando*, non dicam hominum, sed etiam *Angelorum dixit?* Mater mea es tu, Filius tuus sum ego. *Ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem*
Cant. 6. *urentem*; ad Virginem autem: Unica es *columba mea*, electa una *es*; quia *nec tibi similem visa es, neque habere sequentem*. Nam
Mat. 12. etsi omnis qui fecerit voluntatem Patris mei, mater mea, & frater meus est; non tamen ut tu Mater, quæ animo & corpore Verbum Domini concepisti, peperisti, lactasti, nutristi, & toto vitæ tuæ tempore illi Matris officium impendisti.

XI. Hoc autem sicut summæ dignitatis, ita etiam perfectionis nomen est. Summa enim humanæ creaturæ perfectio vitæ hujus tota in amore Dei est; omnium autem amorum vitæ præsentis nullus est tantus, quantus matris ad filium. Solent enim matres etiam deformes filios tam ardenter amare, ut etiam severæ matronæ, dum lactentibus in gremio infantibus garriunt, videantur sensum penitus amisisse præ amore. Quid non dicunt? quid non faciunt? Aut quis scurra levior est, quam mater ad infantulum? Siquidem divina providentia, quæ operibus suis nunquam deest: matrum præcordiis naturalem hanc amoris inseruit vim, ne pignoribus teneris, & difficilis educationis, longi laboris tædio quid deesset ad vitam. Alias enim quis infantum molestias, vagitus, ægritudines, varias frequentesque immunditias, tamque assiduas molestias, & tam longas æquo animo tolerare posset? Neque solum hominibus, sed cæteris etiam animantibus hujus amoris vis a naturæ Conditore inserta est. Nonne gallinam vides pro suis pullis aquilam fieri? & mitissimam equam pro pullo suo equino in ferocissimam verti leænam: seque ipsam lupis animose objicere pro filio, vitamque suam pro nihilo reputare & parvipendere, ut filium defendat, qui ab ipsa est? Mira res amoris, & quæ nisi cerneretur, penitus esset incredibilis. Si igitur, ut diximus, tanta est vis amoris matrum erga filios sibi cum viris communes, ut etiam deformes & inertes filios tam ardenter diligant; considerate Virgines devotæ, quo amore Mater ista diligit Filium suum unigenitum & soligenitum: Filium, inquam, tam speciosum, tam decorum, tam nobilem & potentem, tam generosum & glorioſum, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur, cujus decor & gloria angelicos etiam retundit obtutus. Filium, *in quem desiderant Angeli conspicere*: de quo 1. *Petr.* apertissime noverat, quia Deus & Creator 1. suus est. Dicite, inquam, quo ardore ardet, quando illum jam triennem, vel quadriennem coram se ludentem conspicit; sibique placido vultu arridentem, pioque lepore applaudentem, alludentemque videt; & in gremio suo, pectoris sui lacte potatum, ac de sua substantia pastum cernit? O cor Virgineum amoris igne succensum, o sacra viscera velut clibanus candentia, & ardentia velut Seraphim! o sacrum pectus quo ardore

(*a*) Hæreticos hujusmodi, Phantasiastas Græci nominant. Inter hos extitit Marcion, adversus quem scripsit Tertullianus. Refertur ab Epiphanio hæres. 42. & S. P. Augustino hæres. 22. Cerdon quoque eamdem secutus est hæresim, ut testantur laudati Epiphan. hæres. 41. S. P. August. hæres. 21.

(*b*) Ita Valentinus, teste S. P. Augustino hæres. 11. Gnostici etiam, ut apud Irenæum lib. 1. cap. 5.

(*c*) Huc referuntur, quæ tradidit Apelles apud S. P. Augustinum hæres. 23. finxit enim Christi corpus ex elementis formatum fuisse.

(*d*) Hæc fuit Arianorum hæresis animam Christo negantium, cujus loco Verbum eidem concedebant. Ita referunt Epiphan. hær. 69. S. P. Augustin. hær. 49.

(*e*) Beatissimam Virginem *Theotocon* nominari pertinaciter negabat Nestorius, sed Christotocon dici debere affirmabat, quo nomine hæresis suæ, quæ totum incarnationis mysterium destruebat, virus obtegere conabatur. Verum in Concilio Ephesino damnatus est, & Catholica veritas firmata.

dore intus inflammaris? O tenerrimum corpus quomodo tanto calore non dirumperis? Quis tuos, o Virgo, cordis ardoris, mentis exceſſus, digno ſufficiat explanare eloquio, aut comprehendere cogitatu? *Nolite*, inquit, *nolite me conſiderare quod fuſca ſim: quia decoloravit me ſol.* Sol ille flagrantiſſimus, intus, & foris ita me totam irradiavit, ut fuſca appearem præ calore. Fuſca ſum, fateor, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem; ideo dilexit me Rex. *Cant. 1.*

XII. Unde Angelus hujus flagrantiſſimi ardoris præſcius, ad Virginem ait: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Noli ergo timere Filia Jeruſalem, noli expaveſcere; nam Spiritus ſanctus aderit, *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, ut tanti ſolis ardorem valeas ſuſtinere: & qui alios ſolet illuminare, tibi obumbrabit, ut divini luminis ardorem temperet & fulgorem. Hoc itaque Matris honore ſola Virgo gaudes, ſola dotaris, tibi ſoli cum ſuperno Parente communis eſt Filius, & quantum creaturæ fas eſt, ſimillimus amor. Amat Angelus, ſed ut Dominum; amat Virgo, ſed ut Filium; ac proinde Angelus ab ipſo redamatur, ut ſervus; ſed Virgo redamatur ut Mater; in utroque beata, & quia ſic amat, & quia ſic amatur ab illo. Hujus ergo tantæ Matris ortum digniſſimum recolamus; huic pleno cordis gaudio jubilemus. Eſt enim unde apud ipſum quodammodo gloriemur: quia & nos illi tantæ celſitudinis aliqualiter occaſio exſtitimus. Niſi enim fuiſſet peccati morbus, non tantus e cœlo Medicus adveniſſet. Unde igitur nos effecti ſumus rei, inde, ſumpta occaſione, illa effecta eſt Mater Dei. Niſi enim peccaſſet homo, Deus factus non fuiſſet homo. Neque tamen propterea nobis aliquo teneris debito, quia id non factum eſt noſtro merito, ſed potius demerito: ſed pro tua benignitate o Virgo, dum tuam celſitudinem inſpicis, miſeriæ noſtræ recordaberis; vere enim peccatorum eris Advocata, quæ propter peccata in tantam es celſitudinem ſublimata. Vere enim etſi peccati nos multum pœnitet, tua tamen ſublimitas, o Virgo, multum nobis placet, & peccati noſtri damna, hac gloria tua compenſamus. Unde & de hac Virgine perpulchre Pſalmus perſonat dicens: Mater *Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus?* Mater, inquit, Sion dicit homo. Quis homo? Utique homo propter quem factus eſt in ea homo, qui fundavit eam Altiſſimus. Mater ergo Sion dicet reus homo: dicet etiam Altiſſimus homo, quia utriuſque hominis, Dei videlicet & rei Mater eſt. Denique attende quis mater Sion dicet homo. *Ecce*, inquit, *alienigenæ, & tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Mater ergo Sion dicet Æthiops homo: Æthiopes non abjicit Virgo decora, ſed amplectitur ut parvulos, diligit ut filios, ſi tamen faciant quod ſubjungitur: *Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me.* Sciant ergo ipſam matrem. Sion dicet homo: homo, inquam, Æthiops per quem Altiſſimus factus eſt homo. Etenim quia Altiſſimi Mater eſt, Æthiopis matrem nominari non dedignatur. Matrem ergo Sion dicet Æthiops homo, & fiet quod ſcriptum eſt: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Ibi lætabimur in ipſa, ibi gaudebimus cum ipſa, ibi nobis veram fuiſſe matrem experiemur, quando ſublato nigrore Æthiopiſſæ, cuncti in candorem mutabimur, & uti filii, matris ſimilidinem induemus. Erit hoc, quando ſimul apparebimus cum ipſa in gloria; ad quam nos Filius ejus, ac proinde Frater, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus perducere dignetur, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen. *Luc. 1.* *Pſal. 86.*

IN FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS MARIÆ

CONCIO TERTIA.

MARIA A DEO ELECTA, UT SIT MATER DEI, ET ADVOCATA MUNDI.

Ab æterno ordinata ſum. Prov. 8. v. 23.

CONCIO CLV.

I. NOn videtur ad magnam Virginis laudem pertinere, quod dicitur in themate, hoc enim omnibus non modo Sanctis, ſed omnibus etiam creaturis commune eſt. Quidquid enim in tempore factum eſt: ab æterno in illo exemplari & prototypo Verbo Divino ordinatum eſt; & ſicut ordinatum eſt ab æterno, ſic ad extra in tempore formatum. Stellas cœli, & guttas maris, & folia arboris, ſicut ordinaverat, ſic creavit: non enim quaſi caſu & ex improviſo mundum fecit, ſed conſilio æterno. Quid ergo magnum dicitur de Virgine: *Ab æterno ordinata ſum?* Hoc ex dicendis magis patebit: ſed pro nunc breviter dicimus, quod licet in Dei electione non ſit ordo temporis, quia omnia ab æterno ſunt electa; eſt tamen ordo dignitatis: nam quidam electi ſunt ad majorem gradum, & dignitatem quam alii. Unde Virgo dicitur ſingulariter ordinata & electa: non quia ſola, non quia prius fuit electa, ſed quia electa eſt ad maximam & ſingularem dignitatem. Propter quod de illa canit Eccleſia: *Elegit eam Deus, & præelegit eam.* Unde ad duo fuit electa; primo, ut ſit Mater Dei; ſecundo, ut ſit mundo Advocata; de quibus dignitatibus in præſenti tractabimus. *Prov. 8.*

II. Electio Dei multum differt ab electione humana; unde ipſe ait: *Non* ſicut *cogitationes meæ, cogitationes veſtræ.* Differt autem in quatuor. Primo: quia electio noſtra, ut ait Ariſtoteles (*a*), regulatur conſilio & pruden- *Iſaiæ 55.* (*a*)

(*a*) Ethicor. lib. 3. cap. 2.

dentia: est enim actus præconsiliati: sed electio Dei licet sit conformis rationi æternæ, non tamen regulatur Divina sapientia, quia ipsa est prima lex. Neque habet rectitudinem formalem a lege æterna sicut in nobis; nam Dei voluntas in seipsa est recta, & summa rectitudo, & summa bonitas. Et licet omnia velit, vel agat conformiter ad
Ps. 103. suam sapientiam, sicut scriptum est: *Omnia in sapientia fecisti* Domine; non tamen sapientia regulatur, sed in seipsa recta est,
*Psal.*18. sicut ait Psalmus: *Judicia Dei vera, justificata in semetipsa*. Unde propter hoc Apostolus ait: *Operatur omnia secundum consilium*
*Ephes.*1. *voluntatis suæ*. Nos autem non sic, sed secundum voluntatem consilii nostri, id est, nostro consilio regulatam. Hæc est summa illa libertas Divinæ voluntatis, ut quicquid velit, eo ipso quod ab ipsa volitum est, justum sit & bonum. Unde Deus non vult aliquid, quia bonum, sed ideo bonum quia volitum. Hæc est prima differentia. Secunda differentia: quia nos cum eligimus, attendimus perfectionem & sufficientiam rei, quam eligimus, ad officium, vel dignitatem. Exemplum in Duce & in Episcopo: sed Deus non sic, sed eligendo facit illum idoneum & dignum, & capacem officii. Unde non elegit electos, quia futuri erant boni, sed eligendo fecit bonos, sicut Apostolus ait: *Elegit*
Ibidem. *nos ante mundi constitutionem, ut essemus san-*
(*a*) *cti*. P. Augustinus (*a*): non quia futuri eramus sancti, sed ut essemus sancti coram eo. Ex quo sequitur tertia differentia, quia electio Dei est infallibilis: non enim potest errare in eligendo inidoneum, quia eligendo facit idoneum quemcunque eligat. Unde,
*Psal.*77. ipse elegit pastorem de post fœtantes ad regnum: & qualis Rex evasit? Ipse elegit vel-
Amos 7. licantem sycomoros in Prophetam, & factus est magnus Propheta: ipse elegit piscatores
Mat. 4. ad mundi subjectionem & prædicationem, & quam idoneos fecit eos. Unde Apostolus: *Idoneos nos fecit ministros novi testamen-*
2. *Cor.*3. *ti*. Non quia idonei eramus elegit nos. Unde Dominus: *Non vos me elegistis, sed ego*
Jo. 15. *elegi vos. Ite: ecce ego mitto vos*. Non aspi-
*Mat.*10. ciatis quales sitis, sufficit quod ego elegi vos, ego mitto vos: hoc sufficit. Et quidem si ad vestram sufficientiam attendissem, non bona fuisset electio: sed ego eligendo non attendo sufficientiam, sed præsto. Ex hoc patet quarta differentia, quod electio Dei est immutabilis, nostra autem est varia-
*Malac.*3. bilis. *Ego Deus, & non mutor*. Non est Deus ut homo, ut pœniteat eligendo: propter quod electio ejus ab æterno immutabilis, & invariabilis permanet. Unde illud
1. *Reg.* quod ait de Saule: *Pœnitet me quod* elege-
15. rim *eum in Regem*: non quia pœnituit Deum, sed quia ad modum pœnitentis se habuit rejiciendo ex regno, dictum est. Ex istis colligitur, quod sicut Deus eligendo aliquem ad Apostolatum, vel Prophetiam, facit dignum Apostolum, & idoneum Prophetam: sic & eligendo Virginem fecit eam idoneam Matrem suam: hæc enim est dignitas ad quam electa est, sicut Joannes electus est, ut sit Præcursor. Unde & antequam conci- *Lucæ* 1.
peret Filium Dei, jam idonea erat, ut esset Mater Dei.

III. Sed qualis est hæc dignitas? utique habet quandam infinitatem esse Matrem Infiniti, & Omnipotentis. Quæ autem excellentia, quæ perfectio, quæ magnitudo decuit eam, ut esset idonea Mater Dei? Hic jam sileat lingua carnis: excedit enim intellectum & loquelam, Virginis magnitudo, non modo nostram, imo forte & suam. *Fe-* *Ibidem.*
cit, inquit, *mibi magna qui potens est*. Sed quam magna? Nescio an ipsamet valuit comprehendere suam magnitudinem. Unde melius eam silentio veneramur; sicut scriptum est: *Tibi silentium, laus*, secundum transla- *Psal.*64.
tionem Chaldaicam (*b*), ubi dicimus: *Te* (*b*)
decet hymnus Deus in Sion. Quia vere omnis laus silentium est: & cum finierit homo laudare, tunc incipit, imo nec locutus est. Propter quod Sancti Euangelistæ de ejus laudibus silent, quoniam ineffabilis est ejus magnitudo: satis fuit de ea dicere: *De qua na-* *Mat.* 1.
tus est Jesus. Et in hodierno Euangelio Matthæi, ut hoc explicet quid sit: *De qua natus est Jesus*; progeniem Redemptoris exposuit secundum carnem, dicens: *Liber generationis Jesu Christi*, &c. Joannes vero altius in eo genus agnoscens a Divinis cœpit, dicens: *In principio erat verbum, &c.* ut ex *Jo.* 1.
duobus Euangeliorum principiis, Christus Dominus verus Filius Dei, & Abrahæ agnoscatur. In toto autem hodierno Euangelio nihil aliud scribitur, nisi sola genealogia Salvatoris concatenata, & eodem filo trajecta. Unde Beatus Gregorius (*c*) optime compa- (*c*)
rat hanc genealogiam hamo, exponens illud Job: *Num extrahere poteris Leviathan hamo?* *Job* 40.
Non Domine non sunt mihi tantæ vires, non habeo brachium ita forte: vastior est piscis Leviathan, quam ut hamo capiatur. Cepit autem ipsum Dominus hamo, dum ei escam manifestam humanitatis objecit, sub qua hamus Divinitatis latebat, quo suspensus est deglutiens escam. Hujus tam mirabilis piscationis brachium, potentia; est virga, sapientia Dei; seta, genealogia, in cujus fine ponitur hamus: *De qua natus est Jesus*. *Mat.* 1.
Non est religio noviter inventa religio nostra: antiquissimus est Christianismus ab initio mundi. Tolle ritus & cæremonias, quæ cum tempore variantur: quoad substantialia & essen-

(*a*) De Prædest. Sanctor. cap. 18. Verba recitavimus in notis ad Concionem 1. hujus argumenti.

(*b*) S. Hieronymi est translatio, ad verbum hic relata, vertit etiam: *Tibi silentium laus Deus in Sion*. Chaldaica autem versio ita habet: *Coram te reputatur sicut silentium laus Angelorum, o Deus, cujus majestas residet in Sion*. Textus autem Nebiensis, ut notat Lorinus, hæc tantum exhibet: *Coram te reputatur, sicut silentium laus Deus in Sion*.

(*c*) Vide Moral. lib. 33. cap. 9.

& eſſentialia fidei, Chriſtianiſmus ab initio fuit. Magnus Chriſtianus Abraham, magnus Chriſtianus Moyſes, magnus David, & omnes Patriarchæ, & Prophetæ, Chriſtiani fuerunt. Eundem enim Deum, quem nos adoramus, adorabant: quod credimus, crediderunt: gloriam, quam expectamus, ipſi expectarunt: judicium, & reſurrectionem, quam nos confitemur, confitebantur: & ipſis eadem præcepta moralia, iidem mores, eadem fides, eadem ſpes, eadem propoſita merces, idem affectus, eadem deſideria, idem cogitatus, eadem vivendi ratio, idem modus vitæ: adeo, ut ſi videres Abraham, Moyſen, & David, & Petrum, & Andream, &c. & P. Auguſtinum, & Hieronymum; unam eandemque fidem, & vitæ ſeriem, exceptis exterioribus, in eis judicares. Unde recte Abraham pater fidei noſtræ vocatur. Solum nomen deerat, ut ait Euſebius (*a*) in Eccleſiaſtica hiſtoria: & hoc non omnino, nam & ipſi Chriſtiani vocabantur, ſicut ſcriptum eſt: *Nolite tangere Chriſtos meos*. Et hoc, quantum ad fidei agit firmitatem? Quomodo poteſt eſſe falſa fides tam antiqua, quæ cum ipſo hominum genere orta eſt? Ita Euſebius.

(*a*) *Pſ.* 104.

IV. Sed ad te, o Virgo, noſtra ſe convertat oratio: cujus ſumma dignitas hæc eſt, quod *de* te *natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*. Filii imitantur parentes, ut plurimum, & parentes transfundunt in filios non ſolum proprietates, & paſſiones, & ægritudines corporales, figuram, colorem, formam, motus, habitus; ſed & paſſiones animorum, mores, ingenia, vitia, & virtutes. Nam ex iracundis parentibus iracundos filios, ex manſuetis manſuetos, ex ingenioſis ingenioſos, ex ruſticis ruſticos, ex eloquentibus eloquentes, ex mutis mutos videmus. Uſque adeo, ut ingenium & virtus, & eloquentia, hæreditaria quodammodo videantur. Et ſi hoc in aliis, multo amplius in Chriſto. Nam cum in aliis, patris & matris communes ſint filii, aliquid accipiunt a patre, & aliquid a matre, & fit ex duobus tertia quædam in filio mixtura, & ſimilitudo. Chriſtus vero qui totus erat ex Matre, non habens patrem in terris, totus fuit Matri ſimillimus. Non ſolum forma & vultu: hoc enim, qui viderunt utriuſque imagines ad vivum, aſſerunt; nunquam fuiſſe ſic filium matri ſimillimum vultu, & moribus, verbis, & habitu. Illa humilis, ille humilis; illa manſueta, ille manſuetus; illa benigna, ille benignus; illa pauper, ille pauperrimus; illa puriſſima, ille puriſſimus; illa prudentiſſima, ille prudentiſſimus; illa piiſſima, ille piiſſimus; illa modeſta & ſobria, ille modeſtus & ſobrius. Denique in omnibus, Mater nihil fuit, niſi Filii adumbrata imago, & Filius Matris expreſſa figura. Nam etſi omnes Sancti, prout potuerunt, conati ſunt aſſimilari Chriſto, & eum reddere & imitari (quia in hoc noſtra perfectio conſiſtit) nullus tamen potuit ex integro, ſed ex parte: unus in humilitate, alius in caſtitate, alius in manſuetudine. Sola Mater eum ex omni parte imitata eſt; eum reddens ſuis gratiis, & virtutibus: licet in Filio perfectiores colores eſſent propter Deitatem conjunctam. Unde Hieronymus (*b*): Omnis plenitudo gratiarum, quæ fuit in Chriſto, fuit in Virgine, quamvis aliter. Fuit ergo perfecta adumbratio Filii, ſicut ipſa dicit in Canticis: *Nigra ſum, ſed formoſa ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*. Quaſi dicat: Si naturalem conditionem conſideratis: *Nigra ſum ſicut tabernacula Cedar*, puella ex carne & oſſibus, tenera filia Adæ, ſicut aliæ virgines: ſi gratiam attenditis: *formoſa ſicut pelles Salomonis*. In omnibus, virtutes humanas Chriſti imitata, quas vocat pelles: nam virtutes divinas ſolus habet cum Patre communes, nemo neque Angelorum eas attingit. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit me ſol*. Soli comparata fuſca ſum, ſed omnibus Angelis, & aſtris lucidior ſum. Fuit itaque Chriſtus Matri ſuæ ſimillimus ſuper omnes filios: ut ſicut in cœlo, qualis Pater, talis Filius: ita in terra, qualis Mater, talis Filius. Cum itaque mores, & proprietates matris in filium transfundantur: qualis debuit eſſe Mater illa, ex qua forma illa cœleſtis & idea mundi, ſpeculum illud lucidiſſimum, in quod omnes aſpicerent, pulchritudo illa, quam omnes imitari debent, oriri & procedere debuit? Si Joannes Baptiſta propter ſolum teſtimonium, quod de Chriſto redditurus erat, ita perfectus fuit: Virgo Mater, quæ eum ſibi ſimilem genitura erat, & mores & vitam ſuam in eum debebat transfundere, qualis eſſe debuit?

(*b*)

Cant. 1.

Ibidem.

Jo. 1.

Mat. 11.

V. Nolo ergo ut de cætero labores, ut mihi Virginem per ſingulas ejus virtutes deſcribas, & virtutes ejus, gratias & excellentias ſigillatim exaggeres & magnifices: ad omnem ejus excellentiam & magnitudinem, unicum hoc thematis elogium ſufficit: *De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*. Hoc breve eloquium eam optime, quoad fieri poteſt, circumſcribit; hoc ad omnem hiſtoriam ſufficit. Noli immorari per ſingula, noli vexari. Hoc ſolum, plus quam ſi mille libros in ejus laudem componas, Virginem extollit, Virginem deſcribit, objicit, magnificat, & oſtendit: *De qua natus eſt Jeſus*. Quis Jeſus? Filius Dei, *ſplendor Patris, candor lucis æternæ*, mundi decus, mundi gloria, mundi pulchritudo, *in quem deſiderant*

Ibid. 1.

Heb. 1.

Sap. 7.

1. *Petr.* 1.

(*a*) *Quod ſi qui omnes illos, quorum juſtitia tam illuſtri teſtimonio comprobata eſt, ab Abraham initio ſumpto ad primum uſque hominem recurrens, Chriſtianos non quidem nomine, ſed re ipſa fuiſſe affirmet, is certe non procul a veritate aberraverit.* Ita Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 4.

(*b*) Pſeudo-Hieronymus in Serm. de Aſſumpt. Virg. tom. 5. edit. P. Martianæi pag. 86. *In Mariam vero totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quamquam aliter.*

ſiderant Angeli proſpicere; quem totus orbis nititur imitari. Non opus eſt longiore hiſtoria, hæc ſolum ſufficit ad Virginem exaltandam, & extollendam. Unde & in Euangelio rarus de ea ſermo, quia hoc ſatis erat ad omnem ejus commendationem. Quid enim vis dicere de Virgine? Quod humilis, quod pura, quod ſancta, quod gratia & virtutibus plena? Nunquid Mater Dei ſuperba, aut iracunda, aut impura futura erat? Quæ gloria, quis decor, quis candor, quæ virtus, quæ gratia non decuit Matrem Dei? *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam* Pſal.86. *Altiſſimus*. Qualem ergo faceret Artifex, qui elegit eam, ut naſceretur ex ea? Unde (a) Anſelmus (*a*): De Virgine dicere ſolum, quod Mater Dei eſt, excedit omnem celſitudinem, quæ ſub Deo excogitari poteſt. Cogita ergo tu virginem quandam pulcherrimam, puriſſimam, humillimam, ſanctiſſimam, & perfectiſſimam, ex omni parte integram & conſummatam: illa Mater Dei eſt: & major eſt, quam excogitare potes, aut intuitu mentis deſcribere. Unde ſi Tullius, Demoſthenes, Homerus, Virgilius, & alii omnes potentes in dicendo rhetores eam laudare per ſingula conarentur: non ſufficerent utique, nec modicum, ejus excel- (b) lentiam attingere. Unde Fulgentius (*b*): Quænam eſt iſta Femina, quæ omnibus San- Apoc.12. ctis proponitur imitanda, & corona duodecim ſtellarum in capite ejus? id eſt, omnibus gratiis, donis & virtutibus inſignita, & decorata? Cæteris enim virginibus per partes, Mariæ vero tota ſe infudit plenitudo gratiæ. Denique quidquid capax eſt non ſolum humana natura, ſed & pura creatura, totum fuit in hac Virgine glorioſa.

VI. Hæc eſt, quæ hodie naſcitur, hæc ho- Cant. 6. die apparuit mundo; *ſicut aurora conſurgens*, fulgida, rubicunda, purpurea, læta, non obtenebrata, non obnubilata, non maculata, ſicut alli filii Adam: *Sed pulchra ut luna, electa ut ſol*. O Virgo, in hoc natali mundum illuminaſti, cœlos lætificaſti, infernum exterruiſti, lapſos ſublevaſti, infirmos & triſtes in ſalutem & lætitiam erexiſti. Dicite, obſecro, o aſtrologi ſapientes, qui cœleſtia contemplamini: dicite nobis, o Prophetæ, quænam puella iſta erit, quæ talis & tam clara prodiit in orbem? & annuntiate nobis ejus nativitatem. O Propheta Regalis dicito, quid tibi videtur de hac filia tua, quænam puella iſta erit? *Erit*, inquit, *firPſal.71. mamentum in terra, ſuper extolletur ſuper Libanum fructus ejus, & florebunt*, ſcilicet ejus meritis ditabitur Eccleſia, *ſicut fœnum terræ*. Dic quoque tu Iſaias, quid ſentis de Iſaiæ 4. hac Virgine? Qualis erit iſta Virgo? *Super omnem*, inquit, *gloriam protectio, & tabernaculum erit in abſconſione a turbine & a pluvia*. Id eſt: juſtorum erit cuſtodia, & pec- A catorum ſuffugium. Ita eſt o Virgo: in omnibus tempeſtatibus, & pluviis, & adverſitatibus; ſi peſtis, ſi bellum, ſi fames, ſi tribulatio, omnes ad te currimus. Tu noſtra protectio, tu noſtrum refugium, tu noſtrum unicum remedium, ſubſidium, & aſylum. Sicut pulli, volitantibus deſuper milvis, ad gallinæ alas accurrunt: ita nos ſub velamento alarum tuarum abſcondimur. Neſcimus aliud refugium, niſi te: tu ſola es unica ſpes noſtra in qua confidimus: tu ſola patrona noſtra, ad quam omnes aſpicimus. Reſpice ergo nunc, o piiſſima, certantis Eccleſiæ filiæ B tuæ tribulationem: attende familiam hanc: pro qua Chriſtus Filius tuus mortuus eſt, in affliction poſitam, inimicis vallatam, a gentibus conculcatam, in anguſto collocatam: 1.Mach. 3. attende puſillum gregem, qui olim totum replebat orbem terrarum, nunc peccatis noſtris intercluſum, & in anguſtias redactum in finibus terræ. Inclina oculos pietatis tuæ, & vide quam male eam tractat, quam male eam lacerat *aper* iſte *de ſylva*, draco iſte furioſus: neque eſt qui ei valeat reſiſtere, aut Pſal.79. audeat vel oculos tollere contra eum. Heu quis dicere poterit ſtragem maximam, quam C a multis annis fecit hic nefandus Turcarum tyrannus in Eccleſia! Non contentus rapuiſſe, & uſurpaſſe Aſiam, Ciliciam, Syriam, Palæſtinam, Ægyptum: ſed a centum annis univerſam Græciam, Macedoniam, Thraciam, & modo Rhodum, Budam, Belgradum, &, magnam Hungariæ partem; ſed & nunc totam vult devorare Siciliam, & Italiam. *Abſorbuit fluJob 40. vium, & non miratur, & habet fiduciam quod* Jordanis, Sedes Petri, Eccleſia Romana, caput orbis, *influat in os ejus*. Sed non faciet Deus, nec tale dedecus permittet in D populo ſuo: avertet Deus tantam ignominiam ab Eccleſia ſua. Nolite timere: habemus a Chriſto Domino ſyngraphum ſuper hoc: non faciet, nec permittet, non erit iſtud. Sic Dominus pollicitus eſt Petro, cum ait: *Simon, Simon, ſatanas expetivit* Lucæ 22. *vos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Et quid potuit orare Filius, quod non impetraret a Patre? Quid potuit orare tantus Orator, quod non obtineret? *Sciebam*, in- Jo. 11. quit, *quia ſemper me audis*. Neque pro ſola perſona Petri oravit: nam ille utique E aliquo modo defecit in Chriſti paſſione; ſed pro Sede Petri. Hæc enim ab initio naſcentis Eccleſiæ nunquam defecit a fide: ſed, ſicut Dominus dixit, converſa confirmavit fratres ſuos. Aliorum Apoſtolorum ſedes Lucæ 22. deficientes, aliæ ſæpius in hæreſim prolapſæ, aut a barbaris captæ defecerunt: hæc fixa, & immobilis ſemper ſtetit, juxta Domini vaticinium, & ſtabit ſicut Petro promiſit.

VII.

(a) Teſtimonium dedimus in notis ad Concionem 2. hujus argumenti.

(b) Fruſtra teſtimonium S. Fulgentii inter ejuſdem Opera quæſivi.

VII. Complexus est itaque Euangelista omnia excellentiæ argumenta, dum de Virgine ait: *De qua natus est Jesus*. In hoc clauditur quicquid dici de ea potest, si mille libri scriberentur. Unde Anselmus (*a*): de Virgine Maria solum dicere quod Mater Dei est, excedit omnem perfectionem, quæ sub Deo dici potest. Nec solum dicimus, quod Mater Dei est, sed quod idonea, & competens Mater Dei. Sed ut tibi eam breviter describamus, ut possumus: imaginare virginem quandam pulcherrimam, gratiosissimam, ingeniosam, nobilem, optimæ habitudinis quantum ad corpus, magni intellectus & integræ memoriæ, optime compositam, & proportionatam, quoad dona naturalia optime dotatam, quam voluit, ut esset nobilissima, Deus. Hæc est Maria: adeo illustris, ut nulla femina mundi fuerit tam nobilis, tam longa serie avorum, ex Regibus, ex Principibus, Ducibus & Patriarchis nata. Recole principia omnium historiarum, & vide si in aliqua historia tam superbum principium legisti: *Liber generationis Jesu Christi*. Quæ genealogia Alexandri, vel Cæsaris reperitur tam illustris per tot sæcula? Non quod Deus multum curet de hac nobilitate: non enim ipse clarus est ex genealogia, sed ipsa clara ex ipso. *Ego*, inquit, *sum radix & genus David*. Non mihi gloria quia habui talem patrem, sed illi gloria quia habuit talem Filium. O filii hominum qui ista tam anxie curant! Anima quæ potior pars est, non habet genus, non est ex patre, sed ex Deo. Solum corpus ex patre est, & hoc simile est in omnibus; subjectum infirmitatibus & ærumnis. Omnes ex uno Adam terreno. Unde ista generis gloriatio? Sed propter hoc posita est genealogia, ut Dominus fidelis appareret in promissionibus quas promiserat: sicut ipsa Virgo ait: *Suscepit Israel puerum suum, sicut locutus est ad patres nostros: Abraham & semini ejus in sæcula*. Talis fuit Virgo in naturalibus. Decuit & Matrem Dei esse puriſſimam, sine labe, sine peccato. Unde non solum quando puella, sed quando parvula, sanctissima, & in conceptione sanctissima. Non enim decebat sanctuarium Dei, domum Sapientiæ, reliquiarium Spiritus, urnam mannæ cœlestis, aliquam in se labem habere. Propter quod, antequam anima illa sanctissima infunderetur, plene fuit caro illa mundata ab omni fæce & labe, & anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati. Sicut scriptum est: *Factus est in pace locus ejus*, id est, domus Divinæ Sapientiæ, sine omni fomite peccati formata est. Unde, sicut ait S. P. Augustinus (*b*), in parvulis, licet non statim appareat, magna iniquitatum & peccatorum labes seminata est: ibi est seminarium omnium malarum inclinationum, & quasi saccus iniquitatum.

Mat. 1.

(a)

Ibidem.

Apoc. 22.

Luc. 1.

Psal. 75.

(b)

Unde cum crescunt: dant pædagogi flagella, exhortationes, admonitiones, & postea judices, cruces, & tormenta. Hoc agunt, ut prava illa semina non pullulent in eis: sarculi quidam sunt, prava illa semina; ne pullulent, prohibendi sunt; & quæ pullularunt, præcidendi.

VIII. Nihil tale fuit in Virgine: sed puriſſima fuit, sine omni mala inclinatione; unde maxima in ea pax, quia nulla fuit in ea rebellio ad bonum. Factum est in ea, ut ait Bernardus, illud Psalmi: *Justitia & pax osculatæ sunt*. In nobis justitia non est sine bello, in ipsa fuit cum summa pace. Unde caro ejus sic imaginanda est, quasi esset argentea, vel vitrea, vel crystallina, sine carnis vitiis, sed tota angelica in carne. Quod optime tangit de ea sponsus in Canticis dicens: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te*. Currus Pharaonis, caro mortalis; in carne itaque mortali equitatui angelico similis est in puritate. Sed jam ad dona, gratias, & virtutes transeamus. De his quid dicere possumus, nisi quod illi datum est, quantum capax est pura creatura? Unde sicut in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura, ideo microcosmus: sic in reformatione mundi in Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio: unde microcosmus Ecclesiæ dici potest. Quicquid in quolibet Sancto fuit illustre, in illa fuit. In illa patientia Job, mansuetudo Moysi, fides Abrahæ, castitas Joseph, humilitas David, sapientia Salomonis, zelus Eliæ; in illa puritas Virginum, fortitudo Martyrum, devotio Confessorum, sapientia Doctorum, contemptus mundi Anachoretarum: in illa donum sapientiæ, scientiæ, & intellectus, donum pietatis, & fortitudinis, & omnia dona Spiritus, & omnis gratia gratis data, quam ponit Apostolus. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, id est, omnis virtus Sanctorum, qua armati sunt contra vitia. Unde Dominus: *In plenitudine sanctorum detentio mea*. Propter quod bene eam vidit Joannes sole vestitam, & lunam sub pedibus habentem, & duodecim stellis coronatam. Propter quod in Canticis: *Quid*, inquit, *videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Talis est dilecta nostra, chariſſimi, talis est Mater Domini nostri. Imo nihil diximus: multo illustrior est; *absque eo quod intrinsecus latet*. Nam quales fuerint in ea revelationum radii, ab illo Sole quem gestabat in utero, quæ inflammationes Spiritus, qui gustus, qui sensus, quæ dulcedines, sola novit ipsa, & qui dedit Deus. Major enim gloria Filiæ Regis & Matris Regis ab intus. Sed & electa est, ut esset Advocata nostra. Nam licet *Advocatum habemus apud Patrem, Filium*, ut ait Joannes: opus etiam fuit habere Matrem Advocatam ad Filium. Nam peccatis nostris non solus

Psal. 84.

Cant. 1.

Isaiæ 12.

Cant. 4.

Eccle. 24.

Cant. 7.

Ibid. 4.

1. Jo. 2.

Deus

(*a*) Idem est testimonium paulo ante allegatum.

(*b*) Vide Confess. lib. 1. cap. 7.

Deus offenditur, cujus præcepta violamus, sed & Filius Dei, cujus sanguinem peccando conculcamus, rursus crucifigentes Filium Dei. Et ideo sicut apud Patrem interpellat Filius, sic apud Filium interpellat Mater. Unde Bernardus (*a*): Filius ostendit Patri latus, & vulnera, & Mater ostendit Filio pectus, & ubera. Unde facta est idonea Advocata; idonea, quia purissima; idonea, quia acceptissima; idonea, quia piissima. Hæc enim omnia ad Advocatam requirun-

Heb. 10. *Ibid.* 6. *Rom.* 8.

(*a*)

A tur. O felix dies! O dies jucunda in qua talis ac tanta Advocata data est mundo! O dies omni gaudio celebranda, quando tantum donum accepimus! Bernardus (*b*): Tolle solem, quid est in mundo nisi tenebræ? tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat nisi caligo? *Eja ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Ad te in nostris necessitatibus accurrimus, tuum officium imple, tuum opus exerce.

(*b*)

IN FESTO PRÆSENTATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ

CONCIO.

Inventa una pretiosa margarita dedit omnia sua. Matth. 13. v. 46.

(*c*) * CONCIO CLVI.

I. S. P. Augustinus sermone secundo (*c*) in feriam secundam Pentecostes: Spiritus, inquit, noster quo vivit omnis homo, anima vocatur: spiritus noster quo vivit singulus quisque homo, anima vocatur: & videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat. Per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat: omnibus simul adest membris ut vivant, vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua, nec loquitur auris, nec oculus, sed tamen vivit: vivit auris, vivit lingua; officia diversa sunt, vita communis. Quod facit anima in corpore, facit gratia in anima justi. Sic enim fieri videmus in Ecclesia Dei: in aliis Sanctis facit miracula, in aliis Sanctis loquitur veritatem, in aliis Sanctis custodit virginitatem, in aliis Sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud: singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Apostolus: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spiri-*

1. Cor. 12.

B *tuum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult, &c.* Quod ergo est anima in corpore, hoc est gratia Spiritus sancti in anima: hoc agit Spiritus sanctus in animæ potentiis: quod anima in omnibus membris unius corporis. Est etiam anima in corpore, sicut margarita vel gemma pretiosa in annulo vilis metalli. Anima item in corpore, margarita in conchylio rudi & deformi. Conchylium intus thesaurum habet optimum. Apostolus: *Habemus thesaurum* optimum *in vasis fictilibus.* Perdita erat ab Adam pretiosa margarita hæc: venit Conditor artifex ad quærendum, & inventam cum labore & sudore, dedit pro ea omnia sua. Attende, o homo, pretium hujus margaritæ: sapiens erat qui emebat, & noverat quod emebat. Et quid pro ea dedit? Omnia sua: vides quam potens sit Deus; & tamen totum & integrum suum patrimonium dedit pro comparanda margarita ista. Omnes naturales divitias creaturarum, omnes spirituales gratiarum. Non satis hoc: oportuit ut servus vester fieret. *Nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium.* Anima ergo in corpore, margarita in conchylio, anima in corpore, margarita vel gemma pretiosa in annulo vilis metalli. Gratia vero eodem modo in anima. Valor ergo animæ, gratia. Inquirenda igitur tam pretiosa margarita: sed ubi, nisi ab ea quæ invenit? Angelus: *Invenisti,* inquit, *gratiam apud Deum.* Ab ea petamus; offerentes consuetum officium.

2. Cor. 4.

C

Mat. 13.

D

Galat. 4.

Lucæ 1.

AVE MARIA.

II.

(*a*) Vide notas ad Concionem 2. in Domin. 4. post Pascha.

(*b*) Serm. in Nativ. B. V. Mariæ num. 6. *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris Stellam, maris utique magni, & spatiosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?*

(*c*) Sermo est 267. in novis. edit., primus in die Pentecostes, alias de tempore 186. Ita legitur, ut in textu, usque ad ea verba: *sed pariter vivunt:* licet paulo aliter, additis nimirum iis: *Quod facit anima in corpore, facit gratia in anima justi.*

II. Inter omnes naturales generationes, nulla reperitur generatio excellentior, quam margaritarum. Narrat Plinius, libro nono Naturalium Hiſtoriarum, capite trigeſimo quinto, conchas, in quibus concipitur ac naſcitur margarita, non multum oſtrearum conchis eſſe diſſimiles. Eaſque, ubi genitalis anni ſtimulaverit hora; pandentes ſe, quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu: gravidas, poſtea eniti, partumque concharum eſſe margaritas pro quantitate roris accepti, cœlo vel maxime conceptionem minante. Ita ut cœli ex quo conſtant, major eis ſocietas ſit, quam maris, & ipſo tantum cœlo gaudere cenſeantur. Margarita, Chriſtus dicitur. S. P. Auguſtinus ſermone ſecundo (*a*) in Feſto SS. Trinitatis: Cum Deus ſit omnia in omnibus, multis nominibus appellatur: non ut ipſa majeſtas Filii Dei definita demonſtretur, ſed ut per diverſa vocabula divinarum diſpoſitionum myſteria cognoſcantur. Hinc: modo Verbum, modo virtus, modo ſapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo theſaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo homo, modo agnus, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo via, modo veritas & vita nuncupatur. Verbum dicitur: quia ſemper in Patre, & nihil Pater ſine eo juſſit aut fecit. Virtus dicitur, quia proprie de Deo eſt, & omnis poteſtas in ipſo conſiſtit. Sapientia appellatur, quia non aliunde, quam a Patre veniens, credentibus arcana cœleſtia revelavit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia divina opera perfecta ſunt. Brachium dicitur, quia ab ipſo omnia continentur. Margarita appellatur, ut nihil eo pretioſius habeatur. Theſaurus dicitur, quia in ipſo omnes opes, divitiæ cœleſtium regnorum reconditæ cognoſcuntur. Retia dicitur, quia per ipſum & in ipſo, de mari ſæculi diverſarum gentium multitudo, more piſcium per baptiſmum in Eccleſia congregatur, ubi bonorum malorumque diſcrimen agnoſcitur. Aratrum nuncupatur, quia ſigno crucis ejus, dura pectora ſubjugantur, ut neceſſario ſemini præparentur. Fons aquæ vivæ appellatur, quia ex eo ſitientia corda cœleſtis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præſtat. Lapis angularis dicitur, quia utroſque parietes novi & veteris Teſtamenti ipſe unus & Mediator in ſemetipſo continens copulavit. Homo dicitur, quia ſecundum carnem propter nos homines naſci dignatus eſt. Agnus appellatur, ut innocentia & paſſio Chriſti demonſtretur. Vitulus dicitur, quia propter noſtram ſalutem immolari ſuſtinuit. Aquila dicitur, quia poſt venerabilem reſurrectionem ad Patris ſui revolavit ſedem. Leo eſt dictus, quia ipſe eſt Rex Regum, qui mortem ac diabolum virtutis ſuæ poteſtate comminuit. Via eſt, quia per ipſum ad Patrem acceſſus eſt. Veritas eſt, quia mendacium neſcit. Vita eſt, quia dat vitam. Ipſe enim, concludit P. Auguſtinus, omnia ſignificat. Igitur Margarita Chriſtus, quia nihil eo pretioſius haberi poteſt: Apoſtolus: *In quo ſunt omnes theſauri abſconditi*. Coloſſ. 2. Pſalmus: *Gloria & divitiæ in domo ejus*. Pſ. 111. Nec margarita ſolum, quia pretioſiſſimus, ſed quia generatio ejus margaritæ productioni ſimillima eſt. Concha uterus Virginis repletur rore cœli: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Iſaiæ 45. Lucæ 1. Gedeon ille cœleſtis, *concham rore implevit*. Judic. 6. Ergo margarita in concha, Verbum in utero Virginis. Cæteri Sancti, gemmæ; Verbum, margarita propter duo. Prima differentia: nam gemma de terra in mineralibus, ſed margarita de ſurſum e cœlo, id eſt, aere ortum habet, uti modo dictum eſt. Secunda differentia: natura gemma naſcitur rudis, indigeſta, impolita: eam opus eſt perficere, polire, ac elaborare: margarita nihil horum, ſed naturalem continet & retinet figuram & ſplendorem. Ita Sanctus de terra, Verbum e cœlo: *Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt*. Joan. 3. Item, omnis Sanctus nimio artificio efficitur perfectus: Chriſtus ab exordio, ſine labore perfectiſſimus eſt.

III. Sed quamvis cum aliis Sanctis SS. Virgo nativitate quidem gemma ſit; conditione tamen margarita eſt quia cum ſplendore orta eſt: non indiguit ferro laborante. Figura: in Templo, tertio Regum, *malleus & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita cum ædificaretur*. 3. Reg. 6. Sicut ergo Chriſtus Filius Dei & hominis gloriatur de eo, quod ex illa aſſumpſit, vocans ſe Filium hominis: Mat. 24. ita Virgo gloriatur de eo, quod ab illo recepit. Ibid. 25. Non gemma, ſed margarita. Nam natura gemma, gratia margarita pretioſa. Plinius (*b*): Culmen omnium rerum pretii margaritæ tenent. Quis pretium hujus margaritæ vel Angelus poſſit dicere? In quatuor pretium margaritæ eſt, ſcilicet, in magnitudine, ſplendore, rotunditate, & pondere. Quatuor hæc in Virgine ſpecioſiſſima perfecte reperiuntur. Eſt enim magna. In Cantico: *Quia*, inquit, *fecit mihi magna qui potens eſt*. Lucæ 1. Quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contuliſti. Eſt ſplendida: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Cant. 4. Non peccato originali, non macula veniali, non denigrata mortali. Fuit & rotunda: omnes ſancti angularis figuræ, quia in aliquibus virtutibus magis valebant quam in aliis; Ibid. 26.

Virgo

(*a*) Sermo eſt nunc primum in Appendice collocatus in noviſſima edit. ſub num. 113., alias fuit de tempore 190. Inde hauſta ſunt quæcumque hic traduntur uſque ad ea verba: *concludit P. Auguſtinus, omnia ſignificat*.

(*b*) Hiſtor. Natur. lib. 9. cap. 35.

Virgo undique rotunda: tam fortis ut Samſon, tam ſapiens ut Salomon. P. Auguſtinus (*a*), ſermone primo de Aſſumptione Virginis: Omnium quidem Sanctorum memoriæ mirabiles ſunt: Abel per ſacrificium nominatur, Enoch per complacentiam memoratur, Melchiſedech virgo Dei prædicatur, Noe per juſtitiam laudatur, Abraham per fidem approbatur, Iſaac per obedientiam memoratur, Jacob per luctamen beatificatur, Moyſes ſicut legislator laudatur, Jeſus nave ſicut dux memoratur, Elias ſicut zelotes teſtificatur, Iſaias ſicut locutor Dei ſcribitur, Daniel ſicut prudentiſſimus prædicatur, Ezechiel ſicut ſcriptor arcanorum numeratur, David ſicut pater ſecundum carnem myſterii dicitur, Salomon ſicut ſapiens nominatur; ſed nullus talis in mundo ſicut Genitrix Maria. Omnes virtutes, ut ait Bernardus (*b*), complectitur in gradu heroico. Virgo igitur ſphæra, cujus centrum eſt Deus. Neque veteris ſolum, Patriarchas & Prophetas, ſed etiam novi Teſtamenti Apoſtolos, Sanctoſque omnes pretioſiſſima noſtra margarita longe præcellit. In Apocalypſi: Civitas Sancta Jeruſalem, *habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim*. Muri contra ingruentes inſultus inimicorum munimen ſunt. Bernardus: Tremat terra, iraſcatur dæmon; ab omnibus Maria nos liberat, & defendit. Canticorum capite octavo: *Ego*, inquit, *murus: & ubera mea ſicut turris. Si murus eſt, ædificemus ſuper eam propugnacula.* Et iterum: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* En quomodo murus Maria.

IV. Neque magnus tantum & altus deſcribitur murus cœleſtis Jeruſalem, ſed & duodecim portas continens: *Habentem portas duodecim*. S. P. Auguſtinus (*c*) in hunc locum: In duodecim portis Apoſtoli intelliguntur & Patriarchæ; qui ideo portæ dicuntur, quia per doctrinam ſuam, æternæ vitæ januam pandunt. Bernardus (*d*) ſermone primo ſuper *Salve Regina*. Origo fontium & fluminum, mare: virtutum auctrix, & ſcientiarum ſcientia ſanctarum, Maria: quia ſicut ſol univerſa cœli lumina præcellit prærogativa claritatis eximiæ, ſic ipſa totam rationalem creaturam (poſt Filium) præcellit ſplendore virtutis & ſcientiæ. Iterum Bernardus (*e*): Hæc Domina, inquit, miſericordiæ porta eſt; quæ tanquam Mater ducet nos ad Filium, Filius ad Patrem. Eccleſia: *Felix cœli porta*. Porta cœli, & ſtella maris es Virgo Maria. Vide murum, ecce portam cœleſtis Jeruſalem, Mariam. Sed & *fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata* leguntur. *Fundamentum primum, jaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium, calcedonius: quartum, ſmaragdus: quintum, ſardonyx: ſextum, ſardius: ſeptimum, chryſolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chryſopraſus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethyſtus*. P. Auguſtinus (*f*): Ideo diverſitatem gemmarum, in fundamentis nominare voluit, ut dona diverſarum gratiarum, quæ Apoſtolis data ſunt, demonſtraret: ſecundum illud: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum;* & ſicut de Spiritu ſancto dictum eſt: *Dividens ſingulis prout vult*. Ergo gemmæ hic intelliguntur Patriarchæ & Prophetæ & Apoſtoli: & gemmæ pretioſæ quidem ſunt, lapides in fundamentis civitatis cœleſtis Jeruſalem ſunt; ſed equidem lapides ſunt, gemmæ de terra in fundamentis locati ſunt. Sola inter omnes Virgo margarita eſt, rore cœleſtis gratiæ ſuperplena; conceptione cœleſtis, nativitate, educatione, vita, morte, reſuſcitatione, aſſumptione, tota cœleſtis facta eſt margarita. Quod ſi in Apoſtolis & Prophetis diverſitas gemmarum dona diverſa intelligantur gratiarum: quis neſciat lapidibus & gemmis, Prophetis & Apoſtolis longe præſtare gratia & virtutibus unam hanc inventam margaritam Virginem Deiparam? Bernardus (*g*): Maria Dei Genitrix ſola Spiritus ſancti gratiam poſſediſti, quam alii habuerunt per partes. Ut recte concludat hunc in locum P. Auguſtinus (*h*): Et duodecim portæ ſigillatim; & unaqueque porta erat ex una margarita. Quaſi portæ duodecim Apoſtoli & Prophetæ, ſingulatim ex una, & ab una pretioſa noſtra margarita ſacratiſſima Virgine Maria: & de plenitudine ejus accipiant univerſi, & in plenitudine Sanctorum detentio ejus ſit. Et ideo *in medio populi* exaltetur, & *in plenitudine ſancta* admiretur, & *in multitudine electorum* habeat *laudem*, & *inter benedictos* benedicatur, *dicens: Ego primogenita ante omnem creaturam, & in omni populo & in omni gente primatum habui: Et omnium excellentium, & humilium corda virtute calcavi.*

V. Sed & pondus pretioſiſſimæ noſtræ margaritæ breviter exponamus. De hoc pondere Alexander de Ales (*i*): Sola in una

(*a*) Apud Bartholomæum Urbinatem in Millelo-quio Veritatis S. Auguſtini ſub tit. *Maria Virgo*; ſed ibi allegatur Sermo quintus. Vide vol. 2. col. 38. editionis Brixienſis an. 1734.

(*b*) Vide Serm. 4. in Aſſumpt. B. M. V. num. 6.

(*c*) Homil. 19. in B. Joannis Apocalypſim. Extat in Append. tomi 3. part. 1. noviſſimæ editionis. Vide Enarr. in Pſal. 86. num. 4.

(*d*) Serm. 1. in Antiph. *Salve Regina*, Bernardo olim adſcript. num. 2. Ipſa ſunt verba. Extant vol. 3. pag. 804. in edit. Mabill.

(*e*) Seu potius Nicolaus Clarevallenſis Serm. 2. in Nativ. Dom. num. ult. *Hæc Domina mea miſericordiæ porta. Ducat nos Mater ad Filium, Filius ad Patrem*. Extat Sermo inter ſpuria vol. 3. pag. 632. edit. Mabillon.

(*f*) Homil. 19. in Apocalypſim, paulo ante laudata.

(*g*) Seu Auctor Sermonum in Antiph. *Salve Regina*, paulo ante laudat. Serm. 4. num. 3. *Ergo & tu Maria genitrix Dei, quæ ſola totam Spiritus ſancti gratiam poſſediſti, quam alii habuere per partes.*

(*h*) Homil. 19. in Apocalypſim nuper allegata.

(*i*) Vide part. 3. quæſt. 9.

una ſtatera præponderat choris Angelorum, & Sanctorum totius mundi. Itaque: ſi per impoſſibile una ſtatera perdenda; Deus potius permitteret aliam omnino perire, quam illam in qua eſt Virgo. Pretioſa igitur margarita Virgo eſt. Eſt & aliud circa pretium margaritæ. Nam pretium margaritarum, non tam in eo quod ſunt, quam in æſtimatione. Si ad ruſticos portes margaritas, pro ſingula quadrantem dabunt: ſed Rex æſtimat. Duæ maximæ margaritæ fuerunt per omne ævum: utramque poſſedit Cleopatra Ægypti Reginarum ultima, ab Orientis Regibus ſibi traditam. Hæc, cum exquiſitis quotidie Antonius ſaginaretur epulis, ſuperbo ſimul ac procaci faſtu, ut Regina meretrix: lautitiam ejus omnem apparatumque obtrectans; quærente illo quid ſuperaddi magnificentiæ poſſet: reſpondit una ſe cœna centies plus abſumpturam. Quod fieri non poſſe arbitratus Marcus Antonius, ſponſionibus factis, poſtero die magnificam aliam cœnam ſed quotidianam Antonio appoſuit, irridenti computationemque expoſtulanti. Cui illa, corollarium id eſſe, conſumpturamque ſe ea cœna taxationem confirmans, ſolamque ſexcenties plus cœnaturam; inferri menſam ſecundam juſſit, & unum tantum vas eidem imponi aceti, cujus aſperitas in tabem margaritas reſoluit. Itaque expectante Antonio quidnam eſſet actura, detractam alteram margaritam ex duabus quas auribus
(a) gerebat, valoris, ut narrat Macrobius (a), ducentorum quinque millium aureorum, reſolutam abſorbuit. Alteri dum manum injiceret L. Plancus, judex ſponſionis ejus; cum eam abſumere pariter non potuiſſet, tantæ æſtimationis, ſicut ait idem Author, ut quantum integrum regnum fieret; deæ Veneri Regina conſecravit. Valor ergo in æſtimatione, non in natura. Sic & Virginem natam conſideres: pulchra quidem puella, de genere Regio, nobilis, virtutibus ſplendens, munditia pollens, &c. Sed non in hoc valor, non recta eſt ejus æſtimatio in natura. Vide gratiam, aſpice extractionem. Prima eſt omnis creaturæ, Eccleſiæ univerſalis Patrona, Angelorum Domina, quam omni reverentia veneratur ut Dominam, denique Matrem Dei. Ecce valor pretioſiſſimæ noſtræ margaritæ.

VI. Neque pretioſa tantum, ſed & una. Una: quia non habet parem. Quia nec ſibi ſimilem viſa eſt, neque habere ſequentem. In Eccleſiaſticis hierarchiis nullus ſolus: unus Patriarcha, & alius Patriarcha: unus Propheta, & alius Propheta. Diſcurre per omnes. Sola una Virgo & Mater Dei: non dabis aliam Virginem & Matrem, & Matrem
(b) Dei. Secundum Bonaventuram (b) in ſecundum Sententiarum: Sola per ſe facit chorum. Una ergo Virgo eſt. In Canticis:
Cant. 6. *ſeptuaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus, una eſt columba mea, perfecta mea.* Expone, ut in alio ſermone. In Feſto Aſſumptionis B. V. M. Concione 5. Vide ibi conſequenter. Sed pretioſa noſtra margarita non ſolum una, ſed etiam inventa. Nec leviter nec noviter, nec fortuito inventa, ſed a ſæculo electa, ab Altiſſimo prægnita, & ſibi præparata, ab Angelis ſervata, a Patribus præfigurata, a Prophetis promiſſa. Scrutare Scripturas, & proba quæ dico. Ut pauca loquar de pluribus: quam tibi aliam prædixiſſe videtur Deus, quando ad ſerpentem ait: *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Gen. 3. Quod ſi adhuc dubites an de margarita noſtra, an de Virgine Maria dixerit; audi quod ſequitur: *Ipſa conteret caput tuum.* Cui hæc victoria ſervata eſt, niſi Mariæ? Ipſa proculdubio, caput contrivit venenatum, quæ omnimodam diaboli ſuggeſtionem, tam de carnis illecebra, quam de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum. Quam etiam aliam Salomon requirebat, cum dicebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 31. Noverat quidem Vir ſapiens hujus ſexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem: quia tamen legerat Deum promiſiſſe, & ita videbat congruere, ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipſam, vehementer admirans ajebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod eſt dicere: Si ita de manu feminæ pendet noſtra omnium ſalus, & innocentiæ reſtitutio, & de hoſte victoria: omnino neceſſe eſt, ut fortis provideatur, quæ ad tantum opus poſſit eſſe idonea. *Mulierem*, inquit, adeo *fortem quis inveniet?* At ne hoc quæſiſſe putetur, quaſi non inventam: ſubdit prophetando: *Procul & de ultimis finibus pretium ejus. Procul*, id eſt, olim, ab antiquo: *& de ultimis finibus:* hoc eſt, ab initio & ante ſæcula prænuntiata eſt futura; hoc eſt: *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam* Mariæ. Iſaiæ 24. Hoc eſt: non noviter non fortuito inventa, ſed a ſæculo electa, ſed a Deo prægnita.

VII. Dices: Si prægnita, quomodo inventa? ſi numquam perdita, quomodo inventa? Ideo forte quis dicat: non ſic intelligendum: Inventa quaſi inventa ſit; ſed inventa idem ſit ac præmeditata, excogitata, adinventa. Nam inter Dei admirabiles inventiones, de quibus Iſaias: *Notas facite in* Ibid. 12. *populis*, narrate *adinventiones ejus;* una mirabilis Virgo. Nam dic: Quid mirabilius, quid magis novum quam margarita ex cœno, quam *mulier amicta ſole*, quam femina Apoc. 12. in utero habens Deum? *Creavit Dominus novum ſuper terram.* Omnia novitate plena. Jer. 31. Gignit ſine viro, parit ſine dolore, Mater & Virgo, Mater Æterni, Mater ſui Patris, ſui Factoris. *Homo natus eſt in ea*, qui *fundavit eam.* Magna igitur inventio Virgo. Pſal. 86. Sed ſi inventa in ordinario ſenſu exponas:

non

(a) Saturnal. lib. 3. (b) In 2. Sent. diſt. 9. quæſt. 7.

non repugnat: perdita enim fuit illa innocentia, illa puritas ab Adam, candor ille margaritæ perditus est per peccatum. Alias, omnes similiter sine peccato essent, ut Virgo, & sine fomite. Nunc autem candor perditus, noviter inventus est in Virgine a mundo. Sed non erat de mundo: erat a Deo. Ipse eam speciali privilegio sic decoraverat. Ideo nunc mundus inventam Dei margaritam restituit Deo, offerens ei in templo. Tua est Domine, invenimus eam in domo Joachim: nolumus furti argui; accipe tuam margaritam. Neque enim decet, tam pulchram, tam speciosam margaritam mundanis usibus applicari. Accipe donum tibi gratissimum. Sed ad quid in templo margarita hæc? Utique Domine: in lucem edita in domo probaticæ Joachim hodie ad templum adducitur: & deinde in domo Dei plantata atque per Spiritum saginata, instar olivæ frugiferæ, virtutum omnium domicilium efficiatur: ut quæ videlicet ab omni hujusce vitæ & carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atque ita virginem una cum corpore animam conservasset, ut eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat. In Templo, inquam, hodie adducitur, ut *opere cælatoris*, Spiritus sancti magni artificis, sculpatur in ea *Sanctum Domino*, & ponatur in tiara, in fronte Pontificis, sicut habetur Exodi vigesimo octavo capite. Sic factum est dicente Angelo: *Quod nascetur ex te Sanctum*. Ecce Sanctum Domini. Noverat Spiritus sanctus qui ore Angelico loquebatur vocabulum, quod ore prophetico prædixerat. Sanctum enim Dominum futurum, omnis Sriptura commemorat, ut ait Hieronymus (a). Duodecim igitur Apostoli, quasi duodecim gemmæ sunt, in rationali in pectore: alii Sancti velut gemmæ sunt sparsæ per totam vestem: & sicut mala punica, & tintinnabula aurea in ora chlamydis ejus; sed hæc margarita in fronte, in loco altiori, honoratiori, super omnes.

Exod. 28. *Lucæ* 1. (a) *Exod.* 28.

VIII. Sed non dabitur Sanctum hoc Domini canibus; neque pretiosa margarita nostra porcis. Sicut enim si canibus dederis Sanctum, aut porcis margaritas, nec Sanctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos: sed e contra canes coinquinant Sanctum, & porci margaritas sordidant vel confringunt; ita, si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus Sanctum dederis vel margaritas porrexeris, id est mysteria secreta de Deo simul & homine, de Matre pariter ac Virgine credenda & veneranda proposueris: nec Sanctum illud eos sanctificat, nec margaritæ ipsos oblectant: sed e contra, ipsi Sanctum istud coinquinant, margaritam nostram pessumdant, mysteria veritatis blasphemant. Sanctum est corpus Christi, propterea illis solis dandum est, qui capaces facti sunt.

Mat. 7.

Item, ejusdem Christi Domini Mater, margarita est: quia sicut margaritæ inclusæ cochleis positi sunt in profundum maris, sic virginitatis simul & maternitatis, involuta & altissima mysteria fidei sunt. Et sicut non omnis homo potest se mergere & de profundo tollere margaritas nisi in arte peritus, sic non omnis homo potest descendere in altitudinem sacrorum mysteriorum, & invenire absconditas margaritas, sed fidem catholicam vita & moribus edoctus tantum. Alioqui, si porcis secretorum mysteriorum miseris margaritas, cœnosæ vitæ delectatione gravati, non intelligunt pretiositatem earum; sed æstimantes eas similes esse cæteris fœditatibus mundialibus, similiter eas carnalibus actibus conculcant, & frequenter scandalizati, eas calumniantur. Similiter; si talibus canibus qualibus diximus, dederis Sanctum; suscipiunt quasi canes sine discretione, & sordidis actibus suis conculcant illud, & pro nihilo æstimantes quod acceperunt, conversi disputationibus suis, quasi latratibus irrationabilibus obstrepunt. Sed licet canis & porcus ambo immunda animalia sint, canis tamen ex omni parte immundus, quia nec ruminat, nec ungulam habet fissam; porcus autem ex parte immundus est: nam, quoniam ungulam habet fissam mundus est, quia vero non ruminat, immundus habetur. Propter quod canes puto intelligendos Gentiles & hæreticos omnino immundos: nam etsi propter actus suos malos immundi sunt; & propter perfidiam suam vel idololatriam amplius immundi sunt. Porcos autem christianos dixerim carnalibus & immundis voluptatibus deditos, quoniam propter fidem quidem suam mundi sunt, propter actus autem suos sordidos habentur immundi.

Levit. 11.

IX. Aut canes quidem gentiles: porcos autem hæreticos propter aliquid eorum mundum: quia nomen Domini invocare videntur, sed ex moribus licet intelligere, qui sint canes, qui porci. Canis naturale est improbum esse, nunquam vocem mittere propter aliquam alteram causam, sicut cætera animalia, nisi ad nocendum; interdum autem & de superfluo in aerem latrare. Tales sunt omnes Gentiles vel hæretici inapprobabiles, latrantes plurimum adversus Matrem Dei, latrantes aliquando adversus Deum blasphemiis: ululantes aperte, sed nunquam os suum aperientes nisi ad cavillandum, & nunquam ad bonum extollendum. Item porci proprium est, in cœno se volutare, & nunquam in cœlum aspicere, nec quærere dominum suum, nisi cum esurierit. Tales sunt etiam Christiani qui in carnalibus immunditiis delectantur, nec aspiciunt aliquando cœlos, nec quærunt Deum, ejusque sacratissimam Matrem venerantur, nisi cum necessitas eis advenerit: & tunc quidem evo-

(a) Lib. 1. Comment. in cap. 2. Matth.

munt malum ſuorum criminum; revertuntur autem ad vomitum ſicut canes ceſſante moleſtia & adverſitate: & iſti projiciunt ſtercora peccatorum ſuorum quando pœnitent: revertuntur autem ad ſtercora ſua ſicut porci, quando omiſſam repetunt vitam. Quibus, ut inculcatum eſt, neque Sanctum ullatenus dandum eſt, neque porrigendæ ſunt margaritæ. Sed nunquid non dabitur margaritam noſtram adinvenire, & inventa potiri? Utique: *Invenitur enim ab his qui non tentant illam, & apparet eis qui fidem habent in illa.* Unde ipſa de ſe in Epiſtola hodierna: *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Et invenientibus quid? *Qui me invenerit*, inquit, *inveniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino*, ſalutem, ſempiternam gloriam: ad quam nos perducat, qui nos perditos quæſivit & invenit Jeſus Chriſtus, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Prov.26. *Sap. 1.* *Prov. 8.* *Lucæ 15.*

CONCIO
DE DOMINA NOSTRA.

Quantum debes Domino meo. Lucæ 16. v. 5.

(*a*) * CONCIO CLVII.

I. EX Plinio (*a*) ſeptimo libro Hiſtoriæ, capite primo & quinquageſimo: mundum hunc a Deo creatum, & in eo terram, gentes, maria, inſulas, inſignes urbes, hortos, prata, nemora, cæteraque videmus: omnia in hominis miniſterium, cujus cauſa conſtat naturam cuncta alia genuiſſe. Sed magna & ſæva mercede contra tanta ſua munera: ita ut controverti merito poſſit; an vera parens, an triſtis noverca homini fuerit natura. Enim vero: quibus ſolus prædominatur, cunctorum animantium eget opibus. Cæteris quidem varia tegumenta natura tribuit: homo qui cunctis animantibus imperat, reliquis omnibus fragilior naſcitur, & nudus & infirmior. Job: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Cæteris creaturis, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumas, pennas, ſquamas, natura donavit: nam plumis aves, pilis animalia, teſtudo concha, acutis ericius ſpinis, oves lana, ſquamis piſces, corio boves, cataphracta balenæ teguntur; quin & truncos arboreſque cortice interdum gemino a frigoribus & nive natura tutata eſt: & ſtatim cum naſcitur hœdus vadit poſt matrem, natant anates, roſtrant pulli, & ſciunt comedere & ambulare: hominem tantum nudum & nuda hunc natalis dies abjicit ad vagitus ſtatim & ploratum, nullumque reperitur animalium pronius ad lacrymas ab exordio. Etiam dedit natura tauro cornua; leoni, leopardo, aquilæ ungues; urſo vires, ſerpentibus venenum, cani dentes, tanquam arma quibus ſe tueantur; ſolum hominem protulit inermem. Quin, vixdum natum, quæ ne quidem mox genitas feras conſtringunt, faſciæ & vincula infantulum excipiunt, & omnes membrorum nexus: ita ut natus jaceat manibus pedibuſque devinctis homo cæteris imperaturus, & a ſuppliciis vitam auſpicetur; unam ob culpam, in qua natus eſt. Hominem, primum temporis munus, quadrupedi ſimilem facit. Quando homini inceſſus? quando vox? quando firmum cibi os? quamdiu palpitans vertex, ſummæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? quid de morbis totque medicinis contra mala excogitatis? Incertum & fragile eſt quidquid nobis datur a natura, malignum & breve etiam in iis quæ contingit largiſſime quibuſdam profundere. Quin etiam, computato ſomno, dimidio quiſque ſpatio vitæ ſuæ vivit, mortuo ſimilis etiam dum quiete dormit. Nec reputantur infantiæ anni, qui ſenſu carent; in ſenecta, in pœnam quaſi viventis relicti. Quis enumeret periculorum genera, metus, curas: unde toties invocatur mors, ut nullum frequentius ſit votum, & natura nihil brevitate vitæ cenſeatur præſtitiſſe melius. Hebeſcunt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus: dentes etiam ac ciborum inſtrumenta: ita ut pro miraculo reputetur Xenophilum muſicum centum & quinque annis vixiſſe ſine ullo corporis incommodo (*b*). Et ſicut nulli vita fragilior; ita nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confuſior, nulli rabies acrior. Denique, cætera animantia in ſuo genere probe degunt, congregari videmus, & ſtare cuncta ſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petit ſerpentes; & ne maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diverſa genera ſæviunt. Et tamen ſoli homini plurima ex homine mala ſunt. Diſcordiæ ſunt, rixæ, contentiones ac diſſenſiones ſunt, invidiæ ſunt, detractiones, lites & odia ſunt.

(*b*)

II. Mirabile hoc! præſtantiorem fragiliorem

(*a*) Vide Proæm. lib. 7. (*b*) Refertur a Plinio Hiſtor. natur. lib. 7. cap. 50.

rem natura produxit. Et quæ ratio hujus? Ad hoc reſpondet Chryſoſtomus (*a*) ſeptimo capite ſuper Matthæum: Creaturam, inquit, ſenſibilem Deus armavit & munitam creavit: alios enim munivit veloci pedum curſu, alios armavit unguibus, alios velocibus pennis, alios cornibus: hominem autem ſolum ſic diſpoſuit, ut virtus illius ſit ipſe: & in eo quod infirmiorem eum fecit omnibus, in ipſo fortiorem eum voluit eſſe in ſe. Nam ſciens Deus, quia cognoſcere & colere Deum, vita æterna eſt: ignorare autem & contemnere, perditio ſempiterna: nec ita infirmum eum creavit, ut omnino nihil boni facere poſſet, ne quem ſuper omnia, & propter quem omnia fecerat, omnibus inveniretur eſſe deterior; nec ita potentem eum creavit, ut etiam ſine Dei auxilio ex ſeipſo facere poſſet quod vult; ut infirmitatis ſuæ neceſſitate compulſus ſemper neceſſarium habeat ſuum Factorem. Si enim omnis virtus hominis in Deo eſt, & tamen contemnit omnium bonorum ſuorum Authorem; quanto magis negligeret Deum, ſi potentia ejus eſſet in ipſo? Ergo, ideo hoc factum eſt, ut homo plus Deo egeret, & in neceſſitatibus ſuis ad Deum Factorem recurreret. Et ſi obliviſceretur Factoris ſui, ipſa indigentia faceret recordari quotidie illius, cujus auxilio ſemper eget, ut neceſſitates naturales ſuppleat, & ita, infirmus in ſe, in Deo firmus exiſtat. Et, ut dicit Propheta: *In ſilentio, & ſpe erit fortitudo* tua. Sed licet miſerum ſit naſci nudum corpore; miſerabilius eſt, quod naſcamur nudi in anima, nudi gratia & virtutibus, veſtiti peccatis. Hanc nuditatem communem omnibus, ſpeciali privilegio abſtulit Deus a Virgine; quæ ſancte concepta, ſancta & immaculata eſt. Ideo, bene dicitur de ea: *Quantum debes Domino meo.*

III. In decore illo virgineo ſtatim monſtratum eſt, quia ad aliquid majus homine eſſet a Deo præordinata. Et ita fuit: nam *homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam*, ut fieret in ea. Creavit eam, ut naſceretur ex ea, qui fecit eam. Magnum fundamentum! De hac fundatione templi ſancti, ait in Canticis: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem.* O pulcherrima ſtructura cœnaculi! Vide ſimiliter in Iſaia: *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos lapides deſiderabiles.* (*b*) S. P. Auguſtinus (*b*) ſermone primo de Aſſumptione Virginis: Hæc eſt, inquit, vera illa domus, de qua per Salomonem dicitur: *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Septem namque virginalis hæc domus columnis fulcita eſt: quia veneranda hæc Mater Domini, ſeptem Spiritus ſancti donis dotata fuit. Quam talem utique æterna Sapientia ædificavit, ut digna omnino eſſet, ex qua ipſe carnem aſſumeret, inæſtimabile ſcilicet pretium ſalutis humanæ. Quid dignius in hac Virgine, quid ſanctius in humani generis ſerie potuit exoriri? Cui nullus Patriarcharum, nullus Prophetarum, nullus antiquorum ſequentium Patrum, nullus prorſus hominum poterit comparari. Nec mirum, ſi Virgo cunctorum celſitudinem tranſcendit mortalium; cum partu ſuo, etiam beatorum excellat meritum Angelorum. Ecce pulchrum ædificium Virgo, in quo lapides pretioſi ſternuntur, & aurum ſolo æquatur! *Erat*, inquit, *ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa vero civitas aurum mundum, & fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioſo ornata.* Et iterum: *Platea civitatis*, inquit, *aurum mundum.*

IV. Sed, dicite obſecro: quare non fit mentio de tecto? de cooperimento? Si tam pretioſum eſt fundamentum, quod magis forte quam pretioſum debet eſſe. Quæro, quid ponetur in tecto? Ecce varias & diverſas Virginis virtutes, lapides illi ſignificant, quibus domus conſtruitur. Sed quæro: quid eſt in terra, quo poſſit tectum pulcherrimi iſtius ædificii fieri? Certe, ideo de tecto ejus non fit mentio, quia ſolus Deus eam tegere voluit: Ecce Angelus: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Pondera verbum: *Superveniet*; & verbum, *obumbrabit*: quod pertinet ad tectum. Interim: ſi virtus aliqua pro tecto aſſignanda ſit Virgini; iſta fuit humilitas. Sanctus Ildephonſus (*c*) ſermone ſecundo de Aſſumptione Virginis: Nullam, ait, virtutem Virginis magis Deus reſpexit, quam humilitatem. Humilitas ſeipſa cuſtos eſt omnium virtutum. Quid eſt aliud, *nardus mea dedit odorem ſuum*: quam placuit humilitas? Adeo, ut cum eſſet Rex in accubitu ſuo, illuc quoque humilitatis odor aſcenderit, & ad eam Deitatis majeſtas ſe inclinaverit: & ideo, adeo ſancta eſt, quia humilis fuit. *Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. In uno oculorum tuorum*, id eſt, in fide. *Et in uno crine colli tui*, id eſt, humilitate. Non lancea aut pugione, non clavo, ſed uno crine vulneratur. O terebra cordis humilitas! Hæc eſt nervus, quo ejaculatur ſagitta amoris. Quæ bene dicitur capillus: tam propter ejus tenuitatem quam propter vilipendium.

Prov. 9.
Apoc. 21.
Lucæ 1.
(*c*)
Cant. 1.
Ibidem.
Ibid. 4.

(*a*) Seu Auctor imperfecti Homil. 18. in Matth. ſub initium.

(*b*) Apud Bartholomæum Urbinatem in Milleloquio Veritatis S. Auguſtini ſub tit. *Maria Virgo*, vol. 2. col. 37. editionis Brixienſis an. 1734.

(*c*) Serm. 2. de Aſſumpt. Virg. Bibliot. Patrum tom. 12. *Non enim ait, quia reſpexit virginitatem meam, aut innocentiam, aut aliam quarumlibet virtutum gratiam; ſed ſolam humilitatem ſuam reſpexiſſe Dominum, humiliter fatetur.*

Sed non de capite, ſed de collo. Virgo in corpore myſtico collum eſt: Chriſtus vero *eſt caput Eccleſiæ*. Coloſſ.1. Samſon funibus non ligatur; Deus vero uno capillo ligatus eſt a Virgine. Judic.15. Ecce Divinitas ejus, neſciens quaſi ejus virtutem, capillo de collo, id eſt, humanitate de Virgine ſumpta, ligata eſt. Nam, obſecro, quomodo teneretur ad columnam, quomodo pendet in cruce, quomodo ligatus eſt a Judæis, niſi humanitate. P. Auguſtinus in Pſalmum ſexageſimum tertium. Non enim teneretur niſi homo, aut videretur niſi homo, aut cæderetur niſi homo, aut crucifigeretur, aut moreretur niſi homo. Ecce ergo, capillo de Virgine ſumpto, tentus eſt Deus in mundo, id eſt, in humanitate. Quod autem humanitas capillus dicatur, patet in Canticis: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*. Cant. 5. *Caput meum*, id eſt Divinitas mea: *plenum eſt rore*, ſcilicet gratiæ & donorum: & *cincinni mei*, id eſt humanitas: *guttis noctium*, guttis ſanguinis, guttis dolorum, guttis afflictionum. Ecce Divinitas Chriſti, caput Chriſti beneficum; humanitas Chriſti, capillus Chriſti attritus.

V. Nota figuram de hoc: Dicitur de Abſalom, quod *vir non erat pulcher in omni Iſrael* ut ipſe, & quod eſſet *decorus nimis; a veſtigio pedis uſque ad verticem non erat in eo ulla macula: & quando tondebat capillum*, idque ſemel in anno, *ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis, pondere publico*. Pondera omnia: Abſalom, interpretatur, Princeps pacis. Iſaiæ 9. De Chriſto Iſaias quid ait? *Parvulus*, inquit, *natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus: Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*. De Abſalome teſtatur Scriptura, quod *vir non erat pulcher in omni Iſrael*, ut ipſe, *decorus nimis*, & quod *a veſtigio pedis uſque ad verticem non erat in eo ulla macula*. De Chriſto Domino Pſalmiſta Regius: *Speciosus forma*, inquit, Pſal.44. *præ filiis hominum*. Et Sponſa: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*. Cant. 1. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius*. Sap. 7. Unde Apoſtolus: *Cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis*. Heb. 1. Hujus ſpiritualis noſtri Abſalomis cæſaries tondebatur ſemel in anno: quia ut ait Apoſtolus: *Chriſtus introivit ſemel in Sancta* Sanctorum, *æterna redemptione inventa*. Et Petrus: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt*. Et iterum Paulus: *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo*. Er-

A go ſemel; ſed, & ſemel in anno. Paulus Apoſtolus: *In priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine, &c. quæ* Heb. 9. quidem, inquit, *parabola eſt temporis inſtantis*. Exod.30. Eamque vertens, ſtatim ſubinfert: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per* Heb. 9. *amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id eſt, non hujus creationis: neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa*. Et, *ponderabat* 2. Reg. B Abſalom *capillos* ſuos *ducentis ſiclis, pondere* 14. *publico*. Si vis ſcire quantum ponderet capillus noſtri veri Abſolomis: audi Job: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram* Job 6. *merui in ſtatera, quaſi arena maris, hæc gravior appareret*. Gravior enim multo fuit Chriſti paſſio quam peccatum; nam unus dolor ſuffeciſſet pro mille mundis. *Pondere publico:* quia in ſtatera publica capillus humanitatis ponderatur in monte calvariæ. Hæc quidem de capillo ſpiritualis noſtri Abſalomis.

C VI. Ut vero de oculo Sponſæ noſtræ, Immaculatæ noſtræ breviter aliquid dicamus: Nota, quod Domina noſtra unum oculum habet ad Deum, alterum ad peccatorem. Ideo uno oculo vulnerat Deum, illo ſcilicet, quo ipſos peccatores proſpicit. O quomodo ſuccurrit noſtris neceſſitatibus! De hoc, nota figuram in libris Regum: de illa muliere, quam miſit Joab ad Regem, ut deprecaretur eum pro filio reo Abſalome. Dicit ei: *Lugere te ſimula, & induere veſte lu-* 2. Reg. *gubri*. 14. Hæc meditatio eſt Virginis pro peccatore. *Lugere te ſimula* Virgo. Ecce non habes jam unde lugeas. Jam Filius tuus non vul- D neratur, non flagellatur, non crucifigitur: præterierunt paſſiones ejus & dolores & planctus. Tu feliciſſima regnas in gaudio: ſed, o Domina noſtra, pro nobis *lugere te ſimula* coram Rege ſedente in throno, ut veniam impetres reo. Domina noſtra ſic reſpicit peccatores, ut ubicumque ſint, ſemper reſpiciat. Neque peccatores ſolum, ſed generaliter omnium miſeretur, & eſt illi cura de omnibus. Sive peccator ſive juſtus, ſive lugens ſive gaudens, ſive in proſperis ſive in adverſis, ubicumque ſis, ſemper te proſpicit: in adverſis ne frangaris, in proſperis E ne leveris, ſuccurrit ſuo auxilio. Habentes ergo adjutricem certaminis noſtri glorioſiſſimam Virginem, ſub ejus protectione confugiamus, quæ toto mundo protulit languidis opem. Virginis, inquam, nos interceſſionibus committamus, ejus patrocinia omnes imploremus. Sed, ut ait S. P. Auguſtinus ſermone tertio (*a*) de Nativitate Vir- (*a*) ginis: Quid prodeſt eam interpellare vocibus, niſi etiam ejus humilitatis exempla teneamus? De humilitate vide pulchrum punctum

(*a*) Sermo eſt 208. in Append. noviſſimæ editionis in Feſto Aſſumptionis, alias de Sanctis 35., & poſt in Append. 83. Verba hic allegata leguntur num. 12.

(a) ctum in Gerſone (a): Sancti omnes, quo ſanctiores ſunt, eo humiliores eſſe rationabile eſt. Ideo, quia cum omnis creatura quantum eſt de ſe, tendat ad nihilum, niſi manu teneatur, omnis creatura, quanto particularibus donis & gratiis magis eſt dotata, tanto eſt in periculo majoris caſus. Nam ante ruinam exaltatur cor, & ipſum exaltari eſt concutere: quanto autem quis pluribus excellentiis pollet, tanto in majori periculo eſt ut elevetur, imo ut corruat. Tanto ergo eſt in majori tremore & ſuſpicione ſui caſus, quanto ſcit ſe ex virtutibus & gratiis, quantum eſt de ſe, eſſe caſui & præcipitio proximiorem & aptiorem. Conſequens eſt ergo, ut tanto magis & ſuam trepidet fragilitatem, & in Domino ſuam ponat fiduciam, & petat auxilium, quanto ſcit ſe eſſe in majori periculo: & per hoc, 1.*Tim.*2. tanto fit humilior. Hinc eſt, quod Paulus Gentium Prædicator, ſe minimum Apoſtolorum, & indignum vocari Apoſtolum, dicit. 1. *Cor.* 15. Hinc Joannes, de quo Veritas: *non ſurrexit* *Mat.* 11. *major*; de ſe ait: *Non ſum dignus procum-* *Marc.* 1. *bens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus:* *Mat.* 3. qui tamen factus eſt capitis ablutor in Baptiſ- *Lucæ* 5. mo. Hinc eſt, quod Petrus *procidit ad genua* *Jeſu, dicens: Exi a me, quia homo peccator* *Mat.* 16. *ſum, Domine:* ſed factus eſt Petra Eccleſiæ. *Lucæ* 1. Hinc Domina noſtra ancillam ſe nominat, ſed facta eſt Mater. Hinc Dominus Jeſus, vermem & non hominem ſe dicit, ut tanto humilior, quanto major. Nota ad hoc propoſitum, bonam comparationem. Sicut vas vel patera, quanto opus eſt ſubtilius, tanto eſt in periculo majori; ita, quanto homo eſt ſpiritualior, & pluribus virtutibus cumulatior, tanto eſt in majori periculo ut decidat. Nam, & in naturalibus, ut ait Sanctus Thomas, ideo homo cæteris animalibus pluribus minus vivit, quia eſt opus ſubtilius. Nam ligatura illa carnis, & ſpiritus eſt nimis ſubtilis.

VII. Verum ad Glorioſam Virginem redeamus. O Domina, *quantum debes Domino* *Ibid.*16. *meo!* Qui profundiſſimæ Divinæ ſapientiæ, ultra quam credi poſſit, penetrare te fecit abyſſum. In tantum, ut abſorpta videatur in Deitatem humanitas. Non quod immutata ſit ſubſtantia, ſed affectio Deificata: ita ut, operiri undique & circumfundi, & tanquam ipſo Deo concludi merueris: paulo minus adoraturus quaſi feminam, qui ſolebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari. Quam familiaris Deo facta es Domina, quam intima fieri meruiſti! Quantam inveniſti gratiam apud Deum! In te manet, & tu in eo: & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ majeſtatis. Veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris. Et quidem, quod verum Deum & Dei Filium genueris, ut idem ipſe Dei atque hominis Filius, unus omnino Deus & homo ex te prodierit: ſi rerum pretia de raritate penſamus, nihil hoc poteſt rarius inveniri. Quis enim iſtam generationem, Fratres mei, poterit ſermone enarrare, quis linguæ facundia explicare? O Domina, *quantum debes Domino meo!* *Ibidem.* Sed, ut cum SS. Doctore Parente Auguſtino ſermone ſecundo de Nativitate Virginis (b) diſcurſum finiamus: dic mihi, quæſo, (b) Sancti Sanctorum Mater, quemadmodum materni odoris lilium convallium nivei coloris ſine ſucco humanæ propaginis, & ſine imbre carnalis ſeminis in ſinu Eccleſiæ germinaſti? Dic mihi, quæſo unica Mater, quibus manibus, vel quo Deitatis articulo in utero tuo formatus eſt Filius, cujus Deus ſolus eſt Pater? Dic, obſecro te, per eum qui talem fecit te, ut ipſe fieret in te, dic, inquam mihi, quid boni egiſti, quantum præmium obtuliſti, per quas poteſtates ambiſti, quos patronos habuiſti, quæ ſuffragia præmiſiſti, quo ſenſu, vel qua cogitatione, ad hoc, ut reciperes perveniſti, ut & Virtus & Sapientia Patris, quæ *attingit a fine uſque* *Sap.* 8. *in finem, & diſponit omnia ſuaviter* totus ubique manens, & ſine ulla ſui mutabilitate in uterum tuum veniens, ita caſtellum caſtum tui ventris incoleret, ut & ingrediens non læderet, & exiens incolumem cuſtodiret? O Domina, *quantum debes Do-* *Lucæ* 16. *mino meo*, qui gratis te adeo mirificavit, magnificavit, & magna tibi fecit, qui potens eſt, & facit mirabilia magna ſolus!

IN

(a) Lectione ſecunda in Maſcum. tom. 4. noviſſimæ editionis.

(b) Apud Bartholomæum Urbinatem in Millelo- quio Veritatis S. Auguſtini ſub tit. *Maria Virgo* col. 32. editionis Brixienſis an. 1734. uſque ad ea: *incolumem cuſtodiret?*



IN

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

CONCIO PRIMA.

QUINAM SINT QUI ASCENDERUNT, ET DE MODO ASCENDENDI IN MONTEM.

Videns Jesus turbas ascendit in montem. Matth. 5. v. 1.

* CONCIO CLVIII.

I. NATURALE est omnibus exulantibus a patria desiderare, audire nova de illa: & quando aliquis venit de longinquo, de terra in qua nati sunt; lætantur nimis scire & audire, quomodo se habeant cuncta, quæ ibi sunt: & quoniam non possunt videre, delectantur audire. Si hoc faciunt terreni pro terrena patria, quid nos creati ad illam cœlestem patriam in qua non uno vel centum annis, sed perpetuo victuri sumus? Quam dulciter sapit sermo talis in faucibus animæ anhelantis! O anima si scires, quæ & qualia tibi parata sunt in ista tua cœlesti Jerusalem! O quantum deplorares tarditatem perveniendi & moram! Si scires, qualis ibi societas Angelorum, quale consortium Sanctorum, qualis fruitio Dei, qualis ibi lætitia, qualis abundantia! Psalmus: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Et quæ causa lætitiæ & gaudii? Audi: *Dominus in eis.* De istis nobis futurus est sermo, quos Dominus honorificavit & exaltavit in regno gloriæ suæ; juxta illud: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Hos laudare concupiscimus; dicente Propheta: *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Non enim tam ipsos Sanctos, quam Dominum in Sanctis laudamus. Vide initium sermonis quarti in in festo omnium Sanctorum. Sed si Deum in Sanctis suis laudare jubemur; quanto magis in illo sacrario Virgine gloriosa? ideo sequitur: *Laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Virgo illa cœlestis, omnium virtutum firmamentum, omnium bonorum exemplar extitit: & hæc dives in omni thesauro Dei.

Psal.67. Jo. 12. Ps. 150.

II. Verba thematis de capite Christo dicta sunt: videns enim turbas, misericordia motus, ascendit in montem Calvariæ. Sed hodie de membris ejus exponenda sunt, quæ etiam nomine capitis nuncupari possunt, charitatis unione idiomata & nomina communicante. Videntes ergo Sancti sæculi turbas ascenderunt in montem. Duo puncta dicemus: primum: qui sunt isti qui ascenderunt: secundum: modus ascendendi quo ascenderunt: Psalmus: *Quis ascendet in montem Domini,* A *aut quis stabit in loco sancto ejus?* Vidit Propheta sæculi turbines, circumlustravit omnes homines: vidit superbos, elatos, cupidos, cæcos, terrenos, sæculo implicatos; vidit & cognovit, quod *omnes statuerunt declinare oculos suos in terram:* omnes pergunt post avaritiam. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum;* & intra se ait: *Numquid vane,* Domine, *constituisti omnes filios hominum?* Numquid in vanum hominum generatio creata est, & fine suo frustrabitur? *Quis ascendet in montem Domini?* Non ascendet B superbus, non luxuriosus, non avarus, non pomposus, non negotiator; de quibus Apostolus: *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Quis ergo ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Sunt enim nonnulli, qui audita C æternitate cœlestis beatitudinis, commoventur & levantur; jamque animo ascendunt, jamque tenentur desiderio. Quis enim vel ferreus animus in tantam plenitudinem bonorum, non concitetur & ardeat, si paululum incœperit intelligere? sed tamen, licet ascendant, non stant, non durant, non perseverant: *Quoniam in tempore tentationis recedunt.* Statim devolvuntur ad ima. Ideo clamat Propheta: Quis stabit in monte, aut quis commorabitur?

Psal.13. Psal.88. Gal. 5. Psal.23. Luc. 18.

III. Sed respondet Apostolus Prophetæ: *Sancti per fidem operati sunt justitiam: Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula* D *& carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ; & hi omnes testimonio fidei probati sunt.* Isti sunt habitatores cœlestis montis, isti sunt in loco sancto ejus. Ecce habitatores superni, ecce qui ascenderunt! Ecce vitam tam asperam & fragosam! & tu in deliciis o homo putas associari

Heb. 11.

ri illis lotis manibus, qui toto corpore affi sunt; & cum vestimentis immundis luxuriæ, toto corpore maculato, consociari eis, qui habent vestimenta rubricata sanguine proprio? O quam juste admiratur Propheta: Quis ascendet, quis merebitur tam præclaræ societati conjungi? O quam contraria sunt hominum vota, quam distantia proposita, quam longe differens vita! Quid hodie quærunt homines, nisi voluptatem, quid nisi honores, quid nisi delicias, quid nisi divitias? Isti autem pauperes, afflicti, contemptibiles. O si sanctus Propheta trepidat; quid ego miser peccator? Heu me, quantus tremor insurgit ex istis verbis! Modo post tot jejunia, post tot labores, post canitiem in domo & servitio Dei, modo dicis o Propheta: *Quis ascendet in montem Domini?* Væ mihi si non ascendero! Væ mihi si etiam per ignem, per mortem & vulnera, per medios enses non ascendero in montem; ubi Deus meus est, ubi regnat, ubi cum ipso gaudent omnes Sancti! Magna difficultas ascensus; sed quid non attentabit animus, quid non conabitur cor, quod subtus videt ardentem ignem, paratam gehennam, bestias acutis dentibus exspectantes? Quis non tali metu impulsus, per medias licet rupes reptando, saltem conetur ascendere in montem Domini, etiamsi mille millia impedimenta opponantur? Quis ascendet in montem Domini? Imo quis non ascendet, ut tanta mala evitare possit? Roga Deum, ut aperiat oculos tuos, sicut aperuit servi Eliæ, ut videas.

Psal.23.

IV. Est etiam aliud, quod vehementer inflammat animum ad ascendendum: nempe montis istius major ubertas quam difficultas. Psalmus: *Mons Dei mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* O miseri homines *ut quid suspicamini montes coagulatos?* Quid hic divitias, quid hic in valle miseriarum voluptatem, quid in profundo lætitiam, gaudia, quietem quæritis? Quid suspicamini montes coagulatos hic? Non sunt ista hic. Quærite ubi sunt. *Mons Dei mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Expone ista tria. Jam o Martyres jam non miror vestram passionem, jam non miror vestram mortem pro tanto bono, pro tanto præmio. *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Transivit in momento cruciatus, mansit in perpetuum corona. O homines si faceremus pro tanto bono, quod pro misera ambitione, vel pro transitorio lucro patimur! Ecce unus exulat a patria, maria transfretat, in insulas ignotas pergit pro misero auro, quod cito amittet & derelinquet; & vitam modico ligno committit, nec laboriosa sunt, ubi præmium laboris expectatur. Et gravat jejunium, & gravat orare; gravatur quis meditari in

Rom. 8.

A B C D E

Deo. Non gravatur expendere decem millia ducatonum in pompa vana; gravatur si mendico pauperi propter Deum det obulum. Non difficilia sunt ista, nisi oblitis, nisi dormientibus, nisi sopitis in terrenis. O pigri! hoc faciunt homines, ut marcessibilem adipiscantur coronam, nos vero incorruptam. Quis pro æternis bonis adeo desudat, ut avarus pro temporalibus divitiis? Quis adeo curiose quærit regnum cœlorum, sicut quæritur regnum terrenum transitorium? Pudeat nos vinci a sæcularium hominum vanitate; ut illi ardentiores sint in sequendo umbram, quam nos qui sequimur veram lucem.

V. Dicendum est modo quibus gradibus isti ascenderunt in montem Dei, quibus etiam gradibus nos ascendere debeamus, ipsos imitando. Quis autem melius novit gradus ascendendi in cœlum, quam qui descendit in inferiores partes terræ, ut nos super æthera sublevaret? Hic sedens in cacumine montis, septem gradus in Euangelio nobis proposuit, ut ad montem ascendamus. Dicens: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Nec putet aliquis suis viribus posse tam sublimes gradus conscendere; *Non enim in fortitudine sua roborabitur vir:* nec aliquis Sanctorum sua virtute conscendit, sed audi Psalmistam: *Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit.* Tres autem gradus primo tibi proponuntur, scilicet, contemptus mundi, contemptus tui, dilectio Dei. *Hæc est via, ambulate in ea.* Quisquis igitur Dominum in culmine majestatis videre desiderat, & ad ipsum montem altum Sion conscendere: primo fugiat turbas cupiditatum & desideriorum terrenorum, omnia bona temporalia vilipendat, & super omnia conscendat. Fugiat curas, fugiat negotia sæcularia, omnem solicitudinem procul pellat: totus ei mundus moriatur, & ipse mundo; ut sic habeat primum gradum: quando jam omnibus temporalibus bonis supereminet, omnia habet sub se. Primus igitur gradus est, quo animus super omnia temporalia conscendit, ipsa sub pedibus calcans: secundum illud Prophetæ: *Sustollam te super altitudines terræ.* Gregorius (*a*) in Moralibus: Altitudines terræ, dignitates, honores, divitiæ sæculi sunt. His altitudinibus supereminet, qui ea pro nihilo despicit: tantoque verius mundo dominatur, quanto mundus ei subjectus est, secundum illud Deuteronomii: *Omnis*

Ephes.4.

Mat. 5.

1.Reg.2.

Psal.83.

Isaiæ 30.

Ibid. 58.

Deut.11.

(*a*) Moral. lib. 31. cap. 47. num. 96. *Altitudines autem terræ sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor, & sublimitas dignitatum.*

nis locus quem calcaverit pes veſter, veſter erit. Si calcas, poſſides: ſi calcat te mundi cupiditas, ipſe poſſideris, & juxta Pſalmiſtam, vocaberis vir divitiarum. *Pſal.75.* Moyſes appropinquans ardenti rubo, dictum eſt ei: *Solve calceamentum de pedibus tuis.* *Exod. 3. Ibidem.* Videre vis ſecretum? *Solve calceamentum.* Pedes affectiones; calceamentum terrena cura ſunt. Hunc gradum conſcenderat ille Patriarcha Jacob: dormiens vidit ſcalam, & ipſe in principio erat ſcalæ. *Gen. 28.* Qui dormit mundo, qui dormit curis & cupiditatibus ſæculi: illi cœleſtis via pateſcit, ille videt ſcalam, & initium ſcalæ tenet, primum, ſcilicet, gradum voluntariæ paupertatis, de quo dicitur: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* *Mat. 5.* Felix paupertas, quam non facit rerum neceſſitas, ſed voluntas! Pauperes ſunt, *qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur.* *1. Cor. 7.* Pauper eſt, qui de mundo nihil vult, præter illum qui fecit mundum; clamans cum Propheta: *Quid mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram?* *Pſal. 2.* Felix qui videns turbas ſæculi, videns mundum tam implicitum iſtis vanis ſolicitudinibus, fugit & aſcendit in montem, primum iſtum gradum voluntariæ paupertatis & veræ humilitatis tenens. Multum enim aſcendit, qui jam nullis curis, nullis illecebris, nullis amoribus temporalium rerum detinetur ligatus; ſed compedibus, ſed vinculis ſolutis, clamat: *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* *Pſ. 123.* O glorioſa paupertas, cui cœlorum regnum jure promittitur! Audi quod dicitur: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Fratres, ſi vere divites eſſe cupitis, veras divitias amate.

VI. Sunt etiam aliæ turbæ, moleſtiæ iniquorum hominum; & ſæpius qui jam vicit voluptates, adhuc ſuperatur injuriis. Fortis eſt ad contemnendas delicias: ſed debilis ad portandas injurias. Oportet ergo, ut ſecundum gradum aſcendat; ut ſcilicet jam non ſuperetur, qui ſuperavit cupiditatem. Pſalmus: *Expectabam eum* & cantabo ei, *qui ſalvum me fecit a puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.* *Pſal. 54.* Tempeſtas ipſa eſt cupiditas; puſillanimitas ſpiritus, timor eſt. De quo alibi Pſalmiſta: *Incenſa igni & ſuffoſſa. Incenſa igni*, id eſt, cupiditas; *& ſuffoſſa*, id eſt, puſillanimitas; *ab increpatione tua peribunt.* *Pſal. 79.* Sunt enim quidam hominum, qui jam decreverunt, non ire ad cœlum, non ſequi Deum, plantati & radicati in terra; qui non contenti de hoc, etiam alios euntes impediunt. Similes illis, de quibus ait Euangelium: *Væ vobis, qui claditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* *Mat. 23.* Hi ſunt, qui ſervos Dei ſollicitant, conturbant humiles, & abjectos derident, contemnunt, perſequuntur quaſi peregrinos a ſua hæreditate pellentes, injuriis laceſſentes, perſecutionibus & minis agitantes. Animus autem fortis eo magis incaleſcit amore Dei, quo magis iſtis afflictionibus confricatur, ac veluti ſtimulatus, velocius currit in odorem unguentorum ſponſi ſui. Similis eſt juſtus illi arcæ Noe, de qua dicitur creſcentibus autem fluctibus, arca ferebatur in ſublime. Sic etiam creſcentibus perſecutionibus, juſtus amplius & ab infimis levatur, & ad cœleſtia rapitur; nec demergitur violentia fluctuum, ſed levatur potius, ſervans ſemper ſuæ conſcientiæ integritatem, mundo undique clauſus, ne recipiat aquas & demergatur: ſed in ſummitate habens feneſtram, qua lucem recipiat a ſupernis. Magna conſolatio, Fratres, poſita eſt in Euangelio, ubi Dominus ait: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego eligi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* *Gen. 7.* *Jo. 15.* Et quem mundus iſte a ſe abjicit, cœlum in ſe recipit. Magnum ſignum futuræ felicitatis eſt ipſa perſecutio injuſta malorum; *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* *Jacob 1.* Et Propheta: *Domine ſi ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & vivificabis me.* *Iſaiæ 38.* Vita eſt animæ, dum in patientia exercetur: & in talibus tribulationibus, quaſi in quodam exercitio ſalubri, conſiſtit vita ſpiritus noſtri. Corpus enim ſi non exercetur, ægrotat: & animi robur debilitatur, ſi malus exercens virtutem deſit. Quiſquis autem conturbatur; meminerit, ut ait P. Auguſtinus (*a*), quod granum non locatur in horreis niſi prius atteratur in area. Area autem Domini Eccleſia eſt, ubi paleæ & granum ſimul ſunt: ſed venient meſſores Angeli, & *ſeparabunt malos de medio juſtorum.* *Mat. 13.* Juſtus ergo videns ſecundas iſtas turbas, quaſi victis primis turbis inſurgentibus, aſcendat in montem per ſecundum gradum manſuetudinis: non ſolum jam continens ad contemnendum quod mulcet, ſed etiam fortis ad ſuperandum quod terret. Hilari ergo vultu ærumnas ſæculi ſuſtineat, cui terræ deſiderabilis poſſeſſio repromittitur a Domino, dicente: *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* *Ibid. 5.* Quam terram niſi illam, de qua Pſalmiſta: *Portio mea in terra viventium?* *Pſ. 141.* Hæc enim terra mortuorum eſt, & non viventium, ſed vivere opinantium. De iſtis ait Iſaias: *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo.* *Iſaiæ 13.*

VII. Sed, ſicut in bello ſolet fieri, quod victa una phalange, ſtatim alia loco ejus ſurrogetur; ita etiam in ſpirituali militia fit. Superata enim turba illecebrarum per continentiam, ſtatim loco ejus turba alia moleſtiarum ſuccedit: qua iterum fugata & devicta per manſuetudinem, iterum alia turba turbulentior inſurgit adverſus animam pugnatura. Hæc eſt turba iſta quinque ſenſuum corporalium. Solus expertus novit: imo quis non expertus, quantum nos iſti ſenſus

(*a*) Serm. 15., alias de tempore 254. num. 6. *Putas eſſe te poſſe in area triticum ſolum? Erras. Geme in area, ut gaudeas in horreo.*

senſus retrahant, & detineant ab itinere cœleſtis patriæ, & montis Domini aſcenſu? ſunt enim veluti quædam onera quæ cervici animæ ligata, a volatu perpeti contemplationis retardant: quoniam *corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*. Sap. 9. Hujus turbæ, ſingularis figura fuit in Pharaone & exercitu ejus perſequente populum Iſrael fugientem de captivitate. Exod. 14. Quis Pharao, niſi corruptibile corpus? Quis exercitus ejus, niſi ſenſuales appetitus? Quando igitur populus ſanatus, videns Deum per contemplationem, id eſt, ſanctorum deſideriorum & cœleſtium cogitationum phalanges, duce Moyſe, id eſt, Spiritu ſancto jam liber a curis & ſolicitudinibus & moleſtiis tendit in cœlum per amorem ſupernorum, ſtatim inſequitur eum populus ille Ægyptiacus, populus tenebroſus, &c. Sed demerſus fuit Pharao & exercitus ejus in mare. Ita & tu populum iſtum ſuffocato. Sed quibus aquis niſi fluctibus lacrymarum? Ideo tertius gradus affignatur. *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur*. Mat. 5. Sed dices: lugere deſidero, lacrymas non invenio: dic in quo lugeam? Imo dic mihi in quo non lugeas? O ſi ſcires qualem Patrem, quam pium, quam bonum, quam atrociter offendiſti, quantam gloriam per peccatum amiſiſti, quantam pœnam incurriſti, quam ſocietatem Angelorum perdidiſti, & quam ſocietatem dæmonum inveniſti, in quo periculo es æternorum termentorum, quam longe a regno cœlorum! credo frenare potius lacrymas opus eſſet, quam excitare. Iſtos tres gradus Dominus inſinuavit Abrahæ, quando dixit ei: *Egredere de terra tua*; Gen. 12. id eſt, terrenis cupiditatibus: *Et de cognatione tua*; id eſt, ſæcularium tumultu: *Et de domo patris tui*; id eſt, de corporeorum ſenſuum appetitu. Mortua Rachele, naſcitur Beniamin in mentis exceſſu. Ibid. 35. Pſal. 67. Mortua cupiditate, naſcitur ardor ſpiritus.

VIII. Quiſquis autem tres iſtos gradus aſcendit, jam ſupra mundum conſtitutus eſt, & ſupra mundanos honores, & ſupra ſe jam Deo proximus effectus, incipit guſtare & videre, quoniam ſuavis eſt Dominus, & ſitire ad fontem vivum, & revelata facie Deum intueri: accenditurque in corde ejus igniculus divini amoris, totuſque incipit firma libertate ire in Deum, & ipſi aſſimilari, amicus veri & ſolidi boni. Ideo dicitur in quarto gradu: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*. Mat. 5. Quandiu ſapit mundus, juſtitiæ non eſt eſuries: ſed cum omnia deſipiunt, anima incipit ſitire juſtitiam. Ideo Pſalmus ait: *Tunc exultabunt omnia ligna ſilvarum, a facie Domini*. Pſal. 95. Ligna ſiquidem concipiunt imbrem: ſed adveniente ignis calore, primo humiditas exſiccatur; deinde cortex ejus conſumitur, deinde lignum inflammatur. *Dominus* enim *Deus ignis conſumens eſt*. Primo exſiccat humiditatem lignorum, id eſt, ſpiritum cupiditatis: deinde conſumit corticem carnis, deinde inflammat ad ſe, & ad ſuam præſentiam. Ideo tunc poſt hujus gradus aſcenſum; *Exultabunt omnia ligna ſilvarum*. Ibidem. Sequitur inde quintus gradus miſericordiæ. Nam, quandiu homo in periculo eſt, ſolicitus de ſe, proximi non poteſt tam aſſiduam habere curam, ſed quando jam juſtitiam incipit guſtare, concepta de ſe ſpe ſuæ beatitudinis, ad alios charitate ſe extendit. Et memor, quas ipſæ turbas pertulerit & vicerit, fratres quos nondum attigiſſe tam arduum gradum cognoſcit, ſed adhuc in infimis laborare, nimia compaſſione proſequitur, non ignarus talium laborum & periculorum, quos ipſe evaſit. Et ita incipit jam aliena deflere peccata, qui Dei miſericordia evaſit propria. Quid jam reſtat niſi mentis puritas? quando jam anima omni ex parte reſplendet. Appetitus ordinatus, intellectus illuminatus nullas patitur phantaſias, non deceptiones, non errores, quia claro radio attingit lumen indeficiens. Non magni facit vana, non parvipendit grandia. Eſt jam intellectus clarus, affectus mundus, defæcatus ab omni contagio terreni deſiderii, veluti argentum jam purgatum uſque-quaque fulget anima. Ideo ait: *Beati mundo corde*. Mat. 5. Ex hoc ultimus gradus pax ipſa cordis & tranquillitas. Non jam ſolicitat timor, non pungit illecebra, non allicit voluptas, non ſolicitat cupiditas, non turbat adverſitas, non deprimit tentatio; ſilet caro, ſilet ſenſus, ſilet mundus, ſilent omnia phantaſmata, ſilet appetitus, ſilet deſideriorum ſtrepitus, ſilent effrenati motus, totus mundus mortuus eſt animo *factum eſt ſilentium in cœlo*; Apoc. 8. id eſt, in cœleſti corde. Solus Deus amatur, ſolus deſideratur, ſolus ſperatur, ſolus quæritur. Pſalmus: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*. Pſal. 4. S. P. Auguſtinus: (*a*) O in pace! O in idipſum dormiam & requieſcam! O felix ſomnus! O felix quies! Teſtimonium habet talis anima ſuæ ſalvationis. Jam non pavet gehennam, non timet judicis faciem. Hic inchoatur illa pax, ſed ibi conſummatur. Felix regio illa quam nullus hoſtis invaſit, mors non intercipit: non timetur tyrannus, non perſecutio, non flagellum. *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Qui poſuit fines tuos pacem. Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Pſ. 147. Pſal. 83. Et tu illos laudas ſecundum illud: *Tunc laus erit unicuique a Deo*. 1. Cor. 4.

(*a*)

IN

(*a*) Vide cap. 37. Medit. in Append. tom. 6. noviſs. edit.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

CONCIO SECUNDA.

DE VIA AD CŒLUM, ET DE FALSA AC VERA PAUPERTATE.

Ascendit Jesus in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, &c. Matth. 5. v. 1. 2. & 3.

* CONCIO CLIX.

I. ECclesia celebrat festum omnium Sanctorum, & merito: nam & ipsi multas nobis faciunt festivitates, quoties a peccatis resurgimus. Habet Ecclesia in hoc multos respectus. Primo ad Deum, qui glorificatur in Sanctis suis; nam omnium operum Domini maxima opera sunt, facere Sanctos. Unde Ecclesia hodie Dominum laudat pro sua magnificentia, quia pro tam brevi servitute, trium dierum vitæ, & tam tepido & fragili secundum Deum, talem tribuit mercedem Sanctis suis perpetuam. Non sic Domini temporales, qui vel non solvunt; aut tarde, & in senectute, quando non prodest, cibant suos famulos, deficientibus illis dentibus molaribus ad masticandum. Secundo: habet Ecclesia respectum ad Sanctos quibus debitrix est, tum propter orationes, quas pro nobis faciunt (illi enim sustentant Ecclesiam) tum propter exempla quæ reliquerunt, tum propter laborem quem sustinuerunt. Tertio: habet respectum ad nos; qui in celebrando & venerando, multum fructum accipimus. Non crescit illis laus, sed nobis meritum. Ad hoc propositum canit hoc Euangelium, in quo tanguntur duo: scilicet, Sanctorum gloria, cum dicit: *Gaudete, & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*; item via qua ad istam gloriam pervenerunt, est tota residua litera Euangelii præsentis festivitatis. *Mat. 5.*

II. De Sanctorum gloria non est nostrum propositum modo loqui, tum quia ineffabilis est, tum quia magis expedit tractare de via. Nam gloria, etiamsi non agnoscatur, parata est bonis: sed multum expedit agnoscere viam. Ergo via est: *Beati pauperes spiritu: Beati mites: Beati qui lugent, &c.* O homo si optas regnum cœlorum obtinere, & supra astra Dei tibi parare mansionem, hæc est via, ne declines ab ea. Bernardus (*a*): Non est opus tibi ad regnum cœlorum comparandum & emendum pergere ad indias, transire maria; prope est moneta in corde tuo. Esto pauper, esto mitis, esto mundus, & possides cœlum. O egregiam doctrinam & utilissimam! Si servaretur in mundo, esset aliud cœlum. Sed quia octo istas beatitudines, quæ sunt quasi octo gradus hujus scalæ, mens non est hoc sermone simul explanare, de prima dicemus hodie. *Ibidem.*

(*a*)

III. Novus ergo Legislator novam legem hodie dat in monte, & quasi lucerna totum mundum illuminat. In hac lege quatuor notabimus: scilicet benignitatem Legislatoris; authoritatem sive dignitatem; legis extraneitatem & novitatem; integritatem & sinceritatem doctrinæ. Primum ergo, commendatur benignitas Legislatoris dandi in monte. Non sicut in monte Sina cum tonitruis & fulgure, ita ut Moyses timeret: sed benigne sedens. Non sunt in lege minæ & terrores; non legis pœna gravis ut in lege veteri: non comminationes inferni; sed solæ promissiones: *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Bene scriptum est: *Lex clementiæ in lingua ejus*. Tamquam filios allicit, non tamquam servos cogit. Monstrat se in hoc Filium sui Patris, qui ut nos adduceret ad se, cœlum monstravit, sed non ostendit infernum, quia non terroribus sed donis allicit ad se. Secundo: notanda est dignitas & authoritas aperientis os suum. Non enim per Prophetam, non per Angelum lex datur, sed proprio ore & persona Christi. Hoc est quod sponsa petebat: *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*. Non audio Moysen, non Isaiam, non Prophetam; ipse veniat, ipse loquatur. Nam isti solum dicunt, quod audierunt. Isaias dicit: *Domine quis credidit auditui nostro?* Ego igitur audire cupio ipsum, qui vidit, & optime novit. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. O in quanto pretio habenda est, & quomodo servanda est talis doctrina! Ecce si unam particulam vestis Christi, aut clavi, aut restis, aut crucis haberemus, quomodo veneraremur eam? Quanto major est reliquia cordis, quæ ex illo sacro fonte manavit? *Ego*, inquit, *quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii Dioryx, & sicut aquæductus exivi de paradiso*. Quasi fluvius, inquam, Dioryx exivi de paradiso illa pleniissima abysso voluptatis. *Rigabo hortum meum plantationum, inebriabo prati mei fructum*. Hoc est, Ecclesiam meam quasi virgultum florentem faciam. *Factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare: quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam usque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, & non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum*. Hoc est balsamum illud pretiosum ex illius apotheca

Exod. 19. *Mat. 5.* *Prov. 31.* *Mat. 5.* *Cant. 1.* *Isaiæ 53.* *Jo. 1.* *Eccli. 24.*

(*a*) Serm. 10. de Divers. num. 1. *Nec penetrandæ nubes, nec maria transfretanda, ut salubres inveniamus cogitationes; sed prope est, ut ait Moyses, verbum in ore nostro, & in corde nostro.*

theca manans, quo totus mundus curatus est a lepra peccati. Unde Sapiens: *Vena vitæ, os justi.* Apostolus hoc commendat ad Hebræos: *Si enim qui per Angelos*, inquit, *dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus.*

Prov. 10. *Heb.* 2.

IV. Tertio notanda est novitas & extraneitas. Quis unquam audivit tale in scholis philosophorum? Beati pauperes; beati mites; beati qui lugent; beati qui esuriunt & sitiunt, &c. Hos miseros judicat mundus. Quis crederet in paupertate latere regnum cœlorum, in lacrymis consolationem, in esurie saturitatem, in persecutionibus prosperitatem? Stupet ad hanc doctrinam mundus: nam mundus in his solum corticem attendit; Dei sapientia penetrat ad nucleum. Exemplum: Si quis in castanea viridi non novit quid intus lateat; statim eam, gustato cortice amaro, projicit: sed si novit excutere nucleum sentiet dulcedinem. Sic in istis, exteriora amara; interiora dulcia. Per oppositum, ea quæ sunt in mundo; nam ignorans, si videat luceringam splendentem noctu, miratur quasi in vili herba videre jacentem pretiosam gemmam: quam tamen in luce diei agnoscit esse tantum vilem vermiculum; sic quoque miraris hominem vestitum serico, splendentem divitiis, quia nocte vides: veniet dies & agnosces, quam vilia sunt hæc. Quarto, notanda est integritas & sinceritas doctrinæ Christi. Quam longe est ab omni suspicione doctrina, quæ non delicias, non divitias laudat, sed tales austeritates beatificat. Non potest dici, quod Christus mundum deliciis ad se invitaverit sicut Mahoma. Et hoc fuit maximum & potissimum miraculum, & vere divinum; quod duodecim homines pauperes hæc persuadere potuerint mundo, ut paupertatem & lacrymas & has asperitates amplexarentur; quæ illi credenda proponuntur supra intellectum suum, quæ facere & exequi, asperrima sunt; & tamen quæ sequitur & amplectitur totus mundus.

V. Est etiam notanda brevitas: quam compendioso sermone hominem de omnibus instituit! quomodo se habeat ad bonum & ad malum; in hoc enim salus nostra consistit tota, in hac sapientia; ut bonum bene sapiat, & malum sapiat male. Nullus sapiens talis damnabitur: non est sapiens quis a scire, sed a sapere. Bernardus (*a*): Sapiens est, cui unumquodque sapit, ut est. Sunt autem duplicia bona vitæ præsentis; temporalia & spiritualia: & duplicia mala; pœnæ & culpæ. Sapiens bona temporalia ut parva contemnit. De hoc dicitur: *Beati pauperes spiritu;* qui scilicet contemnunt divitias, bona vero spiritualia, scilicet, virtutem & bonitatem magni faciunt. De hoc dicitur: *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam*, id est, virtutem. Item sapiens malum culpæ maxime horret & vitat. De hoc: *Beati mundo corde:* a culpa scilicet. Sed malum pœnæ aut contemnit, aut quasi non sentit ex magnanimitate; & sic dicitur: *Beati mites.* Aut si sentit, patienter tolerat; & de hoc dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Si autem non solum in seipso facit, sed procurat in aliis; tunc dicitur: *Beati pacifici.* Ecce quam compendioso sermone hominem perfectum reddit, & sapientem plena sapientia. Nunc ad primam exponendam beatitudinem accedamus: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non est beatitudo in re, sed in spe: in virtute sicut in semine possidetur. Si videas semen nigrum deforme, insipidum, vel amarum & parvum; despicies: sed in eo mira virtus; in pituita est omnis fortitudo radicis, foliorum ibi pulchritudo & odor florum, ibi decor & sapor fructuum. Sic in istis beatitudinibus, quasi in semine, in virtute possidetur omnis illa magnitudo & plenitudo cœlestis beatitudinis. Ideo qui hæc possidet, beatus dicitur.

Mat. 5.

Ibidem.

VI. Est autem quadruplex paupertas. Prima, istorum pauperum qui petunt ad januam necessaria & coacte: non sunt beati, sed patientia illorum poterit ipsos facere beatos; & ideo dat illam Dominus. Non putetis, Fratres, quod desit Domino, unde satiare possit & vestire pauperes suos: dives est, & faciliter potest; sed permittit eos in egestate vivere, propter bonum ipsorum & vestrum: ut ipsi patiendo egestatem cum patientia salventur; & vos illis succurrendo, vitam æternam promereamini. O si agnosceretis quantam gratiam Deus vobis faciat in illis! Quomodo amaretis illos & eis succurreretis! Non restat divitibus alia via salutis. Nam cum plurima peccata faciunt, nihil molestum sentiunt: vestibus, dapibus, domibus abundant; nec frigus, nec calorem, nec asperitatem norunt. Per viam humilitatis minus; nam omnia plena sunt honoribus, &c. Non relinquitur illis alia via salutis, nisi via pietatis: una sola beatitudo. *Beati misericordes: quoniam* miserando *misericordiam consequentur.* Secunda paupertas, officialium, qui labore vultus sui comedunt panem suum. Hæc quoque secundum Chrysostomum (*b*), donum Dei est, & mundo valde necessaria. Quid enim esset de mundo, si non essent pauperes? Qualis esset omnis respublica hominum? Quis mundat civitates, quis ædificat domos? Quis facit vestes,

Ibidem.

(*b*)

(*a*) Serm. 18. de Diverf. num. 1. *Est enim sapiens, cui quæque res sapiunt, prout sunt.*

(*b*) Vide Homiliam, cui titulus: *Super orationem Annæ; & quod utilis est paupertas, & majorem habet, quam divitiæ voluptatem, & securitatem.* Tom. 1. pag. 504. edit. Paris. an. 1570.

quis campum colit & facit paradiſum? Quis lavat omnia, quis adducit victualia, quis molit & coquit omnia? Si omnes homines eſſent divites, quis cogeret illa officia exercere, quæ neceſſitas facit ſpontanee ſequi vilia & abjecta? Totus mundus periret. Nec tamen iſta paupertas beatum facit, niſi eum qui recte utitur ea. Tertia eſt paupertas ſpiritus: id eſt, non paupertas in rebus, ſed quæ eſt in ſpiritu eorum, qui licet poſſideant, ſciunt tamen illa non eſſe ſua, & ſe eſſe diſpenſatores, & non dominos, æconomos, & non poſſeſſores: & ſic habent divitias, quaſi alienas, parati eas dare Domino cum petierit: non cum murmure & triſtitia, ſed gratias agentes pro tempore quo eas poſſederunt. Quis enim ſuſtineat ingratitudinem illius, cui gratis ad tempus conceſſum eſt malluvium argenteum, ſive vas aliud pretioſum, ſi iraſcatur, dum repetitur? Exemplum aliud: ſi in iſto populo eſſet Dominus, cujus eſſent omnia; & terra, & vineæ, & arbores; & daret uni ad tempus unam poſſeſſionem ad victum, & alii aliam: quis eſſet in hac civitate dives niſi ſolus ille? aut quæ cauſa indignandi, ſi repeteret poſtea ſuam hæreditatem? Ita ſolus Deus dives eſt, & ſua ſunt omnia. *Domini eſt terra & plenitudo ejus: orbis terrarum & univerſi qui habitant in eo.* Rex, princeps, comes, & omnes divites, æconomi ſunt. Si hoc agnoſcant; & cum Dominus tollit, libenter reddunt, beati ſunt. Talis fuit ille vir eximius & perfectus, ſine lege, ſine Euangelio, ſine exemplo martyrum, Job. O quam pauper ſpiritu! A Domino conceſſa ſibi bona tanquam aliena putabat, rei probavit eventus. Rapit omnia diabolus & ſpoliat: & quid ait? *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Dic hiſtoriam latius.

Pſal.23. *Job 1.*

VII. Quarta paupertas, eſt voluntatis; illorum ſcilicet, qui non ſolum agnoſcunt hoc; ſed pro Domino omnia contemnentes, qui ut ſoli Deo vacent, omnia reliquerunt, manentes liberi ad Deo vacandum. Hi non exſpectant, ut Deus tollat, ſed ipſi voluntarie pro ejus amore reſignant. Hæc optima & maxima paupertas: imo vere divitiæ; quia pro omnibus quæ relinquunt, ſolum Deum recipiunt in poſſeſſionem. Neque ſolum propter libertatem hoc faciunt, ſed etiam propter munditiam: nam terræ divitiæ nobiliſſimam animam polluunt. Unde aurum & argentum, quamvis fulgidum; tamen ſi ponatur in papyro alba, faciunt maculam nigram, & manus tangentium fœdant. Unde Propheta: *Uſquequo aggravat contra ſe denſum lutum.* Sicut ſi oculus clarus aſpergatur luto vel pulvere, impeditur a viſione. O quomodo obnubilant intellectum curæ! Quomodo obfuſcat voluntatem earum appetitus, cum earundem continua memoria! Quomodo facit obliviſci ſpiritualium! Iſti non imitantur Dominum ſuum, qui inter homines pauperrimus fuit, & amator paupertatis; natus ex matre paupere, veſtitus pannis pauperrimis. Non erat ibi ancilla, neque ſervus qui ſerviret. Poſtea in vita non domum poſſedit, neque vineam, neque pecuniam. Sicut ipſe reſpondet interrogantibus: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Ipſe & diſcipuli ejus de eleemoſynis vivebant; unde aliquando pervenit ad tantam paupertatem, ut diſcipuli ejus ederent de ſpicis, aſpiciente magiſtro ſuo, & vidente ſuam familiam ſic indigere: nec habebat panem ad præſtandum. O viſcera pietatis! Quid ſentiebas Domine, quando hæc videbas? Quæ mater videret filios ſuos ſic indigere, & non dolore liqueſceret! Et ipſe plus quam mater erat, pius amator filiorum. Et ut adderetur dolor; Phariſæi qui habebant unde ſuccurrerent, de hoc indignabantur dicentes: *Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere ſabbatis.* O crudelitas! talis victus, talis vita? Nec finis locupletior; moritur nudus & ſpoliatus in lecto duriſſimo crucis: non habet mater in quo involvat ſacratiſſimum corpus; aliena ſindone involutus, alieno ſepulchro tumulatus. Ecce qualis paupertas Domini! qui fecit cœlum & terram, ſicut ipſe pauper, ſic etiam amator eſt pauperum. Unde pauperes paſtores vocavit, & pauperes diſcipulos elegit, & cum pauperibus converſatio ejus. Huic paupertati debetur jure regnum cœlorum: quia, qui dimiſit omnia propter Chriſtum, & indiguit in hac vita, merito pro illa indigentia & inopia, quam ex charitate ſuſtinuit, debet poſſidere abundantiam cœleſtis gloriæ: ad quam nos perducat ipſe Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Amen.

Habac.2. *Mat. 8.* *Ibid. 12.* *Marc. 2.* *Lucæ 6.* *Mat. 12.*

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

CONCIO TERTIA.

DE ALTISSIMA MERCEDE SANCTORUM, ED DE SCALA QUA AD EAM ASCENDITUR.

Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Matth. 5. v. 12.

I. SAncta Eccleſia militans, id eſt, civitas hæc peregrina hodie facit feſtum Eccleſiæ triumphanti, id eſt, civitati cœleſti Jeruſalem matri ſuæ, memor noſtrorum beneficiorum quæ ab ea ſuſcepit, & quotidie ſuſcipit, ſicut filia grata. Quia aliud non habet quod rependat, reddit laudes, & feſtivo gaudio congratulatur ei de felicitate & proſperitate ſua. Et merito nun- CONCIO CLX.

nunquam enim mater sic dilexit filiam, nec tantum passa est pro filia. Quis enim referat quantum debeamus Sanctis, quantum eis simus obligati? Primo, quia multo labore genuerunt nos Christo. Apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quanta passi sunt tormenta sancti Apostoli, ut hanc Ecclesiam generarent! Isti sunt qui viventes plantaverunt Ecclesiam sanguine suo. Vidit Joannes in Apocalypsi mulierem amictam sole, parturientem cum dolore, quæ peperit filium, & draco stabat, ut devoraret filium ejus: & datæ sunt mulieri alæ duæ, & volavit in desertum. Hæc mulier fulgida cœlestis est Jerusalem tota Deificata: hæc peperit filium cum dolore; filium, populum Christianum; & stabat draco grandis per tyrannos persecutionibus nitens ipsam devorare: sed mater ejus volavit in cœlum, ubi ab omni persecutione & tribulatione libera est. Secundo, quia multo lacte doctrinæ & solido cibo exemplorum aluerunt nos, ostendentes nobis viam vitæ. Tertio, quia nunc multo favore & præcibus adjuvant nos orantes pro nobis. Quid enim esset de nobis nisi Sancti de cœlo nos suis orationibus munirent? Jam propter peccata nostra perditi essemus. Vidit Joannes: *Quatuor animalia & viginti quatuor seniores*, & omnem illam multitudinem procidentem *coram Agno* pro Ecclesia ista, *habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Psalmus: *Pro hac ad te orabit omnis Sanctus, in tempore opportuno*, id est, usque ad judicium, quando prodesse potest. Miserantur quippe sortem nostram, quia experti sunt necessitates, labores, & pericula nostra didicerunt ex his quæ passi sunt. Unde, ut ait Bernardus (*a*), quamvis sancti Angeli amicissimi nostri sint; tamen in tribulatione nostra prius recurram ad Sanctum, qui est *os de ossibus meis, & caro de carne mea*, & expertus est meam fragilitatem & necessitatem, quam ad Angelum qui similia expertus non est. Sic quoque amici Job consulebant: *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Sumus quippe invicem membra unius capitis & corporis charitate coadunati: & cum unum membrum dolet, ut ait Apostolus, *compatiuntur omnia membra.*

II. Quarto: quia valde diligunt nos, & nimis desiderant salutem nostram. O quanto desiderio exspectant nos! Quanto gaudio suscipiunt nos! Tota cœlestis gaudet curia & exultat, cum aliqua anima intrat cœlum; & exit obviam venienti, ut ait Pater Augustinus (*b*). Si magnum gaudium fit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, qui potest iterum cadere; quanto magis fiet super uno justo triumphante, qui jam ab omni periculo securus est. Psalmus: *Me expectant justi, donec retribuas mihi.* Me pusillum, & pauperem vermiculum, & formicam illi Principes gloriæ & cives Jerusalem expectant: non solum propter me, sed etiam propter se; quia non sine nobis consummabuntur, ut ait Apostolus ad Hebræos. Grandis miseratio Dei nostri pro nobis, grandis provisio, ut expectaret nos. Nam licet modo animæ beatæ sint, non tamen corpora suscipient sine nobis, sed in die illo magno festivitatis Rex gloriæ apparebit in majestate, & tunc omnes filios suos vestiet nova quadam stola gloriæ, & simul cum eis gloriosus & triumphans intrabit cœlum. Beati qui aderunt tam solemni triumpho: erit enim solemnior quam in die Ascensionis. Unde merito dicitur dies ille, dies Domini. Joannes in Apocalypsi: *Vidit subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Usquequo Domine, sanctus & verus non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* Christi humanitas sacratissima, altare, hostia, sacrificium, & sacerdos: sub qua nunc animæ Sanctorum quiescunt liberæ ab omni perturbatione & dolore & afflictione protectæ & absconditæ ab omni malo. Psal. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.*

III. Triplex namque fuit Sanctorum receptaculum. Primum a principio mundi usque ad Christum in limbo, qui dicitur sinus Abrahæ, propterea quod omnes illi in fide Abrahæ mortui sunt; in quo, quamvis non erat ignis, erat tamen aliqua afflictio de absentia Dei, ut ait Sanctus Antoninus (*c*); & erant tenebræ, ut ait Bernardus (*d*). Et probatur ex illo Job: *Antequam vadam & non revertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine.* Item: *Spes quæ differtur, affligit animam* expectantem adventum Christi. Secundum receptaculum sub altari: hoc est, in sinu Christi, in quo liberæ sunt ab omni malo & ab omni afflictione & perturbatione. Nec solum hoc, sed etiam beatæ ex visione beatifica, ut patet ex illo dicto, *datæ sunt illis stolæ* suæ gloriæ. Item, quia Dominus dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Et iterum:

Galat. 4.
Apoc. 12.
Gen. 2.
1. Cor. 12.
Ibid. 5.
Psal. 31.
Psal. 140.
Heb. 11.
Mar. 24.
Apoc. 6.
Psal. 30.
Job 10.
Prov. 13.
Apoc. 6.
Lucæ 23.

(*a*) Vide Serm. 5. in Festo omnium Sanctorum num. 10., cujus sententiam, & si non verba, hic affert S. Orator.

(*b*) Serm. 209. in Append. tom. 5. num. 2. *Quam læto sinu de prælio revertentes civitas cœlestis excipit, de hoste prostrato trophæa ferentibus occurrit!* Fuit olim Sermo iste de Sanctis 37., & post in Append. 85.

(*c*) Part. 1. tit. 8. cap. 1. §. 4.

(*d*) Serm. 4. in Fest. omnium Sanctorum num. 1. *Sedentes quidem, hoc est quiescentes, sed in tenebris, & umbra mortis.*

rum: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Unde dicere quod non ſint beatæ, error eſt. Tertium receptaculum ſuper altare, id eſt, in ſinu Dei poſt judicium: ſicut Dominus ait: *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit*. Et ubi es tu Domine? Joannes: *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris*. Ibi ergo erit miniſter poſt judicium. Unde Pſalmus: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jeruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos*. Tunc Sacerdos & Pontifex ſummus, ſecundum ordinem Melchiſedech intrabit Sancta Sanctorum cum oblatione magna, offerens Deo Patri, ſui ſanguinis fructum, vitulos illos ſaginatos Apoſtolos, Martyres, Prophetas, magnam & ſolemnem oblationem. Qui tunc dicuntur poni ſuper altare, quia in majori dignitate & gloria erunt, quam ſunt modo, ut ait Gloſſa (*a*).

Jo. 12. *Ibid.* 1. *Pſal.*50. *Pſ.* 109.

(*a*)

IV. Unde eſt quæſtio, quam movet Magiſter ſentent. in 4. diſt. 49. & D. Thomas ibi quæſt. 1. artic. 4. An gloria Beatorum erit tunc major quam modo? Ad quam reſpondent, quod extenſive, non eſt dubium, quia habebunt duas ſtolas: ſed intenſive dubium eſt, an perfectius videbunt Deum, & amplius gaudebunt? Itaque gaudium & viſio erit perfectior. D. Thomas tenet hæc cum Magiſtro ſententiarum (*b*) duplici ratione. Primo: quia anima naturalior eſt in corpore, quam extra, & ſic perfectius erit, & perfectius operabitur. Secundo: quia nunc aliquo modo retardatur a Deo propter appetitum illum corporis. Sed non convincunt illæ rationes. Quidquid ſit de hoc: abſolute dicendum eſt: quod erit major; ſicut Apoſtolus ait: *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. Nam nunc anima ſolum eſt beata quoad potentias intellectivas, non organicas. Eſt anima ſicut una burſa grandis plena multis parvis crumenulis, eſt ſicut cella vinaria plena vaſculis ſive lagunculis. Habet multas & varias potentias, appetitivas, intellectivas, ſenſitivas, interiores, & exteriores, motivas, naturales. Hæ omnes tunc plenæ erunt ſicut vaſcula illo balſamo pretioſiſſimo, & liquore divinæ gloriæ. Erunt pleni Deo; quia ſicut ait Apoſtolus: *Erit Deus omnia in omnibus*. Ipſe erit lux intellectui, gaudium voluntati, firmitas memoriæ, ſatietas appetitui, voluptas ſenſui. Ipſe erit oculo plenitudo, auditui melodia, olfactui fragrantia, guſtui dulcedo, tactui ſuavitas & blandimentum. Vide ſi nunc ſic ſapit creatura corpori mortali, obeſo, craſſo, & ſpiſſo; quomodo tunc ſapiet Deus corpori glorioſo? quando tota anima omnino erit plena Deo, quoad omnes ſuas vires immerſa in illo pelago voluptatum. Unde Dominus Lucæ ſexto: *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem, dabunt in ſinum veſtrum. Plenam* in intellectu, *confertam* in voluntate, *coagitatam* in appetitu, *ſupereffluentem* in ſenſu; ut anima non capiat tantam gloriam, tantam lætitiam & voluptatem. Unde Iſaias: *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende. Ne parcas: longe fac funiculos tuos, & clavos tuos conſolida*. Ne videlicet rumpantur funes, a multitudine lætitiæ ingentis & gaudiorum. Dilata quantum vis deſideriorum tuorum ſinus; nam plus habebis, quam deſiderare ſufficias.

Lucæ 6. *Iſaiæ* 54.

(*b*)

V. Hæc Sanctorum gloria, hæc merces de qua in themate: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*. Verum non ſolum copioſa, ſed & pretioſa. Dicit Abraham Deo: *Domine Deus quid dabis mihi?* Ecce eduxiſti me jam ſenem de domo patris mei, & peregrinari feciſti in iſto deſerto tota vita mea; quid dabis mihi? Cui Dominus: O Abraham, dabo tibi omne bonum. Quam pulchra reſponſio! Ac ſi dicat: ſi dixero tibi: dabo tibi divitias, vel delicias, honores, panem, abundantiam, &c. dies deficeret, ſi per ſingula debeam enarrare, quæ dabo tibi; ideo uno verbo concluſit: dabo tibi omne bonum. *Ego merces tua magna nimis*. Solvam tibi non vili pretio, rependam tibi labores tuos, non in auro & argento, non in terra & cœlo, non in Angelis & Seraphim; ſed in Deo. Deus tibi præmium eſt. Es ne contentus o Abraham? Hoc præmium quoque noſtrum, Fratres. O nos infelices qui ad tantum præmium non excitamur, non accendimur, non provocamur! Quid dicturi ſumus cum apparueris Domine? Quomodo audebimus levare oculos noſtros ad te, qui te cum tantis bonis contempſimus? Quam excuſationem habebimus coram te? Et quidem excuſabitur forſan aliquis Gentilis, quia hoc ignoravit: excuſabitur Judæus, quia lex illi non niſi temporalia promittebat: excuſabitur paganus Saracenus, quia Mahoma in ſua ſecta non niſi lac, & mel, & mulieres, & paradiſum in mundo promittebat. Tu autem Chriſtiane, cui Deus ſecretum ſuum revelavit & paratum præmium prædixit, quid reſpondebis? Quare tantam gloriam & lætitiam contempſiſti? Vere philoſophi Gentiles ſurgent in judicio, contra generationem iſtam frigidam, tepidam, & ingratam, qui ſolo ſapientiæ amore & virtutis zelo omnia contempſerunt, & in ſolitudine veluti eremitæ ſoli ſapientiæ vacabant, contemptis omnibus deliciis & divitiis, ut ſtudioſi & ſa-

Mat. 5. *Gen.* 15. *Ibidem.* *Mat.* 12.

1.*Cor.*15. *Heb.* 11.

(*a*) In Apocal. cap. 6. v. 9. (*b*) Vide notas ad Concionem 2. de S. Ildephonſo.

sapientes esse possent, sicut Beatus Hieronymus (a) ait de Gymnosophistis. Quid isti fecissent, si vel per rimulas illuxisset illis lumen, si agnovissent gloriam perpetuam animæ promissam post hanc vitam? Væ nobis si tantam neglexerimus salutem! Psalmus: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Ps. 105.

(b) VI. Gregorius (b): Delectet mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Si placet præmium, non deterreat labor. Si placet corona, non deterreat pugna. Vis, quo Sancti pervenerunt, pervenire? Ascende, qua ascenderunt. Ecce enim cœlestis Magister, qui ad hoc venit, ut mundum & animas deferret in cœlum, *aperiens os suum*, id est, in principio Legis Euangelicæ, sedens in monte cum Discipulis suis scalam istam demonstravit, dicens: *Beati pauperes spiritu; Beati mites; Beati qui lugent; &c.* Ecce scalam, per quam ascenderunt Sancti in cœlum, brevem. Tu ascendito per eam. Sed prius singulos ejus gradus sigillatim attingamus, postea ordinabimus eos, & erigemus scalam. *Beati*, inquit, *pauperes*. Non omnes, sed *pauperes spiritu*. Mat. 5.

(c) D. Bernardus (c): Sunt pauperes necessitate, sunt pauperes voluntate, sunt pauperes spiritu. Primi, sunt isti mendici, quos videmus ostiatim petere. Hos non beatificat Christus: nam licet necessitas quam sustinent, si patienter eam toleraverint, reputabitur eis ad bonum; tamen quia violenta est, & non voluntaria, non beatificantur a Christo. Pauperes voluntate sunt philosophi Gentiles, de quibus alibi diximus, Gymnosophistæ, qui amore sapientiæ proprias facultates reliquerunt. Nec isti beati sunt; quia quod non fit pro Deo, non accipitur a Deo. Pauperes spiritu sunt, qui ut Deo vacent & serviant, omnia reliquerunt, volentes se totos Deo dare, & in ejus servitio expendi. Istos Dominus beatificat. Hæc est illa pauMat. 19. pertas Euangelica de qua Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Hanc omnes religiosi profitentur, hanc sequuntur. Utinam teneant, sicut promiserunt. Sed quid prodest relinquere pecuniam, & non avaritiam? Qualis paupertas relinquere magnas divitias; & levissimos & minimos reditus affectare? Cuidam monacho, qui sibi reservaverat ad ægritudines paucula, cum prius esset dives senator, dixit alius (d): Ecce desiisti esse senator, & non es monachus. Ille vero est pauper, qui ex omnibus nihil vult, nihil cupit nisi solum Deum, & cui solus Deus est prædium, hæreditas & patrimonium totum & integrum. Talis erat ille qui dicebat: *Quid mihi est in cœlo? Et a te* Psal. 72. *quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Talis erat Pau-

A lus, qui cum haberet potestatem a Domino accipiendi sumptus, non accipiebat, sed manibus laborabat, ne perderet paupertatem. Act. 20. Unde dicebat: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, de sacrario quidem edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Euangelium annuntiant, de* B *Euangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. Non scripsi hæc, ut ita fiant in me: bonum est enim mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Quam gloriam? Hanc utique: quod solus Deus ex omnibus dicatur meus, & nihil habeam præter ipsum in mundo. 1. Cor. 9.

VII. *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Terram viventium, & terram corporis sui. Venerabilis virtus mansuetudo, quæ hominem facit dominum sui corporis & cordis. Plus enim est, esse dominum sui, quam dominum mundi. E contrario cholerici & C impetuosi non sibi imperant, sed ebrii a furore, millenas faciunt stultitias, & dicunt, de quibus postea pœnitent. *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Non damna temporalia, non funera mortuorum: sed peccata, vel exitium a Deo ex miseratione proximorum; quoniam ipsi consolabuntur. Et hic habent lacrymæ pro Deo solatia. Bernardus (e): Si tam dulce est flere pro te, quam dulce erit lætari in te! *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Unde sæpius quibusdam qui affliguntur, quia non habent spiritum, quia non sentiunt D fervorem & devotionem, solemus dicere: Ecce tempus hoc, tempus laboris, tempus crucis: laborate, sustinete; veniet hora, quando saturabimini, & ardebitis sicut Seraphim. Quid vultis modo saturari, cum scriptum sit: *Satiabor cum apparuerit gloria tua?* Tempus laborandi, & tempus satiandi. *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Libenter Domine accepto pactum hoc, ut pro minima mea misericordia, tuam magnam & immensam misericordiam accipiam. Libenter dimitto parvas injurias meas, ut tu mihi dimittas iniE quitates. Libenter dabo eleemosynas modicas, ut tu mihi præstes ingentes divitias regni tui. Grandis enim hæc tua misericordia est, ut misericordiam tuam in manibus nostris ponas: ut qui misereri voluerint, tuam misericordiam obtineant. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Hic per contemplationem, & postea facie ad faciem. Mat. 5. Ibidem. Ibidem. (e) Ibidem. Psal. 16. Mat. 5. Ibidem.

(a) Vide lib. 2. adverss. Jovinian., & Epist. 57. ad Lætam, alias 7.
(b) In Euang. Homil. 37. num. 1.
(c) Sermo 1. in Festo omnium Sanctorum num. 8.
(d) Refertur a Cassiano lib. 7. cap. 19. tamquam S. Basilii Cæsarienssis Episcopi sententia: *Et senatorem perdidisti, & monachum non fecisti.*
(e) Seu quisquis est Auctor Libelli, cui titulus: *Scala Claustralium*, qui extat inter Opera Bernardo falso adscripta, vol. 3. pag. 354. edit. Mabillon. Ita cap. 6. *Si adeo dulce est flere pro te, quam dulce erit gaudere de te!*

Quid incaſſum oculos intenditis ad videndum Deum, ſanguinolentos, pulverulentos, nubibus & ſtercore plenos? Fruſtra conamini: pollutis oculis non videtur Deus. Purgate oculos a fæcibus peccatorum, conſervate a ſanguinibus concupiſcentiarum, a cupiditate terrenorum, a nubibus paſſionum, & a ſtercore appetituum, & ſine labore videbitis quem deſideratis. *Mat. 5.* *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* Imitantur quippe Patrem ſuum, qui cum tranquillitate judicat omnia; de quo Pſalmus: *Pſ. 101.* *Tu autem idem ipſe es;* & Jacobus: *Jacob 1.* *Apud quem non eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio.* E contra, turbulenti, inſolentes, inquieti, imitantur patrem ſuum diabolum, qui ait: *Job 2.* *Circuivi terram & perambulavi eam.* O pax, pax, quam modica es in terris! Vide *cuncta quæ fiunt ſub ſole. Et omnia labor & afflictio ſpiritus.* *Eccle. 1.* Unde hoc? niſi ex peſſima ſanguiſuga, de qua Salomon: Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ; ſcilicet, cupiditas & voluptas, quæ ſemper dicunt: *Affer, affer;* & non *Prov. 30.* ſatiantur, nec dicunt: Sufficit. Si in nobis eſſet pax, nullus nos perturbaret, nihil nos ſcandalizaret. *Pſ. 118.* Pſalmus: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Væ nobis religioſis, qui hanc ſanguiſugam renuntiavimus per votum obedientiæ! Sed heu eſt otioſa? ſed nunc magis ſugit animæ ſanguinem, & ideo tam macilenta eſt. Unde apud ſæculares in mundo ſunt ſcandala, niſi quia temporalibus egent, ſine quibus uxores & filios nutrire non poſſunt? Sed unde in religione ſcandalum? Quid volumus? Quid quærimus? Quid cupimus miſeri poſt mortem? Nonne mortui ſumus, & vita noſtra *Coloſſ. 3.* eſt abſcondita in Deo?

VIII. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* *Mat. 5.* O Domine! quia jam illud pauperibus dediſti, quando dixiſti: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, Bernardus (*a*): Etiam paupertas genus martyrii eſt: minus quidem acerbum ſed magis diuturnum quam gladii. Alias quoque regnum cœlorum & pauperum, & manſuetorum, & lugentium, & martyrum eſt, ſed diverſis reſpectibus. Non enim dividitur, ſed totum integrum poteſt ab omnibus poſſideri, ſicut ſol; Pſalmus: *Cujus participatio ejus in idipſum.* *Pſ. 121.* Nam in regno cœlorum ſunt divitiæ, & ſic eſt pauperum: eſt tranquillitas & ſecuritas, & ſic eſt manſuetorum: eſt & gaudium & lætitia, & ſic eſt lugentium: eſt quoque ſatietas, & ſic eſt eſurientium juſtitiam: tandem eſt abundantia bonorum maxima, & ſic eſt miſericordium: & eſt viſio & fruitio, & ſic eſt purorum: eſt pax & quies, & ſic eſt pacificorum: eſt honor & voluptas, & ſic eſt martyrum: nam eis debetur honor, quia hic pro Chriſto fuerunt deſpecti, & debetur voluptas propter dolorum ſuſtinentiam. Unde non incongrue dici poteſt, quod unuſquiſque horum ſuam partem in illo regno perfectam obtinebit, quoad gloriam accidentalem, id eſt, pauperior, erit ibi ditior; qui fuit manſuetior, erit ibi tranquillior; qui fuit lugubrior, erit gratulatior & jucundior. Singulos gradus ſcalæ breviter perſtrinximus: nunc ſi placeat, erigamus ſcalam gradibus compoſitis & ordinatis. Eſt enim inter eos ſingularis ordo; videat qui aſcendit, ut ſenſim aſcendat: non feſtinet, non tranſiliat, ne retrorſum corruat. Iſaias: *Qui credíderit, non feſtinet.* *Iſaiæ 28.* Tranſibit utique novitius, qui cum deberet vacare luctui peccatorum & humilitati, ſtatim affectat viſionem Dei & pacem. Nondum attigit primum gradum, & jam affectat ſeptimum & octavum, & ideo non proficit, ſed cadit.

IX. Qui vult ergo ad perfectionem aſcendere; ante omnia relictis omnibus expediat ſe, ut liber ſit ab omnibus curis ad vacandum Deo; hoc fit per paupertatem: nam, *non poteſtis Deo ſervire & mamonæ.* *Mat. 6.* Sed jam poſtquam abjecta ſarcina cupiditatis expeditus eſt; præparet animam ſuam ad tentationem. *Fili*, inquit Sapiens, *accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* *Eccli. 2.* Sciat enim in principio paratas ſibi a diabolo tentationes plurimas, ut eum impediat. Hujuſmodi autem præparatio eſt patientia & manſuetudo, qua viriliter ſuſtinet & perſeverat in propoſito fixus, ut non reſpiciat retro, poſtquam miſit manum ſuam ad aratrum. *Lucæ 9.* Sed quia, ut ait S. P. Auguſtinus (*b*), nemo voluntatis ſuæ arbiter poteſt novam vitam inchoare, niſi prius præteritæ pœniteat: optimum eſt in initio flere peccata commiſſa, & recogitare annos præteritos in amaritudine animæ ſuæ. Ecce tertium gradum. Jam vero ablutis peccatis flumine lacrymarum, & malis humoribus ab animæ ſtomacho purgatis; ſtatim anima incipit eſurire & ſitire juſtitiam. Si enim miſeram animam ab iſta putredine terrenornm exoneremus, ipſa ſtatim ad ſuum finem, ad quem ſcilicet condita eſt, ſuſpirabit. Quid enim animæ, & auro? Quid ſpiritui prope Angelico cum luto & libidine? Quid prodeſt eſurire juſtitiam, & non facere, deſiderare & non perficere? Ideo Beati miſericordes, qui opere implent juſtitiam, quam corde deſiderant, pluribus benefaciendo prout poſſunt. Jam qui ad hunc gradum pervenit; qui ab omnibus expeditus eſt per paupertatem, & fixus in Dei ſervitio per manſuetudinem, & purus a peccatis per fletum, & juſtus deſiderio, opere quoque ſtrenuus; quid deeſt utique, niſi ut

cor

(*a*) Serm. 1. in Feſto omnium Sanctor. num. 15. *Verumtamen quid ſibi vult, quod eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & martyribus, niſi quia vere martyrii genus paupertas voluntaria eſt?*

(*b*) Serm. 351. cap. 2. *Omnis enim, qui jam arbiter voluntatis ſuæ conſtitutus eſt, cum accedit ad Sacramenta fidelium, niſi eum pœniteat vitæ veteris, novam non poteſt inchoare.* Fuit olim Homil. 50. inter 50. Homilias.

cor ab omni affectione temporali, etiam licita purget, & animæ oculos defæcatos & limpidiſſimos habeat ad Dei contemplationem? Beatus qui ſic fecerit. Jam vero purificato corde, ex hac puritate oritur in
Philip.4. anima pax immenſa, quæ exuperat omnem ſenſum, & tranquillitas magna, quæ in Sanctis eſt quædam inchoatio futuræ beatitudinis. Et ſic fit homo Dei perfectus & conſummatus, quantum poteſt in hac vita perfici. Huic nihil omnino deeſt ad omne culmen ſanctitatis. Sed ſi Dominus magnus voluerit eum duplici corona decorare, ut poſt ſanctitatem eximiam, animam quoque ſuam ponat pro Domino ſuo; ut coram ipſo non ſolum ut lilium candeat, ſed etiam ut roſa purpurizet; feliciſſimus erit ac beatiſſimus.

X. Vidiſtis, Fratres, ſcalam, attendiſtis aſcenſum regni cœlorum. Per hanc aſcenderunt omnes Sancti ad regna Beatorum; ſequimini eos; lata eſt via & ſtrata. Aſcendentibus pluribus, quid ſtatis? Quid formidatis? Per hanc pueri, puellæ, ſenes, uxorati, & mulieres debiles ex omni ſtatu & conditione aſcenderunt. Per hanc aſcenderunt non ſolum milites fortiſſimi; ſed ut
Pſ. 121. ait Pſalmus: *Illuc aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.* Aſcenderunt totæ tribus; & vos timetis? O deteſtandam puſillanimitatem, quæ vos a tanto bono deterret! O timorem nocturnum, qui vos prohibet ab aſcenſu regni cœlorum! Tentate & probate, quia vere jugum Domini ſuave eſt, &
Mat. 11. facilis aſcenſus ad cœlum. Experimini Dei adjutorium, qui vos ad alta facillime ſublimabit. Etenim Sancti iſti homines erant ſimiles nobis ex oſſibus & carne; & tamen non ſolum aſcenderunt, ſed volaverunt. Pro-
Iſaiæ 60. pheta: *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſedent?* Nubes ſunt, columbæ ſunt, volantes ad æternas illas manſiones, ad quas conditi ſunt. Ab hac puſillanimitate ſe liberatum gloriatur Propheta dicens: *Cantabo ei qui ſalvum me fecit a*
Pſal.54. *puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.* Multi enim propter hanc, magnam gloriam perdiderunt; quia noluerunt experiri, quid valeat in homine divina gratia, nec auſi ſunt tentare hunc aſcenſum ex miſero timore deterriti: qui ſi probaſſent, utique vidiſſent, quoniam non auſterus nec difficilis, ſed ſua-
Pſal.33. vis eſt Dominus.

XI. Hanc ſcalam vidit Jacob, cum fugeret fratrem ſuum Eſau, & ſuppoſito lapide
Gen. 28. dormiret. Angelos quoque vidit aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis,
Ibid.32. & ait: *Caſtra Dei ſunt hæc.* Expoſuit eam
Ibidem. nobis Chriſtus apud Joannem, quando dixit:
Jo. 1. *Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra Filium hominis.* Religioſus, qui fugit de domo patris fratrem Eſau, & ſanguinolentum mundum, ſi dormiat a curis, ſi ſupponat capiti ſuo lapidem, id eſt, fidem Chriſti; dormiat autem inter duos cleros, id eſt, duo teſtamenta, in lege Dei medi- *Pſal.67. Pſal. 1.*
tans die ac nocte; aperiet ei Deus ſcalam in cœlum, id eſt, demonſtrabit ei Dominus viam ſalutis, per quam Angeli, id eſt, Sancti aſcendunt & deſcendunt ſuper Filium hominis. Aſcendunt per contemplationem æternorum, deſcendunt per compaſſionem miſerorum. Aſcendunt orantes & contemplantes, deſcendunt adjuvantes & benefacientes.
Apoſtolus: *Sive enim mente excedimus, Deo:* *2. Cor.5.*
ſive ſobrii ſimus, vobis. Attende ipſum Dei Angelum ad Gentes miſſum; attende aſcendentem: *Si*, inquit, *gloriari oportet*, (*non* *Ibid.12.*
expedit quidem) *veniam autem ad viſiones & revelationes Domini. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim* (*ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit*) *raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum. Et ſcio hujuſmodi hominem* (*ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit*) *quoniam raptus eſt in paradiſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Vidiſti aſcendentem (*a*); attende ipſummet deſcendentem: *Pro me autem nihil*, ait, *gloriabor niſi in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ, qui me colaphizet. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* Et iterum: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis* *Ibid.11.*
ſcandalizatur & ego non uror? &c. Attende denuo eum aſcendentem cum de donis, ſic *Rom.11.*
diſputat, ut cogatur exclamare: *O altitudo divitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Attende & eundem deſcendentem, cum etiam minima ordinat: *Mulieres*, inquit, *viris ſuis ſubditæ ſint, ſi-* *Epheſ.5.*
cut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe Salvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Et: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea... ut ſit ſancta & immaculata.*
Et totum, *ſuper filium hominis.* Sic aſcen- *Jo. 1.*
dunt, ſic deſcendunt ad omnia propter Chriſtum. Hoc enim ſolum volunt, hoc ſolum cupiunt, ut placeant Chriſto. Tales debent eſſe Prælati noſtri, qui, ſecundum Prophetam, Angeli Domini ſunt. Unde Gregorius (*b*): Prælatus ſit præcipuus, contempla- (*b*)
tione ſuſpenſus. Sed heu! nec aſcendunt nec deſcendunt *ſuper filium hominis*; ſed deſcendunt in abyſſum. Potius vitam ſuam in reditibus numerandis conſumentes & expendentes.

(*a*) Similia habet S. P. Auguſtinus tract. 8. in Joann. Evang. num. 205.

(*b*) Regul. Paſtoral. part. 2. cap. 5. *Sit Rector ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus.*

dentes. Sed quid faciebat Angelos Dei sic velociter ascendere & descendere? Attendite: quia Filius hominis innixus erat scalæ: exspectans utique suos milites & exhortans. Eja filii, eja amici, eja milites mei! Ascendite velociter, festinate pervenire: nemo deficiat, nemo retrocedat: brevis labor, & æterna requies; brevis afflictio, & sempiterna lætitia; momentanea pœna, & interminabilis jucunditas. Certate modicum, ut post hanc levem pugnam ad æternam mereamini pervenire gloriæ coronam: quam vobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster. Amen.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

CONCIO QUARTA.

De gloria Beatorum, et labore quo ad eam pervenerunt.

Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5. v. 12.

Concio clxi. Ps. 150.

I. *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Deus est qui laudatur non Sanctus; quoniam virtutes Sanctorum, dona Dei sunt. Sed si Deum in Sanctis suis laudare jubemur, quanto magis in Matre Sancta sua, quæ est Sanctorum primiceria? Ideo sequitur: *Laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Duplici ratione Virgo dicitur firmamentum. Primo: quia in singulo cœlo est tantum una stella, in firmamento sunt innumeræ. Ita etiam, quilibet Sanctus, licet multas habeat virtutes, una tamen præcipue emicat. In Virgine vero omnes aliorum virtutes collocatæ; omnibus virtutibus veluti sideribus ornata est. *Vivit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris.* Isaiæ 49. Secundo: quia sicut ex firmamento venit mundo tanta multitudo influentiarum; ita ex Virgine omnis influentia gratiarum. Bernardus: Totum nos habere Deus voluit per Mariam (a). Duo dicemus: Primo, de gloria Beatorum, juxta thema: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Mat. 5. Secundo, de labore quo pervenerunt ad tantam gloriam, juxta Euangelium.

II. Celebramus hodie, Fratres, Sanctorum festivitates, & toto mentis gaudio recolimus. Hodie, Fratres, Ecclesia nostra matrem suam cœlestem dignis prosequitur laudibus, affectu lætitiæ & jucunditatis veneratur & honorat. Junguntur hodie mater & filia, & mutuis se vicibus alternant. filia matrem regnantem & jam securam veneratur; mater filiam adhuc laboribus æstuantem adjuvat & solatur. O quam ex debito, quam juste gloriam Sanctorum recolimus. Primo: quia sudoribus & suo sanguine, hanc nostram Ecclesiam plantaverunt ut vivi lapides positi in fundamento. Illis debemus, Fratres, post Deum, totum hoc fidei & lucis quod habemus. Secundo: debitores sumus: quoniam si de eorum bonis lætamur, ipsi amplius lætantur de nostris. Juxta illud Euangelii: *Majus gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* Luc. 15. Non multum est, si de eorum gloria lætamur, qui sic lætantur de nostra pœnitentia. Tertio: propter auxilia, quæ nobis impendunt. Suis enim orationibus pondera nostrorum peccatorum sustentant, Psalmus: *Pro hac*, scilicet impietate nostra, *orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Psal. 31.

III. Sed cum gloriam Sanctorum mente recolimus, simul in nostro corde gaudium & tristitia oriuntur. Dulcis est eorum memoria, & amara; tristis, & jucunda. Quomodo hoc fit, attendite. Dum enim eorum quietem, & perturbationem nostram; eorum securitatem, & periculum nostrum; eorum beatitudinem & miseriam nostram cognoscimus: dum ex consideratione illorum bonorum oculos nostros deflectimus ad considerationem nostrorum laborum; quis poterit non gemere, non effundere lacrymas? Agnoscimus divitias patriæ nostræ, & tunc magis exilii nostri ingemiscimus pœnas & penuriam. Quam pulchre hoc Psalmus deplorat, dicens: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Ps. 136. Babylon præsens vita est, & sæculum hoc nequam, abyssus errorum, & labyrinthus miseriarum. Flumina Babylonis; concupiscentia, cupiditas, ambitio, & his similia. O quantos rapit suo impetu! Quot homines illecebra carnis, & cupiditas auri, & ambitio pompæ rapuit in infernum! Sæpius, etiam justi quasi natantes laborant pervenire ad ripam securitatis, & cum diu nataverunt, veniunt ad voraginem tentationum, & subito rapiuntur in præcipitium peccati. Flumina ergo ista sunt, & propter impetum, ut dictum est, & propter transitum. Nonne vidistis pompam Regum & apparatum? Ubi nunc sunt? Celeriter transierunt: nimirum quoniam pompa sæculi, flumen est Babylonis. Quid mirum si transeat fluvius sæculi? Exemplifica in aliis. Hujus inconstantis vertiginis, & sinus rotantis vices in mortalibus cunctis in Babylone constitutis, deplorans Propheta, dolore commotus erumpit in hanc vocem: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Ps. 137. Est etiam memoria gloriæ Beatorum nobis jucunda, ut patet ex eodem Psalmo. Statim enim subjungit: *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur*

(a) Serm. 3. in Vigil. Nativ. Domin. num. ult. *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.*

tur dextera mea, si non propoſuero Jeruſalem in principio letitiæ meæ. Ecce qui prius in memoria Sion cœleſtis triſtabatur exul & profugus: nunc concepta ſpe perveniendi ad illam, nimio gaudio promittit & jurat ſe nunquam illius obliviſci.

IV. Dices hic practice, quam jucundum ſit viſitare animo & luſtrare pulchram illam familiam domus Dei, caſtra Angelorum, ſtationes Beatorum: quando anima derelicto corpore, veluti columba de laqueo volat, & agminibus Angelorum ſe immiſcet ac interſerit, & canit cum illis ſimul & tripudiat dicens: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Quam moleſte ſuſtinet, quando moleſtiis corporis acclamantibus, ac veluti latrantibus, cogitur redire ad corpus, ad exercendas ſenſuales operationes, & implendas vitæ præſentis neceſſitates. Quam tunc illi diſplicent omnia, quæ ſunt ſub ſole, quæ ſuper ſidera diu converſata eſt animo. Experimini, Fratres, contendite, ut mereamini experiri; ſi dentur vobis alæ ſicut columbæ, & voletis & requieſcatis. O quam glorioſum eſt regnum, Fratres mei, in quo cum Chriſto gaudent omnes Sancti! Quantus ibi numerus canentium, quanta ſpirituum differentia, qualis ſpecies & pulchritudo, quanta charitas, quanta ſapientia! Longe ſunt iſta ab oculis noſtris. Sed Prophetam audiamus Iſaiam cap. 33. *Reſpice*, inquit, *Sion civitatem ſolemnitatis noſtræ: oculi tui videbunt Jeruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur: quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter: locus fluviorum, rivi latiſſimi & patentes: non tranſibit per eum navis remigum, neque trieris magna tranſgredietur eum. Dominus enim Judex noſter, Dominus legiſer noſter, Dominus Rex noſter: ipſe ſalvabit nos.* Expone: *Civitatem ſolemnitatis noſtræ.* Quia dies hujus vitæ dies laborioſi ſunt & ferales. *Clavi & funiculi*, ſunt nexus inſolubiles charitatis, quibus Beati Dei ſunt colligati amore ferventiſſimo. *Solummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter.* Nam in inferno juſtus, in terra pius, in cœlo magnificus eſt Deus. Ibi non adeſt juſtitia punitiva, quia non adeſt culpa; ibi non eſt miſericordia, quia non eſt miſeria. Sed ibi Deus oſtendit ſe potentem & magnificum in præmiando. *Locus fluviorum, rivi latiſſimi & patentes.* Hic conſolatio diſtillata: *Sicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Iſaias ait: *Ros lucis, ros tuus.* Modo enim nec guſtus noſter nec palatum poteſt imbrem ſuſtinere; ubi autem locus fluviorum, rivi latiſſimi: ingurgitantur pelago voluptatis. Pſalmus: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, quia apud te eſt fons vitæ. Non tranſibit per eum navis remigum.* Navis remigum, tentatio eſt.

V. S. P. Auguſtinus (*a*): de gloria Beatorum: Novimus quid ibi deſit, ſed quid ibi adſit, neſcimus. Scimus, quoniam ibi non eſt mors, non luctus, non timor, non ſitis, non fames, non tribulatio, non dolor, non pœna, non triſtitia; hæc omnia ibi mala deeſſe novimus; ſed quæ bona ibi ſint, audi Prophetam: *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Et Petrus Apoſtolus: *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes, creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata; reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.* Bernardus (*b*): Cogita quidquid vis, quidquid potes exopta: excedit cogitatum omnem, deſiderium exuperat, illa felicitas, æternitas illa, beatitudo illa. Quid enim proderit, ſi homo cæcus ponatur in aula aurata, ubi adſunt imagines ſpecioſæ, & picturæ pulcherrimæ; & dicatur ei, ſi ponderetur valor auri, pulchritudo vel amplitudo loci cum picturæ excellentia: numquid valebit intelligere? Sic ſumus omnino, Fratres, ſic ſumus; quaſi cæcus in medio aulæ, in qua ſunt tot Angelorum millia, qui vident nos, nos autem nullum omnino de ſpiritualibus ſenſum habemus. Ideo omittamus nunc dicere gloriam Sanctorum, & viam inquiramus, per quam ad tantam gloriam meruerunt aſcendere.

VI. Sed timeo ne contingat nobis, ſicut, quomodo qui ſunt in circo ſpectantes pulchritudinem veſtium, & intextionum, & ludorum eorum qui ſunt ad feneſtras; & ſubito venit taurus & rapit. Sic nos, dum Sanctorum gloriam ſpeculamur; caveamus, ne dum ſecuros laudamus, & virtutes eorum admiramur, viventes pigre a dæmone ſeducamur. Non enim laudatores ſed imitatores Sanctorum eis agglomerabuntur. Si ergo altitudo & faſtigium gloriæ eorum te delectat, delectet etiam te ſcala per quam ad tantum faſtigium pervenerunt. Audiſti gloriam in themate: *Ecce merces veſtra copioſa eſt in cœlis*, & placuit: audi nunc ſcalam in Euangelio: *Beati pauperes ſpiritu: Beati qui lugent: Beati mites: Beati miſericordes: Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: Beati mundo corde: Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, &c.* Hi ſunt gradus, quibus itur ad cœlum: per hos ad copioſam illam mercedem pervenitur. Non putes, quod reperies in cœlo viros ſplendidos, opulentos, potentes hujus ſæculi, qui delicate & laute vixerunt ad ſuam voluntatem, non. Sed quos ibi reperies? Nempe contemptibiles, afflictos, perſecutos, pauperrimos, anguſtiatos, quos mundus contemnit

Isaiæ 6. — Ibid. 33. — Pſal. 71. — Isaiæ 26. — Pſal. 35. — 1. Petr. 1. — Mat. 5.

(*a*) Vide Sermonem de Symbolo cap. 12. tom. 6. pag. 567. num. 23. in noviſs. edit., alias lib. 2. de Symbolo in ante editis tom. 8.

(*b*) Seu potius Gaufridus Abbas in Declamationibus ex Bernardo, Declam. ultima, vol. 3.

temnit & deridet; qui egeſtate & fame omnibus erant in ludibrium, quaſi jumenta ſæculi. Iſti ſunt principes gloriæ, incolæ cœli, iſti familiares Dei, iſti ſunt qui omnibus principantur, omnibus dominantur modo in cœlo. Sapientiæ 5. capite: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce quomodo computati ſunt, inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.* Sap. 5.

VII. O vanitas, o cæcitas, o perverſitas ſæculi, quantum nunc confunderis teſtimonio veritatis! Audite, Fratres, quid quærant hodie homines in mundo; pro quo die noctuque laborant & anxiantur. Divitias, gaudium, ſaturitatem, favores, honores; hæc ſunt poſt quæ currunt homines. Si quiſpiam in iſtis abundat, a ſæculo iſto beatus prædicatur, qui tamen miſer eſt: ſi habet prædium bonum, ſi domum amplam, ſi familiam, ſi ad libitum vivit. Quid dicunt homines? Ecce ille beatus eſt, qui talia habet, qui tam jucunde vivit. Pſalmus: *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Sic ait mundus. Sed audite, quid dicat Chriſtus: *Beati pauperes: Beati qui lugent, &c.* Omnia omnino per oppoſitum Magiſter cœleſtis. Præceptor novus, novam doctrinam, nova præcepta attulit mundo, ideo, non niſi in monte, non niſi in altum hæc doctrina docetur; non aſcendunt graves & carnales; in infimo reſident. *Aperiens os ſuum.* Hic cœpit prædicare, hic inchoavit ſermonem: diu tacuerat, diu ſiluerat Magiſter veritatis. Veritas ipſa, quid primo dicat, unde exordium ſumat, audite: *Beati pauperes: Beati mites, &c.* Ecce. Uſquequo in duas partes claudicatis? Videte cujus vultis eſſe diſcipuli; an Chriſti, an mundi? oppoſita enim utriuſque doctrina eſt. Quid miſeri ſeducimur? Factis & opere oppoſitam mundi doctrinam ſectamur: alia dicimus, alia facimus. Quis hodie amator paupertatis? Quis luctus & lamenti ſectator? Quis perſecutionem amat? Beatus eſſe vult: ſed hæc beatitudo hujus vitæ eſt. Quid autem dicat veritas Chriſtus, audi: *Beati*, inquit, *pauperes: Beati qui lugent: Beati qui perſecutionem patiuntur, &c.* O ſtulte homo! Beatus eſſe vis, ſed beatitudinem non vis, ſed miſeriam. Beatus eſſe vis? (ſi adſint Religioſi) dices: & ſi ſtultum eſt pro temporalibus æterna dimittere; relinquere temporalia, & perdere æterna, quanto ſtultius erit? Dic quomodo ſumus ſicut famelici inter duas menſas, ut ait Bernardus (*a*). Hoc non licet, illud non valet. Hoc non valemus, illud non audemus. Voluptas ſæculi porrigitur, ſed non licet ſumere: gloria cœli optatur, ſed non datur. Ita inter fameſcentes & comedentes; videte ne exeuntes ab Ægypto, & terram promiſſionis non attingentes, moriamini in deſerto. Mat. 5. (*a*)

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

CONCIO QUINTA, ET POSTILLA.

DE MAGNITUDINE MERCEDIS, ET DE LOCO ILLIUS.

Gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Matth. 5. v. 12.

I. IN perſecutionibus, in tribulationibus, in tormentis viri juſti non deficiatis: ſed ponite ante oculos præmium, & contemnetis ſupplicium. Ecce enim labor modicus. Vos autem in paucis vexati, *gaudete: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Duæ partes: prima de magnitudine mercedis; ſecunda de loco; primum ibi: *copioſa eſt*; ſecundum ibi: *in cœlis*. Quam magna ſit, & qualis ſit gloria Beatorum, lingua non poteſt explicare. Nam ubi Sancti deficiunt, quomodo audebit pauperculus loqui? Ecce ait Iſaias: *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te.* Joannes: *Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Paulus: *Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad viſiones & revelationes Domini. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum.* Et *ſcio hujuſmodi hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt in paradiſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* David: *Notum fac mihi Domine finem meum, ut ſciam quid deſit mihi.* Ecce iſti Sancti muteſcunt in explicatione tantæ gloriæ, & quid ego poſſum loqui, ſecundum quod loquendum eſt? Concio CLXII. Mat. 5. Iſaiæ 64. Apoc. 2. 2.Cor.12. Pſal.38.

II. Ex tribus tamen poteſt colligi gloria Beatorum. Ex objecto, ex ſocietate, ex æternitate. De objecto: Deus eſt eorum præmium, Deus eſt eorum poſſeſſio, & hæreditas. Si te delectet poſſidere agrum, amplius delectabit poſſidere cœlum. O quanto amplius delectabit poſſidere Deum, cœli & terræ Conditorem! Dominus ad Abraham ait: *Noli timere Abraham: ego merces tua magna nimis.* Non cœlum; ſed ego: non terra; ſed ego. Deus eſt Sanctorum merces. Gaudete ergo, quia copioſa eſt. Nota, quod ſicut Deus eſt ſummum bonum, omne bonum eminenter continens, ita etiam ejus fruitio Gen. 15.

om-

(*a*) Serm. 39. de Diverſ. num. 2. *Nonne velut inter duas menſas poſiti, epulantes hinc inde ſpectamus jejuni?*

omnem delectationem includit. Pondera: si in cibo gustus corporeus sic delectatur; intellectus purus & limpidissimus quomodo delectabitur in tanti boni participatione? Dices, quomodo solus satiat Deus. Secundo de societate: pondera multum, quantum delectatur anima in visione humanitatis Christi, & quomodo ibi pascitur cortice & adipe, ingrediens & egrediens, & pascua inveniens.

(a) Vide Originale Augustini (a). De tertio:

(b) scilicet æternitate. Ex S. Thoma (b) dices: Qualis radix gaudii, tale etiam est gaudium: Quare non est perpetuum gaudium sæculi?

Jo. 2. nempe quia *mundus transit & concupiscentia ejus?* Gaudium autem de Deo perpetuum

Ps. 101. est, quia Deus non variat. Psalmus: *Mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es.* Psalmus: *Stantes erant pedes nostri,*

Ps. 121. *in atriis tuis Jerusalem.* Quare stantes, quare fixi, quare permanentes? Sequitur: *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Quia *participatio ejus in idipsum*, & semper eadem; ideo pedes intellectus, & affectus non vacillant ibi, sed stant. Sed fortasse movet te quod ait

1. Petr. 1. Petrus: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Quomodo, inquies, desiderant quem sempiterne vident? Ecce enim Dominus ait:

Mat. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Quomodo ergo desiderant videre quem semper vident? Quod enim quis habet, non desiderat habe-

Eccli. 24. re. Solutio est ibi: *Qui edunt me, adhuc*

(c) *esurient.* Pro quo nota ex Gregorio (c): Quod ibi est satietas sine fastidio, & desiderium sine tristitia. Est ergo satietas & desiderium, ut Sanctus excludat a desiderio vexationem, & desiderium excludat a satietate fastidium. Satiatur ergo: sed non fastidit qui desideratur; desideratur, & quo magis desideratur, eo magis fruitur.

III. In secunda parte sermonis, notatur

Mat. 5. locus mercedis, cum dicitur: *in cœlis.* Noli hic quærere gaudia, quia terra locus est laboris, cœlum locus est mercedis. Job: *Mi-*

Job 7. *litia est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarii dies ejus.* Mercenarius laborat priusquam recipiat, & pro magnitudine laboris, ei respondet magnitudo mercedis. Ecce, vis scire quantum tibi restet mercedis? Vide quantum hic sustinuisti, quantum laborasti. Pone oculos, unum in labore, & alium in mercede, ut facilis sit labor. Figura: dicitur de templo Salomonis: *Domus*

3. Reg. 6. *cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur.* Hoc ideo, quia

Ibid. 5. prius lapides foris dolabantur, & ligna præparabantur. O Fratres, de Templo cœlesti vera est illa structuræ figura: ibi non auditur malleus, quia ibi non est pressura, ibi non est pœnitentia, hic lapides ponuntur expoliti; tunsionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis per manus artificis, disponuntur permansuri in sacris ædificiis. Si flagellaris, si percuteris, patienter tolera; nam tunc artifex ille supremus dolat te foris, ut coapteris ædificio cœlesti. Hic auditur malleus & serra; nam in Templo illo non auditur malleus: ex Gregorio (d). Nota de gloria & mercede justorum, quod dicitur in Bernardo (e) folio 1247. in fine sermonis de Primordiis conversorum, libro de modo vivendi; ubi inquit: Omnis ars hujus sæculi strenuos habet amatores, & ad exequendum promptissimos. Quare? Quia præsentem habet remunerationem sui operis. Ars vero divini amoris multos habet sectatores tepidos, languidos, & pigritiæ inertia congelatos. Sed hoc proinde fit, quod merces laboris eorum, non in præsenti vita, sed in futura dabitur. Et paulo infra:

(d) (e)

IV. Multi, inquit, convertuntur ad Deum, non tam mente quam corpore, quod nos sine gravi gemitu dicere non possumus. Habitum religionis habent, sed mentem religiosam non habent. Multi non habent religionis animum; multi enim ad conversionem veniunt, non tam propter animæ salutem, quam propter corporis necessitatem: qui non Deum colunt, sed ventrem suum; de quibus Apostolus ait: *Quorum Deus venter est.* Non intentio eorum, ut digne Deo serviant; sed ut bene comedant & bibant, & ut bene vestiantur, & ut bene sit eis in sæculo: & quia terrena diligunt, cœlestia perdunt. Et sicut ait Dominus in Euangelio: Recipiunt mercedem suam in hoc sæculo. Unde cavendum nobis est, ne transitoria & terrena plus quam oportet diligamus. Ideo Psalmista nos admonet, dicens: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Terrena quidem in usu nobis esse debent, cœlestia vero in desiderio. Terrena debemus expendere, cœlestia desiderare. Est enim quædam admirabilis & magna dulcedinis in eis multitudo, quam abscondit Deus his qui diligunt eum: de qua scriptum est: Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Unde Propheta: *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Amabilis ergo illa satietas sit nostra felicitas; quam non segniter sed gnaviter, ut probemus nos concupiscere, identidem cum Propheta ingeminando dicamus, & exclamemus: *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, dum recor-*

Philip. 3.

Mat. 6. 1.

Psal. 61.

1. Cor. 2.

Psal. 16.

Ps. 136.

da-

(a) Idest Sermonem in Festo omnium Sanctorum num. 3., ubi aliqua sunt, quæ in argumentum omnino cadunt. Extat in Append. tom. 5. novis. editionis sub num. 209. Fuit olim de Sanctis 37., & post in Append. 85.

(b) 1. 2. quæst. 2. art. 6.

(c) Moral. lib. 18. cap. 54. *Sed longe ab ista siti necessitas: longe a satietate fastidium: quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.*

(d) Vide lib. 34. Moral. cap. 12. num. 23.

(e) Lib. ad Sororem de modo bene vivendi cap. 6., qui tamen liber perperam Bernardo adscriptus est, ut monet Mabillonius. Extat in vol. 3. pag. 907. Venetæ editionis.

daremur tui Sion: In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum: Et qui abduxerunt nos: Hymnum canite nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui Jerusalem; oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero Jerusalem, in principio lætitiæ meæ. Et cum alio Propheta: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat. Ut requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum.* Ecce Andreas videt crucem, & clamat. O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicite amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat qui per te me redemit! Laudibus exultat in pœnis. Jam puellæ, teneræ virgines, crudelia tormenta viriliter tolerant pro Domino. Væ mihi barbaro seni, qui dum modicum quid patior pro eo, tenerum me causor.

Habac.3.

POSTILLA.

V. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. Sicut audivimus*, per fidem scilicet, quia *fides ex auditu. Sic vidimus* in hac vita per speciem in ænigmate, postea visuri facie ad faciem. Apostolus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Sed quid audivimus? *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sic videbimus. Quid audivimus? *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Ita & videbimus. Quid audivimus? *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Ita quoque videbimus. Quid audivimus? *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi Deum videbunt.* Et hæc quoque & nos ibi videbimus. Quid audivimus insuper? *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* Neque istis etiam minora videbimus; sed longe plura ac majora ibidem contemplabimur. De Salomone Regina Saba ait: *Verus est sermo, quem audivi in terra mea. Et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major est sapientia tua & opera tua, quam rumor quem audivi. Beati viri tui, & beati servi tui qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Veritas vincit famam. Ita & nos ibidem; imo dicemus: numquam tale cogitaveramus. Et quid tandem hic audivimus? *Beati*, inquit Euangelista, *qui persecutionem patiuntnr propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et: *Beati*

Psal.47. Rom.10. 1.Cor.13. Mat. 5. 3. Reg. 10. Mat. 5.

estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Verum post omnia quæ hic audivimus, & ibidem clare videbimus: quomodo non cum Propheta exclamabimus: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Beati labores, beati sudores, beata fames, beata nuditas; per quæ ad tantam quietem, tantam gloriam, tantam sanctitatem pervenimus! Nisi quia Dominus fuisset in nobis, dicet tunc Israel, id est, videns Deum; nisi Dominus fuisset in nobis: *Cum insurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos: cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus, eorum anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.* Et, vel ideo: *Placebo Domino in regione vivorum.* Preme verba Psalmi, *dicat nunc Israel:* nunc in securo, scilicet, positus, quando videt Deum, & salva facta est anima illius: dicat, inquam, nunc Israel & non ante: quia quantacumque virtute polleat, quantacumque sanctitate quis resplendeat; *qui stat*, dum est in via, *videat ne cadat:* non glorietur accitus æque ac diffitus.

Gen. 32. Ps. 123. Ps. 114. 1.Cor.10.

VI. Sancti sunt in mundo, sicut radix in hyeme; viva quidem, sed deformis. Venit ver, calore radix perfunditur: & tunc apparet virtus radicis, tunc apparet speciositas occultata in illa deformitate. Emittit folia, emittit flores, emittit fructus speciosos. Sic Sancti, hic afflicti, angustiati, coarctati, percussi, &c. in altera vita fructificabunt, quasi vitis suavitatem odoris, & flores & fructus honoris & honestatis. Væ illis qui hic ante tempus volunt florere & fructificare. Isaias: *Ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramusculi ejus falcibus: & quæ derelicta fuerint abscindentur, & excutientur; & relinquentur simul avibus montium, & bestiis terræ, &c.* Bona est lætitia, bonum gaudium: sed hoc non est gaudii tempus, sed mœroris, sed tempus tristitiæ. Psalmus: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Alioqui fiunt, *sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit:* &, *de quo non implevit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit.* Omnes quidem beati esse volunt. Triplex amor, scilicet, naturalis, inefficax, & efficax. Sed non omnes perveniunt quia male

Eccli.24. Isaiæ 18. Ps. 125. Ps. 128.

male faciunt, & in rebus miseris volunt beatificari. O luxuriose putasne in porcina voluptate tamquam equus, & mulus, & porcus in ea beatificaberis? O gulose, &c. discurre. O avare, in auro tuam salutem collocas? Sic degenerasti, ut fidas voluptatibus, ut fæces terrenas in tuam beatitudinem reputes? Respice stulte, quibus rebus viliſſimis nempe & turpiſſimis animam tuam, spiritum pulcherrimum coronas. Bernardus (a) super Cantica: O dulciſſime Domine Jesu! Omnes volunt ire ad te, cum pauci velint sequi te; nolunt ire post te, & volunt pervenire ad te; conregnare volunt, & nolunt compati. Ex his erat ille qui dicebat: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant noviſſima mea horum similia.* Mortem quippe spiritualium optant sibi etiam carnales, quorum vitam tamen abhorrent; scientes pretiosam esse mortem Sanctorum, quoniam, *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini:* &, quia, *Beati qui in Domino moriuntur;* cum e contrario juxta Prophetæ sententiam: *Mors peccatorum peſſima* sit; non curant quærere, quem tamen desiderant invenire, cupientes consequi, sed non sequi. Non sic illi quibus ajebat Dominus: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono vobis, sicut dispoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* In altera scilicet vita, qui mecum in præsenti permansistis in tentationibus, tribulationibus, persecutionibus, &c. Beati qui digni habiti sunt testimonio tuo benigne Jesu. Ipsi revera in hac vita ibant post te & pedibus & affectibus. *Notas* eis *feciſti vias vitæ:* vocans eos post te, quia via & vita es; dicens: *Venite post me.* Item: *Qui mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Hinc dicebant ipsi gloriantes: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Sic & dilecti tui in hac vita, relictis omnibus propter te, concupiscunt semper ire post te quocumque præcessisti, & semper sequi te in pressuris, in angustiis: *quasi tristes, semper autem gaudentes.* Scientes, quoniam viæ tuæ viæ pulchræ, & omnes semitæ tuæ pacificæ, & quia, qui sequitur te, non ambulat in tenebris. Et hi quidem Beati sunt, qui ita lugent, qui ita tristantur. Multæ quidem causæ luctus: sed præcipua debet esse, quia fixos oculos ad Dominum non habemus; & creaturæ animum & cor nostrum rapiunt ad se, & separant a Deo.

(a) Ab his verbis usque ad ea: *& quia qui sequitur te, non ambulat in tenebris*, excerpta sunt ex S. Bernardo Serm. 21. in Cant. num. 2. & seq.

CONCIO
DE SANCTIS. (b)

DE DECEM GRATIIS SIVE MODIS, QUIBUS DOMINUS DEUS SANCTOS ET ELECTOS SUOS DIRIGIT IN VIAM SALUTIS.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.
Sapien. 10. v. 10.

CONCIO CLXIII.

I. PRopheta regius modum, quo Deus Sanctos suos & electos in via salutis dirigit, brevi sermone in seipso describit, dicens: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Tali enim ac tanto Rectore quid mihi deesse potest? Quando errare potero a tanto directus? Illi me totum tradidi gubernandum, ipse meos actus & affectus disponit, ipse meos dirigit gressus; ipse ductor, ipse via, ipse currus, ipse auriga meus. *Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depoſitum meum servare in illum diem;* & certus sum, quia nihil impediet, nihil obsistet, quin ipso rectore & moderatore perveniam quo tendo, & obtineam quod desidero. Sed insinua nobis Propheta sancte, unde ejus moderamina nosti, & qua te regat arte, quave ratione moderetur, edisſere. Attendite, Fratres, quam mirifice, quam sapienter, quam succinte percurrat, quæ neque longo possent tractatu finiri. *In loco*, inquit, *pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum. Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala: quoniam tu mecum es. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Paraſti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quam præclarus est! Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Et *ut inhabitem in domo Domini.* Decem gratias sibi collatas enumerat: ex quibus liquido cognovit, quia Deo cura est de ipso, & quod illius moderamine gubernetur.

Jo. 14. 4. *Reg.* 2. 2. *Tim.* 1. *Psal.* 22.

II. Prima est: quod *in loco pascuæ* ab eo collocatus sit, id est, in Ecclesia Dei, in medio populi fidelis, ubi fidei pabulo aleretur, ex parentibus fidelibus progenitus fuerit. Grandis profecto & pura gratia! Neque enim antequam esset, promereri potuit, ut tanto beneficio donaretur. Omnium animarum Conditor Deus, pro suo arbitrio, & secundum consilium voluntatis suæ cuncta di-

Ibidem.

(b) Concio ista in editione Brixiensi inscribitur: de uno Martyre, hoc est S. Adelesmo.

disponens; hanc embrioni ex fidelibus, illam embrioni ex infidelibus, id est, corpusculo in ventre matris organizato, pro suo libito animam destinat; neque dicere ei quispiam potest: Cur ita facis? Quanti vero momenti ad salutem, & vitam æternam consequendam, hoc sit; quia omnibus liquet, dicere non est opus. Secunda gratia: jam vero ex parentibus fidelibus genitus, sic erat, ut melius erat ei non fuisse: utpote, filius iræ, natus in combustionem & cibum ignis, nisi in alteram formam reficeretur. Formatus ergo in animam viventem, reformatus est in spiritum vivificantem: in similitudinem terreni Adam progenitus, in cœlestis similitudinem aqua salutari regeneratus est. Hoc est: *Super aquam refectionis*, id est, regenerationis; *Educavit me*, id est, refecit & reformavit me. Hæc ergo secunda gratia est. Quod videlicet, in utero, Deo conservante, non fuerit aborsus; & in partu, ipso protegente, non fuerit suffocatus; sed Dei dono ad Baptismum regenerantem pervenerit. Tertia gratia: postmodum vero, annis infantilibus transactis; cum ad boni vel mali discretionem perveniisset; abire cœpit vias distortas post malitiam cordis sui, appetitus effrenes, & carnis desideria stulte perficiens. Siquidem omnis sensus & cogitatio hominis in malum prona est ab adolescentia sua. Sed respexit eum Dominus ex alto; & miseratus errantem, illius *animam convertit*: ne videlicet, fallaces & fugaces umbras sequeretur, & in vitiorum præcipitia laberetur. Hæc tertia gratia est, qua scilicet, Deo illuminante, relicta nequitia, viam veritatis elegit. Gratia quarta. Sed quid esset bene eligere, & male prosequi? qui ergo dedit velle bonum, dedit etiam perficere. Unde sequitur: *Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum*. Parum erat Deo viam justitiæ monstrare, nisi dignaretur etiam ambulantem dirigere. Unde, sicut Propheta ait: *Scio Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos*; sed *apud Dominum gressus hominis diriguntur: & viam ejus volet*. Hæc quarta gratia est, Deum habere in via sua rectorem & directorem. Quod quantam fiduciam ei præstiterit, audite: *Nam etsi ambulavero*, inquit, *in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es*. Felix qui tali comite potuerit gloriari, non est unde timeat errorem, qui veritatem sui itineris directricem habet.

III. Sequitur gratia quinta. Sed numquid forsitan o Propheta non cades? non offendes? non a recto itinere deviabis? Quis ita viator securus est, ut non timeat mala? Errare, inquit, forsitan potero; sed si deviavero: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. Hæc quinta gratia est, correctionis scilicet, qua Deus electos suos sublevat a peccatis. Insigne profecto amoris indicium; corripit enim filium quem diligit. Væ miseris, quos in peccatis consenescere permittit. Hæc grandis ira Dei est, & post, infernum secunda; cum peccator pro suo libitu peccare permittitur, ut qui in *sordibus est, sordescat adhuc*. Unde sicut Propheta ait: *Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret*. Et miseri sæpe pro hac impunitate & licentia, stulte Deo gratias agunt; cum deberent potius cum eodem Propheta rogare: *Ad te Domine clamabo, ne quando sileas & taceas a me*. Nam si tacueris, si dissimulaveris a me, *assimilabor*, utique, *descendentibus in lacum*. Unde S. P. Augustinus (*a*): Nihil infelicius felicitate peccantium. Hanc sequitur sexta gratia spiritualis refectionis, de qua ait: *Parasti in conspectu meo mensam*, doctrinæ, scilicet, in Scriptura sacra; *Adversus eos qui tribulant me*. Quamvis hæc mensa ad salutarem refectionem Dominici corporis congruentius referri possit, sicut ait Chrysostomus (*b*): Sicut leones flammas spirantes, sic terribiles diabolo discedamus. Hanc sequitur septima: devotionis scilicet; quæ affectum impinguat & ad omne opus bonum virtutum roborat. Hinc sequitur bene in eodem Psalmo 22. v. 5. *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quam præclarus est!* Hæc gratia devotionis facit non sentire laborem, hæc alacrem reddit viatorem, & facilem ad currendam viam, sicut scriptum est: *Assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*. Hæ sunt rotæ agiles, quas secum rapit spiritus, quocumque ierit; quas vocavit volubiles, quia oleo spiritus unctæ erant: unctio enim sacra, cordis nostri gravissimam rotam ad omne opus bonum agilem reddit & mobilitat. Felix cujus caput oleo isto frequentissime impinguatur. Octava gratia: ecstasis sive raptus. Hoc est, quod idem sequitur: *Et calix meus inebrians, quam præclarus est!* Calix ille fervoris inebrians, id est, hominem extra se rapiens. Hoc est ultimum, quod in hac vita desiderare potest: quando non sola devotionis unctione animus impinguatur, sed etiam potenti charitatis vino, extra se rapitur & inebriatur. Hoc est vinum illud novum, quod non mittitur in utres veteres. De quo Beatus Job: *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, lagunculas novas disrumpit*. Sed, *spiritus pertransibit in illo, & non substet, & non cognoscet amplius locum suum*. Heu, heu! Transit spiritus, & nullum in anima relinquit vestigium; post ardentem devotionem, & ferventissimam ecstasim, in priorem relabitur algorem, quasi nihil omnino transisset.

IV. Nona gratia est, *misericordia Domini*,

Gen. 8. *Psal.*22. *Philip.*2. *Psal.*22. *Jer.* 10. *Psal.*36. *Psal.*22. *Ibidem.* *Apoc.*22. *Psal.*27. *Psal.*22. *Mat.* 9. *Job* 32. *Ps.* 102. *Ibidem.* *Isaiæ* 40. *Ezech.*10. *Psal.*22.

(*a*) Epist. 138. num. 14., alias 5. *Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.*

(*b*) Homil. 61. ad popul. Antiochenum.

ni, ab æterno, & usque in æternum super timentes eum. Hæc, transeunte spiritu non deserit, sed firma eos protectione tuetur.
Psal.22. Hoc est quod Psalmus ait: *Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.* *Gratia* enim *Dei & misericordia est in*
Sap. 4. *sanctos ejus, & respectus in electos illius.*
Psal.30. Unde, abscondet eos in abscondito vultus sui a conturbatione hominum. Et proteget eos in tabernaculo suo a contradictione linguarum. Hæc firma Dei protectio & solici-
Psal.39. tudo, de qua alibi ait: *Dominus solicitus est mei.* Dormientes enim & vigilantes justos custodit, ne a maligno lædantur. O bone Jesu! Quantas a te gratias & bona accepimus ignorantes! Quoties nobis ignorantibus, quoties nobis nescientibus, aut etiam dormientibus, mille peccatorum offendicula tollis, mille laqueos infringis, mille pericula removes? Quoties in malum post delicias currimus, anxie currentes & procurantes obtinere plurima, quæ tu a nobis sedula pietate avertis, quia nobis noxia & mortifera sunt? Quoties hanc tuam erga nos providentiam agnoscentes clamamus? Gratias tibi Domine, quia obstitisti, quia impedivisti, quia non licuit, quod nociturum erat.
Gen. 32. Post diutinam cum Angelo luctam, grandis ille athleta Jacob, illucescente mane, dimittere non vult oblucantem Angelum, nisi benedixerit ei; & tu, si quandoque donatum tibi fuerit hanc luctam experiri; cum jam spiritum nervis omnibus retinere nequiveris; obsecrato eum, ut relinquat saltem benedictionem & protectionem hanc, quæ tecum maneat, & tecum laboret, & ab omni malo defendat. Sed quid est, quod ait:
Psal.22. *Misericordia ejus subsequetur me*, cum alibi
Psal.58. dicat: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me?* Non est utique contradictio neque repugnantia: præcedit enim, & sequitur nos Deus. Præcedit monendo; sequitur ordinando: præcedit inspirando; sequitur conservando: præcedit inclinando, in id quod bonum est; subsequitur quod bene actum est, dirigendo atque disponendo; homo enim proponit, & Deus disponit. Multæ, Domine, misericordiæ tuæ; sed ex tam multis, aliquæ præcedunt, nonnullæ sequuntur nos.
Ephes.1. Quod ab æterno elegisti, quod in Ecclesia tua statuisti, quod Baptismi lavacro abluisti nos; hæ misericordiæ tuæ Domine, & similes præcedunt nos. Quod vero post peccata conversos suscepisti, quod pœnitentibus indulsisti, quod quærentibus apparuisti, quod vocantibus respondisti, & ad bona conantibus optatum finem præstitisti; hæ misericordiæ tuæ Domine, & similes, subsequentur me omnibus diebus vitæ meæ. Gratia decima & ultima; sed illa omnium suprema & maxima misericordia & gratia tua Domine
Psal.22. est de qua sequitur: *Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.* Sed in quan-
Psal.83. ta longitudine? *Beati*, inquit, Psaltes regius, *qui habitant in domo tua Domine, in*

A *sæcula sæculorum laudabunt te*, in æternum & in sæculum sæculi. Hic finis, hic portus, quo Deus electos suos dirigit, & dirigendo perducit; hic viæ terminus, hæc laborum præsentium quies.

V. Audistis, Fratres, modum quo Deus justos suos dirigat per vias rectas, & ostendat regnum Dei. *Sap. 10.* Obsecro vos per misericordiam Dei, permittite vos regi ab eo: illi vos ipsos committite gubernandos, ne sitis rebelles lumini & gratiæ Dei; nolite resistere; imitamini illum qui dicebat: *Ut jumentum factus sum apud te.* Ut sci-
B licet, pro libitu tuo dirigas & deducas *Psal.72.* me, quocumque placuerit. Tu sessor, & ego equus: tu auriga, & ego currus: tu gubernator, & ego navis. Quænam est, obsecro, hæc protervia, quæ superbia, & cervix dura, o anima mea, ut Deo creatori tuo, factori tuo resistas, & Domino tuo nolis esse subjecta? Disce obedientiam a brutis, & a tibi subditis, subjectionem; jumentorum tuorum esto discipula, ut subdita sis. Quanta benevolentia tibi serviunt cuncta! Quanta subjectione tibi omnia parent! Qua facilitate & alacritate, pulcherrimus
C tibi subditur equus, furens & spumans; tenues non rumpit habenas, gracili loro, licet potentissimus, ducitur quocumque libuerit. Sed & cornutus bos patienter aratra suffert: adstat humilis obliganti domino, impositumque jugum obedientissime portat. Videas equarum & vaccarum amplissimos greges, parvulo custode, deduci pro libitu ad aquandas eas, & iterum remitti ad pascua. Quo zelo, qua diligentia, qua solertia domum tuam & pecora tua canes custodiunt? Tota nocte latrantes pervigilant, ut lupos & fures arceant: quod si quisquam
D clausira introire præsumpserit; irruunt ut leones in eum, & seipsos obliti, neque gladiis, neque fustibus ire obviam timent, ut commissa custodiant. Disce, inquam, a subditis obsequium, & a servientibus servitutem. Neque enim tu fecisti ea, non a te creata sunt: & tamen, quia placuit Conditori subjicere ea tibi, sic obnixe obtemperant dominanti.

VI. Quanto amplius tu Deo Creatori tuo obedire subjicique debueras, a quo tibi subdita sunt? O cervicem durissimam, o superbiam execrandam; ut nolit opus artifici suo
E parere, & creatura infirma suo subjici Conditori! Agnoscunt bruta superiorem vim in rationali natura: & non itidem rationalis homo agnoscet in natura Divina? Brutum homini regendum se committit; & non itidem faciet homo Deo? Psalmus: *Nonne Deo* *Psal.61.* *subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus & susceptor meus.* Quasi dicat: Nonne pro his omnibus merito subjicietur, & serviet ei! Felix qui se illi per omnia tradidit gubernandum: qui dicere potest cum Apostolo: *Vivo ego jam non ego; vivit vero* *Galat.2.*

in me Chriſtus; qui non tam ratione quam ſpiritu Dei ducitur, ſicut equus dirigitur a ſeſſore. Quid enim aliud viros ſanctos, niſi equos ingenuos dixerim: quibus adverſus dæmonum phalanges Deus fortiter præliatur? De his Propheta: *Habac.3. Qui aſcendis ſuper equos Zach. 2. tuos, & quadrigæ tuæ ſalvatio.* Zacharias Propheta exercitum pergrandem equorum vidit, quorum nullus alius erat ſeſſor, niſi Deus, ſequentium virum quemdam ſuper equum rufum inter myrteta, id eſt, Dei Filium, in humano corpore paſſionis ſuæ ſanguine rubricatum. Quis enarrare ſufficiat, quanta & quam mirifica Deus operetur in Sanctis ſuis? Qualis equus Paulus, quo ſibi orbem ſubjecit, ac pedibus ſuis ſtravit? Qualis equus Petrus, quo Romani Imperii faſtigium, in fidei obſequium ſubjugavit? Videas quandoque potentiſſimum ſonipedem phaleratum, oſtro inſignem & auro, inceſſu & geſtu de Domini ſui inſidentia tumeſcentem, & veluti gloriantem. Quid igitur mirum, ſi glorietur Sanctus, quem in- *Pſal.67.* ſidet & inhabitat Deus? *Millia*, inquit, *lætantium: Dominus in eis.* Reprobi autem damulis indomitis, aut vagantibus onagris perſimiles ſunt. Teſte Jobo qui de laſcivien- *Job 11.* ti ac lubrico viro ait: *Tamquam pullum onagri, ſe liberum natum putat*, id eſt, nulla teneri lege, nulla ſubjectione arctari; ſed ſibi omnia licere, quæ vult. Quis unum quempiam ex iſtis domare, quis ei umquam jugum imponere potuit, niſi Deus? De his Pſalmiſta: *In camo & fræno maxillas eorum* *Pſal.31.* *conſtringe: qui non approximant ad te.* Fræno & onere domantur beſtiæ, ſic Deus quandoque peccatores infrænare ſolet; multoque ægritudinum, perſecutionum, & laborum onere deprimere: ut benignum ſeſſorem ſuſcipiant, & onus ejus leve & ſuave ſuſti- *Mat. 11.* neant. Sic in Iſaia legimus: *Laude mea in- Iſaiæ 48. frænabo te*, ne intereas.

VII. Sed jam, quibus viis Dominus ſuos in viam ſalutis dirigat, oſtendamus. Neque enim una & eadem via, omnes electi pergunt in gloriam; ſed alius ſic, alius ſic. Omnes tamen vias Domini Pſalmographus in duas colligit, dicens: *Pſal.24. Univerſæ viæ Domini: miſericordia & veritas.* His duabus, miſericordia ſcilicet, & veritate, in terram promiſſionis deſideratam tendit omnis San- *Lucæ 10.* ctus. Aut enim miſericordiæ operibus incumbens; cum Martha ſolicite ſervit; aut ſola veritatis contemplatione contentus, ad pedes Jeſu, cum Maria quieſcit. Prima via ſæcularium eſt: ſecunda monachorum. Unuſquiſque viam quam elegit, ſequatur & te- *Apoc. 3.* neat; ſicut ſcriptum eſt: *Tene quod habes.* Et, *unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt,* *1. Cor.7.* *in ea permaneat.* Nam qui ſæpius mutat viam, de via in viam ſæpius tranſiens; dum omnes perluſtrat, per nullam earum vadit. *Eccli.2. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis,*

ait Salomon. Quoties diabolus feſtinantibus viatoribus illudit; ut viam bonam, quam ſequuntur dimittant, & viam aliorum ambiant! Qui choro vacat, ambit pulpitum; qui populis prædicat, chori quietem deſiderat. Qui pro Domino in fratrum ſervitio laborat, orationis otium cupit; & qui hoc otium ſequitur, laborantium fructum exoptat. Et ita fit: ut dum invicem æmulantur, &, quod alterius eſt, unuſquiſque ambit; quod ſuum eſt, remiſſius exequatur. Grandis deluſio, Fratres, & quæ, ſub pietatis prætextu, feſtinantes viatores valde retardat. Quod ſi duabus viis in eandem civitatem eundum non eſt; quam ſtultum eſt, velle uno & eodem itinere, oppoſitas civitates adire! ſicut multi ſæcularium faciunt, qui ſic vias cœleſtis Jeruſalem ambulare cupiunt, ut terrenæ Babylonis itinera non relinquant.

VIII. Viæ Domini, ſicut Bernardus ait (*a*): (*a*) Viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ *Oſeæ 14.* planæ. Rectæ ſine errore, quia ducunt ad *Ezech.* vitam: pulchræ ſine ſorde, quia docent mun- *18.* ditiam: plenæ multitudine, quia totus jam *Mat. 7.* mundus eſt intra Chriſti ſagenam: planæ ſine difficultate, quia donant ſuavitatem. Vere *ſemita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad am-* *Iſaiæ 26.* *bulandum. Impii* autem *in circuitu ambulant;* *Pſal.11.* ſemper euntes, & numquam proficientes. Cuinam aſſimilabimus eos? Similes ſunt jumentis circumtrahentibus aquarias rotas tectis oculis; perpetuo labore, perpetuo ſudore fatigatis, neque ab eodem interim curriculo diſcedentibus. Unde Pſalmiſta ait: Domine, *pone il-* *Pſal.82.* *los ut rotam.* Quam pulchra ſit via juſtitiæ, quam plana, quam grata, quam jucunda, delectabilis atque deſiderabilis; ſolus novit qui per eam vadit. Vere, *pax multa di-* *Pſ. 118.* *ligentibus legem tuam Domine, & non eſt illis ſcandalum.* Via autem iniquorum difficilis, ſicut ſcriptum eſt: *Contritio & infelicitas in* *Pſal.13.* *viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Et iterum: *Laſſati ſumus in via iniquitatis* *Sap. 5.* *& perditionis, & ambulavimus vias difficiles;* & non nobis illuxit lumen, ſol non ortus eſt nobis. Miſeri & infelices, qui cum ſuavitate paradiſi gloriam obtinere potuerunt; & elegerunt potius vias duras, quæ ducunt ad incendium. *Deduc me Domine in* *Pſal.85.* *via tua, & ingrediar in veritate tua.* Ad tuam enim veritatem pertingere nullo modo potero, niſi te rectore. Spiritus tuus bo- *Pſ. 142.* nus ille deducat nos in terram rectam. Illum Domine mitte de cœlis, a ſede magnitudinis tuæ, qui nos per varias hujus pelagi *Sap. 9.* ſyrtes & innumera pericula dirigat, & in optatum portum deducat. *Emitte*, inquam, *lucem tuam & veritatem tuam;* ipſa quippe *Pſal.42.* deducent, & adducent nos in montem ſanctum tuum & in tabernacula tua, ad jucundam, gratam, deſiderabilem, & inæſtimabilem viſionem gloriæ tuæ: quam nobis præ-

ſtare

(*a*) Serm. 21. de Diverſ. num. 2. uſque ad ea verba, *qui donant ſuavitatem*.

ſtare digneris, per Jeſum Chriſtum Dominum & Redemptorem noſtrum, qui tecum & cum Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

POSTILLA.

Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors. Pſal. 144. v. 8.

I. Sicut homo omnium creaturarum eſt perfectiſſima, ita & egentiſſima eſt ac debiliſſima. Arbores natura veſtit cortice; aves plumis; piſces ſquammis; animalia corio & pilis: hominem vero nudum produxit. Aliis præſtitit arma, quibus ſe defendant; ungues, dentes, cornua: hominem inermem produxit. Aliis omnibus præſtat ſine labore: arboribus, piſcibus, & animalibus: homo, arare, ſeminare, colligere opus habet. Quid dicam de nativitate? Hædus & agnus, ſtatim ſciunt ambulare, comedere; homo diu languet, & torpet per biennium, nec ambulare nec loqui valet. Solum plorare docuit illum nativitas. Quod ſi vultis amplius hominis indigentiam cognoſcere: ecce, vide numeroſam multitudinem ſtellarum, piſcium, animalium, herbarum: omnium iſtorum egens eſt homo, ut vivat; nam omnia hæc propter hominem creata ſunt, & Deus non fuit ſuperfluus. Fuit ergo homo omnium iſtorum indigus. O creatura tam indiga homo! Si Angelus artem univerſi plene a Deo cognoſceret, & una herba deficeret, agnoſceret defectum ejus. Nam alia homini ad uſum ſeu victum, alia ad veſtitum, alia ad ſervitium, alia ad medicinam, & alia ad magiſterium, alia ad recreationem & gaudium a Deo creata ſunt, & his omnibus opus habet homo. Ideo voce humani generis, Propheta: *Ego autem mendicus ſum & pauper: mendicus* in corpore, *pauper* in anima. Pſal. 39. Mendico a terra victum; ab animalibus veſtitum; a fontibus potum; ab aere flatum; a cœlo radium: *Mendicus ſum:* & quanto magis indigus in anima! Verum iſta indigentia non ſic ſentitur ſicut corporalis. Sed, *ſi mendicus ſum & pauper:* tamen *Dominus ſolicitus eſt mei.* Hæc mihi conſolatio: quoniam *Dominus ſolicitus eſt mei.* Ego miſer & pauper, ille vero dives, miſerator & miſericors.

II. Quanto ergo miſerabilior, tanto ille miſericordioſior. Miſeriæ meæ multæ Domine: ſed miſericordiæ tuæ multæ Domine, Pſal. 85. omnibus invocantibus te. Ob hoc autem Dominus præ reliquis indigentiorem produxit hominem, ut vel ſaltem ipſa neceſſitas compelleret eum interpellare Creatorem, & recurrere ſæpius ad ſuum Gubernatorem: & quia minus ſufficiens eſt; ſufficientiam ſuam a Deo quæreret. Quod ſi nec ſic Domini recordamur: quanto magis, ſi numquam ſentiremus neceſſitatem? Ipſum igitur invocemus, dives eſt enim in miſericordia, in omnes qui invocant illum, & miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus. Et ſi homo miſer & miſerabilis & pauper & modicus: Deus miſerator, & miſericors, patiens, & multum miſericors eſt.

III. Duo obligant Deum ad miſericordiam. Primum: quia Deus eſt. Unde S. P. Auguſtinus (*a*): Originale longum: *Audebo dicere*, &c. In fine originalis; quod Deus majorem juſtitiam & vindictam exercet in peccatore quem convertit, quam in peccatore quem damnat. Quia damnatus eſt victus, ſed non convictus. *Maledicit* enim *Regi ſuo* Iſaiæ 8. *& Deo ſuo.* Sed converſus, eſt victus & convictus. Quæ major vindicta, quam ut contemptor Dei, jam pectore proſtratus, ſolicitus, cum anxietate & ſuſpiriis die ac nocte quærat vulneratus, donec inveniat? Vindictam hanc in Paulo explica. Bernardus (*b*) in Sententiis: Quorumdam injuriæ vindex eſt Deus per aquam, ut Ægyptiorum; quorumdam per ignem, ut Sodomorum; quorumdam, ſcilicet peccatorum per aquam abluendo peccata & abſtergendo lacrymis; quorumdam per ignem, condemnando in infernum.

IV. Secunda ratio Divinæ miſericordiæ eſt, quod Redemptor noſter olim erat ut inexpertus miſeriarum ac malorum, & idcirco minus miſerator. Ideo in veteri Teſtamento, *Deus ultionum* dictus eſt. Sed poſtquam deſcendit & ſenſit labores; *Pater miſericordiarum* dictus eſt. Apoſtolus: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Et iterum: *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt eis, qui tentantur, auxiliari.* Ideo Pſalmus: *Deus judicium tuum regi da*, in ſolutionem, quia ipſe pertulit; ideo pro me ſolvit, & plus pro me rependit, quam ego peccavi. Ideo Job: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui; in ſtatera,* Job 6. & dolores tui pro me, o bone Jeſu, quaſi arena maris, hi graviores apparerent. Sit ergo Judex qui Redemptor: ipſe ſententiam de me ferat, qui ſententiam pro me tulit. Liber aſto ad tribunal ejus, qui pro me tribunali

Pſal. 93. 2. Cor. 1. Heb. 4. Ibid. 2. Pſal. 71.

(*a*) Teſtimonium S. P. Auguſtini, hoc loco a S. Oratore indicatum, repetendum eſt ex libro 1. de Viſitatione infirmorum cap. 5. in Append. tom. 6. noviſſimæ editionis pag. 254. *Deus meus, Deus meus, audebo dicere, pace tua dicam, quoniam magno repletus gaudio dicam, in quodam ecſtaſis tripudio de te præſumendo dicam: Niſi quia Deus es, injuſtus eſſes, quia peccavimus graviter; inhæremus peccato pertinaciter, gaudemus de peccato, poſt peccatum ambulamus extenſo collo, peccatum noſtrum prædicamus, nec abſcondimus: & tu placatus es, &c.*

(*b*) In Sententiis 186., inter dubia S. Bernardi Opera rejectis, num. 107. ita legitur: *Tria ſunt, quibus Deus vindictam exercet in hoſtes. Lavacri ſalutaris remedium, quod velut mare rubrum occidit Ægyptios. Pœnitentiæ condignæ exercitium, quod velut ſulphur peccatores interimit. Diſtrictionis extremæ judicium, quod velut ignis ad vocem Eliæ involvit.*

bunali adſtitit, judicatus & crucifixus. Job: *Librum ſcribat ipſe qui judicat.* Scimus, ut ait Joannes, librum ſigillatum eſſe intus & foris. Et ſequitur: liber ipſe eſt Agnus, intus ſcriptus numero prædeſtinatorum, ſed foris etiam ſcriptus. Attendite: *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens.* Pedes perforati & manus, caput ſpinis, totum corpus flagellis. Hanc ſcripturam petit Job ſanctus in judice ſuo, uti jam ſtatim commemoratum eſt, ubi ait: *Librum ſcribat ipſe qui judicat*, quantum vult. Nam ego per ſingulos gradus pronuntiabo hanc ſcripturam. Hanc pro me ſolam allegaturus ſum. Scio, quia in judicio, ut ait Joannes, aperientur libri; liber conſcientiæ, liber gravaminis: ibi enim debita ſcripta ſunt, id eſt, peccata, qui licet modo clauſus eſt mundo, tunc aperietur. Unde: *Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur.* Apoſtolus: *In die, cum judicabit Deus occulta hominum.* Ecce aperitio librorum! Sed non confundor: veniat liber alter exonerationis, liber vitæ. Mei ſunt iſti dolores, meæ ſunt iſtæ plagæ; accipere debes, o Domine, in conſideratione & in computum, quæ ipſe pertulit.

V. Sed redeamus unde digreſſi ſumus. Si expertus eſt, miſerebitur. *Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Magna enim confidentia in eo, quod Deus miſericors; quia homo, expertus eſt miſerias. Dicamus ergo illi, illud Pſalmi: *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, obliviſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ? Quare obdormis?* Non audis clamores infantium, gemitus populorum, ululatus pauperum? *Ne repellas in finem.* Tuum eſt caſtigare, non occidere. *Obliviſceris?* Tu ſolus adjutor & unicum noſtrum refugium. Ad quem ibimus? Ad quem nos mittis? Licet peccatores; tui ſumus. *Uſquequo Domine iraſceris* nobis *in finem, accendetur velut ignis zelus tuus* contra nos? *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Nos autem pars tua ſumus, o bone Jeſu, quam tuliſti de manu Amorrhæi: Bernardus (*a*) in Sententiis. Una eſt miſericordia; ſed ex effectu quadruplex, per quatuor illa vocabula deſignatur. Pater, in expectando: miſerator, in corrigendo: miſericors, in convertendo: multum miſericors, in conſervando.

Job 3. Apoc. 5. Iſaiæ 1. Apoc. 20. Mat. 10. Rom. 2. Heb. 4. Pſal. 78. Gen. 48.

IN COMMEMORATIONE FIDELIUM DEFUNCTORUM CONCIO.

SANCTUM ET SALUBRE ESSE PRO DEFUNCTIS EXORARE.

ET POSTILLA.

Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur. 2. Mach. 12. v. 14.

CONCIO CLXIV.

I. DULCITIUS ad P. Auguſtinum lib. 8. quæſtionum quæſt. 2. proponit; quomodo orationes noſtræ animabus proficiant, cum ſcriptum ſit in Pſalmis: *Tu reddes unicuique juxta opera ſua.* Et Job: *Opus enim hominis reddet ei.* Et in Apocalypſi: *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Et iterum: *Ecce venio cito, reddere unicuique ſecundum opera ſua.* Et Apoſtolus: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Et tota ſacra Scriptura plena eſt iſtis teſtimoniis. Si enim mala noſtra non obſunt eis, nec bona noſtra eis proderunt. Hoc enim juſtitiæ æquitas videtur. Maxime, quia ipſæ ſunt jam extra viam; ſunt enim in termino: ſententia judicis data eſt: & qualem te invenero, talem te judicabo. Si enim noſtra pœnitentia in tali ſtatu eis prodeſſe poteſt; multo amplius poterit prodeſſe eis ſua pœnitentia. Et ita, ſi una anima in purgatorio doleat de peccato; tantum poſſet dolere ibi, quod ſtatim liberaretur. Ecce difficultatem iſtius quæſtionis. Pro cujus reſponſione, nota; quod actus bonus poteſt conſiderari dupliciter. Scilicet ut meritorius, & ut ſatisfactorius. Nec eſt idem, actum eſſe meritorium & ſatisfactorium; nam

Pſal. 61. Job 34. Apoc. 14. Ibid. 22. 2. Cor. 5.

(*a*) In Sententiis primo loco exhibitis poſt Sermones de Diverſis in editione Mabillon. num. 13. *Pars tua ſumus, Domine, quam tuliſti de manu Amorrhæi in gladio, & arcu tuo.*

(a) nam aliquis actus secundum Scotum (a) est satisfactorius, qui non est meritorius: ut jejunium in peccato mortali. Et actus potest esse magis meritorius altero actu, & minus satisfactorius. Quod enim actus sit meritorius habet a charitate; quod sit satisfactorius habet a difficultate: quamvis charitas etiam pertineat ad satisfactionem plurimum. Dico ergo: Meritum sui operis nullus potest alteri præstare nec applicare: tamen satisfactionem suam potest alteri dare. Licet enim nullus sibi soli mereatur, sed omnes communicent in merito illius, quia bonus non soli sibi bonus est, sed toti Ecclesiæ; tamen aliter dicendum est de participatione meriti, & aliter de participatione beneficii. Nam communicatio sive participatio meriti, sola charitate fit, non applicatione meriti. Ita scilicet, ut si ego merui duos gradus meriti, non possum ego a me tollere, & tibi eos applicare: ut scilicet merito meo augeatur tuum meritum. Hoc ergo non potest fieri in merito, potest tamen fieri in beneficio solutionis. Nam possum ego pro te solvere & satisfacere, licet non possim pro te mereri, & ita possum pœnalitatem, quam passus sum, tibi applicare: ut scilicet jam non pro me satisfaciam in illo opere, & ille actus bonus sit mihi meritorius, & tibi satisfactorius.

II. Quod si aliquis dicat: alteri mereri possum primam gratiam vel augmentum gratiæ. Respondeo: Hoc non est per collationem vel applicationem sui meriti ad aliud; sed quia oratio illius, vel jejunium, vel eleemosyna, vel aliquod aliud opus, quod iste facit pro alio, a Deo acceptatur ex merito operantis, non collatione meriti, sed participatione. Unde omnia illa opera, sunt deprecationes pro illo: nec merendo pro alio, sed orando potius ei obtinet gratiam. Et constat, quod alia est radix meriti, alia deprecationis; quia meritum innititur justitiæ propriæ, & deprecatio innititur largitati donantis. Potest etiam mereri sine donatione
Gen. 14. aliqua. Sicut Abraham meruit Loth liberationem. Respexit enim Dominus ad Abraham, & liberavit Loth, non in oratione Abrahæ pro illo, quia non legitur orasse pro illo specialiter, sed in merito Abrahæ; non quia meruit pro illo, vel quia suum meritum illi contulit; sed quia gratia & amore,
Ibid. 18. merito Abrahæ participem se fecit. Ita etiam, si fuissent in Sodomis decem justi, liberata esset civitas merito illorum; id est, quia respiciens Deus ad meritum illorum; propter cohabitationem & communicationem pareret aliis. Et ita fit participatio in merito justorum, non applicatione aliqua vel donatione meriti, sed communicatione in merito, propter unionem ad illos in charitate, vel in amore vel in cohabitatione. Et hæc participatio est quoad temporalia, vel quoad expectationem ad pœnitentiam, vel dilationem mortis, vel conservationem a peccato. Nam quoad vitæ æternæ & gloriæ augmentum, nullus, sine actu proprio & merito, crescit in alieno merito immediate. Ex quo igitur unus potest pro alio satisfacere, poterit vivus satisfacere pro mortuo, sicut etiam pro vivente: si mortuus sit in tali statu, quo egeat satisfactione, & possit illi applicari. Nam Beati non egent, damnatis non potest applicari satisfactio. Et omnium istorum ratio est: quoniam omnes sumus membra capitis, quod est Christus. Sicut ergo membra corporis se mutuo juvant, ita etiam membra corporis Christi. Damnati autem præcisa membra sunt, & divisa a corpore: ideo non possunt ab aliis membris juvari. Tamen Beati, & viatores, & animæ in purgatorio membra sunt unita capiti, & inter se. Unio enim fit charitate, & *charitas numquam excidit*. Sicut ergo Beati orare & proficere possunt membris viventibus in hac vita: etiam viventes prodesse possunt existentibus in purgatorio. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

1. *Cor.* 13.

2. *Mach.* 12.

III. Propter quatuor sanctissimum est orare pro defunctis. Scilicet, propter necessitatem, propter utilitatem, propter debitum, propter meritum. De his quatuor dicemus in præsenti sermone. De necessitate autem & indigentia animarum purgatorii, quid dicere possumus inexperti? Sufficiat tamen, quod secundum S. P. Augustinum (b) in lib. de vera, & falsa pœnitentia; & super Psalm. *Domine, ne in furore tuo arguas me;* illa pœna gravissima sit, & gravior omni pœna, quæ in ista vita haberi potest. Cujus ratio est secundum S. Thomam (c), quia si anima mediante isto medio insensibili corporis, ita sentit corporis nocumentum; quid erit de proprio nocumento ipsius animæ, quod sentit immediate ipsa anima, quæ tota est sensus? Sed ut particularius loquamur de pœnis purgatorii & inferni, quæ eædem sunt aliquo modo; nota quod ibi est duplex pœna. Scilicet, pœna sensus, & pœna damni: quæ correspondent duobus quæ sunt in peccato; scilicet aversioni a summo Bono,

(b) *Psal.* 6.

prop-

(a) Ita Scotus 4. d. 15. q. 1. art. 4. aliique. Verum contraria opinio communior est inter Theologos: & Suarez de Sacram. Pœnit. disp. 37. sect. 2. *Et post Concilium Tridentinum*, inquit, *videtur res adeo certa, ut contrarium non possit probabiliter defendi*, scilicet, sine gratia dari posse opus satisfactorium.

(b) Lib. de vera, & falsa Pœnit. cap. 18. num. 34. *Hic autem ignis, & si æternus non fuerit, miro tamen modo est gravis: excellit enim omnem pœnam, quam unquam passus est aliquis in hac vita.* Extat in Append. tom. 6. in novis. edit. In Psalmum vero 37. num. 3. ita habet S. Parens: *Ita plane quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.*

(c) In 4. Sent. dist. 21. quæst. 1. art. 1. ad 3. quæst. *Et quia totus sensus corporis est ab anima, ideo si in ipsam animam aliquod læsivum agat, de necessitate oportet, quod maxime affligatur... Et ideo oportet, quod pœna Purgatorii, quantum ad pœnam damni & sensus, excedat omnem pœnam istius vitæ.*

propter quam caret ipso: & conversioni ad creaturas inordinate, propter quam affligitur anima, pœna sensus. Inter illas autem pœna damni gravior est, secundum P. Augustinum (a) & Chrysostomum (b). Unde Chrysostomus (c) super Matthæum, sic ait: Intolerabilis est gehenna; verum mille gehennas proponat quis, & nihil tale dicet, quale est excidere ab illa gloria, & odio haberi a Christo. Cujus ratio est secundum D. Thomam (d): quia anima separata perfectissime inclinatur in summum bonum; habet enim valde distinctam notitiam Dei ex natura sua, & scit, se ad illum finem fuisse creatam: & est tanta ejus inclinatio voluntatis ad illum finem, quod ex sua culpa carere illo fine, sit ei maxime molestum. Loquor autem de pœna damni, ut dicit cum carentia Dei, dolorem & tristitiam de ejus amissione sua culpa propria.

IV. Alia est pœna sensus, id est, afflictionis; & ista est duplex: scilicet, pœna vermis & pœna ignis, ut ait Isaias: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Pœna vermis, est ille remorsus conscientiæ accusantis se ipsam, & illa displicentia sui: habet enim præsentem sibi totam historiam suorum scelerum, & videt a quanto bono exciderit propria culpa, & in quantum malum devenerit; & ex hoc accenditur in iram & furorem contra se peccantem, & contra Deum punientem: & inde maledicit Deo suo & sibi. Videt etiam se creaturam nobilem a natura, ita vilem, ita turpatam, ita miseram: videt præsentes inimicos suos dæmones, qui eam ad tantum malum perduxerunt; nec poterit eis perpetuo carere; quorum aspectus horrificos timet & horret, & videt se ab iisdem torqueri, quos tantum odit. Ex una parte videt ignem; si ad aliam partem se vertit, dæmones. Ex alia parte agnoscit gloriam Beatorum quam amisit, quæ etiam est ei in pœnam. Intus intra se quidquid cogitat, quidquid vult; totum convertit in pœnam suam: & videt quod ista pœna durabit in æternum, quandiu Deus erit Deus. Semper itaque vivet, ut semper moriatur; secundum illud Psalmi: *Mors depascet eos*; nam numquam deglutiet. Vide ergo, quanta potest esse in damnatis afflictio, de tanta & tam grandi miseria. Ponitur etiam in Euangelio pœna divisionis, ubi dicitur: *Dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis*. Quæ divisio secundum Origenem in Periarchon cap. 11. spiritualiter intelligenda est sic: quod quemadmodum, quando scinditur corpus, est magnus dolor; ita etiam quando solvitur ordo ille & harmonia potentiarum & operationum animæ; ita in ejus potentiis & actibus non sit ordo naturalis, sed omnis inordinatio & confusio: ex quo magnum supplicium & mœrorem sustineat anima. Eodem modo etiam intelligi oportet; *Tenebras exteriores*. Non enim solum corporales tenebras intelligimus quæ ibi sunt; nam ignis aut totaliter non lucet, aut parum, quantum sat est ad videndum pœnas aliorum, ut ait Gregorius (e) in Moralibus; sed tenebras istas exteriores, tenebras ignorantiæ dicimus & cæcitatis intellectus. Sed propter quid dicuntur exteriores? Nota ex S. P. Augustino (f) lib. de serm. Domini in monte cap. 16. Quod qui præmiatur, intus præmiatur in cordis intrinseco cubili. Unde dicitur animæ beatæ: *Intra in gaudium Domini tui*. Et rursus in alio loco: *Lætabuntur in cubilibus suis*. Et iterum: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Pondera: *In nobis*. Ad gaudium ergo paradisi intramus, ad pœnam educimur extra, quoniam intima est animæ lætitia Beatorum, & ex intimo corde præmiatur justus. Contraria est autem naturæ, & Deo extranea est ignorantia & omnis pœna damnatorum; ideo ab exteriori punitur.

V. Alia pœna damnatorum est pœna ignis: de qua valde magna difficultas est, quomodo anima, quæ est spiritualis, possit corporali igne torqueri. Propter quod quidam negarunt ignem purgatorii vel inferni corporalem esse ante judicium. Cujus erroris videtur fuisse Origenes in Periarchon (g), ubi supra. Rationes, quæ adduci possunt pro istis, sunt: quia cum anima non recipiat aliquid ab igne, non potest ab ipso pati. Item: quia tunc, quomodo dæmones qui sunt inter nos paterentur ab igne, quorum pœna non diminuitur, etiamsi non sint in inferno. Tertio:

(a) Enchirid. cap. 112. *Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta, quæ novimus comparari, si illa sit æterna, ista autem sint quamlibet multis sæculis longa.*

(b) Epist. 5., seu Paræneſ. prior. ad Theodorum lapsum, tom. 5. pag. 845. edit. Paris. an. 1570. *Ego multo durius esse tormentum quoddam assero quam gehenna est: hoc est, non assecutum esse beatam gloriam, & illinc elapsum esse. Nec opinor equidem tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quanto necesse est casum deplorare, quod de cœlis excidimus, qui est nimirum cruciatus omnium durissimus.*

(c) In cap. Matth. 7. Homil. 24. tom. 2. pag. 203. laudatæ edit. *Intolerabilis quidem res est etiam gehenna, quis nesciat, & supplicium illud horribile. Tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, & audire ab illo: Non novi vos, &c.*

(d) Loco paulo ante allegato. *Et quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam, in animabus Sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, &c.*

(e) Moral. lib. 9. cap. 66. num. 101. Vide etiam Homil. 38. in Euang. num. 13.

(f) De Serm. Dom. secund. Matth. lib. 2. cap. 5. initio.

(g) Ejus verba ex Periarch. lib. 2. cap. 11. dedimus in notis ad Concionem 2. in Dominicam Passionis. Lege tamen Ruscam de Inferno lib. 2. cap. 3., ubi Origenem hac in parte hæsitasse, benigne interpretatur.

tio: quia si propter hoc quod Scriptura nominat ignem, ponitur ignis corporalis, similiter deberet poni vermis corporalis, quia idem dicit Scriptura; nec potest dari ratio quare vermis spiritualis ponatur, & non ignis. Ita: quia unus locus Scripturæ exponit alium. Sed qualis sit ignis inferni ex duabus authoritatibus Scripturæ haberi potest. Prima: Ezechielis cap. 28. *Producam ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem &c.* Sequitur postea: *Nihil factus es, & non eris in æternum.* Et hoc dicitur de Lucifero damnato, ut patet ex litera. Item alia authoritas: *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.* Quæ authoritates ut constat, non possunt nisi de igne interiori animæ, & spirituali intelligi; qui ignis est furor ille, & rancor, & iræ, contra se & Deum, quo accenditur anima. Sed hoc erroneum est, & contra Ecclesiæ decretum, & Sanctorum Patrum doctrinam. Et licet S. P. Augustinus (*a*) super Genesim ad literam, & in lib. de Cognitione veræ vitæ, & alias videatur hoc sentire; tamen, ut ait S. Thomas (*b*), Augustinus locutus est opinando vel recitando, non asserendo. Alibi tamen expresse tenet contrarium, assertive, scilicet, in lib. 21. (*c*) de Civitate Dei. Nec tamen negamus ignem spiritualem, id est, rancorem, ut authoritates illæ supradictæ sonant; sed præter illum, alium ignem corporalem esse ponendum; ex authoritate canonis, licet forte non expressa, vel ex authoritate Sanctorum expressa & Ecclesiæ, dicimus (*d*).

Ezech. 28. *Isaiæ 50.*

(*a*) (*b*) (*c*) (*d*)

VI. Sed restat ostendere modum quo animæ affliguntur in illo igne. De quo vide plurimas opiniones in S. Thoma in 4. Sent. distin. 44. articulo ultimo. Et in S. Antonino (*e*) 3. parte Summæ tit. 32. ad longum. Inter quas approbamus magis opinionem nostri Doctoris Ægidii (*f*) Romani. Sicut enim anima unita, per informationem, corpori, sentit passiones & dolores, & pœnas corporis, quas tamen non recipit in se, sed in corpore; ita etiam dicimus, animam & dæmonem supernaturaliter a Deo sic uniri illi igni, licet non informet, ut patiatur ab illo igne. Sicuti si anima corpori interempto & combusto adhæreret, statim sentiret calorem, quem tamen non recipit in se, sed invenit in corpore cui unitur. Et si hoc potest naturalis unio informationis; poterit etiam unio hypostatica in Christo, poterit etiam supernaturaliter illa unio animæ ad ignem: igne illo operante non naturaliter solum, sed ut instrumentum divinæ justitiæ. Dæmones autem qui sunt inter nos cruciantur; Deo conservante illam impressionem quam impressit ignis, etiam in absentia ignis: sicut etiam naturaliter calor durat per tempus in corpore remoto ab igne. Potest etiam alius modus tangi, dicendo: quod Deus possit unicuique creaturæ dare activitatem respectu cujuslibet effectus. Sicut etiam massa ficorum contra naturam causavit sanitatem in Ezechia. Si ergo objectum materiale est causa notitiæ spiritualis in anima; quid mirum, si ignis cooperante Deo, spiritualiter sit causa justitiæ maximæ, & pœnalitatis spiritualis in anima? Quidquid sit: tamen dico, ibi esse omnia ista: ignem, cruciatum, horrorem, & tremorem ignis, & detentionem sive incarcerationem animæ in igne.

4. Reg. 20.

VII. Ex quibus circa istam materiam tres propositiones elicio. Prima: pœna cujuscumque damnati major est, quam pœna cujuscumque existentis in purgatorio. Volo dicere: pœna damnati qui minus cruciatur in inferno, major est quam pœna illius animæ, quæ plus cruciatur in purgatorio. Probatur: quia pœna damni in uno est æterna, in alio temporalis: & tristitia major est in illo qui desperat, quam in illo qui confortatur spe. Item, pœna vermis non est in purgatorio, ad minus pro maxima parte; non enim est odium Dei, neque sui, neque rancor, neque maledictio. Item non sunt tenebræ illæ cæcitatis, nec illa inordinatio potentiarum. Est etiam maxima consolatio spei, & gratiæ, & inspirationum, & Angelorum forte visitantium, & etiam ignis pœna minor creditur: quia malitia venialis multo minor est quam mortalis, pro qua anima punitur. Propositionem invenies in summa Antonina (*g*) 3. parte, titulo 32. Secunda propositio est: aliquis potest diutius manere in purgatorio, & tamen minus cruciari, ad minus pœna ignis. Istam, cum sua probatione, invenies in S. Thoma (*b*) in 4. Sententiarum. Tertia propositio: aliquis statim evolat ad cœlum, qui tamen minoris est meriti, & sanctitatis, & gloriæ, quam alius qui detinetur in purgatorio; etiam exceptis parvulis baptizatis, de quibus est nota propositio.

(*g*) (*b*)

POSTILLA.

I. Duo dicenda sunt: primo de pœnis: secundo de remediis, sive suffragiis. Quantum

(*a*) De Genes. ad lit. lib. 2. cap. 32. num. 61. Et de Cognitione veræ vitæ cap. 4., qui tamen liber in Append. tomi 6. rejicitur in novissima editione.

(*b*) In 4. Sent. dist. 44. q. 3. art. 2. ad 2.

(*c*) De Civit. Dei lib. 21. cap. 10.

(*d*) Quamvis ignem inferni, & ignem purgatorii verum, & corporeum esse communiter asserant Theologi, non idem tamen gradus certitudinis pro utroque habetur, ut notat Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 46. sect. 2. Ignem enim Inferni corporeum esse, non est quidem res expresse definita de fide; est tamen ita certum, ut opposita assertio temeraria, & errori proxima censeatur. At vero purgatorii ignem verum, & corporeum esse, certum est intra latitudinem opinionis Theologicæ, ut proinde opposita sententia non tam gravi censura digna sit, sed tantum improbabilis dici debeat. Ita Suarez loco laudato.

(*e*) Summæ part. 3. tit. 32. cap. 1. §. 3., non part. 4., ut citatur in edit. Bruxellensi.

(*f*) In 2. Sent. part. 1. dist. 6. quæst. 2. art. 2.

(*g*) Part. 3. tit. 32. cap. 1. §. 2.

(*b*) In 4. Sent. dist. 61. q. 1. art. 3. in fin.

tum ad pœnam: pœna animarum poteſt comparari ad pœnas hujus mundi: & ſic non eſt
(a) comparatio. S. P. Auguſtinus (a): ſi pœnas Martyrum, ſi ignem Laurentii, ſi lapides
(b) Stephani, &c. S. Thomas (b). Ratio eſt: quia experiuntur eas, (ſcilicet Martyres)
(c) in corpore. Bernardus (c): Originale: Quanto enim ſibi vicinior & naturalior integritudine charior anima carne ſua eſt; tanto acrius doleat, neceſſe eſt, & moleſtius ferat propriam, quam corpoream læſionem. Si vero ad pœnam damnatorum fiat comparatio: dicimus abſolute magis torqueri quemlibet damnatum. Nam in inferno eſt pœna damni & ſenſus, adeoque duplex, ſcilicet, ignis & vermis. In animabus purgatorii non eſt vermis conſcientiæ; non illa maledictio & invidia, non odium Dei & rancor ille, & odium ſui. Item eſt ſpes exeundi; non ibi adſtant dæmones. Abſit enim hoc, ait
(d) S. Thomas (d), ut animæ per illos torqueantur, quos ſtrenue vicerunt hic præliando. Verum eſt, quod unius pœna ſolius ignis per horam, poteſt eſſe major, quam alterius per plures. Eſt etiam non modica pœna animabus ſolutis a corpore, non videre Deum;
Prov.13. non frui Deo, & detineri: & *ſpes quæ differtur affligit animam*; ſed multo magis deſperatio damnatorum.

II. Et pro quibus puniuntur tam gravi pœna? Dico, pro duobus. Pro peccatis confeſſis, quorum non fuit plena ſatisfactio per pœnitentiam. Nam ut ait Nahum Propheta: *Dominus mundans... non faciet innocentem*. Manet obligatio ad pœnam temporalem. Pſalmus: *Ecce ego in flagella paratus ſum*. Secundo: pro venialibus. Videant qui obſtrepunt hic pro verbis otioſis ſatisfacere

Nahum 1.
Pſal.39.

A tam leviter, quam acriter ibi puniantur. S. P. Auguſtinus (e): Qui purgatorium deſiderat, neſcit quid deſiderat, ſcilicet pro pœnitentiis oblitis. De ſuffragiis, quomodo illis proſint. S. Thomas (f): Dico quod ratione charitatis. Nam charitas unit in unum corpus in Chriſto; & membra ejuſdem corporis ſe adjuvant, & opus unius alteri ſervit. Ita ut etiamſi velis nolis; ſi bonus es, toti Eccleſiæ prodeſt bonitas tua. Pſalmus:
B *Particeps ego ſum omnium timentium te: & cuſtodientium mandata tua*. Et ideo damnatis non proſunt aliorum ſuffragia. Et ex hoc patet, quod inter alia ſuffragia potiſſimum eſt altaris Sacrificium. Ratio eſt: quia ſuffragium fit ratione charitatis, & hoc Sacrificium eſt vinculum charitatis in membris ejus; ſecundum illud *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus*. Sed, an æqualiter proſit
C Miſſa omnibus, S. Thomas (g) recitat opinionem cujuſdam dicentis: quia miſſa pro aliquo etiam in ſpeciali prodeſt magis, quo majorem habet charitatem: ſed non placet. Dico igitur: quod licet ratione charitatis, ratione cujus fit participatio, prodeſt; magis proſit tamen ratione applicationis, qua applicatur iſti & non illi; magis ſatisfacit pro iſto habente minorem charitatem. Unde duplex participatio: ſcilicet, charitatis & applicationis. Poteſt autem fieri applicatio operis, non prout meritorium eſt: nam meritum non poteſt alienari & alteri applicari; ſcilicet, prout eſt ſatisfactorium & pœnale.

(e) (f) (g)

Pſal.18.

1. Cor. 10.

CONCIO FUNEBRIS.

DE FALLACIA ET BREVITATE VITÆ HUMANÆ.

Dormierunt ſomnum ſuum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Pſalm. 75. v. 6.

CONCIO CLXV.

I. VITA iſta mortalis ſomno dormientium aptiſſime comparatur propter duo. Primo, quia ſicut in dormientibus judicium rationis ligatur, & ſenſus ſopitus eſt; uſque adeo ut inter ſapientem, & ſtultum nulla ſit dormiendo diſtinctio; ſic etiam in vitæ præſentis ſtatu, animæ rationalis intellectus ſenſibus ligatus eſt & ſopitus; ut aſſidua attentione & exercitatione vix poſſit ignorantiæ ſomnum excutere, in quo naſcimur omnes. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*. Si Paulus ad tertium uſque cœlum raptus clamat: *Infelix ego homo, quis me*

Sap. 9.
2. Cor. 12.
Rom. 7.

(a) In Pſal. 37. num. 3., cujus verba in hac eadem Concione dedimus.

(b) Teſtimonium recitavimus ſupra ex 4. Sent. diſt. 21. q. 1. art. 1. ad 3. q.

(c) Seu Gaufridus Abbas, in Declamationibus ex Bernardo decl. 51. Loco tamen, *& naturalior integritudine charior:* legendum eſt, *& naturali neceſſitudine charior*.

(d) In 4. Sent. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. *Injuſtum eſt, ut qui de aliquo triumphavit, ei ſubjiciatur poſt triumphum; ſed illi, qui ſunt in purgatorio, de dæmonibus triumpharunt, ſine peccato mortali decedentes, ergo non ſubjicientur eis puniendi per eos*.

(e) Vide Serm. 104. num. 5. in Append. tom. 5. noviſſimæ edit., alias de Sanctis 41.

(f) In 4. Sent. diſt. 45. quæſt. 2. art. 1.

(g) Loco ſupra allegato art. 4.

me liberabit de corpore mortis hujus? Et Beatus Andreas cruci affixus idipsum ardentissime postulat; non solum propter paratam sibi gloriam, sed etiam propter molesti hujus oneris abjectionem, & animæ liberationem. Si Apostoli, qui primitias spiritus acceperunt, sic exclamant, sic desiderant sarcinam corporis deponere; miror, cur nos miseri cum Psalmographo non instanter proclamemus: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.* Et alibi: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Vere laqueus animæ caro ista, quo tunc anima solvitur, cum homo moritur. Quanta tunc putas lætitia perfunditur anima justi, cum corporeis nexibus soluta, videt se a laqueo isto simul & periculo liberatam? Quomodo tunc aperit oculos, & novum cum gaudio inspicit mundum, novas creaturas intuetur admirans, alteram se penitus conspiciens, ac veluti a somno graviſſimo feliciter excitatam. Est ergo quam simillima somno vita hæc mortalis, aut potius mors ista vitalis.

II. Est etiam aliud, in quo hujusmodi similitudo evidentius appareat & eluceat. Quia veluti dormientes innumeras patimur phantasias, illusionesque plurimas sustinemus. Videas dormientem, ardentius & cupidius prosequi rerum umbras, imagineſque, quam res ipsas vigilans adamaret. Quanto gaudio invenitur thesaurus ab avaro dormiente! Qua aviditate percipit cibos somnians gulosus! Quanta superbia triumphat in somno levis ambitiosus! De lubricis nunc dicere non est opus, quanta insania deluduntur. Libera namque imaginatio, & a rationis moderamine & fræno soluta sensualitas in dormientibus, ad suas passiones fortius movetur, & ferventius invalescit. Et contingit nonnumquam, eos qui hujusmodi deliciis fallaciter oblectantur, & honoribus insolescunt, soluto somno, in ardentissima quadam febri aut dolore acerbo se invenire jacentes. O vita mortalis! Et quid es tota, nisi perpetua & inopinata delusio? Omnia, quæ tam avide quærimus, tam ardenter amamus, tam solicite prosequimur, non utique vera bona sunt, sed umbræ imagineſque bonorum. Quid sunt enim divitiæ, nisi de limo metalla? Quid honores, nisi ludicræ levitates? Quid corporis voluptates, nisi turpes & obscuræ cupidines? An non somniat, qui umbratiles formas imagineſque bonorum pro rebus ipsis amplectitur & acceptat? An non moriens quasi evigilans, omnes istas fugat nænias & abjicit delusiones? Appone animæ mensam cibis delicatis refertam; adhibe auri & argenti pretiosissima vasa, vestes aureas, equos, domos, familiam, honores, servitia, fastus; numquid etiam vel aspicere hæc omnia non dedignabitur, & quasi futilia somnia pro nihilo despiciet?

III. Vere indubitanterque, *velut somnium surgentium Domine;* omnium istorum bonorum acquisitas in vita imagines, soluta anima, *ad nihilum rediges.* Unde Job: *Dives,* inquit, *cum dormierit, secum nihil auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet.* Sed veluti somno vitæ præsentis delusus, cum excitatus fuerit, qui videbatur esse in deliciis, apparebit verius in tormentis: & qui amœnos hortos, delicioſa virgulta, & prata virentia possidere se autumabat, expergefactus a somno, corpus reperiet in tumulo, & animam in inferno: carnem vermibus scaturientem, & animam ignibus flagrantem. Existimo enim animas post longum tempus, sive in cœlo, sive in inferno locatas, sic vitæ præsentis sæculum memorari, veluti somnium antiquum; & illis hujus sæculi negotiationes, amicitias, honores, nuptias, & quæcumque in vita gesserunt, veluti somnia videri; atque ita, uxoris, liberorum, amicorum, familiarium, prosperitatum, adversitatumque recordari, veluti præteritorum quorumdam & levium somniorum. O quomodo dolent miseræ se propter hujusmodi somniorum ludicra transeuntia, tam diris tormentis perpetuo fuisse damnatas! Adverte illarum querimoniam in libro Sapientiæ, agnoscito fletum: *Erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius percurrens, & tamquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquam avis quæ transvolat in aere &c.* Et *in malignitate nostra consumpti sumus. Talia,* inquit, *dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* Excitemur ergo, Fratres, ab isto lethali somno, & sopore mortifero, antequam nos excitet dira mors. Tunc enim nihil proderit excitari. Excutiamus a nobis umbratiles istas honorum, & voluptatum imagines; & veritatem istam claro perspiciamus intuitu, ne cum dies illuxerit, & somnus abierit, vacuos delusosque nos inveniamus, & stultitiam nostram lamentis perpetuis defleamus.

IV. Quam potenter Propheta: imo per Prophetam Dominus clamat! *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro!* Ebrii, inquam, sed non a vino inebriati, sed non a musto, qui tam avide & sine mensura, temporalis dulcedinis haustus excipitis, qui temporalium gaudiorum mero tam insolenter inebriamini; expergiscimini, flete, ululate: quoniam cito peribit ab ore vestro. Cito, inquam, rapietur a vobis hujus dulcedinis potus, & propinabitur vobis perpetuæ amaritudinis calix, atque post hunc voluptatis inebriantem poculum, fellis amarissimas

Pſal.74. ſimas fæces perpetuo glutietis. *Fex*, inquit, *ejus non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ*. Tu Domine potius potente tua virtute excita nos, ut in tempore opportuno, in luce tua apertius vigilemus. Vanum namque eſt nobis ante lucem ſurgere, & ſine tuo lumine fruſtra contendimus ad vigiliam. Tu enim Domine noſti, quoties ego ſervus tuus meipſum urgebam exhortationibus, admonitionibus, increpationibus, meipſum quaſi quibuſdam manibus pulſans, ſi aliquo modo ab *Pſal.39.* ipſo ſopore excuterer. Sed heu! *Non potui ut viderem*. Et, ſi quando fortioribus conſcientiæ meæ ſtimulis punctus, aut verborum tuorum crebrioribus ictibus pulſatus, ad modicum evigilans hallucinari videor; me miſerum! ſtatim, reluctans & invitus, profundius & altius dormio. Dormiens vero, ita ſum, ſicut qui in graviſſimo & horribili ſomno vehementius excitari conatur, & quo magis conatur, minus valet. Et quod magis mirandum & dolendum eſt; neſcio quo miro & pravo modo in ipſo negotiorum ſtrepitu & exteriori tumultu, quo ſolent dormientes excitari, ego profundius dormio. Felix qui, etſi propter Deum occupatus exterius dormit: ſed intus ad Deum illius animus ſemper vigilat. Qui dicere poteſt cum *Cant. 5.* ſponſa: *Ego*, quidem, *dormio, ſed cor meum vigilat*. Interiorem namque animæ illius quietem non perturbant exteriora negotia, ſed exterius occupatus, interius vacat. Dormientes ſolemus primo vocibus pulſare, deinde contactibus, quos enim clamor non excitat, excitat pulſus; ſic etiam dormientem ſponſam, primo clamore ſponſus excitat, *Ibid. 2.* dicens: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni*. Cujus ſubaudita voce, paululum excuſſa de ſomno, clamat: *Vox dilecti mei;* ſed cum illa rurſus *Ibid. 5.* ſoporaretur, *dilectus miſit manum per foramen, & venter* ejus *intremuit ad tactum ejus*. Et ſurrexit illico præceps, ut aperiret dilecto: *At ille declinaverat atque tranſierat*. Quæ ad vocem non ſurrexerat, ſurrexit ad tactum.

V. Ita nobiſcum agere conſuevit clementiſſimus Deus, peccatorum dormientium excitator pius: vocat prius dormientem animam, & ſi non excitatur voce, jungit clamorem, vocat muneribus, vocat inſpirationibus, vocat terroribus: & ſi adhuc dormimus, aggravat voces, adauget clamores, increpat terribiliter ſoporatam peccatis animam, & horribilibus eam intus reprehenſionibus corripit. Unde Pſalmus: *Pſal.38.* *Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam, animam ejus*. Vere, increpante Deo, anima duriſſimam ejus increpationem ferre non valens, penitus tabeſcit, & præ triſtitia & dolore tota liqueſcit. Bene hoc noverat quæ dicebat: *Cant. 5.* *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt*. Si enim increpationes aggravaveris Domine, Domine, quis ſuſtinebit? Quis tolerabit? Teſtis eſt mihi ipſa conſcientia, quæ

A ſuſtinuit diſſimulaſſe me aliquando, ne intelligerem, divertiſſe me aliquando, ne has increpationes audirem timore percitum: ſed fruſtra, ſed incaſſum. Converſus enim ad me, ut ait Job: *Mirabiliter* & terribiliter *me crucias*. An non mirabiliter prævarican- *Job 10.*
tem animam divina juſtitia ſui ipſius tortorem facit, ut puniat ipſa in ſe peccatum, quod ſuperba commiſit? Quid mirabilius, quam propriis ſuis affectibus & paſſionibus animam pro peccato torqueri, flagellari, puniri; & ut faciat ipſa, irato Deo, de ſeipſa vindictam? O prodigioſum Angelicis
B ſpiritibus ſpectaculum, anima ſeipſam ulcerans, ſeipſam lanians, ſeipſam judice adſtante flagellans! Non alium extra quærit tortorem ſeverus judex; ſed ipſam peccati ſui vindicem facit. O judicis potentiam! Quis non timebit te Rex gentium, qui tales injuriæ tuæ reperiſti tortores? Miſer qui nunc talibus clamoribus nec excitatur: tolerabilior propemodum infernus videretur, quam hujuſmodi conſcientiæ tolerare remorſus.

VI. Sunt tamen qui aut non audiunt, aut audire diſſimulant. Hos propius accedens pulſat divina benignitas. Mittit manum per
C foramen deſiderii, & palpat hærentem animam; pulſat ægritudinibus, pulſat perſecutionibus, pulſat temporalium jacturis, pulſat variis & multiplicibus tribulationibus, ſi forte ſentiat qui dormitat. Quem iſta non excitant, lethargum patitur. Non eſt jam ſomnus, ſed mortis æternæ manifeſtum indicium. Veniet ei repentina mors cum ſecurior fuerit; & velut alter Siſara, clavo *Judic.4.*
ſe confixum pavimento reperiet. Notiſſima ſiquidem hujus rei, in illo, figura præceſſit: quam opere pretium eſt vel ſuccinte perſtringere. Cum enim de bello victus pedeſter
D aufugeret; occurrens Jahel uxor Haber crudeli eum ſuſcepit hoſpitio, ſitibundumque pro aqua, lacte potavit, & hujuſmodi potu ſopitum, clavo transfixit. Meminerit hujus, quiſquis in bello devictus, Domini ſui caſtra deſeruit: meminerit, inquam, religioſus ille, qui militari cænobio relicto, a Deo profugus, ut Cain, ſæculi latitudinem va- *Gen. 4.*
gabundus perluſtrat. Fugitivo huic occurrit ſtatim blanda Jahel, ſuoque eum pelliciens ſenſualitas recipit in hoſpitio. Ubi enim hoſpitabitur clauſtri deſertor & Dei fugitivus, niſi in vilis carnis tentorio? Sitit
E etiam valde anhelans ad ſæculi delicias & temporalia gaudia: ſed crudelis hoſpita, pro aqua de vivo fonte, lac ei propinat ex utre, quod neque ſitim minuit, neque calorem extinguit, ſed lethaliter dormire bibentem facit. Lac de utre voluptas ex carne. Hujus hauſtus homines ita dementat, atque ſoporat, ut nihil ſupra: qui enim ea potantur, in altam Dei & totius ſpiritus incidunt oblivionem. Non eis gloria, non infernus, non fama, non pudor, non contempta religio, non denique propriæ ſalutis ratio in mentem venit; ſed rationis judicio ſopora-

to,

to, sed illecebris funditus immerguntur. Dormientem insuper pallio operit ignorantiæ, ut non videat quidquid decet: non mortem instantem, non ignem ardentem, non judicem adstantem; donec clavo repentinæ mortis confossus, soporem morti socians, limo defixum & sepultum se videat in inferno. Justo utique Dei judicio præventus: ut qui in vita oblitus est Dei, in morte non recordetur sui. Cum enim dixerint
Prov.29. pax & securitas, repentinus eis superveniet
Job 21. interitus, & non effugient; & ducentes in bonis dies suos, cum minus cogitant, ad inferna descendunt. O fallacem hospitam, o vitam mendacem! Miser qui apud te non pertimuit hospitari; tale namque hospitibus tuis exhibes ministerium, suaviter eos potans ut eneces, blande fovens ut trucides; ergo qui tibi fidit, sibi male fidus est.

VII. Cui comparabimus vitam istam, Fratres, aut cui assimilabimus eam? Similis profecto videtur scenæ cuipiam aut comœdiæ. In ea quippe plures reges videas, nec sunt reges; plures milites, nec sunt milites; religiosos plurimos, sed religiosi non sunt; rusticos aliquos, sed non sunt rustici: ficta sunt omnia, fallacique imagine illita, donec depositio habitu, & finita scena, sublato papilione appareat quisque quis sit. Talis est hujus mundi figura, Fratres, mendaciis plena sunt omnia: aliorum personas gerimus, donec auferatur velamen, & finita sæculi hujus scena appareat quisque quis fuerit. Transibit citissime fictionis comœdia, & veritatis sæculum illucescet, & tunc nemo fingere se alium poterit, nec latere. Similis quoque videtur statuæ biformi, quæ celeri volvitur rota: hinc rugata facie veteranam; inde rutilanti vultu juvenculam præferens. Neque enim unam se cunctis exhibet, sed varie se variat ad diversos: aliis giganteam, aliis pygmæam formam ostentans. Si quis enim in gaudiis & deliciis vitam agit; bone Deus! quanta se illi brevitate coarctat: Pigmæa ei videtur & anicula, quantumvis longissima vita etiamsi superet dies Mathusalem. Quantas super hoc ubique terrarum audias a sæcularibus querimonias, quæ suspiria, quos gemitus; quia non diutius tenditur vitæ voluptas, quia non in longum sinuntur videre quod cupiunt, & possidere quod volunt! Audi voces eorum in libro Sapien-
Sap. 2. tiæ: *Exiguum*, inquiunt, *& cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus. Et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis, & a calore illius aggravata: & nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum.*

VIII. Quam vera sunt hæc, & quam certa! Sed attende fallaciam. *Venite ergo &*

A *fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Quanto satius contrarium dicerent: quia brevis est vita nostra, quia citissime ut nebula dissolvetur; flocci pendamus eam, pro nihilo habeamus illam: meliorem & perpetuam inquiramus. O stultissimi! Si mar-
B cescunt celeriter rosæ, ut quid eas ponitis in corona? An nescitis, quia pro momentaneo hoc odore, perpetuum debeatis sustinere fœtorem? Quænam hæc insania, marcescentibus se coronare rosis, putrescentibus se delinire unguentis? *Comedamus*, inquiunt, *& bibamus: cras enim moriemur.* *Isaiæ 22.* Imo quia cras moriemur, neque comedamus neque bibamus; sed cibum, qui non perit, instanter potius operemur. O quanto sanius sibi ista consulerent, si mens non leva fuisset! Hos igitur ita deludit vita fallax. Aliis e con-
C verso interminabilem & longissimam se mentitur. Et sicut vespertinam umbram, quæ sole occiduo ex parva protenditur in immensam; talem se solet ostendere tribulatis & afflictis, vitam agentibus in dolore. Videas namque religiosos plurimos, jejuniis & vigiliis fatigatos, longa pœnitentia maceratos, præsentis vitæ tædio affectos, amarissime ejus diuturnitatem deflere. O, inquiunt, quamdiu durabit interminabile hoc vitæ martyrium? Quamdiu vitam hanc durissimam tolerabimus? Biennium quippe aut triennium satis esset. Quis per sexaginta annos laboriosam hanc vitam poterit sus-
D tinere? Et siquidem hoc alterius vitæ desiderio dicerent, esset utique illis ad sapientiam. Sic enim etiam Propheta clamabat: *Heu* *Ps. 119.* *mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Propter laborem vero ita fatigari stultum est. Quis enim agricola prudens, seminandi opportunitatem reputat longiorem? O homo tales laborum tuorum fruges expectas, & de laboris diuturnitate conquereris?

IX. Sed nunquid longior vita præsens, nunquid diuturnior? Non ita videbatur Job: nam *breves*, inquit, *dies hominis sunt:* & de *Job 14.*
E suis: *dies*, inquit, *mei velociores fuerunt cursore: pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam:* & iterum: *Ibid. 9.* *dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur.* *Ibid. 7.* Non diu durat: festinat mors: & remo veloque properat, quantum potest. Non etiam ita videbatur Apostolo, qui dicebat: *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* *2. Cor. 4.* O longum momentum quod separat nos a Deo! Quamdiu enim sumus in corpo- *Ibid. 5.* re, peregrinamur a Domino. Nam alioquin in seipso brevissima est; &, ut ita dixerim,

momentum momentaneum. Momentum tibi erit vita præsens, si oculum dirigas ad æternum præmium: transit cito quod cruciat, permanet in æternum quod coronat: *Æternum*, inquit, *supra modum in sublimitate gloriæ pondus*. Non potuit amplius illa felicitas ponderari, non potuit beatitudo illa melius explicari. Pondus est voluptatis, quod neque ipsa posset animarum infirmitas sustinere, si non elevaretur a datore. Guttatim pœna nunc bibitur, sed affluenter & per rivos potabimur in gloria. *Torrente*, inquit, *voluptatis tuæ potabis eos*. *Psal.35.* Transit hora, transit & pœna; sed gloria illa tota simul & invariata durabit. Non minuetur, nec alterabitur in sæculum sæculi; sed illæsa & invariabilis permanebit. Quis hanc gloriam non amabit? Quis tantam beatitudinem, totis animæ viribus, toto desiderio non perquiret? Quis poterit, o felix patria, quis unquam tui poterit oblivisci? *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non memi-* *Ps. 136.* *nero tui: si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ*. Sic ajebat, sic clamabat, qui ad illam, sicut cervus ad fontes aquarum, ita sitiebat. *Psal.41.* De illius memoria jubilans, & in eadem fixus, imprecatur sibi quæ necesse est evenire, si ab illa decideret. Nam ubi illius beatitudinis oblivio inciderit, & manus hæret, & lingua balbutit; illius quippe memoria, & operi solertiam & verbo facundiam præstat: qui enim præmii obliviscitur, lente movetur ad opus; nec potest quisquam de re, quam non sentit, neque gustat, diserte loqui. Felix illa regio, felix patria Beatorum, ubi quidquid placet, adest; quidquid displicet, longe abest; ubi omne bonum sine omni malo; ubi nullum tædium, & sempiternum gaudium; ubi satietas sine fastidio, aviditas sine defectu; ubi vita sine termino, lætitia sine mœrore, securitas sine timore: plena, perfecta, & sempiterna gloria: quam nobis præstare dignetur ille, qui ut eam præstaret, dignatus est mori, Christus Jesus Dominus & Salvator noster: cui cum Patre & Spiritu sancto est decus imperii in sæcula sæculorum. Amen.

DE SANCTO MARTINO
PONTIFICE ET CONFESSORE
CONCIO PRIMA.
DE HUMILITATE.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Psalm. 112. v. 5.

CONCIO CLXVI.

I. HÆc differentia est inter eos, qui genere ab antiquo magni sunt, & eos, quos casus, vel fortuna ex humilibus magnos fecit: quod priores, sicut sanguine nobiliores, ita & ingenio humaniores, humilioresque sunt, & apud omnes homines tractabiliores. Nec mirum: non enim ex hoc suæ magnitudinis jacturam timent, quam tot sæculis in progenitoribus fundatam radicatamque conspiciunt. Alii autem quasi adventitiam & novam, in sua humiliatione periclitari pertimescunt, faciliterque posse se ab hominibus contemni, nisi in alto propriæ reputationis se contineant. Videas hos elatos, tumidos, austeros, & inaccessibiles, supra homines intumescere, quorum fastuosam superbiam nemo hominum portare sufficiat. Unde & in vulgari adagio dici solet: Neque illi, qui servivit aliquando servias; neque ab eo, qui petiit umquam petas. Deus autem noster, Fratres, natura & genere magnus est ab æter- *Ps. 146.* no. Unde Psalmus: *Magnus Dominus Deus noster, & magna virtus ejus; & magnitudinis ejus non est numerus*, atque ita singulariter magnus, ut sit ipse sua magnitudo: neque enim in eo essentia, & magnitudo realiter separantur; sed hoc est illi magnum esse, quod Deum esse. Unde sicut non potest non esse Deus, ita non potest non esse magnus. Non igitur ex clementia & benevolentia magnitudo illius jacturam patitur, sed gloriam & honorem: unde & clementissimus & humanissimus est. Quid enim humanius, quam apud humilem & pauperem, Regem gloriæ hospitari, sedere cum eo ad mensam? *Si quis*, inquit, *aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. *Apoc. 3.* Quantum super hujus dignationis pondus, sublimes illi cœlestis curiæ Principes admirantur! Quomodo stupent ad spectaculum istud: potentem illam majestatem, cui curvantur qui portant orbem; in pauperis hospitio cum ancilla humili recumbentem! Quo plausu, quo jubilo foris præ foribus hospitii expectantes invicem exclamant: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra?* *Job 9.* *Ps. 112.*

II. Multa sunt in Martino, quæ commendare

dare poſſumus: ſed ſuper omnes virtutes ejus humilitas magis reſplenduit. Unde de hac nobis hodie futurus eſt ſermo. Tria de humilitate tangentes, dicemus primo: quid ſit humilitas, & in quo conſiſtat. Secundo: de humilitatis fructu & excellentia. Tertio: quibus eam mediis poterimus obtinere, & quam mirifice hæc virtus ſplenduit in Martino. Non conſiſtit humilitas in paupertate, neque in habitu vili, & exteriori quadam in oculis hominum abjectione. Sæpe videas in hujuſmodi deſpectis hominibus magnam intus latere ſuperbiam, & hypocriſis velo ingentem operiri tumorem, *tange montes:* & procul dubio *fumigabunt*. Tange injuria, tange vel modica contumelia, contemne eos vel ad modicum, & videbis quid intus lateat: videbis in ovina pelle ferociſſimum leonem, & luciferinam in dejectione ſuperbiam. Qualis quiſque apud ſe lateat, illata contumelia probat (*a*). *Eſt* enim *qui ne-*
Eccle.19. *quiter humiliat ſe, & interiora ejus plena*
Mat.23. *ſunt dolo*. Videas hos hypocritas, in remittendis levibus etiam injuriis, cunctis hominibus difficiliores, & in proſequendis honoribus ardentiores. Intus eſt humilitas in animo, non in habitu; in corde, non in veſte; in affectu, non in aſpectu. Ditiſſimus quiſque ac potentiſſimus humillimus eſſe poteſt, ſi vult; imo in his maxime ſplendet humilitas.

III. Quid ergo eſt humilitas? Humilitas, (*b*) ut Bernardus (*b*) ait, eſt virtus qua quiſque vera ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit. Id eſt: contemptus & vilipendium ſui, naſcens ex vera & clara cognitione ſui. Qui ergo in ſua reputatione parvus eſt, & inutilis, & nullius ſe reputat eſſe valoris in corde ſuo; hic vere humilis eſt. Unde Propheta: *Væ*
Iſaiæ 5. *qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram*
Prov. 3. *vobis metipſis prudentes*. Radix ergo & ori-
Rom.12. go humilitatis eſt cognitio ſui, radix vero ſuperbiæ ignorantia ſui. Ignorat ſe penitus omnis ſuperbus: nam ſi ſciret quis eſt, non (*c*) utique ſuperbiret. Unde Bernardus (*c*), ad quid tibi gloria putride pulvis, ad quid tibi gloria? Quis es, quid potes, quid vales, quid fuiſti, niſi materia putrida? Quid es, niſi ſaccus ſtercorum; quid eris, niſi cibus vermium? O ſtulte non erubeſcis exhibere te idolum hominibus venerandum, qui poſtmodum in ſepulchro vermibus ſcaturiens, fœtidus & putridus contabeſces? Ecce quid
Iſaiæ 10. es. Quid etiam potes, ut ſuperbias? *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea?* Aut exaltabitur pictoris calamus de pictura, quæ per ipſum facta eſt? Quid faceret calamus, ſi eum non moviſſet pictoris manus? O ſtulte *quid habes quod non accepi-*
1. Cor.4. *ſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Ad quid etiam per te ipſum
Ezech. 15. vales, aut ad quid, obſecro, utilis es? Dominus ad Ezechielem ait: *Fili hominis, quid*

A *fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſilvarum? Nunquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas? Ecce, igni datum eſt in eſcam: utramque partem ejus conſumpſit ignis, & medietas ejus redacta eſt in favillam. Nunquid utile erit ad opus? Etiam cum eſſet integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cum illud ignis devoraverit & combuſſerit nihil ex eo fiet operis?* Palmes igitur a vite præciſus ad nihil utilis eſt, niſi ad ignem; quod ſi in vite fructificat, virtus & gloria
B vitis eſt, non palmitis. Unde Dominus in Euangelio: *Ego ſum vitis, vos palmites:* *Jo. 15.* *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere*. Ubi eſt igitur iſta ſuperbia tua & gloriatio tua? Quæ tibi cauſa tumoris? de quo gloriaris o ſtulte? de quo intumeſcis inter mille ſyrtes, inter mille diſcrimina rerum? quæ utique, ſi agnoſceres, tibi ad omnem timorem humilitatemque ſufficerent.

IV. Omitto nunc perpetrata facinora, quæ te coram Deo ad nihilum redegerunt, ſicut ſcriptum eſt: *Ad nihilum deductus eſt* *Pſal.14.*
C *in conſpectu ejus malignus*. Omitto inſtantem mortem, & ægritudines aſſiduas, quæ te vel invitum cogunt cognoſcere temetipſum. Numquid jam regnas, numquid jam tenes, numquid de ſalutis præmio jam ſecurus es? An non hiantem infernum ſub pedibus attendis, & judicem deſuper vibrantem gladium, diramque mortis ſententiam comminantem? Quænam eſt igitur iſta inflatio, & ſtulta ſecuritas in diſcrimine tanto? Si quis igitur oculos habet apertos, habet undecumque amplam timoris humilitatiſque materiam; unde non ſolum non infletur, ſed
D etiam vehementer pro ſe ipſo ſolicitetur. Sed neque, ut exiſtimo, ad plenam perfectamque humilitatis rationem ſufficit, hominem deſpicere ſemetipſum, niſi idipſum ab aliis libenter patiatur; & qui in oculis ſuis parvus, talis etiam velit cæteris apparere, & cæteros de ſe ſentire quod ſentit, æqui & veri amator eſt. Omnis humilis odit hypocriſim: non cupit erga ſe decipi alios; amat lucem, ſimulationis latibulum fugit, omnibus ſe vellet prodere qualis eſt: alienum non uſurpat locum, falſo honore non gaudet. Unde, quo quiſque humilior eſt,
E eo verior invenitur. Eſt enim veritas humilitati genuina, & germana virtus; & fraus ſuperbiæ pediſequa. Tenebras & latibula diligit omnis ſuperbus, quia timet agnoſci: hypocriſi ſe palliat, quia prodire in publicum erubeſcit. De falſa populi opinione lætatur, non ſe judicans ex conſcientia, ſed ex fama. Sed velit, nolit, aliquando prodetur: procedet in publicum adſtantibus Angelis, ſicut ſcriptum eſt: *Arguam te, &* *Pſal.49.* *ſtatuam te contra faciem tuam*. Juxta hanc igi-

(*a*) S. Gregorii ſententia eſt Dialog. lib. 1. cap. 5.
(*b*) Tract. de Gradibus Humilit. cap. 1. num. 2.
(*c*) Vide Serm. 13. in Cant. num. 7.

igitur Bernardi ſententiam, ille humilis cenſendus eſt, qui pro nihilo ſe reputat, & ab aliis reputari vult: qui proprio conſcientiæ teſtimonio contentus, ignorantis populi favores, non ſolum non quærit, ſed pro nihilo deſpicit: qui laude falſa non lenitur, ſed pungitur, qui ita lætatur in deſpectu, ſicut ſuperbus in honore: qui omnibus ſe inferiorem exhibens, neminem contemnit, nemini ſe præfert, majoribus cedit, æqualibus ſe ſubjicit, inferioribus adæquat, deſcendit libens, aſcendit invitus, laudari erubeſcit, amat corrigi: in obſequendo prior, in loquendo poſterior: nemini faciens injuriam, & illatam patienter ſuſtinens. Gaudet cum contemnitur, quia cognoſcitur; neque injuriam reputat, ſi quiſpiam ei præfertur: veritatis filius, quæ ſunt, diligit, non quæ videntur.

V. Vis unum tibi oſtendam humilem ſecundum Bernardum? Pſalmiſta regius is eſt, dum inquit: *Factus ſum tamquam vas perditum: quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu*. Ecce quoad ſe. Quoad alios vero attende quid dicat: *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Hæc ſentit de humilitate Beatus Bernardus (*a*). Sed ſcholaſtici Theologi (*b*) paulo aliter, definiunt enim humilitatem: Humilitas eſt virtus moderativa appetitus humani, ne aggrediatur aliquid ſupra vires, oriens ex cognitione propriæ facultatis. Eſt namque homini utiliſſimum agnoſcere quid valet, & quid non valet. Propter defectum primi, puſillanimes grandi ſæpius fructu privantur, ignorantes quid valeant. Horum defectum, magnanimitas erigit in fiduciam, ut ſuis viribus proportionata conentur. Propter defectum ſecundi, fruſtra ſæpius laborat omnis ſuperbus; dum ſeipſo majora conatur, ignorans, ſcilicet, quid non valet: cujus exceſſum e contrario humilitas deprimit, temperans immoderatum ſpiritum ab altiori negotio. Itaque quod in cibis temperantia facit, & in ſumptibus liberalitas; hoc in arduis, non unica ſed duplex virtus, magnanimitas & humilitas: quarum una defectum, alia exceſſum corrigit, & ad debitum modum & proportionatum ſibi reducit. Ab hoc duplici extremo ſe liberatum Pſalmographus gloriatur, cum ait: Cantabo ei, *qui ſalvum me fecit a puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate*; id eſt, nimio furore ſuperbiæ. Hoc illi contulerat Deus, magnanimitatem & humilitatem infundendo: ne in arduis, aut per puſillanimitatem deficeret, aut per ſuperbiam excederet. Humilitas itaque ſecundum Theologos: non tam deſpectus & abjectio ſui, quam modeſtia quædam & moderatio ſui ponitur: quæ tamen moderatio ex ipſa naſcitur abjectione. Quomodo enim aggredietur majora ſe, qui ſe non reputat ſupra ſe? Numquam utique appetitus excederet, niſi prius apud ſe opinio ſuperbiret. Videre vis humilem talem? *Domine*, inquit, *non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*, & apud Sapientem: *Fili, altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris*. Utrumque autem, ut exiſtimo, in perfecta humilitate reperitur: ut qui eam poſſidet; & ſeipſum deſpiciat, & ad majora ſeipſo non ſe ingerat. Nam, ſicut in ſuperbia duo ſunt: præſumptio, ſcilicet, & ambitio; ita etiam in humilitate duo contraria reperire eſt: contemptum & modeſtiam, quibus illi vitio contradicit. Non ergo inter ſe diſſentiunt Doctores ſancti; ſed ſi eorum ſententias ſibi invicem copulaveris, plenam humilitatis rationem invenies.

VI. Nolo nunc longum facere tractatum, an ad veram humilitatem pertineat, ut quiſque quantumvis ſanctus & optimus, cuilibet etiam peccatori lubrico ſua ſe opinione poſtponat. Neque enim video, qualiter hoc in virtute fieri poſſit, ſicut neque in ſapientia, neque, ut opinor, hoc ex Apoſtoli ſententia convincitur, ubi ait: *In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes*. Sicut neque oportet Regem prævenire ruſticum honore; quia idem Apoſtolus dixerit: *Honore invicem prævenientes*; pro loco enim & tempore, & ſecundum rationis methodum, hæc intelligenda ſunt utrobique. Neque tamen inficior vere humilem ad hoc quandoque pertingere, ut ſibi cunctos homines anteponat, & omnibus inutiliorem vilioremque ſe eſſe credat; quod vel ex illo beati Dominici exemplo facile mihi perſuaſerim, qui intraturus civitates & oppida, præorare ſolebat, ne indignaretur Dominus illi populo propter ipſum, nec propter ejus peccata, in populo illo iram immitteret & vindictam. Quid hac oratione humilius? Neque enim ſcienti corda ſanctus vir in hypocriſi loquebatur, ſed quod mente ſentiebat, hoc oratione promebat. Poteſt autem hoc multipliciter fieri, ut de aliis quam de te meliora præſumas. Primo: quia etſi in aliquibus alium manifeſte præcedis, ille forte te excedit in uno, quod omnibus aliis magis præponderat; & ſi hoc exterius non apparet, forte latet interius. Quis enim novit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Quod ſi publice peccator eſt, forte graviores ſuſtinet tentationes, & nequitiarum impulſus, quibus tu neque ad horam reſiſtere valeres. Vel forte ad ejus humiliationem, in eo Dominus peccatorum lapſus permittit, ut latius levet; aut certe non recepit continendi gratiam, quam recepiſti: quam ſi recepiſſet, forte illa melius uteretur. Quod ſi infidelis & paganus eſt: habes etiam unde illum tibi præferas. Quoniam, etſi infidelitas

Pſal.30. *Pſal.83.* *Pſal.54.* *Pſ.130.* *Eccli.3.* *Philip.2.* *Rom.12.* *1. Cor.2.*

(*a*) Vide laudatum tractatum de Grad. Humilit. (*b*) Vide S. Thom. 2. 2. quæſt. 161.

tas peccatum graviſſimum eſt; tamen in cæteris omnibus gravius ipſe peccas, non ut alienus, ſed ut domeſticus benefico Domino fidem frangens, & infenſus exiſtens. Per hunc modum omnibus hominibus humiliare te poteris, tanto verius, quanto mente ſincerius. Hoc enim, etſi non ſemper exterius in re, in corde tamen humilis ſemper verum eſt.

VII. Declaravi, ut potui, in quo conſiſtat humilitas; ſed quantum Deo placeat iſta virtus, non difficile eſt videre ex Euangelica lectione, quæ ubique fere iſtam fidelibus virtutem commendat. Si enim diligenter Euangelicam inſtitutionem inſpicias, ut S. P. Auguſtinus (*a*) ait, omnis fere diſciplina Chriſtiana, humilitas eſt. Quid enim aliud docet Euangelium, niſi ſui, & omnium contemptum, abnegare ſeipſum, & humanam reſpuere gloriam? Vere in hoc ſui, & mundi contemptu omnis fere philoſophia Chriſtiana conſiſtit. Siquidem: quia Lucifer in cœlo ſuperbiæ cathedram locaverat, & per ſuperbiam multos Angelos inde dejecerat; Filius Dei in terra contrariam humilitatis ſcholam poſuit: ut per eam homines in cœlum reduceret. Unde in plateis Jeruſalem clamore valido diſcipulis ſuis clamans, ait: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Non vos doceo potentiæ meæ miracula, non cæcos illuminare, leproſos mundare, mortuos ſuſcitare; ſed manſuetudinem humilitatemque. Hæc omnis mea doctrina eſt. In hoc apparebit, quod diſcipuli mei eſtis, ſi mites & humiles inventi fueritis.

(*a*) *Iſaiæ* 14. *Apoc.* 12. *Mat.* 11.

VIII. Sed quo fructu, qua utilitate? *Et invenietis*, inquit, *requiem animabus veſtris*. Non eſt requies, Fratres, non eſt pax niſi in humilitate ſola. O quis modo poſſet calamo explicare quod ſentit! Unde, obſecro, tanta vexatio & infelicitas in orbe, niſi ex ſuperbiæ tumore? quia videlicet honorari & reputari volumus, pluſquam ſumus. Aculeus ſolicitudinis hujus indeſinenter pungit mortales, neque ſinit eos vel unam diem vitæ habere felicem. Ecce alius dies noctesque in literarum ſtudio inſomnes tranſigit cum labore, ut inter doctos literatus poſſit haberi. Alius, ut copioſam poſſit ſuſtentare familiam, quid non aggreditur? Quid non patitur alius, ut dignitatem quam cupit, obtineat; & principi ut placeat, quas non tolerat moleſtias? O pondus graviſſimum ſuper filios Adam, & intolerabile jugum a die ortus ſui, uſque ad diem ſepulturæ eorum! Vere *contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis*, humilitatem ſcilicet, *non cognoverunt*. Si enim hac procederent via, quietiſſimos & feliciſſimos dies agerent. Quanta felicitas in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus! Quanta pax in humili corde! Quanta tranquillitas in viro, qui humanos favores & pueriles gloriolas negligit: cui pro nihilo eſt judicari a plebecula, aut ab humano die! O quantum a corde ſuo abjicit curarum & ſolicitudinum pondus! qui ſolo Dei, & cordis ſui teſtimonio contentus, ab hominibus laudari aut deſpici flocci pendit; cui nihil curæ eſt, quid de ſe alius ſentiat, quid judicet vulgus: ſed virili quadam ſeveritate & ſevera gravitate ſuper omnes homines conſtitutus, veluti omnium dominus, omnia pedibus ſuis calcat, & propter gloriam inanem, ipſe ſub nullius redigitur poteſtate. Hic in vita ſua felix, multa hic requie potitur, & in futuro ampliorem inveniet pacem. Quoniam enim exaltari noluit inter homines; inter Angelos ſublimabitur. Non enim mentiri poteſt veritas, quæ promiſit: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. Habet ergo humilitas & hic, & in futuro præmium: hic pacis, & poſtmodum beatitudinis: jam enim ex hac vita quodammodo incipit eſſe felix, qui Chriſti amore didicit eſſe humilis. Hæc enim virtus, plurimarum virtutum mater eſt & origo. Ex hoc enim fonte innumeræ aliæ virtutes ſcaturiunt. Inde obedientia, timor, reverentia, patientia, manſuetudo, modeſtia, amicitia, pax. Qui enim humilis eſt, libenter omnibus obtemperat, omnes timet offendere: injurias vero, aut per manſuetudinem non ſentit, aut per patientiam ſuſtinet: quietus ſibi, pacificus omnibus, omnibus mitis, omnibus gratus, omnibus innoxius, amabilis cunctis, nemini gravis: nullum deſpicit, nullum lædit, omnibus ſubditus, in neminem protervus.

Pſal. 13. *Luc.* 14.

IX. Præclara virtus humilitas tantarum virtutum parens; ſed & aliarum virtutum fundamentum, cuſtos & ſupplementum eſt. Quidquid enim ſuper hanc non fundatur, erigitur ad ruinam. Unde P. Auguſtinus (*b*): Si cogitas, inquit, magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Aliter enim noveris te magnam ædificare ruinam. Quo enim quiſque donis & virtutibus altior eſt, eo major illi ruina paratur, niſi prius humilitate ſolidetur. Tolle humilitatis fundamentum, & omnis virtutum fabrica cito ruit. Quid enim Lucifero profuit tanti decoris & tantæ pulchritudinis gloria, ſuper humilitatem non fundata? Profuit utique, ſed ad miſeriam: nam ſine humilitatis condimento omnis virtus virus eſt animarum. Putreſcunt illico & corrumpuntur delicatiſſimi virtutum liquores, flante elationis vento, & aquilone urente, niſi intra humilitatis foveam ſolicite cuſtodiantur: imo effunduntur & pereunt, niſi cordis vaſculum humilitate fiat profundum. Hæc enim ſola virtus omnium donorum & gratiarum capacem animam facit. Unde, Jacobo teſte, *humilibus* ſolis *Deus dat gratiam*, quia videlicet, illius capaces ſunt: ſuperbis autem non infunditur, ne effundatur & pereat. Omnis enim gratia & do-

(*b*) *Jacob* 4.

(*a*) Serm. 351., alias Homil. 50. num. 4. *Sed potius ſervet humilitatem, quæ pene una diſciplina Chriſtiana eſt.*

(*b*) Serm. 69. num. 2., alias Serm. 10. de verbis Domini.

donum ſine humilitate, non ſolum non prodeſt habenti; imo obeſt plurimum. Et ideo pius Dominus prodeſſe ſemper cupiens, non obeſſe: ſuperbis in damnum eorum ſuam gratiam non largitur. Neque ſolum omnem gratiam & virtutem cuſtodit humilitas, ſed etiam ſupplet. Quidquid enim tibi obedientiæ, caſtitatis, patientiæ, ſanctitatis deeſt, humilitate ſuppletur. Agnoſce defectum, humilia te coram Deo, & eo amplius, quo te magis vides virtute privatum: & qui pauper es virtute, fies dives humilitate. *Lucæ* 18. Quid enim aliud habuit ille Publicanus, nonne ſola humilitate juſtificatus eſt? Agricolarum omnes divitiæ, frumentum eſt. Inde domui & familiæ ſuæ omnia ſupplent; & peccatori omnis facultas humilitas eſt. Melior eſt enim conjugata humilis, quam virgo ſuperba; & humilis ac pœnitens peccator, quam elatus de juſtitia præſumens (*a*) ſua. Unde Chryſoſtomus (*a*): Geminas, inquit, bigas mihi accommodes; alteram ſuperbiæ, & juſtitiæ; alteram vero peccati, & humilitatis; & videbis peccatum prævertens juſtitiam, non propriis, ſed humilitatis vincere viribus. Aliud vero par videbis devictum, non fragilitate juſtitiæ, ſed mole ſuperbiæ. Siquidem, ut Propheta regius ait: Tu Domine, *populum humilem ſalvum facies*, *Pſal.*17. *& oculos ſuperborum humiliabis*.

X. Vidiſti qualis & quanta ſit iſta virtus, ſine qua omnes aliæ non ſufficiant, & quam omnis gratia comitatur, & quæ charitatem conſervat & gratiam, & de peccatis dolendo obtinet remiſſionem; quæ etiam aliquando peccatores pœnitentes, juſtis innocentibus anteponit, ſi in illis quam in iſtis profundior reperiatur. Talis eſt humilitas, Fratres, hanc totis viribus conemur poſſidere virtutem. Sunt autem media, per quæ poſſumus eam obtinere, ſi volumus. Valet ad hoc tuorum aſſidua peccatorum meditatio: quiſquis enim ſis, ad omnem humilitatem tibi ſufficiet noſſe teipſum. Quis *Job* 9. enim inter homines adeo juſtus, ut juſtificari poſſit compoſitus Deo, & ſi contendat cum eo de juſtitia, non exeat condemnatus? Non enim poterit reſpondere unum pro mille. Taceo nunc crimina. Quanta ingratitudo, quanta oblivio, quanta tepiditas nos quotidie tenet! Quis debitum penſum Deo reddit? Quis quotidie in pluribus non offendit? Semel criminaliter offendiſſe, perpetuo facit hominem inglorium; quid acervata iniquitas relinquet homini dignitatis & gloriæ? Valet etiam conferre ſe aſſidue cum (*b*) melioribus. Nam, Quintiliano teſte (*b*), neceſſe eſt, ut plurimum ſibi tribuat, qui ſe nemini comparat. Si te ergo ſapientia elevat, confer te cum Doctoribus; ſi patientia, confer te cum Martyribus; ſi caſtitas, confer te cum Virginibus; ſi puritas & ſanctimonia vitæ, confer te cum Confeſſoribus.

A Et qui tibi magnus videbaris, illis compoſitus, exiguus apparebis. Noli reſpicere poſt tergum ad debiliores & inferiores te; ſed cum Apoſtolo, quæ retro ſunt, oblitus, ad interiora extende teipſum, ut ad bravium ſupernæ vocationis pervenias. Cave autem per omnem modum, amicitiam ſuperborum, ne te inficiat peſtifera lues. Virus enim eorum, *ut* 2.*Tim.*2. *cancer ſerpit*. Unde Pſalmus: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam*. Et *Philip.*3. *Pſ.* 100. ruſus: *Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam*. Cum ſimplicibus itaque & humilibus ſit converſatio tua. Exerce etiam B teipſum ad humilitatem, in veſtibus, in ſumptibus, in honoribus parcitatem tenens, communia ſequens, ſingularitatem in omnibus fugiens. Qui enim hoc facit quod nemo; mirantur omnes. Cave ne unquam velis eſſe admirabilis, & notabilis inter alios. Eſto unus de pluribus, non unus in pluribus; negleſtus in millibus, non electus ex millibus. In humilibus exercitiis aſſiduus eſto; altiora te negotia caveto; quidquid te apud homines *Eccli.* 3. poteſt facere glorioſum, quantum potes, devita; in quolibet bono ama eſſe, non apparere; adulatores quam maxime reſpue; blan- C dientes fuge, & qui te in veritate corripit, ille ſit tibi amicus. Eſto velox ad audiendum, & tardus ad loquendum, & ſurdus ad *Eccle.* 5. laudes, facilis ad obſequium, difficilis ad imperium, ad omnes docibilis ſuaſibiliſque. Denique, in omnibus dictis tuis & factis, illud Apoſtoli obſerva: *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*. Hæc & ſimilia ad humilitatem conducere poſſunt ei, cui *Rom.*12. quam maxime curæ eſt, hunc poſſidere theſaurum. Qui enim ipſum negligit, quando inveniet?

XI. O quanta fuit cura Martino, ab initio vitæ hanc exquirendi margaritam! Qua D ſolicitudine curavit hoc ditari metallo! Ardentius enim ille & diligentius ſui proſequebatur contemptum, quam ſolet quivis ambitioſus fugientem proſequi honorem. Omni hoc ſtudio continue agebat, hoc ſolum quærebat, ut deſpiceretur ab omnibus. Neminem utique legi Sanctorum, ita ſolicite huic deſudaſſe virtuti. In militia poſitus adhuc catechumenus, famulo ſuo viciſſim ipſe ſerviebat; baptizatus vero cum eum vellet Hilarius ſubdiaconum facere, non acquievit; & indignum ſe reputans tali gradu, E exorciſta factus eſt. Sed ordinante Deo, qui noluit fieri ſubdiaconus, poſtea factus eſt Epiſcopus. Cum autem jam Epiſcopus conſecrandus eſſet, videntes eum Epiſcopi, qui eum conſecraturi erant, pauperem & abjectum; deſpexerunt eum, dicentes ad Clerum: Parcat vobis Deus; hunc in Epiſcopum elegiſtis? Non dignaremur nos in Eccleſiis noſtris habere ſacriſtam: itaque nolebant ordinare eum: ſed contradicente populo, & acclamante populo: O quam neſcitis quid lateat

(*a*) Homil. 5. de incomprehenſ. Dei natura, ſatis poſt med. (*b*) Inſtitution. Orator. lib. 1. cap. 2. poſt medium

teat in paupere! ignoratis exigui hujus eximiam celsitudinem: vix tandem ordinatus est. Jam vero ordinatus, in nullo penitus immutatus est; habitu & convictu pauperrimus erat: adeo, ut a clericis, etiam in præsentia sua, impune quandoque despiceretur, illuderetur-que. Licebat per eum cunctis irridere Episcopum; neque, ex hoc humillimus, & mansuetissimus vir, ullam fieri sibi injuriam existimabat, sed merito se illa pati; quia immeritus esset ordinatus Episcopus, neque mirum, si ut indignus illo gradu contemneretur. Denique, tanta in eo erat abjectio sui, ut cognomento publico, pauper & modicus vocaretur: præ nimia siquidem humilitate sua, talem sibi titulum inter homines acquisierat, scilicet: Martinus pauperculus; quo ipse supra modum interius gloriabatur, quasi consecutus quod ab initio vitæ vehementer optaverat.

XII. Sed mira utrimque contentio erat inter Deum, & Martinum; dum conabatur Martinus humiliare se, & Deus eum exaltare: Martinus se dejicere, & Deus illum honorare; Martinus abscondere se, & Deus publicare Martinum. Sed vicisti Domine, ut par erat, & renitentem obsistentemque, in populis glorioſum fecisti Martinum. Bone Deus! Quanta eum gloria decorasti! Secundum exiguitatem ejus, ita & laus ejus in fines terræ; imo, ubi abundavit humilitas, superabundavit & gloria. Prophetiæ Spiritu illustrasti eum, magnificasti miraculis, gratiis & virtutibus adornasti. Factus est hic modicus, trium mortuorum suscitator magnificus, innumerabilium miraculorum patrator insignis. Omitto cætera, quæ temporis angustia nunc dicere non permittit; unum solum libet perstringere. Cum ad Ecclesiæ januam obviaret cuidam leproso, miseratus hominem, coram omni populo osculatus est eum. Mira res: statim ad Viri sancti osculum, lepra cecidit, & in oculis omnium mundatus est. Quantus tunc timor, quantus stupor invasit omnes; quanta de cætero Virum Dei reverentia coluerunt! De sanctitate ejus taceo: sufficiat vobis Ecclesiæ præconium. Cum enim, teste Hieronymo (*a*), Apostolorum minimo, nullus Sanctorum veniat comparandus; Ecclesia, plenis, ut dicitur, buccis, de Martino canit: Martinus par Apostolis. Tanta quippe fuit vitæ ejus sanctimonia; ut, etiam dum viveret, sanctissimus haberetur, & velut sanctus oraretur & coleretur; miraculum enim quoddam illis sæculis & prodigium extitit ejus vita. Erat enim pius, & devotus, humilis, pudicus, mansuetus, sobrius; in vita parcus, in commisso fidelis, in corde purus, in opere strenuus, in custodiendo gregem fidelissimus, sibi compositus, populo charus, Deo & hominibus acceptissimus, præclarus fide, flagrantissimus charitate. Tantus erat in corde purissimo devotionis & spiritus fervor, ut diutius, quam credi possit, orare consueverit. Unde, teste Sulpitio, qui ejus vitam scripsit, quamdiu in illo duraret devotionis fervor, invictum ab oratione spiritum non relaxabat.

XIII. De charitate vero illius in proximos, præter innumera, recuperatæ sanitatis beneficia, sufficiat opus illud commemorasse, quod jam jam moriturus ostendit. Plorantibus namque coram illo discipulis, atque rogantibus: Salva sunt tibi tua præmia Pater, nostri potius miserere quos deseris: Invadent enim gregem tuum lupi rapaces: illorum miseratione commotus, oculis ac manibus in cœlum levatis, devote orabat: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. O præclaram vocem! O admirabilem charitatem! Quid minus iste Moyse vel Paulo personuit? Moyses pro populo deleri de libro vitæ, Paulus pro fratribus anathema esse cupit a Christo; Martinus pro commissis ovibus differri a gloria, non solum sustinet, sed, si opus est, petit & obsecrat. Jam jam in paradiso pedem posuerat glorioſus Antistes, & libenter retrahit ipsum, ut fratribus suis serviat. Littus optatum diu, jam securus tenebat; & amore filiorum redit ad pelagus, atque pro dilectis ovibus, velut bonus pastor, iterum exponitur naufragio. Quando iste substantiam & vitam pro ovibus suis non poneret, qui etiam personam & animam exponebat? Sed, non tam exponebat, quam differebat. Sciebat autem cui crediderat, & certus erat, quia tantæ charitatis oblatio non defereretur a Deo, sicut & factum est. Vidit namque piissimus Deus pietatis ejus obsequium, sed æternitatis non distulit præmium. Emisso itaque in cœlum spiritu; ne discessus illius maneret inglorius, ordinante Deo, ad ejus exequias congregati sunt plus quam duo millia Monachorum. Sed, & beatus Ambrosius, cum sacra perficeret, in somno raptus est, & Martini tumulo affuit in spiritu. Deferebant corpus ad Ecclesiam cum solemni cantu, ut par erat, & ecce desuper millium Angelorum animam deferentium cantus auditur. Mira res: conticuit hominum chorus, ut chorus concineret Angelorum. Quantus hic honor, quanta gloria, quantus triumphus! Sic pauperes tuos honoras Deus, sic humiles tuos exaltas, in altis habitans, & humilia respiciens in cœlo, & in terra. Vicisti Domine Jesu Martinum, fortior eo fuisti & invaluisti: siquidem, Martinus hic pauper & modicus, cum ingenti pompa, dives hodie cœlum ingreditur: & qui inter homines modico suæ vitæ tempore curavit esse modicus, ex nunc inter Angelos perpetuis sæculis apparebit glorioſus, te exaltante, te sublimante, o bone Jesu: cui cum Patre, & Spiritu sancto, est honor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Act. 20.

Exod. 32.

Rom. 9.

Ps. 112.

(*a*) Vide notas ad Concionem 3. hujus argumenti.

DE

DE SANCTO MARTINO
PONTIFICE ET CONFESSORE
CONCIO SECUNDA.

DE ELEEMOSYNA.

Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.
Psalm. 40. v. 1.

CONCIO CLXVII.

I. BEatus Hieronymus (*a*) exponens illud Apostoli: *Erit Deus omnia in omnibus*, sic ait: Dominus atque Salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis. Verbi gratia: in Salomone, sapientia: in Davide, bonitas: in Job, patientia: in Daniele, cognitio futurorum: in Petro, fides: in Paulo, zelus: in Joanne, virginitas: in cæteris, cætera. Cum autem rerum finis advenerit; tunc omnia in omnibus erit, ut singuli Sanctorum omnes virtutes habeant, & sit Christus totus in cunctis. Hæc Hieronymus. Itaque, gratias & virtutes, quas nunc per singulos Sanctorum Deus divisit; tunc in unoquoque illorum colliget; quando occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut non solum in omnibus membris suis, & ex omnibus simul Christus perfectus appareat; sed in quolibet etiam perfectus existat. Interim, velut apes in hoc Sanctorum viridario, varios a diversis flores virtutum colligamus: ex quibus in pectoris nostri alveario mellifluas meditationes, affectionesque formemus, quibus etiam per bona opera proximis nostris lucis exempla formemus. Ad hoc enim, ut opinor, sancta mater Ecclesia Sanctorum festivitates toties repetit, ut ad eorum imitationem, objectis eorum exemplis nos provocet.

(*a*) 1. Cor. 15.

Ephes. 4.

II. In Sancto Episcopo Martino plurima sunt notatu digniſſima, quibus nostra fragilitas erudiri informarique potest ad vitam. Fuit enim monstrum quoddam religionis & sanctitatis, & pelagus maximum omnium virtutum. Cui propter solam sanctitatem, omni alio sacrarum literarum & sapientiæ adminiculo, quibus Sancti decorari solent, semoto, tantum Ecclesia (*b*) tribuit; ut plenis buccis: Martinus par Apostolis, acclamet. Verumtamen, duo in illo virtutum insignia maxime claruerunt, humilitas, scilicet, & pietas. De humilitate quidem superius a nobis dictum utcumque est; de pietate erga pauperes hodierna concione disputandum erit. Pietatis igitur, qua excelluit Divus Martinus, illud est testimonium, quod præter omnes reditus Episcopatus in hoc solo consumptos, dimidiatum pallium adhuc catechumenus dederit pauperi; & pallium integrum, quod jam Episcopus tribuerit. Gratissima Deo acceptissimaque obsequia, usque adeo, ut in prima eleemosyna Christus cum Angelis apparens ovanter circumstantibus, dixerit: Martinus adhuc catechumenus, hac me veste contexit: & in secunda: Angeli brachia ejus nuda pretiosissimis manipulis auro, gemmisque contegerent. Ab aliis ergo alia discamus; in Martino humilitatem & charitatem, omnium virtutum primas præcipuasque quæramus. Sed de eleemosyna tractaturi, oportet, ut ante pauperes nos esse noverimus. Pauperes, inquam, gratia; quæ est omnes Sanctorum veræ divitiæ. Non enim eam a nobis habere, neque nostris operibus promereri possumus. Nam, si ex operibus, jam non est gratia, sed merces. Quid ergo? Ad divitem accurramus, sicut mendici: plenam illam gratia salutantes, & ab ejus plenitudine nobis guttulas postulantes: offerentes gratissimam sibi Angelicam Salutationem:

(*b*)

Rom. 11.

AVE MARIA.

III. De Sancto quidem Martino, hæc dixisse sufficiat. De eleemosyna vero tria dicturi sumus. Scilicet: de ejus excellentia: de modo quo fieri debet: de utilitate ejus & fructu. Michæas Prophæta, dignam Deo pro peccatis satisfactionem inquirens sic ait: *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso?* Quid mirum, si coram Creatore suo genu flectat creatura? Aut quænam ista satisfactio pro delicto? Qui honore debito veneratur Regem, satisfacit ne ei pro crimine? *Numquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos?* Sed: *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?* Impossibile est omnino, sanguine vitulorum aut hircorum, tam immundo lavacro, deleri peccata. Quid Deo & brutorum sanguini, aut quid peccato & cruori? Sed: *Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Et quidem, si hoc ipse postulasset, & voluisset, omnia quamvis gravia & difficilia, pro peccato meo facere debuissem. Sed non talem habemus Deum, qui hujusmodi crudelitatibus delectetur. Piissimus & misericordissimus est, & talibus non placatur, sed offenditur maxime piaculis. Dæmonibus humani generis inimicis, humanum sanguinem sitientibus, talia exhibebantur a suis cultoribus sacrificia. Talia enim ab eis orgia postulabant. O crudelitatem nefandam! Idolo Moloch (*c*) æneo & concavo,

Mich. 6.

Ibidem.

Ibidem.

Jer. 32.

(*c*)

(*a*) In Epist. ad Ephes. cap. 1. prope finem. *Nunc enim Deus per partes in singulis est: in alio justitia: in alio castitas: in alio temperantia: in alio sapientia: in alio fortitudo; & difficile est etiam in sanctis viris, atque perfectis omnes pariter esse virtutes. Cum autem in fine rerum, & consummatione mundi, ei fuerint universa subjecta, adimplebitur omnia in omnibus: ut juxta id, quod Deus est cunctis virtutibus plenus, omnia in omnibus adimpleatur, & sint universi habentes omnia, quæ ante singula singuli possidebant.*

(*b*) Vide notas ad Concion. 3. hujus argumenti.

(*c*) Pueros idolo Moloch per ignem immolari consueviſſe certa videtur res ex Scriptura, si varia ejus loca conferamus, nam Levit. 18. v. 21. *De semine tuo*

vo, prunis ardentibus inclusis vehementer inflammato, super candentes manus infantes nudos (horrendum sæculis sacrificium) flamines locabant, quibus usque ad viscera eos torrebant. Et ne parentes parvulorum ululatibus, & crudeli filiorum spectaculo torquerentur; objiciebant se medios ministri satanici diaboli sacerdotes, tubis & tympanis concrepantes, ne ploratus infantium a parentibus posset audiri. Sic itaque tot sæculis miserabiliter humano generi impiissimi dæmones illuserunt.

IV. Quid ergo dignum offeram Domino pro peccato meo? Cui quæstioni idem Pro-
Mich. 6. pheta satisfaciens, ait: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te. Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Tria hæc levissima quidem & facillima. Primum: ut ipse de te facias judicium, & judicium illius tuo prævenias, delictum tuum cognoscendo, confitendo, puniendo. Quis enim neganti remittit offensam? Secundum: ut solicite caveas recidivum; irrisor enim est, & non pœnitens, qui hoc agit, quod pœnitet, neque videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Tertium: ut qui misericordiam a Deo petis, misericordiam proximo tuo exhibeas; ut miserando misericordia dignus fias: nihil enim sic Deum provocat ad misericordiam, sicut exhibita fratri misericordia; quemadmodum scriptum est: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Qualem te proximo exhibueris, talem erga te reperies Deum, & in quo judicio judicaveris, in eodem ipse judicaberis; & mensura, qua mensus fueris, remetietur tibi. Quid enim? Proximus coram te penuria & egestate afflictus miserabiliter lacrymatur; & ad illum, quasi saxum & velut quercus truncus, nulla compassione deflecteris; & audiet te Deus consimili miseria lacrymantem, qui in minoribus & corporalibus necessitatibus proximo tuo, cum posses, succurrere noluisti? Etiamsi singultibus & fletibus viscera rumpas, indignus es, ut in spiritualibus & majoribus exaudiaris a Deo. Si ergo Prophetæ, imo Dei per Prophetam consilio credimus, tria pro nostris delictis Deo obsequia rependemus, nempe: pœnitentiam, continentiam, & misericordiam: quibus sacrificiis, & non nostro aut hircorum sanguine, de peccatis placatur Deus.

Mat. 5.

Ibid. 7.

V. Quam validum adversus peccata remedium, quam efficax & salubris peccatorum nostrorum medicina, pietas in proximos, & eleemosyna sit; non unico sed pluribus Scripturæ testimoniis roborabimus. Et quidem, ut verum fatear, nunquam Deo sic gratam eleemosynarum nostrarum parvitatem existimassem, nisi hoc me sacrarum Scripturarum lectio docuisset. In Ecclesiastico legimus: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* In Apostolorum principe: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* In Euangelio: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quoties Dominus in Euangelio repetit illud Prophetæ: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Et Paulus Apostolus ad Hebræos: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Sed, quod super omnia me movet; cum Dominus adversus Pharisæos & Scribas, gentem pestiferam & subdolam, diutius invectus proclamasset: *Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis; judicium & misericordiam, & fidem. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similis estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Sic vos a foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate, &c.*: post tam acrem reprehensionem, & terribilem invectivam; quis hujusmodi hominibus damnatissimis ullum salutis locum relictum esse putaret? His tamen hominibus perditissimis post omnia consilium præbet: *Verumtamen*, inquit, *quod superest*, quod vobis reliquum est, unicum & salubre remedium: *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Quid huic testimonio amplius in eleemosynarum commendationem addi potest? Si hos emendare potest eleemosyna, quos non potest? Si istis in pietate remedium, quibus non erit? Neque tamen hoc illis reliquum esse flagitiorum remedium, ideo Dominus dixit, quasi alia peccatorum remedia non sint; sed quia teneri & delicati, seipsos nimis amantes acerbiora remedia non capesserent.

Eccli. 3. *1. Petr. 4.* *Lucæ 16.* *Oseæ 6.* *Heb. 13.* *Lucæ 11.* *Mat. 23.* *Lucæ 11.*

tuo non dabis, ut consecretur idolo Moloch, & cap. 20. v. 2. *Si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum.* Hanc autem seminis consecrationem Moloch fuisse filiorum immolationem indicat David. Psal. 105. v. 37. & 38. *Et immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Vide etiam Isaj. cap. 57. v. 5., Ezech. cap. 16. v. 21., & cap. 23. v. 39. Rursus immolationem hanc, per ignem consummatam fuisse, habemus ex 4. Reg. 23. v. 10. *Contaminavit quoque Tophet, quod est in convalle filii Ennom, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem, Moloch.* Et 4. Reg. 21. v. 6. Manasses *traduxit filium suum per ignem.* Et 4. Reg. 16. v. 3. Achaz *filium suum consecravit, transferens per ignem secundum idola gentium.* Quod attinet ad ritum in hujusmodi immolatione observatum, nihil certi pronuntiari potest. Nam quem hoc loco S. Orator describit, is ex Rabbinorum narrationibus haustus est, ut fatetur Lyranus in cap. 18. Levitici, quibus sane nemo fidem suam obligabit. Immo non desunt, qui non semper filiorum mortem intelligant, quoties in Scriptura traductionem, aut consecrationem per ignem legunt.

ferent. Eſt quidem neceſſaria pœnitentia, reſtitutio, ſatisfactioque plena injuriarum; neque ſine his eleemoſyna juſtitiam confert homini ſcelerato: ſed tamen, ut hæc remedia, quæ ſunt propinquiora juſtificationi, divino auxilio, atque largitate divina habeantur a peccatore; valde utilis eſt pietas & eleemoſynarum largitio. Incipit enim homo invitare pietate ſua, pietatem & miſericordiam Dei, & diſponitur quodammodo ad alias virtutes, quæ illum plene purificent. Unde & nos divitibus noſtri temporis hoc ipſum dicere non incongrue poſſumus, qui cum ad omne opus aſperitatis & pœnitentiæ, ad omnem orationem, devotionem, & compunctionem, ad omnem humilitatem, inediam, & vigilias ineptiſſimi ſint, & bonis hujus ſæculi lautiſſime perfruantur: niſi ad eleemoſynarum præſidia ſapienter refugiant; præcluſa eis videtur omnis alia via virtutis.

VI. Magna erant Regis Nabuchodonoſor gentilis & ſuperbi peccata, pro quibus, cum iratus Dominus vindictam acerrimam minaretur, & ſub typo arboris ingentis eradicandæ, eidem in ſomnis futuræ in ſe calamitatis præſagium contuliſſet, conſultus Propheta ſanctus, ſuper hoc reſpondit: *Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Si ergo adverſus peccata eleemoſyna non valeret, inutile conſilium videretur remittere ad eleemoſynas, quæ tam urgenti neceſſitati remedia non præberent. *Peccata*, inquit, *tua eleemoſynis redime*; ſunt enim peccata venalia, & pauperes venditores, quibus pœnarum fiſci ſui Deus gratiam fecit, & injurias ſuas aliis vendere permiſit, ut inde paſcantur; ſicut de Sacerdotibus etiam ſcriptum eſt: *Peccata populi mei comedent.* Dic, obſecro, mihi o peccator; quod prædium utilius mercari pecunia tua, aut quam aliam ſupellectilem divitiis tuis ſalubrius & commodius emere tibi poteris, quam tua delicta, pro quibus utique, ſi ea in hac vita non redemeris, ardoribus ſempiternis poſt modicum tradendus es ſine dubio? Redime ergo auro & argento tuo peccata tua; imo potius redime teipſum a dura & perpetua ſervitute: quoniam proculdubio, ſicut Apoſtolus ait: *Venundatus* es *ſub peccato*. Regi impiiſſimo Achab, cum dixiſſet Eliæ: *num inveniſti me inimicum tibi?* idem Elias mira authoritate, non ſicut Regi, ſed ſicut peccati mancipio reſpondit: *Inveni; eo quod venumdatus ſis, ut faceres malum in conſpectu Domini.* Mancipium peccati, omnis peccator eſt, ut Dominus ait in Euangelio, & venalis eſt ſub illius ſigno, & pecunia ſua redimi poteſt, ſicut Salomon ait: *Redemptio animæ viri, divitiæ ſuæ.* Cogita ergo nunc, ſi quempiam ex hujus ſæculi divitibus captivum crudelis Turca in platea civitatis exiguo venderet, & uxor ejus & filii, quibus ampliſſimas divitias reliquiſſet, redimere eum cotemnerent amore pecuniæ, quam juſte indignaretur, quam deteſtaretur eos, qui ſuis eum pecuniis a tam acerba ſervitute redimere noluiſſent. O homo, & nunc tu vere crudelior es in teipſum; qui non a Turca, ſed a diabolo; non a carcere, ſed a gehenna; non a momentaneo ſupplicio, ſed ab æterno incendio, non quidem toto auro & argento tuo, ſed domus tuæ furfuribus redimere te negligis. O quomodo poſtmodum dolebis hæc recolens in inferno, quomodo in teipſum frendebis, & dentibus tuis laniare te cupies! ſicut ſcriptum eſt: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Vere *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem;* & ſi non ſuper alium pauperem, ſaltem ſuper ſeipſum, ut inopiam & paupertatem ſuam in tempore neceſſitatis ſuppleat, & in die mala liberet eum Dominus. Eleemoſynam enim illam non tam pauperi, quam animæ tuæ confers, teipſum induis, teipſum paſcis. Miſerere ergo pauperis; & ſi non: ſaltem *miſerere animæ tuæ, placens Deo.*

VII. Sed valde notandum eſt, quod non dixit: *Beatus qui* condolet, vel miſeretur: ſed, *qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Quod verbum, non ſolum ſecundum Septuaginta; ſed etiam ſecundum Hebraicam veritatem in hoc loco reperies. S. P. Auguſtinus (*a*) hunc locum allegorice de Chriſto exponit; qui cum eſſet dives, pro nobis egenus factus eſt: ſicut ipſe ait: *Egenus & pauper ego ſum.* Et iterum: *Pauper ſum ego, & in laboribus a juventute mea.* Intellige in hoc egeno latentem Majeſtatem, abſconditam Divinitatem: non te turbet illius indigentia. Hic enim, qui in terra non habet domum, neque focum, neque *ubi caput ſuum reclinet*; in cœlo arbitrio ſuo cuncta diſponit. Hic, qui alienis ſuffragiis a ſanctis mulieribus paſcitur, cujus Diſcipuli ſpicas ad edendum conterunt præ fame; Angelorum cibus eſt, omnia ſua virtute ſuſtentat. Hic, qui alieno tumulo ſepelitur; cœlorum terrarumque Dominus eſt: pauper & egenus ſuper omnes homines apparuit; ſed in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Hæc volo, ut intelligas ſuper egenum & pauperem Chriſtum, ut in die mala, potens & dives liberet te a malo. Intellige quoque in paupere Chriſto, qua pietate fratri pauperi ſubvenire debeas, ſicut Apoſtolus ait: *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Sed propter quid? Utique, ut liberaret pauperem, cui non erat adjutor. Imitatores Dei eſtote, Fratres; intelligite in Dei Filio, quomodo pauperi miſereri debeatis. Nolo jam vobis pro-

Dan. 4. *Oſeæ* 4. *Rom.* 7. 3. *Reg.* 21. *Jo.* 8. *Prov.*13. *Mat.* 8. *Pſal.* 40. *Eccl.* 30. *Pſal.* 40. *Pſ.* 108. *Pſal.*87. *Lucæ* 9. *Ibid.* 10. *Ibid.* 6. *Coloſ.* 2. *Philip.*2. *Pſal.*71.

(*a*) Vide Enarr. in Pſal. 40. num. 1. verſus finem. Vide S. Hieronym. Adverſ. Vigilantium, ſub finem.

proponere exempla Sanctorum: quidquid enim homo facere potuit, ad tantæ clementiæ celsitudinem nihil est: & quantum Deo misericordia placeat, nolo aliunde quam hoc facto roborare. Hæc de Christo dicta sint. Hunc locum aliter Hieronymus exponit, & satis utiliter ad propositum. In subventionem, inquit, pauperis intelligentia opus est, ut placeat Deo eleemosyna. Multum enim refert, qua voluntate, qua intentione, quo animo, qua ratione eleemosyna fiat. Intellige ergo super egenum, cum ei aliquid das, quid, cui, quantum, propter quid, & quomodo tribuas. Hæc enim quinque, inter alia consideranda sunt in eleemosyna: si placet, hæc omnia breviter percurramus.

VIII. Volo ergo primo, ut intelligas: quid des. Numquid vitam, numquid animam, sicut Martyres? Numquid teipsum & omnia tua, sicut Anachoretæ? Si reliquiis domus tuæ Christi pauperes alis; quid multum pro Deo facis, si reliquias ei reddis qui tibi omnia dedit? Super hoc, Dominum in Euan-
Lucæ 16. gelio audi: *Si*, inquit, *in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Si alienæ substantiæ largus dispensator existis, quid multum facis? Nolo tamen putes eleemosynam sola pecunia & exterioribus munusculis æstimari. Quid enim est eleemosyna, nisi sub-
Mat. 6. ventio pauperis propter Deum? *Anima plus est quam corpus*, & animæ necessitas quam corporis major est, & ubi major indigentia, ibi potior eleemosyna. Si subvenire corpori perituro eleemosyna judicatur; quanto potius animo in æternum victuro, ne pereat? Corripe igitur fratrem, obsecra, increpa, argue, admone, adjuva, cohibe a peccato, quantum potes; consule, doce, carpe, ut a peccatis resurgat, & optimam apud Deum eleemosynam tribuisti. Non putent pauperes, quod bono eleemosynæ privati sint: possunt enim & ipsi, si volunt, pretiosas & præclaras coram Deo eleemosynas facere. Opera namque misericordiæ spiritualia, coram Deo potiora sunt: si quis ergo pauper divitem habet vicinum, opulentia tumentem, avidum, lubricum, cæcum, diabolo mancipatum: intret cubiculum suum, & cum lacrymis coram Deo pro illo preces emittat, & optimam illi præstitit eleemosynam; & ita in aliis. Sed heu! Animarum nulla cura, nulla memoria est. Si cæcum videremus in foveam irruentem, prohiberemus eum, invitumque etiam & renitentem a præcipitio removeremus. Quotidie animarum præcipitia videmus, & nemo est qui moneat, nemo est qui teneatur: sic fratres perturbare timemus, ut perire potius permittamus. Videndum est secundo, cui eleemosyna fiat. Non quod merita pauperum discernamus. Intellige: ut bene agas, noli valde discutere, cui agas. Nam, etsi pau-
Ibid. 5. per malus & ingratus, Deus propter quem eleemosynam facis, optimus & gratissimus est. Malo bene agere, bonum est: imo pauperis malitiam in bono vincere, insigne virtutis est. Duplex ibi bonum, & geminata virtus; & quod alis, & quod malitiam vincis. Deus solem suum oriri facit super bonos & malos. Fac tu similiter. Non orabit pauper, si malus est, non sit tibi curæ, eleemosyna orabit pro te, sicut scriptum est: Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te. Non te fallit pauper, si indigentiam simulat: tu qui simplici animo donas, non diviti, sed indigenti tribuis: se ipsum fallit, si rapit: mercedem tuam ipse non perdis. *Eccli. 29.*

IX. Verumtamen, etsi ita sit: volo te intelligere cui prestes. Pauperum enim multæ differentiæ sunt: quidam fideles, quidam infideles. Præstato primum fideli; juxta dictum Apostoli: *Maxime autem ad domesticos fidei*. Quidam propinqui, alii extranei: cæteris paribus, prius propinquo succurre. Quidam boni, quidam mali: bonis prius præstandum est. Quidam voluntarii, quidam coacti; voluntario prius, quia dignior est. Quidam pauperes, alii egeni; egeno prius dandum, quoniam melius est vitæ succurrere quam pudori, personam fovere quam honorem. Hic multi falluntur, qui famescentibus & indigentibus necessaria tollunt, ut superbientibus superflua porrigant. Si fratris tui pudori succurris, ne mendicare cogatur, bene facis: si tamen mendico, ne pereat, succurris; melius facis. Nolo valde discernas personas, nolo multum honores sæculi ponderes: ubi major est necessitas, ibi procul dubio pecunia melius erogatur. Si tamen virum sanctum & indigentem reperire potuisti, cui necessaria de tuis facultatibus tribuas, grandis tibi a Deo gratia fit. Libenter illum tuarum divitiarum consortem assumito, ut suarum particeps ipse fias. Optima permutatio, temporalia pro spiritualibus commutare. Apostolum audi: *Vestra abundantia, illorum inopiam suppleat; ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum; ut fiat æqualitas*. Si enim tibi in temporalibus communicat, ipso facto in ejus spiritualibus ipse communicas, & majorem tribuit, quam recipit eleemosynam. Habet Deus unde alat amicos suos, qui corvino ministerio Heliam Thesbiten in deserto tam longo tempore aluit; sed propter aliorum commodum eos patitur indigere; ut hac dati & accepti ratione, plurimorum saluti melius consulatur. Aliud est etiam, Regis servum, aliud amicum pascere. Taceo quod Dominus in Euangelio etiam notanter de fratribus dixerit: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*; & non de aliis: neque mea hæc annotatio est, sed Hieronymi. Libenter pasco pauperem & cœlorum Regem. Grandis mihi enim hac permutatione usura est: hospitari modico tempore in domo mea pauperem, *Gal. 6.* *2. Cor. 8.* *Mat. 25.*

Lucæ 16. rem, qui perpetuo me in æterna tabernacula secum recipere non dedignetur. Tertio videndum est: quantum tribuas. Eleemosyna quippe divitibus, non consilio monetur, sed præcepto indicitur. Nam dives ille avarus in Euangelio damnatus est: non quia rapuerat aliena: sed quia propria non donaverat. Et in die judicii non largientibus dicitur: *Mat. 25.* Esurivi, & non cibastis me, sitivi, & non me potastis: *Ite maledicti in ignem æternum*. Duritia hæc & tenacitas sufficit ad gehennam.

X. Dices forsan; durum est hoc. Numquid de meo non possum facere quod volo? Quod crimen, si mea non do? Non sum latro, non sum abactor, non sum raptor. Propter quid ergo damnandus? Sed, unde obsecro, illa tua sunt? Fecisti ne tu illa? Ideo tua, quia usurpasti ea tibi: nam omnia communia creavit Altissimus. An tibi soli terra germinat herbas, arbores gerunt fructus, bruta generant fœtus? Propter pacem, meum & tuum lege permittuntur; hac conditione, ut qui abundaverit, indigentium penuriam suppleat; si non supplet, raptor & homicida est, quia, quem non pavisti, occidisti; quæ non dedisti, rapuisti. Qua, obsecro, lege, quo jure unus omnia possidebit, & alii omnes fame peribunt? Quæ ratio hoc suffert, ut unus asservet sibi omnia, & cæteri omnes in egestate vivant? Unde *Isaiæ 5.* Propheta: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in* (a) *medio terræ?* Et Bernardus in Epistola (a): Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Dicite Pontifices: in fræno quid facit aurum? Nobis frigore & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasma sumus. Et nos sanguine Christi redempti sumus. Hæc Bernardus. Dices forsitan: quantum ergo dandum est pauperi, ut crudelitatis periculum evitemus? Audi Lucam: *Luc. 3.* *Qui habet duas tunicas, det* unam *non habenti, & qui habet escas, similiter faciat*. Dices forsitan: dare medietatem, multum est: sunt mihi uxor, familia quam nutriam; his omnibus medietas reliqua non sufficeret. Ad quod ego:

A Erant hæc omnia Zachæo; sed appropinquante Domino, medietatem bonorum suorum pauperibus erogavit. O! Inquies: Zachæus *Ibid. 19.* Publicanus erat; quid mirum si dedit omnia, qui prius rapuerat? Da igitur omne quod superest.

XI. Sed dices: siquidem filii non accrescerent: non ego quoque hæreditatem & patrimonium meum augerem, sed accedentibus filiis, patrimonium quoque augere necesse est. Bene; sit ita: computa hæc omnia; da quod superest. Dices: libenter accepto, si omnia computo, multa desunt. B Vere ita est: cupiditati deficiunt multa; & deessent, etiamsi totum orbem solus sine socio possideres. Nolo ergo ad ratiocinium te adducere: fac, sicut filio suo Tobias consuluit: *Quomodo potueris, ita esto misericors.* *Tobiæ 4.* *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*. Hæc fac, ut vivas. Non improbo, si certam portionem pecuniæ, ad arbitrium boni viri, juxta tuos reditus, quotannis pauperibus erogandam signaveris; non ut aliis sit remissio, tibi autem tribulatio; sed ex æqualitate & rationis moderamine, C juxta consilium Apostolicum. In extrema necessitate, indigenti succurrere, non consilii, sed præcepti est, ex superfluo dare similiter (b), ut opinor, licet non detur omne quod superest. Hoc laicis dixerim (c): nam clericis alia ratio sequenda est. Sed, non tam videndum est, quantum tribuas; quam propter quem, & quomodo tribuas. Deus enim, ut Gregorius (d) ait, non respicit quantum, sed ex quanto. Unde Apostolus: *Si* *1. Cor. 13.* *distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Non acceptantur a Deo opera, quæ propter ipsum non fiunt. D Novit Deus, qua intentione facias, quem finem prætendas. Propter quod in Euangelio ait: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ,* *Mat. 10.* *mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit, justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quoties repetit in nomine prophetæ, in nomine justi, in nomine discipuli: ut ostendat propter Dei amorem dandam esse eleemosynam, ut ex ea quis fructum

acci-

(a) Epist. 42., seu Tract. de Offic. Episcopor. cap. 2. num. 7. *Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum? numquid aurum a fræno repellit frigus, sive esuriem? Nobis frigore, & fame miserabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, & nos Sanguine Christi redempti sumus.*

(b) S. Thomæ doctrina est 2. 2. q. 32. art. 5. ad 3. *Dicendum, quod est aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat. Ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat. Ex parte vero dantis, cum habet superflua, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest.* Quam vero partem superflui teneantur sub gravi divites pauperibus largiri, non ita apud omnes certum est, ut designari possit. Sunt, qui annuorum reddituum partem quinquagesimam satis esse putant, reliquis ad altiorem statum acquirendum reservatis; nimis tamen favere videtur divitibus hæc opinio. Sed his immorari mei non est instituti.

(c) Fortius enim Ecclesiasticos obligat eleemosynæ præceptum, qua de re vide Navarrum in prolixo tractatu de Redditibus Ecclesiasticis.

(d) Homil. 5. in Euang. num. 2. *Cor namque, & non substantiam pensat: nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur.*

accipiat vitæ æternæ. Nam, quæ amicis amicitiæ causa, vel famulis servitutis gratia; quæ cognatis, sanguinis & cognationis respectu donantur in vita, vel in morte testamento relinquuntur, non continuo censenda sunt ad misericordiam & charitatem pertinere; hæc enim in judicio vacua apparebunt, quando Dei amore non fiunt. Quod si hæc ex charitate feceris, justitiæ & pietatis præmium feres. Nam & amicis, & servis, & cognatis donare; hoc etiam nomine, quod servi, cognati, & amici tui sunt: opus est justitiæ, pietatis, & amicitiæ manifestum.

XII. Cum Ethnici hoc faciant, officiosum est: illud autem stultissimum, & ridiculum, si quæ Deo porrigis, in gloriam mundi referas. Quid faciunt stemmata in templo? Ad-
Mat. 6. monet Dominus: *Cum facis eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: Ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Et tu in opere pio, stemmata tua, & statuam tuam locas? O insaniam maximam! Ante te tuba canis. *Amen, dico tibi: recepisti mercedem tuam.* Non times, ne lapis ille fabricæ pietatem destruat? Ne imago illa totius picturæ gratiam & mercedem evacuet? Voluisti cunctis, non modo præsentibus, sed etiam futuris innotescere, quia opus illud tuum est, & tu donasti illud; numquid non tuba hæc? Fiat itaque tibi sicut optasti: innotescat mundo; si non innotescit Deo, crede mihi, impensam & operam perdidisti. Vide ergo, ut quidquid facias, pure & recte propter Deum facias, & in abscondito, ut Deus, qui videt in abscondito, reddat tibi. Noli committere famulo tuo eleemosynas tuas, ne hoc & ipse sciat: sed tu eas per teipsum manu tua facito. Noli abominari pauperis illuviem, & nuditatem ejus ne abhorreas: homo est, sicut tu: tu de manu tua illi præstato; & forte coram Deo amplius tibi ad præmium ex corde compassio, quam de bursa denarius reputabitur. Sunt enim qui pauperibus libenter præstant; sed, dummodo non videant ipsos: quorum contemptus, vix eleemosyna, quam porrigunt, compensatur.

XIII. Restat ultimo, ut quomodo tribuas,
2. Cor. 9. attendas: *Non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Animum Deus aspicit magis quam donum. S. Martinus dimidiatum pallium pauperi dederat: & cum Angelis suis Christus apparens, exiguum munus mirifice commendavit. Quid hoc Domine! Multi non unum solum, sed plurima pro te pallia contulerunt; & non sic eis apparuisti, non sic eorum eleemosynas commendasti. Charitas in causa est: non enim ea pietate cæteri, qua Martinus, dederunt; illi ex superfluo, Martinus ex necessario dimidiatum pallium pro Christo dedit. Christi miles non erubuit, & nudus manere; ut nudum Christum indueret in paupere: animum Deus respexit, non pallium. Quid o miser homuncio moriture, quid affligeris, quid doles, quid tristaris, quia nummulos tuos pauperibus erogasti? Non erogasti, sed seminasti, amplissimos inde manipulos suo tempore collecturus. Thesaurizasti tibi thesau- *Mat. 6.*
ros perpetuos in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, neque fures rapiant, & furentur eos. Quid super pecunias tuas doles, cum ex omnibus quæ habes, illud solummodo secure possideas, quod dedisti? Nam extra fortunam est, quidquid pauperibus erogatur. O miser homo! Corpori cras morituro, & in pulverem & in cineres redigendo, pretiosa indumenta parasti; & animam tuam veteribus domus tuæ pannis vestire contemnis? Si non libenter præstas pauperi, saltem præstato tibi: illi enim modicum commodum ad tempus ex denariis tuis accrescet, tibi autem commodum sempiternum. Quod si de hoc dubitas; ubi est fides tua? Nunquid non in Euangelio audisti? *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* *Ibid. 28.* Et iterum: Omnis qui reliquerit domum aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possi- *Ibid. 19.*
debit.

XIV. Si Imperatoris diploma quispiam ex ejus domesticis adduceret, quo quidquid illi a civibus daretur, & gratum habere, & centuplum pro illo rependere repromitteret; exiremus obviam ad exitus viarum, compelleremus intrare domum, recipere plurima, pretiosa consumere, propter Imperatoris centuplum promissum. Ad Dei vero centuplum nullus est cupidus. Numquid fallere potest Deus? Ubi fides? Ubi pietas? Ubi religio? Si credis, quare non porrigis? Si non credis, cur te Christicolam esse mentiris? Numquid Euangelium, Æsopi fabulam esse putas? Convincit, Fratres, incredulitatem aut inconsiderationem nostram ista tenacitas. Sed esto, tibi non essent profutura quæ porrigis; Christo Domino Salutari tuo, Redemptori tuo, Deo tuo, donorum suorum, quæ gratis tibi dedit, reliquias non libenter præstabis? O ingratitudinem inauditam, de donis suis nolle pascere largitorem! Unde Hieronymus (*a*): (*a*)
Quænam Christianitas, quænam religio hæc: abundare divitiis, æstuare deliciis, & videre Christum in paupere famescentem, & nolle cibare? Conqueritur Dominus per Prophe- *Jer. 2.*
tam: *Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina?* ut scilicet, seminata non reddam, aut tarde reddam? Non ad mortem differo: centuplum in hac vita reddo, & post mortem vitam æternam promitto.

(*a*) Epist. 49. alias 13. ad Paulinum, post medium.

XV. Quantus in eleemosyna fructus, & quam ampla sit repromissio pietatis, ex pro-
*Psal.*40. themate facile est videre: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Neque solum hoc: sed, *Dominus conservabit eum, & vivificabit, & beatum faciet illum in terra, & non tradet eum in animam inimicorum ejus, Dominus opem feret illi super lectum doloris ejus:* sic enim in Hebræo legimus. Quanta bona, quot lucra! In die mala liberabit eum a damnatione, in vita præsenti custodiet a peccato: vivificabit nunc gratia, & postmodum beatificabit gloria. Non tradet eum in animam inimicorum suorum, visibilium & invisibilium: & opem feret illi in suis necessitatibus & doloribus suis; & sicut ipse fratris sui misertus est; ita Dominus mise-
1.*Tim.*4. rebitur ejus. Vides, quomodo *pietas promissionem habeat vitæ quæ nunc est, pariter & futuræ.* Omittamus cætera. Ad omnem eleemosynam præstandam sufficere debuerat, ut in die mala te Dominus a tanto periculo liberaret. Dies judicii, mala dicitur; sed malis; nam quomodo mala in qua fiet justitia, & cuique reddetur retributio meritorum? Si *benedictum est lignum, per quod fit justitia*
Sap. 14. juxta legem: quomodo non etiam benedicta dies, in qua justitia complementum accipiet? Aut certe, malum pro laborioso ponitur,
*Mat.*6. sicut & alibi: *Sufficit diei malitia sua*, id est,
(*a*) afflictio sua, secundum Hieronymum (*a*). In illa die, tantæ afflictionis, misericordiam obtinebit, qui pauperi nunc in afflictione succurrerit. O necessitatem, o afflictionem maximam! quando desuper Judex cum gladio bis acuto, & deorsum infernus apertus & exæstuans, & circumquaque terribiles dæmones accusatores, & omnia mala, & peccata nostra in publico erunt. Non erit tunc recursus ad Sanctos, non ad Angelos, non ad Virginem: quoniam dies vindictæ & justitiæ est, & in sua justitia quilibet libera-
Ezec. 14. bitur. Non succurrent tunc amici, non filii, non pecunia, non familia, sed sola bona opera adstabunt. Illa sola non deserent, illa sola in die judicii pro afflicto respondebunt,
(*b*) sicut S. P. Augustinus (*b*) ait: Opera tua sumus, non deseremus te. O quomodo gaudebit tunc de eleemosynis quas fecit! Quomodo lætabitur cum audierit judicem dicen-
Mat. 25. tem: *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Et respondebunt: *O Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?* Nihil est quod pro te fecimus. Utinam, utinam sciviſſemus, quod nunc scimus; ut & nos & omnia nostra tibi tradere potuissemus! Et dicet illis: *Amen dico vobis: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

XVI. Sed cur, obsecro, Domine: non orationes, jejunia, lacrymas, disciplinas, & opera misericordiæ spiritualia commemoras; sed solas eleemosynas & pauperum suffragia? Multi dicent: *Domine, Domine,* *Ibid.* 7. *nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Et audient: *Quia numquam novi vos: discedite a me.* Quare sola opera pietatis referentur? An cætera omnia tunc pro nihilo reputabuntur? Non utique: sed cuncta quæ fiunt adducet Deus *Eccle.*11. in judicium, sive bona, sive mala sint, ut ait Ecclesiastes. Non ergo hæc opera præcipue memorantur in Euangelio, quia sola bona, aut quia perfectiora sunt: sed duplici ratione hoc dicitur. Primo: ut Dominus ea commendaret, & ostenderet hominibus sæcularibus, & populo Dei, in his præcipue salutis rationem perquirendam esse, qui spiritualibus vacare minime possunt. Secundo: ut per hoc, quid de perfectioribus tunc fiet, intelligas. Si enim fructum panis, & calix aquæ frigidæ, si operimentum vile pau- *Mat.* 10. peris, & hospitium unius noctis, ad præmium tunc commemorabuntur, & coram justissimo judice in oblivione non erunt; quid de martyrio, quid de religione, quid de mundi contemptu & aliis spiritualibus operibus existimas? Et si e contrario, non dantes sua, acriter arguentur: qui aliena rapuerunt, & pauperes spoliaverunt; quomodo non damnabuntur? Gentiles philosophi *Luc.* 11. surgent in judicium contra generationem istam pessimam & avaram, qui sola naturali pietate, & rationis dictamine, plurimas in pauperes eleemosynas contulerunt: & hi solo nomine Christiani, neque tot & tantis promissionibus & comminationibus, ad pietatem & misericordiam in Christi pauperes commoventur.

XVII. Eja igitur, Fratres, arripite viam salutis vobis propositam, viam regiam, & tutam. Intelligite super egenum & pauperem, ut cum ipsi egueritis, intelligat Deus super vos. Non expectetis, ut pauper prius suas necessitates enarret, & erubescat: ne erubescendo hanc ipsam eleemosynam promereatur, quam accipiet. Intelligite super egenum & pauperem; &, sicut diximus, hilari animo prius succurrite, quam rubor petitionis accedat. Nolite expectare, ut roget, ut instet, ut erubescat; sed vos, ejus indi-

(*a*) In Matth. cap. 6. *Hic malitiam*, inquit, *non contrariam virtuti posuit, sed laborem, & afflictionem, & angustias sæculi.*

(*b*) Tract. de Rectitudine Cathol. conversat. num. 26. Append. tom. 6. *Nudi nati sumus, nudi utique morituri: quidquid autem hic inventum est, hic proculdubio relinquetur. Opera tantummodo bona, si hic egerimus, ipsa nobiscum ad cœlos portabuntur, immo nos ipsa ad cœlum portabunt.*

indigentiam prius intelligite, & prævenien-
do succurrite. Benedictus Deus, qui dedit
(.) vobis, unde & aliis succurratis, & animas
vestras redimere possitis. Dedit vobis divi-
tias multas, & pauperes multos ex locis
montanis ad hanc urbem quotidie defluen-
tes, quibus illas erogetis: propter illos for-
sitan vobis datæ sunt. Videte ut fideles dispen-
1. Cor. 4. satores bonorum Dei sitis. *Hic* enim *jam*
1. Petr. 4. *quæritur, inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*. Aliis civitatibus dare pauperibus pium est: huic non dare impium & crudele. In aliis pietas, hic necessitas commendatur, ubi frigus ingens, & sterilitas terræ, & pauperum multitudo extremas necessitates parturiunt. Nudos videtis quotidie inter frigora rigere, & nudis carnibus titillare: si non succurritis, & frater frigore pereat; utique eum occidistis. Aperite oculos vestros, & videte, quia vobis non consilium, sed præceptum eleemosyna, in hac civitate frequenter occurrit, ubi non pietas suadeat, sed necessitas dare compellat. Accipite, Fratres, consilium meum, naves onustas merci-
(.) bus, dato pretio, tutas facere consuevistis: minori pretio facietis pauperibus erogando; tutiores ibunt ad portum eleemosyna, quam pecunia. Vel certe, naves animarum vestrarum, per hujus mundi pelagus periculosum inter cautes & syrtes cum bonorum operum mercibus, mille periculis naufragantes, eleemosynis modicis tutas facite; ut cum
Jean. 21. Dominus post resurrectionem in littore apparuerit; salvæ & integræ perveniant ad
Luc. 6. portum, ubi ille est: & mercibus coram eo depositis, mercedem pro eis condignam & superabundantem, apud justum Judicem & Regem potentissimum acquiratis beatitudinis & æternæ gloriæ; quam nobis omnibus præstare dignetur, egenus & pauper pro nobis, & ipse dives & Rex gloriæ Christus; cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

DE SANCTO MARTINO
PONTIFICE ET CONFESSORE
CONCIO TERTIA.

DE MULTIPLICIBUS ILLIUS TALENTIS.

Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum. Matth. 25. v. 14. & 15.

CONCIO CLXVIII. I. DIc historiam Euangelicam. Parabola hæc cunctis notissima est. Homo iste nobilis & dives Christus peregre profectus in cœlum, divisit substantiam

A suam, scilicet gratiam Spiritus sancti servis suis Apostolis, & Prælatis post eos. Apostolus: *Ascendens in altum... dedit dona hominibus.* Ephes. 4. Psal. 67. *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo,* Mat. 25. *alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem.* Nullus enim est qui non accepit talentum; *Et profectus est statim.* Et *vocatis* Luc. 19. alibi *decem servis suis, dedit eis decem mnas,* & *ait ad illos: Negotiamini dum venio:* scilicet ad judicium. Cum autem venerit, eos, qui cum diligentia profecerint in Ecclesia sua, & gratias ejus auxerint operibus bonis, præmiabit vitæ æternæ dono; negligentes autem
B & pigros, qui cum gratiis non profecerint, damnabit æterno supplicio. Exemplo illius qui quinque talenta acceperat, & operatus in eis, lucratus alia quinque; similiter & qui duo acceperat, lucratus alio duo; tamquam servus bonus & fidelis, audire meruit: *Intra in gaudium Domini tui:* & al- Mat. 25. terius qui unum acceperat, & fodit, & abscondit illud in terra, neque lucratus in eo, projectus est in tenebras exteriores: & illius qui postquam mna sua fecerat de- Luc. 19. cem mnas, & alterius, cujus mna quinque mnas acquisierat; uterque præmiati sunt a
C Domino, & e contra qui mnam repositam fuerat in sudario, meruit reprehendi. Gratias tibi Domine, gratias tibi; quia opportune visitasti nos, ut non damnemur.

II. Quid enim aliud sunt hæ parabolæ, (.) nisi admonitio pro Prælatis & Prædicatoribus? ut non in vacuum gratiam doctrinæ possideant, sed sicut Apostolus monet discipulum, prædicent verbum, instent opportune, importune arguant, obsecrent, in- 2. Tim. 4. crepent in omni patientia & doctrina: vigilent, laborent, in omnibus opus faciant Euangelistæ, & ministerium suum impleant.
D Semper enim est opportuna reprehensio peccatoris. Sciant enim, quod cum venerit Dominus, non contentus erit cum suo talento, nisi auxerint illud in animarum profectu. P. Augustinus (*a*): Si qui servavit in- (*a*) tegrum damnatus est; qui dissipavit & perdidit, ubi parebit? Gregorius (*b*): Videtis, (*b*) Fratres, periculum nostrum magnum, sed & vestrum attendite. Omnes tangit hæc parabola: *Serve male & piger*, nonne *oportuit te comittere pecuniam meam numulariis,* Mat. 25. *& veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura?* Usuram exigit a vobis, etiam
E verbi quod auditis. Neque enim satis erit servasse verbum in arca memoriæ reconditum, nisi opere auxeritis illud: nec ideo dicit, ut sciatis; sed ut in dictis illius operemini. Terra quæ recipit semen, & in fine anni, agricolæ non reddit multiplicatum semen quod accipit; sterilis est & arida, maledicta & apta ad combustionem. Omnes igitur vigilemus: nos, ne talenta ab-

(*a*) In Psal. 38. num. 5. *Quid expectare debent, qui cum luxuria consumpserunt, si damnantur, qui cum pigritia servaverunt?*

(*b*) In Euang. Homil. 9. num. 4. *Sed sicut nostrum periculum aspicitis, si dominicam pecuniam teneamus; ita vestrum, Fratres charissimi, sollicite pensate, quia a vobis cum usura exigitur quod auditis. In usura quippe pecunia etiam non data recipitur.*

ſcondamus: vos, ut verbum auditum impleatis, ut cum venerit Dominus, de pecunia ſua bonam ei rationem reddamus. Latent quidem & in Euangelio multa alia myſteria: nempe, quæ ſint iſta talenta, & quomodo debeamus ipſa impendere, ut Domino rationem de illis reddamus: ſed quia ſuſius alibi de eis tractavimus, hic judicavimus illis ſuperſedendum. Vide Concion. 2. Dom. 8. poſt Pent.

III. Reſtat modo dicendum, quam copioſe talentis donatus fuerit B. Martinus, & quam bene in Domini ſui obſequium illa expenderit. O glorioſiſſime Præſul, quam magnificus, quam diligens, quam expeditus eras ad omnia! Sanctus in bello, ſanctus in cœnobio, ſanctus in Epiſcopatu: ſanctus miles, ſanctus catechumenus, ſanctus laicus, ſanctus Epiſcopus: ſanctus inter arma, ſanctus inter fratres, ſanctus inter Reges, ſanctus inter pauperes. Orabat, regebat, docebat, audiebat, obſiſtebat tyrannis, hæreticis adverſabatur. Idoneus ad orandum, idoneus ad prædicandum, idoneus ad regendum, idoneus ad reſiſtendum; ad omnia habilis & paratus. Et ita ſicut
Eccli.50. *vas auri ſolidum ornatum omni lapide prætioſo*, Deus eum multiplici gratia replevit; & tamquam ſervo bono & fideli, habili & idoneo, plena ei talenta dedit. Unde de
(*a*) illo Bernardus (*a*): Sanctus Martinus dives in meritis, dives in donis, dives in virtutibus, dives in miraculis, dives in operibus; quinque talenta a Domino ſuo ſuſcepit, & alia quinque in ratione reddidit. Sed particulariter illa proſequamur, ſi placet, breviter ea percurrentes, quia tempus moram non patitur. Nam ſi hora ſupereſſet integra, totus ſermo de illo foret. Fuit igitur Beatus Martinus dives in meritis & ſpiritu; & pleniſſime conceſſum eſt ei talentum ſpiritus devotionis. Fuit namque ſicut Seraphim & ſicut carbo ignitus in oratione. Unde de illo dicitur: oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat: die ac nocte ſemper orabat. Unde mos illi erat, ſemper oculos in cœlum levare: uſque adeo, ut Britius ejus Diaconus illum delirum vocaret. Habebat enim in cœlo theſaurum ſuum; ideo ibi erat cor ejus, jux-
Luc. 12. ta illud Domini: *Ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit*. Denique tantæ ſan-
(*b*) ctitatis fuit, ut cum S. P. Auguſtinus (*b*) dixerit, quod minimo Apoſtolorum nullus debeat comparari: de ipſo plenis buccis Eccleſia (*c*): Hic eſt Martinus electus Dei Pontifex, cui Dominus poſt Apoſtolos tantam gratiam conferre dignatus eſt &c. Nec enim libros ſcripſit: ſed propter ſolam ſanctitatem tantam obtinuit authoritatem, & ſanctitatem: ut de illo dicatur in hiſtoria, quod inter negotia Epiſcopatus, tamquam ſecundus Paulus, ejus animus raptus fuerit *2.Cor.12.* in cœlum.

IV. Fuit etiam dives in talentis donorum, virtutum, & operum. Nam fuit vir magnæ humilitatis, paupertatis, patientiæ, auſteritatis, & caſtitatis. De humilitate illius dicitur: quod Sanctus Hilarius volens ipſum ordinare Presbyterum, noluerit fieri. De paupertate illius dicitur in hiſtoria: quod, dum eſſet conſecrandus Epiſcopus, videntes eum tam deſpectum & pannoſum, deſpexerint eum valde, & noluerint eum ordinare. Unde cognomen pauperis & modici obtinuit. Martinus hic pauper & modicus, cœlum dives ingreditur. De patientia ejus, narrat Bernardus in hiſtoria (*d*): quod licitum erat cuivis famulo, etiam in ejus præſentia detrahere illi: neque magis ſentiret convitia, ac ſi de alio quopiam dicerentur. De auſteritate: cum jam eſſet morti vicinus, & jaceret in cinere & cilicio, non potuerint diſcipuli obtinere ab eo, ut tantiſper pronus conquieſceret; ſed dicebat illis: Sinite me cœlum potius, quam terram aſpicere, ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur: judicans ſe tale eis oportere relinquere exemplum morientem. Unde inſtante jam morte, viſo humani generis hoſte: quid, inquit, aſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſte reperies. De charitate autem, ultra dimidiatam chlamydem qua tegebatur; Ambiani, pauperi & nudo ab eo petenti, ut Chriſti nomine ſibi eleemoſynam tribueret, poſtquam dediſſet; cum eſſet Epiſcopus dedit totum pallium, & Angeli operuerunt brachia ejus. Non erogabat donum fortunæ in equis, in mulis, in palatiis, in veſtibus, ut faciunt hodie noſtri Pontifices: ſed in pauperes, ſed in domum hoſpitalem pauperum. Illa autem extrema ac ſuprema charitas viſa eſt, cum eſſet morti proximus, & videret diſcipulos flentes & dicentes: Cur nos Pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces; motus compaſſione, oravit

(*a*) Serm. in feſto S. Martini num. 12. *Dives eſt iſte Martinus, dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus, dives in ſignis.*

(*b*) Contra duas Epiſtolas Pelagian. lib. 3. cap. 5. num. 15. *Et quid ſanctius in novo populo Apoſtolis?* Et Serm. de Sanctis Apoſtolis, olim de Sanct. 43., & in noviſs. edit. 232. in Append. tom. 5. ita legitur num. 2. *Supra cæteras enim turbas fidelium, nec non antiquorum juſtorum, & Prophetarum, eminentes Apoſtolos ſuos volens Dominus oſtendere, dixit ad eos: Beati oculi, &c.* Porro in Concione prima hujus argumenti, loco S. P. Auguſtini allegatur a S. Oratore pro hac eadem ſententia S. Hieronymus, apud quem nihil hactenus de ea reperi.

(*c*) Breviar. Rom. in Reſponſorio primæ lect. *Hic eſt Martinus electus Dei Pontifex, cui Dominus poſt Apoſtolos tantam gratiam conferre dignatus eſt, ut in virtute Trinitatis Deificæ mereretur fieri trium mortuorum ſuſcitator magnificus.* Quæ quidem verba in Breviariis antiquis eadem prorſus habentur, ac in hodierno.

(*d*) Serm. in Feſto S. Martini num. 14., ex Sulp. de vita S. Martini cap. 7. *Tantam adverſus omnes injurias patientiam aſſumpſerat, ut cum eſſet ſummus Sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur.*

vit ad Dominum: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. O virum admirabilem, nec labore victum nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit! Quænam major charitas, quam cum esset in littore, amore filiorum iterum redire velle in pelagus? Similis in hoc Apostolo, qui dicebat: *Coarctor e duobus: desiderium habens* *Philip.1.* *dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.*

V. Fuit etiam dives in miraculis: fecit enim plura & ingentia miracula; & ad si- *Marc. 5.* militudinem Salvatoris, qui filiam mortuam *Luc. 7.* suscitavit Archisynagogi, excitavit & filium *Joan. 11.* viduæ, excitavit & Lazarum; tres quoque mortuos revocavit ad vitam; & hos quidem visibiliter: quot autem mortuos invisibiliter suscitaverit, quis novit? Et ut dicitur in vitæ ipsius historia; tanta erat potestas miraculorum ejus, ut in morte etiam invitos funeri occurrentes, cæcum & claudum sanaret. Sed illud ejus miraculum pulcherrimum, quando obviavit leproso, & misericordia motus, osculatus est illum; & statim sanatus est. O magna Dei bonitas! Quomodo honoras Sanctos tuos Domine! Non oravit, non postulavit: sed quia caro sanctissimi Antistitis Martini pura & virginea tetigit leprosum, ideo sanatus est ac mundatus. Quid hoc honore sublimius? O Domine: vel hoc nobis sufficere deberet, ut libenter serviremus tibi, quia sic servos tuos mirificas. Fecit hic Dominus, quod olim legitur in Eliseo fecisse, cujus ossa jam nuda & *4. Reg.* arida cum tangerent mortuum in sepulchro, *13.* surrexit statim vivus ad tactum ossium. Ut igitur honoravit eum Dominus miraculis multis in vita, ita & in morte quoque & post obitum voluit eum honorare. Nam ad ejus exequias, nescio quomodo, congregati sunt plus quam duo millia Monachorum & Presbyterorum, & illis in terra concinentibus exequias, simul desuper in aere canentes & jubilantes Angeli modulabantur, qui ovantes, animam ad cœlum levabant; Domino ei dicente & acclamante: *Euge serve* *Mat. 25.* *bone & fidelis. Bone* in moribus, *fidelis* in administratione prælaturæ: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Gaudium plenum, gaudium perfectum, gaudium gloriæ sempiternæ: ad quam nos perducat Jesus Christus Dominus noster. Amen.

DE SANCTO ROMANO
CONCIO.

DEUM, IN VETERI TESTAMENTO, QUASI MITIOREM APPARUISSE, QUAM IN NOVO. ET QUARE? AC DE MARTYRIO SANCTI ROMANI.

Et firmabitur in illo, & non flectetur; & exaltabit illum apud proximos suos.... Et nomine æterno hæreditabit illum. Ecclesiastici 15. v. 4. & 6.

CONCIO CLXIX.

I. PROPHETA David late prosequitur quandam piam Ecclesiæ & sanctorum Martyrum querimoniam, quasi deserantur a Deo. Unde *Psal. 43.* sic ait: *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis:* favores & beneficia, quæ præstitisti eis magna & ingentia. Quomodo tractaveris Abraham, Isaac, & Jacob famulos tuos, quomodo ditasti eos, & benedixisti eis. Similiter Moyses & Josue, & cæteros antiquos Patres, quam potentes & *Ps. 105.* claros in omnibus fecisti eos! Audivimus *Exod. 12.* magnalia quæ fecisti in Ægypto, portenta *Ibid. 14.* quæ operatus es. Quomodo occideris primo- *Ibidem.* genitos: siccaveris aquas: submerseris cur- *Ps. 104.* rus: & populum tuum manu potenti eduxeris: & cum in terram promissam induceres eos, *manus tua gentes disperdidit, & plan-* *Psal 43.* *tasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos.* Neque quidem hæc potentia, populo infirmo & inermi attribui potest. *Nec enim in gladio suo possederunt terram: & brachium eorum non salvavit eos. Sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.* Audivimus etiam, quomodo plantatos protexisti, quomodo fovisti eos, ne a nationibus læderentur. *Non* *Ps. 104.* *reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges; nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari. Qui enim* *Zach. 2.* *tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Tu* *Psal. 43.* *es ipse Rex meus & Deus meus: qui mandas salutes Jacob.* Ipsemet es, quem ego colo, veneror, & adoro.

II. Sed quænam est ista mutatio, quænam ista desertio? Quomodo nunc populo mutatus es in crudelem? Hæc quidem omnia & ampliora pro famulis tuis, illo in tempore fecisti: *Nunc autem repulisti & confudisti*

diſti nos: & non egredieris Deus in virtutibus noſtris. Avertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros: & qui oderunt nos, diripiebant ſibi. Dediſti nos tamquam oves eſcarum: & in gentibus diſperſiſti nos. Vendidiſti populum tuum ſine pretio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum bis, qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentium, commotionem capitis in populis. Neque ſatis viſum eſt hoc in conſpectu tuo: parum fuit Sanctis Martyribus tormenta crudeliſſima ſuſtinere: ſicut oves in macello laniari; ſicut in hiſtoria Eccleſiaſtica, ſub Licinio Imperatore factum legimus. Cum enim jam carnifices laſſati eſſent, & præ nimia crudelitate jam tædio afficerentur, diutius torquendo Martyres: eos lanionibus tradiderunt; ut in macello, velut porcos & arietes laniarent; & membratim diviſos, piſcibus in eſcas ponto
(a) projicerent (a). Parum, inquam, fuit illis, pro te ſuſtinere tormenta; niſi quoque pu-
(b) dorem & verecundiam nuditatis (b), in populis portarent. Publice enim mulieres in plateis nudæ ſuſpendebantur diebus integris ſpectaculum contumeliæ in populis ſuſtinentes; omnibus irridentibus & exprobrantibus nuditatem. Et hoc eſt quod ait: *Tota die, verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me: a voce exprobrantis & obloquentis; a facie inimici & perſequentis.* Gaudebant & exultabant ſuper eos, dicen-
Pſal.34. tes: *Euge Euge, viderunt oculi noſtri.* Inſultabant eis quaſi ſacrilegis; nec erat, qui eis reſpondere poſſet, præ confuſione, quia nullus eis e cœlo videbatur adjutor. Neque quidem pro peccatis hæc omnia patiebantur; intra ipſos tamen erat qui eos confortabat ne deficerent, & ad pias querelas eos incitabat.

III. Unde ſequitur: *Hæc omnia venerunt*
Pſal.43. *ſuper nos, nec obliti ſumus te: & inique non egimus in teſtamento tuo. Et non receſſit retro cor noſtrum. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum,* non pro ſceleribus noſtris, quaſi latrones, adulteri, vel homicidæ, hæc omnia patimur; ſed propter te, propter nomen tuum Deus, & gloriam tuam; propter honorem tuum, fidem & dilectionem tuam; *Propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Propter te hæc ſu-
Pſal.12. ſtinuimus: *Et tu Domine obliviſceris nos in finem?* Uſquequo dormis? Uſquequo dormi-
Pſal.43. tabis? *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis? obliviſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ? quoniam humiliata eſt in pulvere anima noſtra: conglutinatus eſt in terra venter noſter. Exurge Domine, adjuva nos: & redime nos propter nomen tuum.* Quoties putas hunc Pſalmum, hanc oratio-

nem, & piam querimoniam cum lacrymis & ſingultibus Sancti Patres, Pontifices, & Clerus, in montibus decantabant: cum, Eccleſiis dirutis, in ſubterraneis foveis latitantes, diebus & noctibus coram Domino deplorarent. Quo dolore, qua afflictione, quibus lacrymis coram Deo, hæc omnia perſonabant! Mirabantur ſupra modum, quod Deus juſtus & bonus, qui ſuperioribus temporibus ſynagogæ, tam pie & benigne ſervos ſuos tractaverat: nunc in exordio naſcentis Eccleſiæ, cum propter carnem aſſumptam, favorabilior populo ſuo merito putaretur; e contrario eos in manibus perſequentium deſeruiſſe videretur.

IV. Sed, *o altitudo divitiarum ſapientiæ* *Rom.11.*
& ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Non erat illa deſertio, ſed favor ingens: non oblivio, ſed ferventiſſimus amor. Sic enim expediebat illis, ſic fieri oportebat. *Non eſt perſonarum acceptor Deus,* ſed tem- *Act. 10.*
porum conſiderator. Prioribus enim temporibus; cum mundus adhuc puer, & populus Domini imperfectus erat; pius Dominus, quaſi mater teneros parvulos, ſic homines munuſculis & ludicris ad ſe trahebat. Ditabat ſuos, & in omnibus proſperabat: ut cæteri homines, idololatræ, cupidi, lubrici, & ambitioſi, vel hoc favore ad ejus cultum & ſervitium allicerentur: ſi non amore juſtitiæ, ſaltem cupiditate lucri. Ut videlicet, dicerent populi apud ſe: ſerviamus Domino optimo, qui ſic ſuos ſervitores & cultores honorat & cuſtodit. Poſtmodum vero: mundo jam Dominico adventu illuminato & perfecto, Spiritu ſancto viſceribus hominum infuſo; viros jam conſummatos & doctos, puerorum ludicra non decebant: ſed magis bellantium arma, ut ſtrenue agerent, & egregie militarent: ut vel ſic Dominicus adventus quantum mundo profuiſſet, populis innoteſceret. Et certe, valde aliud eſt, munuſculis & donis in Domini cultum retineri; & tormentis & morte non poſſe ab illo quomodolibet ſeparari. Vide, quid profuit Deus in terris: vide, quid hominibus contulit majeſtatis adventus. Itaque viros jam perfectos, grandia pro Deo agere oportebat: ut latens in eis Spiritus ſancti virtus cunctis hominibus panderetur. Item oportuit ita fieri: ut quid Deo mundus deberet, apertius innoteſceret. Dominicam enim paſſionem, clavos, flagella, irriſiones, ſputa, ſpinas, nuditatem, opprobria, mortem; aliud eſt e pulpito referre, aliud in equuleo ſentire. Potavit eos Dominus calice ſuo, ut agnoſcerent, quam ipſe amaritudinem, quid pro eorum peccatis in cruce ſuſtinuiſſet: &, quo magis beneficium agnoſcerent, eo ardentiori affectu gratias pro illo referrent. Et quidem, quamdiu Deus pro omnibus dolores,

(a) Euſeb. Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 10. cap. 8. & Nicephorus Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 7. cap. 44.

(b) Sozomen. Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 10.

lores, paſſiones, perſecutiones, & mortem paſſus non eſt; hæc ab hominibus minime poſtulavit. Sed, poſtquam hæc omnia ſuſtinuit: quid mirum, ſi ſervus patiatur pro Domino, quod Dominus pati pro ipſomet ſervo dignatus eſt? Quid multum, ſi ſervus Domini ſui veſtigia ſequatur? Imo, mirum
Joan.13. ſi non ſequatur. *Non eſt*, inquit, *ſervus*
Ibid. 15. *major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, &*
Luc. 22. *vos perſequentur. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.* Non facio vobis injuriam. Via qua me duxit Pater, ego duco vos. Neque enim amplius diligere debeo ſervum, quam Pater ſuum
Ibid.24. diligat Filium. *Oportuit hæc pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam:* quanto magis famulos, ut in regnum intrent
Pſ. 117. alienum? *Hæc porta Domini, juſti intrabunt per eam.* Non dedignetur juſtus intrare cœlum, per portam crucis, per quam ingreſſus eſt Dominus: hæc eſt enim voluntas
Mat.16. Dei, ut accipiat unuſquiſque crucem ſuam, & ſequatur eum. Noluit quippe Dominus, qui optime noverat, quid in ſervis ſuis eſſet virtutis, ſubtrahere eis occaſionem illius exercendæ, qua poſſent & in mundo clarius emicare, & in cœlo perpetuas ſibi coronas acquirere.

V. Quam glorioſi, quam illuſtres ex hac fortitudine ſua facti ſunt inter homines, quantum ſibi coram gentibus laudis & gloriæ acquiſierunt! Si Stephanus lapidatus,
Act. 7. Laurentius aſſatus, Sebaſtianus ſagitatus, Vincentius laniatus non fuiſſent; in obſcuro forſitan perpetuo remanſiſſent, neque ulla memoria eorum in Eccleſia modo eſ-
Eccli.20. ſet. Theſaurus abſconditus nullum foras miſiſſet fulgorem. Job in ſterquilinio clarior fuit, quam in ſceptro: & iſti in equuleo, clariores, quam in Diaconatu. Sed, quid de laude hominum loquor? Ad gloriam illam cœlorum magis intuendum eſt. Bone Deus! Quæ vox, quæ poterit lingua retexere, quæ & quanta tu Martyribus munera præparaſti? Quis eorum gloriam atque lætitiam enarrare ſufficiat? Hoc unum dixerim, ſi in cœlicolas livor cadere aliquo modo poſſet; certe Angeli pacis Sanctis Martyribus invidere poterant: quoniam nullus Angelus pro Deo aſſatus, nullus excoriatus, nullus lapidatus eſt. Quid enim amplius pro Deo facere potuerunt, quam exponere vitam pro illo, a quo eam prius acceperant? Quomodo, putas, lætantur? Quomodo exultant modo, quando hæc omnia conſiderant? Imo numquam non conſiderant. Quomodo beatificant ignes, gladios, ungulas, flagella, cruciatus quos paſſi ſunt, per quos ad tantæ beatitudinis faſtigium pervenerunt? Quomodo gaudent, quia in manus laniantium pie deſerti ſunt? Quantum nolent tunc fuiſſe adjutos! O glorioſam nimis Martyrum militiam, o honorabilem ſanctorum militum triumphum! Quam celebres & illuſtres in cœlo & in terra fecit illos breviſſima paſſio! Hi enim Chriſto Domino retulerunt mortem, quam pro omnibus paſſus eſt. Soli ejus calicem potaverunt: ſoli, quod ultimum omnium & *Mat. 20.* difficillimum eſt: pati, ſcilicet, & mori; incredibili charitatis fervore, ſuo Domino contulerunt. Propter quod merito ab illo, præter cæteros Sanctos, aureola mirifica decorantur. Vides ergo certe, quia non erat illa deſertio, prout videbatur. Non fuit crudelitas, ſed ingentiſſima pietas, quod pro Chriſto Domino laniati ſunt. Sicut enim vaſa aurea & argentea, cum ab aurifice conflantur, tunduntur & uſtulantur & poliuntur; ſi humanum ſenſum haberent, conquererentur utique de tormento, & tamen, poſtmodum in abaco fulgentia, de ſuo fulgore & pulchritudine lætarentur, & conflatorio ſuo, quod eis non perperciſſet, immenſas gratias agerent: ſic de Martyribus ſentiendum eſt.

VI. Fuit etiam eorum confeſſio Eccleſiæ Dei quam maxime neceſſaria. Inde enim maxime adaucta eſt; unde minui putabatur. Occidebatur unus, & plurimi vivificabantur. Fides tormento attrita, ve- *Ibid. 13.* lut granum ſynapis, in plures ſuum fundebat vigorem, atque ita draconi aſtutiſſimo illudebatur; ut proprio laqueo caperetur, & vafricie ſua populum Dei, quem abolere nitebatur, augeret. Sed & fides, ſpes, charitas fidelium quantum roboris & vigoris ex hoc Martyrum agone ſuſceperunt! Quis nunc de fide & Chriſtiana religione audeat diſputare, quæ tot millium teſtium ſanguine firmata eſt? Quis vitæ futuræ præmia non credat, aut non ſperet, pro quibus tam atrociter laniari tot Martyrum millia conſenſerunt? Numquam enim, ut Gregrorius (*a*) ait: vitam hanc cunctis di- (*a*)
lectam tam alacriter expoſuiſſent; niſi eſſe aliam longe meliorem firma definitione ſentirent. Charitatis autem, quale in eis exemplar nobis propoſitum eſt? Quis erat fervor amoris in eis, quibus mori pro dilecto modicum videbatur? Diſce Chriſtiane ab iſtis amorem, diſce fiduciam, diſce fidem. Hanc Martyrum ſcholam ſæpius frequentato: ut & amare & amoris virtutem addiſcas. Intellige quid pro Dei gloria ſuſtinere debeas, ut quem diligis, non offendas. Hi namque, ne vel duobus digitis, coram ſimulacro thura jactarent; ne vel vini modicum libarent ad aram, & reliquum effunderent coram ea; exuri & laniari ſe potius permiſerunt. Quomodo ex animo retrocederent a Deo; qui neque ad id ſolo exteriori ſigno perpetrandum, tam atrocibus tormentis, & dira morte induci potuerunt? Quid nos miſeri, dicturi ſimus in judicio, qui tam leviter a Deo ſeparamur, qui Dei gra-

(*a*) In Euang. Homil. 32. num. 6. *Ad Sanctorum Martyrum corpora conſiſtimus, Fratres mei. Numquid iſti carnem ſuam in mortem darent, niſi eis certiſſime conſtitiſſet, eſſe vitam, pro qua mori debuiſſent?*

gratiam & amicitiam pro nihilo pendimus? quibus non equuleus, ſed nummus ſufficit ad offenſam? Quam merito coram iſtis damnabimur, quorum tam eximia virtus, neque morte ſuperata eſt? Forma charitatis in his nobis propoſita eſt, quam ſequamur.

VII. Sed & fortitudinis, conſtantiæ, patientiæ, manſuetudinis, humilitatis, cæterarumque virtutum omnium exemplar in illis emicuit. Quis de cætero ſuperbire audeat? quidquid pro Deo ſuſtinuerit, quidquid egerit. Quid enim eſt totum quod agimus, ſi minimo iſtorum agoni comparetur? In his Chriſtianiſmi norma, & totius regula religionis: in his vera Chriſti Euangeliique philoſophia deſcripta eſt; quam qui imitari voluerit, optata procul dubio beatitudine perfruetur. Sed, væ miſeris nobis, quibus poſt tot Martyrum exempla, poſt tot Sanctorum documenta, poſt tot gratiarum adjumenta, perire contingat! Et quidem Judæo aliqua in judicio forſan poterit eſſe excuſatio, quia in illo tempore natus eſt, quando in umbra & non in luce vivebatur, quando & vita difficilis & caligino-
Sap. 5. ſa dies erat: Pagano ſimiliter, quia illi non illuxit dies, ſol non ortus eſt ei. Nunc autem, poſt ſolis ortum, & diem ſerenam, poſt Scripturas, poſt duces, & præceptores; poſt claram & apertam notitiam veritatis: nunc, inquam, poſtquam via ſalutis, tot hominum millibus præeuntibus, ſic coram oculis trita & ſtrata eſt: quiſnam excuſationis locus Chriſtiano relinquitur, ſi aberrat? Feliciſſimum quidem fuerit hoc tempore naſci, quando lux veritatis palam mundo illuxit, ſi veritatem bonitatemque ſequamur. Sin minus infeliciſſimum & miſerrimum, & ad noſtræ damnationis cumu-
Job 5. lum maxime conferens; quoniam in medio
Ibid. 12. lucis hallucinati ſumus, & quaſi in tenebris,
*Deut.*28. ſic palpavimus in meridie. Unde Dominus
Luc. 12. in Euangelio: *Ille ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

VIII. Sed quid de noſtris temporibus dicam? Redierunt, Fratres, priora ſæcula, & iterum ad ſuam infantiam in ultima ſenectute devolutus eſt mundus. Jam ſine munuſculis nemo ſequitur Deum. Non eſt qui gratis accedat ad altare ejus, ſic Apoſtolus
*Philip.*2. conqueritur: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti.* Ubi hodie zelus, ubi fortitudo martyrum? Quis hodie ſic zelat gloriam Dei? Quis ita diſcrimini ſe objicit propter Deum? Quanta hodie ſunt in congregationibus, in conſiſtoriis, in capitulis, contra Deum, & bonos mores, & publicam utilitatem! Nemo eſt qui ſe opponat,
Ezech. 13. nemo eſt qui reſpondeat, & prævaricatoribus vel ſolis verbis obſiſtat. Nemo pecuniæ ſuæ patitur ſuſtinere jacturam, nemo audet contriſtare majores: ſatis ſe feciſſe putat, ſi ipſe non facit, ſi non dilapidat, ſi non eſt particeps in crimine, & iniquo conſilio non jungitur ſceleratis. Noli, obſecro, Domine Jeſu, noli hoc tempore probare nos, ne appareat, quid habes in nobis. Quid enim putamus, Fratres, ſi hodie in populo Chriſtiano aliqua ex priſcis illis perſecutio naſceretur, ſi aliqua illius ſæculi Eccleſiæ tempe-
Luc. 18. ſtas ingrueret? Creditiſne inveniret Deus fidem in terra? Qui minora non ſuſtinemus, quomodo portaremus majora? Qui in modi-
Ibid. 16. co fideles non ſumus, quomodo eſſemus in maximo? Non ſuſtinemus propter Chriſtum injuriam fratrum, quomodo ſuſtineremus tormenta tyrannorum? Non toleramus jacturam pecuniæ, quomodo toleraremus diſcrimina vitæ? Ex Germaniæ facto experimentum aſſumite. Quam grandis & vaſta provincia, unius homuncionis dolo, a veritatis & rectæ fidei tramite deviavit! Populus alioquin gravis & nobilis, cui propter illuſtrem & ſingularem fidem, Chriſtiani populi imperium adverſus infideles & barbaras gentes, a ſummis Pontificibus olim conceſſum eſt; quam exiguo momento, heu quam facile in errorem peſtiferum declinavit, & magna ex parte ſubverſus eſt! Omnes ejus perditionem & ſubverſionem audiſtis. Dicite: quot Epiſcopos, quot monachos, quot prædicatores & rectores Eccleſiarum in tam vaſto populo, laniatos, diſcerptos, combuſtos enumeraſtis, qui falſitati obſiſtentes, palmam Martyrii ſortirentur? Quis contra peſtilentem errorem publice in platea clamavit? Quis uſque ad ſanguinem contradixit, quis pro Fide Catholica, vel leve diſpendium toleravit? Qui obviare debuerant, hi ante omnes, non tam forte erroris, quam libidinis gratia ſubverſi ſunt. Hi primi, oblatam conjugii licentiam, contra jus & fas, contra fidem & votum ardentiſſime ſuſceperunt. Bonus ille monachus eſt viſus, qui, etſi non reclamavit, tamen conjugem non admiſit.

IX. Quam longe aliter Beatus Romanus (*a*), devotiſſimus & fideliſſimus fecit! (*a*) qui audito Aſclepiadis ſacrilegi crudelis adventu, populum Dei ad Eccleſiam convocavit, & firmiter in fide perſiſtere, cunctos admonuit: irrumpentique tyranno in faciem obſtitit: ſic eum mira ſeveritate alloquens, quaſi ſervum: quoniam vere diaboli mancipium erat. Stupefactus Præſes magnanimitatem & fortitudinem Viri ſancti, equuleo ſuſpendi jubet, flagriſque toto corpore laniari. Neque tamen ſic efficere potuit, ut ad eum vel ſaltem mitius loqueretur. O admirabilem Viri conſtantiam! Tormentis variis non ſolum non frangitur, ut judici conſentiat; ſed neque flectitur, ut miteſcat: ſic judicem ab equuleo, ſicut a prætorio reum alloquitur. O Monachum! O ſi nunc

vel

(*a*) Agitur de eo in Martyrolog. Rom. ad diem 18. Novembris. Acta ex veteri manuſcripto edidit Mombritius tom. 2.

vel unum talem Monachum haberemus! Iratus Judex, linguam ei radicitus præcidi jubet, ut vel sic, elinguis conticeat, & ipse injuriam non sustineat. Sed neque linguæcidio, veritas Dei rescindi potuit. Mirandum prorsus stupendumque prodigium! elinguis, disertius eloquitur, & os lingua vacuum, veritatis confessione evacuari non potuit. Simile quiddam alibi (*a*), de quibusdam Martyribus scriptum legimus, qui linguis radicitus evulsis, longo postmodum tempore, coram omni populo per varias Ecclesias cunctis admirantibus loquebantur. Eratque Christicolis omnibus jucundissimum hiantia ora, linguis vacua, & laudibus plena videre; quorum unus in lubricum carnis postmodum lapsus, statim obmutuit (*b*); & infectus a vitio, gratiam quam propter confessionis virtutem a Deo accceperat, miser amisit. Ut vel ex hoc facto videamus, & quam nemo ab hac peste debeat esse securus, in quam, etiam confessor, post linguæcidium labi potuit, & quantum ejus fœditas Deo displiceat, qui propter illam, confessorem suum gratia concessa, indignatus privaverit. Sed ad nostrum Martyrem redeamus. Quam vere illi aptata sunt, nostri Prothematis verba: *Et firmabitur in illo, & non flectetur & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum apud proximos suos... Et nomine æterno hæreditabit illum.* Parum fuit Deo illum continere, ne forsan caderet, & confunderetur: parum illum sicut alios Martyres ab idololatriæ & apostasiæ crimine liberare, ut nullis cruciatibus, nullis terroribus, fidem quam acceperat, dicto, aut facto quomodolibet desereret, aut negaret: sed sic in illo firmatus, sic in medio cordis ejus stabilitus est; ut neque minis, neque tormentis ab illa animi severitate, & authoritatis rigore flecteretur; sed quasi blandientem, sic cruciantem despexerit carnificem. Unde & merito, hic apud proximos suos exaltari meruit; ut ejus virtutem & passionem, futuris temporibus in jubilo & laude Mater Ecclesia decantet: & postmodum nomine æterno, coram Patre & Angelis hæreditavit illum Dominus Deus noster in Beatorum requie: quam nobis concedat idem Dominus, decor & fortitudo Martyrum: cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Justinian. L. *Quas gratias*, Cod. de Offic. Præfect. Prætor. Procopius de bello Vandal. lib. 1. cap. 8. Evagrius Histor. Ecclesiast. lib. 4. cap. 14. Victor Uticens. de persecut. Vandalica lib. 3. Paulus Diac. in Odoacro. S. Gregorius Dialog. lib. 3. cap. 32.

(*b*) Ita plane legimus apud Procopium de bello Vandalico lib. 1. cap. 8. *Multis linguam faucium tenus abscidit, qui nostra etiam ætate superstites Byzantii explanate loquebantur, nullum capientes sensum illius pœnæ. Ex his duo, rem habere ausi cum meretricibus, sermonis usum amiserunt.*

(*c*) Serm. 4. de Adventu Dom. num. 1. *Aurum, & argentum non ne terra est rubra, & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam?*

IN FESTO SANCTÆ CATHARINÆ

CONCIO PRIMA.

DE DIVITIIS SPIRITUALIBUS, EARUM CONGREGATIONE, ET QUOMODO IN ILLIS CONGREGANDIS CATHARINA VICERIT OMNES.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.
Prov. 31. v. 29.

CONCIO CLXX.

I. NON loquimur de istis divitiis temporalibus: quia istæ neque divitiæ sunt, neque eas congregare laus est; sed infamia, sed vituperium. Non sunt istæ veræ divitiæ; sed deceptio & opinio populi facit eas esse divitias propter tria. Primo, quia viles. Bernardus (*c*): Quid est aurum & argentum, nisi terra rubra & alba? Unde Propheta Habacuc: *Væ ei qui multiplicat non sua! Usquequo & aggravat contra se densum lutum?* Densum lutum vocavit aurum & argentum, & lapides pretiosos, quæ sunt mundi divitiæ. Comparatio: quemadmodum, si quis oculos carpionum avide custodiret & quæreret, irridendus esset; sic sunt divitiæ hujus mundi: non solum irridendi sunt qui eas avide congregant, sed etiam lamentandi. O quantus dolor, videre animam spiritum pretiosum & nobilem, Angelo similem, Dei imagine insignitum, Dei capacem, futurum quandoque Angelorum socium & civem cœlestis Jerusalem, hujusmodi lucris inhiantem & inhærentem, tam anxie quærentem & desiderantem hæc ludibria puerorum; & vitam, quam in laudando Deo & cœlo lucrando expendere deberet, in istis vanitatibus perquirendis male consumptam! Quis non deploret tantam dejectionem, tam miseram cæcitatem? Quam deceptos se invenient in morte, qui consumpserunt vitam in his! Psalmus: *Dormierunt*

(*c*) Habac. 2.

Pſal.75. *mierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Et quidem ſi homines ſolum curarent habere ſufficientiam ad iſtam vitam ſuſtentandam, ad vacandum Deo, & pro bonis operibus, bonum eſſet: ſed totam vitam in congregandis divitiis expendere, magna deceptio & ſtultitia eſt. Secundo, non ſunt divitiæ, quia ſunt exteriores, & poſſunt a quovis, quamvis ſtulto & impio poſſideri. Da mihi hominem Ætiopem, fœdum, turpem, rudem, brutalem, vitioſiſſimum & abominabilem, habentem mille arcas auro & argento plenas; numquid omnes illæ facient illum meliorem aut pulchriorem aut ſapientiorem? *Prov.17.* Unde Salomon: *Quid prodeſt ſtulto habere divitias, cum ſapientiam emere non poſſit?* Si per divitias poſſet emi aut haberi habilitas, ingenium, memoria, prudentia, ſinceritas, maturitas, fortitudo, pulchritudo, magnanimitas, juſte æſtimarentur. Sed cum hæc haberi & emi non poſſint; quid proſunt divitiæ?

II. Dices: proſunt ad habendum abundantiam rerum temporalium. Imo, ſi bene aſpicias, divitiæ non faciunt hominem abundantem, ſed potius indigentem; nam, qui prius, cum eſſet pauper, cum modico poterat ſuſtentari; creſcentibus divitiis crevit cura, creverunt neceſſitates: indiget enim multis pro ſe, pro ſtatu, pro filiis, pro familia, pro faſtu. Et ſic factus eſt magis indigens, & pluribus neceſſitatibus conſtringitur. Unde *Eccle. 5.* Salomon: *Ubi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit divitias oculis ſuis?* Quid habet amplius, niſi quod videat eas? Unde Boetius (*a*): Illud verum; neminem pluribus indigere, quam qui plura poſſidet. Experientia teſtis eſt in magnatibus hodie, qui fere omnes vivunt in maxima neceſſitate, pleni debitis. Unde non eſt dives, qui plura poſſidet, ſed qui paucis indiget. S. Auguſtinus in Regula: Melius eſt minus egere, quam plus habere. Tertio: non ſunt veræ divitiæ, quia temporales & breves nihil valent, & quam citiſſime amittuntur. Unde Dominus *Mat. 6.* in Euangelio: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Quid prodeſt cum ſummo labore quærere & congregare quod poſt modicum relinques invitus? Exemplum *divitis*, cujus *uberes fructus ager attulit. Et cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: deſtruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo* *Luc. 12.* *omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem paraſti, cujus erunt? Sic*, inquit, *eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Pſalmus: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo: & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Ne timueris*, id eſt, ne zeles, ne invideas: *Quoniam cum interierit non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria ejus. Introibit in progenies patrum ſuorum, & uſque in æternum non videbit lumen:* & vivet in ſumma egeſtate. Quanta fuit egeſtas illius divitis, qui in igne poſitus, ne unam guttam aquæ habuit? Quanto ſapientius feciſſet, ſi ſibi impoſterum providiſſet? Sicut ſcriptum eſt: *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent!* Unde merito ſequitur in illo Pſalmo: *Homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quis ſapiens & intelliget hæc?* Pauciſſimi ſunt. *Beatus vir qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia & theſauris:* ſed, *quis eſt hic & laudabimus eum?* Unum de duobus: aut non credis, aut non ſperas, qui ſic theſaurizas hic, & ſic negligis futura.

Pſal.48. *Pſal.48.* *Pſ. 106.* *Eccli.31.*

III. Non ſunt iſtæ divitiæ de quibus laudatur B. Catharina (*b*), quamvis in iſtis abundaverit ut filia Regis. Sed ipſa reputabat eas tamquam ſtercora. Verum habuit alias divitias meliores: naturales & ſpirituales; naturales: intellectum & ingenium admirandum, memoriam, vivacitatem ſenſuum, & habilitatem eximiam. Unde ſic dives erat ſapientia & rethorica, & potens eloquio, ut tam tyranni quam omnes ejus admirarentur vivacitatem & ſtuperent. Sed ultra hæc habuit ſpirituales divitias omnium virtutum, & gratiarum, & donorum. Dives & ſpecioſa corpore, ſed multo ditior & ſpecioſior in anima. De his loquitur thema in laudem ejus: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Has præcepit Dominus congregare, dicens: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo &c.* Sed jam videamus, quomodo congregaverit illas ſibi. Spirituales divitiæ iſtæ, ad modum temporalium congregantur, cum labore & ſudore nimio. Non putes, quod fit aliquis dives in anima, dormiendo. O quanta cura & vigilantia opus eſt, ad congregandum & ſervandum eas a latronibus dæmonibus, qui die ac nocte nihil aliud faciunt, niſi procurare ut furentur eas; aſcendunt domum noſtram, & per feneſtras noſtrorum ſenſuum, latenter intrant & furantur eas. Bernardus (*c*): Pudet vinci a ſæcularibus; quod illi tanta cura & dili-

Prov.31. *Mat. 6.*

(*a*) Vide lib. 3. de Conſol. Philoſoph. proſa 3.

(*b*) Ejus Acta edidit Metaphraſtes, quæ habent Lipom. tom. 5. & Surius tom. 6.

(*c*) Serm. 36. de Diverſ. num. 3. *Utinam, Fratres, ſic nos eſſemus cupidi gratiæ ſpiritualis, quemadmodum ſæculares homines pecuniæ temporalis. Debuimus certe, & multum debuimus vincere in bono malum, & tanto amplius deſiderare, quanto pretioſius eſt, quod deſideramus: ſed utinam vel æquales eſſe poſſimus.*

diligentia & labore & vigiliis has perituras divitias & vanas quærunt: & nos tam negligenter pretiosas divitias animæ perpetuas, tam frigide perquirimus.

IV. O si tantam vel dimidiam partem diligentiæ adhiberemus in his acquirendis, quantam exhibent filii hujus sæculi in acquirendis istis! Quam divites essemus, si ita solicite, & cum tanta cura conservaremus! Ad quod vos maxime deberet excitare breve tempus, quod vobis datum est ad illas
Luc. 19. congregandas. Unde Dominus: *Negotiamini dum venio:* quia postea non poteritis negoti-
Joan. 9. ari; operamini dum dies est. Veniet nox, quando nemo potest operari: in hoc momento vitæ totum lucrum æternitatis acquirendum. In æternum non possidebimus, nisi quod in illo momento acquisiverimus: & dormimus? Quomodo putas diligunt Beati Deum, quomodo laudant, quomodo obediunt? Et tamen, cum toto illo amore, & laude, & servitio, nec unum gradum neque atomum gloriæ sibi acquirunt; quia sunt extra statum merendi. O si iterum reducerentur ad exilium istud, & daretur eis vel una hora ad promerendum, quomodo laborarent, quomodo sudarent! Exemplum in Paulo: postquam regressus est a paradiso: quot labores, quot sudores, quot pericula sustinuit! die ac nocte prædicando, orando, itinerando,
2. Cor. 6. patiendo: in jejuniis & vigiliis multis. *In multa*, inquit, *patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in*
Ibid. 11. *carceribus &c.* Et iterum: *Ter*, ait, *virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci: nocte & die in profundo maris fui: in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, &c.* exhortando, arguendo, monendo. Et inter hæc omnia; o quam brevis ei vita reputabatur, ad tantam glo-
Philip. 3. riam acquirendam! sicut ipse ait: *Ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei*
Luc. 21. *in Christo Jesu*: sciens, quia capillus de capite non peribit, id est, neque una bona cogitatio, neque desiderium, nec verbum unum,
Matt. 10. aut etiam calix aquæ frigidæ sine remuneratione manebit.

V. Et nos, si modicum laboramus, aut jejunamus aut vigilamus; jam videmur nobis grandia feciisse. Sed advertendum est, quod sicut temporales divitiæ multis modis acquiruntur; sic etiam spirituales. Non enim est unus modus eas negotiandi & possidendi, sed plures. Unde variis modis Sancti facti sunt divites, sicut fiunt sæculares in mundo. Quidam hæreditate, alii dono, & mercede, alii inventione, alii negotiatione, alii agricultura, seminando & colligendo. Ita etiam justi: quidam hæreditate, qui orti sunt & educati a bonis parentibus in timore Dei & bonis moribus, & illos usque in senectutem servaverunt, sicut scriptum est: *Adolescens* *Prov. 22.*
juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Mores enim qui in tenera ætate imprimuntur, diu durant in homine: propter quod summa cura exhibenda est in educatione filiorum. Unde Apostolus dicit de uxore christiana: quod *salvabitur per filio-* *1. Tim. 2.*
rum generationem, id est, educationem, sicut ait Glossa. Alii Sancti, facti sunt divites mercede pura & dono, sicut Paulus, & Matthæus, & Petrus, & Andreas. Quid negotiabatur Paulus, quando persequebatur Ecclesiam? Quid Matthæus in telonio, quid *Act. 9.* Petrus & Andreas piscatores? Sed dono Dei *Mat. 9.* assumpti sunt ad Apostolatum. Unde dice- *Ibid. 4.*
bat illis: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit* Deo *dare vobis regnum.* Et Pau- *Luc. 12.*
lus de se ait: *Gratia Dei sum id quod sum.* *1. Cor. 15.*
Alii sunt divites inventione, ut Religiosi sancti. Hi enim invenerunt thesaurum regni cœlorum in agro religionis, & præ gaudio, venditis omnibus suis, emerunt agrum illum; nam etsi in religione sit negotiatio, multo tamen melius comparatur inventioni. Quoniam, quibus Deus confert tantum bonum absconditum, facile ditantur, & non cum tanto labore sicut in sæculo. Unde Job: *Job 3.*
Quasi effodientes thesaurum: gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum. Ita isti sepulti sunt in vita, intra claustrum & intra cordis secretum effodiunt cœlestem thesaurum, die ac nocte terram a corde expellentes, & omnia terrena desideria evacuantes, donec appareat in intimo cordis desiderabilis ille thesaurus, quem quærunt in intimo cordis, expellentes terram, id est, terrena desideria; quibus dicitur: *Regnum Dei intra* *Luc. 17.*
vos est. Alii Sancti facti sunt divites, negotiatione: qui nempe, acceptis a Deo talentis, procurant ea duplicare & congerere; ut sunt Prælati & Prædicatores: quorum lucrum est in animabus pretiosissimis, facti magni negotiatores, non modo virtutum, sed etiam animarum. Et quia non est homo, qui non acceperit a Deo aliquod talentum, ideo omnes sumus negotiatores, & omnibus dicitur: *Negotiamini dum venio.* Felix *Ibid. 19.*
negotiatio quæ intra animam tota geritur.

VI. Sed o Domine! Cum quo tractandum, cum quo negotiandum? Utique, mecum ait: fœnerate, inquit, mihi. Quid miseri mortales hominibus fœneratis, & mihi fœnerari non vultis? Quis tam ampla dat fœnora? Audite qualia: *Omnis*, inquit, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxores, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Nec po- *Mat. 19.*
testis de certitudine conqueri: *Cœlum*, in- *Ibid. 24.*
quit, *& terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Veritas est quæ firmat eam:

& non

& non est Domine, qui velit tecum negotiari, tibi fœnerari? Alii facti sunt divites agricultura seminando & colligendo; de quibus Psalmus: *Euntes ibant & flebant, mitentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Quæ seminant, bona opera sunt, eleemosynarii sunt. Noli contemnere quia parva videntur; habent enim magnam virtutem. O quot manipulos colliges ex eis tempore messis! Psalmus: *Potens in terra erit semen ejus.* Quam potens? P. Augustinus (*a*): Das obulum, & accipis cœlum. Etsi enim modicus sit nucleus, ingens tamen inde nascitur arbor. Apostolus: *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Ecce, Fratres, quot modis ditati sunt cuncti, & congregaverunt sibi divitias suas. Alius sic, alius sic. Nos igitur imitemur eos; ad hoc enim exempla proponuntur & festivitates: non solum ut laudemus, sed magis ut imitemur. Alias teipsum condemnas, honorando, & modo oppositio vivendo: sic enim scriptum est: *Beatus, qui non judicat semetipsum in eo quod probat.* Si honoras, approbas: si non sequeris teipsum condemnas, faciendo oppositum illius quod probas & laudas. Laudas virginitatem, & in luxuria vivis ut porcus. Laudas martyrium, & tu nec modicum laboris sustinere vis. Laudas contemptum regni, & tu super obulo contendis cum proximo. Quid dicam tibi? Laudator es virginum, & accusator tui coram Deo. O quanto melius laudares vita, quam lingua; imitando, quam loquendo! Sicut ait Ambrosius (*b*): Virtutum sancti gratia, non sermonibus exponenda est, sed virtutibus comprobanda. Proverbiorum 23. *Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ appositia sunt ante faciem tuam.*

VII. Sed jam ad tertium veniamus: & ostendamus quomodo hæc Virgo regia, in his divitiis spiritualibus congregandis, universas alias superaverit. Satis hoc indicat festivitas, quam ei facit Ecclesia super omnes Sanctas. Hæc enim inter omnes maxime celebratur in Ecclesia, ob maximum meritum hujus Virginis. Satis hoc indicat devotio populi christiani ad illam: satis, quod inter omnes speciali modo Filio Dei meruerit desponsari, ut patet ex historia; satis quod non solum in spiritualibus, sed etiam in naturalibus ditissima fuerit: pollens ingenio, sapientia, eloquentia, pulchritudine, prudentia, & aliis dotibus naturalibus supra modum. Sed hoc apertissime ostendit triplex laureola seu triplicata ejus corona, ob martyrium, ob doctrinam, ob virginitatem. Omnes laureolas cœli, quæ Sanctis eminentissimis dantur, ipsa sola possidet. Martyr, Virgo, Prædicatrix. Perambula totum cœlum, & in nulla Sanctarum has invenies. In Sanctis vero paucis: videlicet in Joanne Baptista. Sed ut hæc latius exponamus; adverte ex sententia Theologorum (*c*), quod laureola est quædam gloria accidentalis, quæ datur aliquibus Sanctis, ob quamdam eminentiam sanctitatis, & propter quamdam excellentiam. Sic enim figuratum est in Lege, ubi arca præter coronam, habebat aliam coronulam inter axillam; quæ secundum Glossam, duplicem istam coronam significat auream & aureolam. Aurea datur omnibus Sanctis, propter custodiam mandatorum; aureola Sanctis eminentibus propter actus eminentes quarumdam virtutum quas fecerunt. Cum enim in homine sit triplex potentia: scilicet rationalis, concupiscibilis, & irascibilis; in parte animæ rationalis actus supremus heroicus & maxime hierarchicus est illuminare cæteros per doctrinam: sicut Angeli superiores illuminant inferiores; sic Prædicatores verbi Dei illuminant: & ideo debetur eis aureola.

VIII. Dices: non est superior actus quam regere vel contemplari. Contra: nam ad regimen sufficit moderata prudentia, non sic ad doctrinam; sed suprema sapientia, & prædicatio includunt supremam contemplationem; unde dictum est Ezechieli: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.* Et Dominus in Euangelio: *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Per contemplationem oportet accipere, quod populis prædicatur, non a solis libris: & contemplator accipit pro se, quod sibi sufficit ad salutem, prædicator pro toto populo. Quanto majora illi præstantur & altiora propter officium & utilitatem aliorum! Unde sæpius bonus prædicator audit seipsum, quia canalis est divinæ sapientiæ. Secunda potentia est concupiscibilis; cujus est temperantia: & in hac, suprema virtus est virginitas. Hæc transcendit humanam facultatem; quia, sicut Hieronymus (*d*) ait, in carne præter carnem vivere, potius est angelicum quam humanum. Unde ipsemet ait: Semper est Angelis cognata virginitas, & incorruptio facit esse proximum Deo. Tertia potentia irascibilis; cujus virtus præcipua est fortitudo, & præcipuus & maximus actus fortitudinis est martyrium: quia est circa mortem, quæ secundum Philosophum (*e*) est omnium terri-

Ps. 125. *Prov.*23. *Ps.* 111. *Galat.*6. *Rom.*14. *Exod.*25. *Ezech.*3. *Mat.* 10.

(*a*) In Psal. 111. num. 3. *Quid autem, Fratres, potentius, quam ut regnum cœlorum, non solum Zacchæus emat dimidio rerum suarum, sed & vidua duobus minutis, & tantumdem ibi uterque possideat? Quid potentius, quam ut idem regnum, & thesauris diviti, & calice aquæ frigidæ pauperi valeat?*

(*b*) Vel potius S. Maximus, Homil. 59. de S. Eusebio Vercellensi secunda. Simile quidpiam legitur in Append. tom 2. Operum S. Ambrosii serm. 56. de S. Eusebio pariter Vercellensi.

(*c*) Vide S. Thom. in 4. Sent. dist. 49. quæst. 5. ubi plurima de hoc argumento.

(*d*) Seu quisquis Auctor est sermonis de Assumpt. B. Mariæ ad Paulam, & Eustochium, tom. 5. Oper. S. Hieron. in edit P. Martianæi pag. 85. *Et bene Angelus ad Virginem Mariam mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis.*

(*e*) Ethicor. lib. 3. cap. 6. *Mors autem maxime omnium est terribile.*

terribiliſſimum, & quod amplius formidatur: & cum in maxima virtute ſit, ſcilicet in charitate, etiam maximus eſt actus. Majorem enim charitatem nemo habet, quam &c. Propter eminentiam ergo iſtarum virtutum & actuum in cœleſti regno, præter communem coronam, ad gloriam & decorem aliqui laureolas, id eſt, particulares coronas accipiunt.

IX. Perpende modo, qualis fuerit iſta Sancta: quæ in omnibus viribus animæ ſic excelluit, ſic etiam coronatur in cœlis. O quanta gloria, quanta ſolemnitas, quantus honor! Attende puellam quandam nobiliſſimam de lege Dei diſputantem, literatos confundentem ſua ſapientia; in qua impletum
Luc.21. eſt illud: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere adverſarii veſtri.* O prodigium magnum, videre virginem inter philoſophos, & doctores, omnes ſuperantem, omnes attonitos & admirantes extra ſe! O qualia verba procedebant de ore ejus, de illo pectore in quo habitabat Deus, flagrante, ſicut furnus, igne Charitatis! qua ignita, non ſolum contradictores ſapientes, Reginam & Porphyrium convertit; ſed & ſic inflammavit, ut ex paganis ſtatim mortem pro Chriſto ſubjerint, ex gentibus idololatris facti Martyres Chriſti. Quomodo perſuaſit! O ſi ſic perſuaderemus vobis minora! Unde
Exod.20. propter hoc in Sinai ſepulta eſt ab Angelis, ubi data eſt lex, quia præcipua fuerat legis magiſtra. Et propter hoc, ſicut in Paulo, qui filios lacte doctrinæ lactaverat, in morte pro ſanguine lac exivit de collo ejus; in teſtimonium quoque virginitatis ſuæ Angelos ſæpe alloquebatur, & ſocios habuit; ab eis quoque corpus ejus puriſſimum, ut margarita pretioſa ſepulchro reconditum, illos habuit in vita ſocios, in morte cantores exequiarum, & in cœlo conſortes. Propter hoc etiam ſpeciali privilegio Chriſto Domino deſponſata eſt. Martyrium quoque ejus ſumme privilegiatum eſt in tribus; primo: quia fuit acerrimum. O crudelis tyranne, & beſtia cruenta! Non ſatis erat virginem jugulare, ſed parare rotas & atrocia tormenta ad dilaniandum carnes teneras? Quomodo non compateris? Secundo, quia maximæ confuſionis & verecundiæ. Erat enim filia Regis, & quo honorabilior eo major confuſio nudari & publice flagellari. Neſcio o virgo ſi fuerit tibi gravior iſta injuria & confuſio, aliis omnibus tormentis & morte ipſa. Tertio, quia data Patrona eſt omnibus invocantibus eam. Oramus ergo te virgo, ut in hac Eccleſiæ neceſſitate ſuffrageris devotis & toti populo chriſtiano; ut pace data, Deo ſerviamus, & ad eum perveniamus. Amen.

IN FESTO S. CATHARINÆ CONCIO SECUNDA.

DISPOSITIO ALIA CONCIONIS ANTECEDENTIS.

ET POSTILLA.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.
Prov. 31. v. 29.

I. TRia dicemus: ut ſupra in ſermone. Primo non loqui nos de divitiis temporalibus: quia neque divitiæ ſunt, nec eas congregare laus eſt. Non enim ſunt divitiæ, propter tria; nempe, quia viles, quia exteriores, quia temporales ſive breves. Viles, Bernardus (*a*): Quid eſt aurum & argentum, niſi terra rubra & alba? Propheta: *Væ ei, qui multiplicat non ſua! Uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum?* *Habac.2.* Secundo, quia extraneæ. Quid animæ & auro? Si detur Angelo totum aurum, quaſi lapides habebit. Unde ait Propheta: *Væ ei, qui multiplicat non ſua!* *Ibidem.* Et Dominus in Euangelio: *Si in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis?* *Luc. 16.* Exemplum Æthiopis, ut in præcedenti lectione. Salomon: *Quid prodeſt ſtulto habere divitias, cum ſapientiam emere non poſſit?* *Prov.17.* Si poſſit emi ſapientia &c. Tertio non ſunt divitiæ, quia temporales ſunt & breves: Quid prodeſt laborare & deferere ſtatim? Ædificas domum, & moreris; emis hæreditatem, & vadis hinc. Exemplum de illo, qui exularet in inſula ad longum tempus. Putabat ſe habere divitias ille, qui dicebat; *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* *Luc. 12.* Sed ecce, *dixit illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Et ſtatim ſubinferens Euangeliſta: *Sic eſt*, inquit, *qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* O deceptio! O fraus! expendere totam vitam in illis conglobandis. Pſalmus: *Turbati ſunt* *Pſal.75.* *omnes inſipientes corde; dormierunt ſomnum ſuum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Pſalmus: *Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* *Pſ. 145.* Sed tarde noſcitur fraus. Non loquimur ergo de iſtis; quia non ſunt divitiæ, & quia eas congregare infamia eſt. Apoſtolus: *Qui volunt* *1.Tim.6.* *divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt a fide*

* CONCIO CLXXI.

(*a*) Allegat. Concion. præced.

a fide & inseruerunt se doloribus multis.

II. Et licet has habuerit Catharina ut fi-
Philip.3. lia Regis; sed ut stercora reputabat. Habebat alias meliores: naturales, acquisitas, gratuitas. Naturales; ingenium, sapientiam, &c. super omnes feminas. Acquisitas; virtutem & scientiam. Gratuitas; dona & gratias. Hæ sunt vere divitiæ, quas Dominus monet
Mat.6. acquirere, dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi ærugo & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt.* Has, omnes Sancti nimio studio congregaverunt. Sed quomodo? Variis modis: sicut temporales, quædam acquiruntur servitio Principum, quædam negotiatione, quædam agricultura; sic Sancti, quidam servitio Dei, sicut Religiosi omnia relinquentes, & se Domini servitio mancipantes; agnoscentes quia magnus Dominus, & magnum stipendium dat pro servitio. Si Reges & Principes nolunt habere servitores nudos & veste laceros, quid Deus de domes-
Prov.31. ticis suis? *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Scilicet virtutibus & gratiis, hic in exilio; & in regno fulgebunt justi sicut sol. Ecce livream. Deus præmiat ut Deus;
Joan. 12. ita ait: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Alii Sancti negotiatione, cœlorum regnum lucrati sunt: ut Prælati & Præ-
Mat.25. dicatores. In Euangelio, de talentis sunt tractantes Domini: & tractatus in re pretiosa; non in auro sive argento, sed in animabus, pro quibus sapiens Dominus vitam & sanguinem dedit. Et quia nullus est, qui non accepit talentum; alius pecuniæ, alius dignitatis vel potestatis, alius sapientiæ, alius primatus; omnes taxamur, omnibus dicitur:
Luc. 19. *Negotiamini dum venio.* Sed cum quo? Cum Domino. Fœnerate, inquit, mihi: ego magnum lucrum, centum pro uno, & vitam do æternam, ubi hic satis est, unum pro cento.
Mat. 24. Et quidem fœneratio certa & secura: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Sed quomodo? Habeo, inquit Dominus, vacuos in omni loco pauperes, ser-
Ibid. 25. vos meos: & quod uni ex minimis meis dedistis, mihi dedistis. O novam negotiationem! cum illius pecuniis eis fœneramur: & lucrum nostrum est.

III. Tertio; alii agricultura. De hoc Apo-
Galat. 6. stolus: *Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Seminat in spiritu, qui orat, qui legit, qui gratias agit, qui procurat bonas cogitationes & desideria, & bona opera. Noli contemnere orationem aut eleemosynam: semina

A sunt; & licet parva videantur, in illis mag- *Ps. 111.*
nus est fructus. Psalmus: *Potens in terra erit semen ejus.* S. P. Augustinus (*a*) in hunc lo- (*a*)
cum: Semen futuræ messis, opera sunt misericordiæ, Apostolus testis est, qui dicit: *Bonum autem facientes non deficiamus; tempo-* *Galat.6.*
re enim proprio *metemus.* Et iterum: *Hoc* *2.Cor.9.*
autem dico, inquit, *qui parce seminat, parce & metet.* Quid autem Fratres potentius, quam ut regnum cœlorum non solum Zachæus *Luc. 19.*
emat dimidio rerum suarum, sed & vi- *Marc.12.*
dua duobus minutis, & tantundem ibi uterque possideant? Quid potentius, quam ut
B idem regnum, & thesauris diviti, & calice *Mat. 10.*
aquæ frigidæ pauperi valeat? Quam ergo potens est eleemosyna! Das obolum, accipis regnum. Minimum opus in charitate factum; Ave Maria dictum, non potest præmiari toto mundo, sed Dei regno solo. Sic Sancti procuraverunt divitias, sic laboraverunt, & facti sunt divites, nos vero pauperes, quia nolumus laborare. Unde provenit, quod, cum Deus sit tam dives, & tam amicus dandi, & tam liberalis; nos simus in tanta paupertate, nisi quia dormimus & contemnimus?
Non vult dare margaritas porcis, ne con- *Ibid.7.*
C culcent; item nec ipse vult dare contemptoribus. Bernardus (*b*): Pudet vinci a mun- (*b*)
danis in acquisitione temporalium. O quomodo sudat & laborat, quos æstus & quale frigus patitur agricola! Quos labores miles & mercator pro istis perituris! Et nos nihil pro æternis? Deberet nos movere breve tempus, quod datur ad eas congregandum, vita præsens. Non habebis in æternum, nisi quod modo congregaveris. Vide Beatorum gloriam, laudem, obedientiam; nec unum tamen gradum acquirunt, quia sunt extra statum. Do-
minus: *Negotiamini dum venio.* Operamini *Luc. 19.*
D dum dies est, dum durat feria: venit nox, *Joan. 9.*
quando nemo potest operari. Si daretur Beatis una hora promerendi, quomodo laborarent! Exemplum in Paulo: qui viso paradiso, quomodo laboravit die ac nocte! Nec tamen arbitratur se comprehendisse, sed *unum,* *Philip.3.*
inquit, *quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Omnes itaque Sancti variis modis acquisiere divitias, & facti sunt divites cum labore.

IV. Sed tu, o Catharina, supergressa es
E universas. Non est post Sacratissimam Virginem ditior Sancta in gloria. Probant hoc testimonium Ecclesiæ festivitas, devotio populi, honor maximus, quo Deus eam honoravit super omnes in hoc sæculo. Sed expressius hoc probemus. Inter omnes Beatos; tria genera credimus habere multam gloriam; scilicet: Martyres propter maximam charitatem. Majorem enim charitatem nemo habet, quam qui animam suam ponit pro Christo. Quid amplius pro Deo facere debemus?

In

(*a*) In Psal. 111. num. 3. (*b*) Allegat. Concion. præced.; ita & testimonium S. Hieron. infra adducendum.

In hoc vincimus Angelos: quia nemo eorum pro eo occisus est. Ecclesia: Quæ vox, quæ poterit lingua retexere, quæ tu Martyribus munera præparas? Rubri nam fluido sanguine laureis ditantur bene fulgidis. Secundo magnam in cœlis gloriam consecutos credimus Confessores: propter maximum fructum prædicationis conversus est mundus. Illuminare alios maximæ perfectionis est. In Euan-
Mat. 24. gelio: *Beatus ille servus, quem cum venerit*
Ibid. 5. *Dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis: quoniam super omnia bona sua constituet eum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Tertio, Virgines propter vitæ puritatem credimus habere multam gloriam in cœlis. Hieronymus: In carne præter carnem vivere, potius est Angelicum quam humanum. De his Isaias: *Non dicat eunuchus: Ecce ego li-*
Isaiæ 56. *gnum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Unde his solis tribus datur aureola præter communem gloriam. Quia secundum Pe-
(*a*) trum de Palude (*a*): est gaudium de excellentissima victoria propter tres actus, hierarchicos, heroicos, & eminentissimos; cum in homine sint tres partes: rationalis, concupiscibilis, & irascibilis. Nunc vero in parte rationali supremus actus est prædicatio: in concupiscibili, virginitas; in irascibili, martyrium. Si ergo in statu cœlesti isti status sint eminentissimi, & habere unam aureolam tantæ excellentiæ est: quam gloriosum est habere omnes!

V. In tota gloria nulla Sancta habet omnes, nisi sola Catharina; & inter Sanctos, paucissimi: nempe Joannes Baptista, & secundum aliquos, Euangelista. O glorioſa femina, cui Deus tantam contulit celsitudinem! Nec solum hoc: sed habet omnes istas aureolas in gradu eminentissimo. Non enim
(*b*) sunt æquales aureolæ, ut ait S. Antoninus (*b*) de Florentia. Hæc fuit prædicatrix, & maxima: virgo, & maxima; martyr, & maxima. O qualis prædicatrix, quæ tot & tantos convertit ad Christum, & tot martyres fecit sua prædicatione! O glorioſissimum spectaculum, videre virginem inter tot sapientes, & rethores disputantem, & confundentem eos, & illos admirantes & attonitos! O quam verum est: *Non enim vos*
Matt. 10. *estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis!* Ardebat pectus sacrum ut clibanus, & per os veluti flammantia verba procedebant. Denique convertit Reginam, & martyrem fecit, & Porphyrium cum trecentis militibus, & martyres fecit. Quanta potentia sermonis, qui sic persuasit! Quanta virtus eloquii! O maximam prædicatricem! Unde propter hoc sepulta est in monte Sinai: ut nempe ubi data est lex; ibi quoque sepeliretur magistra legis. Hinc etiam in signum doctrinæ & sapien- *Exod.* 20.
tiæ, pro sanguine fluxit lac de collo, quod in solo Paulo Doctore orbis factum legimus. Lac enim illud significabat doctrinam & pastum puerorum, tamquam parvulis in Christo. Unde Apostolus: *Tamquam parvulis in* 1. *Cor.* 3.
Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. Secundo, fuit virgo eminentissima. Testimonium: societas Angelorum in martyrio. Semper est Angelis cognata virginitas. Testimonium: apparitio Christi & acceptio in sponsam. Unde propterea corpus illud sacrum, margarita pretiosa, manibus Angelorum sublatum & repositum in Sina, non manibus hominum, non Sacerdotis exequiis, sed Angeli. Illi cantores, illi tumulatores. Quantus honor! Soli Clementi hoc legimus factum. Alius quoque honor non minor; ex ossibus illius pretiosissimum balsamum stillat, quo omnes sanantur. Cui ab initio sæculi hoc concessum? Certe, nulli. De petra fluxit aqua, *Num.* 20.
de siccis ossibus oleum manat. O Domine, quomodo honoras servos tuos! Tertio: martyrium fuit celebre, propter quatuor. Primo, quia ipsa se obtulit, & puella delicata: quod non tam mirandum in Petro. Se- *Luc.* 22.
cundo, propter acerbitatem. Tertio, propter confusionem. Quarto, propter patrocinium.

POSTILLA.

Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo. Prov. 31. v. 25.

I. Virtus perfecta non est, nisi probata si impugnetur. Supremus gradus virtutis eminet & consistit in pressura tribulationis. Magna de se præsumunt aliqui in quiete, qui tamen tentati erubescunt suam imbecillitatem. Ideo Satan de Job: *Nonne tu vallasti* *Job* 1.
eum, & domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra? Sed extende, inquit, *paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Cognita erat virtus ejus Domino; sed ipsemet Job quis esset, ignorabat. Petrus fortem se sentit, & ad vocem *Mat.* 26.
puellæ, quis esset, agnovit. David: *Domine*, ait, *Ibidem.*
probasti me, & cognovisti me. Imo antequam *Ps.* 138.
probares, *cognovisti me*, quia feceras me. Sed *probasti me*, & cognoscere fecisti me, mihi me, aliis me. Aut, utique *cognovisti me*, quia approbasti me probatum. Quo genere cognitionis, virgines oleo carentes & *Mat.* 25.
luce, non approbasti, non cognovisti. Dicebat Dominus in Euangelio: *Cui assimilabimus regnum Dei? Aut cui parabolæ compa-* *Marc.* 4.
rabi-

(*a*) Allegatur a S. Antonino mox citando. (*b*) Summæ part. 3. tit. 30. cap. 8. §. 1.

rabimus illud? O Domine! Difficile eſt invenire ſimilia regno cœlorum: ſed ſi videtur, illud compara cœlo ſtellato, mari ferventi, terræ virenti, ſoli ſplendenti, lunæ fulgenti, ſtellæ micanti. Non inquit: ſed
Marc. 4. ſimile eſt regnum cœlorum, *ſicut granum ſinapis, quod cum ſeminatum fuerit in terra, minus eſt omnibus ſeminibus quæ ſunt in terra: & cum ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut poſſint ſub umbra ejus aves cœli habitare.* O quam magnum! O quam parvum! Unde ſimilitudo? O Domine, tantum bonum noſtrum eſt, eſſe ut granum ſinapis? Attende ſimilitudinem. Granum ſinapis non attritum friget: ſed ſi atteratur, virtutem maximam emittit. Ita humilis ſervus Chriſti contemptibilis eſt & parvus: ſed ſi conteratur, vigorem incluſum ſuæ virtutis exerit.

(a) Hæc Gregorius (a) in Prologo Moralium capite ſecundo. De Beata Catharina quæ convertit ſapientes, & rapuit de faucibus dæ-
Job 40. monis. Authoritas Job: *Nunquid illudes ei quaſi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?* Gre-
(b) gorius (b) in expoſitione morali in caput quadrageſimum Job. In ſervis, inquit, etſi deſpecta eſt conditio, virilitas viget: in ancillis autem cum conditione pariter ſexus jacet. Bene ergo Dominus Leviathan iſtum non ſervis, ſed ancillis ligare ſe aſſerit; quia ad noſtram redemptionem veniens, & ſuos contra mundi ſuperbiam prædicatores mittens, relictis ſapientibus inſipientes, relictis fortibus debiles elegit. Ancillis ergo ſuis Leviathan hujus fortitudinem Dominus ligavit, quia atteſtante Paulo: *Infirma mundi elegit*
1. Cor. 1. *Deus, ut confundat fortia.*

II. Unde bene per Salomonem dicitur:
Prov. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam, miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem & ad mœnia civitatis.* Sapientia quippe domum ſibi condidit, cum Unigenitus Dei Filius in ſemetipſo intra uterum Virginis mediante anima, humanum ſibi corpus creavit. Sic quippe corpus Unigeniti, domus Dei dicitur, ſicut etiam templum vocatur: ita vero, ut unus idemque Dei atque hominis Filius ipſe ſit qui inhabitat, ipſe qui inhabitatur. Quod tamen recte & aliter accipitur, ſi domus ſapientiæ Eccleſia vocatur. Quæ ſeptem ſibi columnas excidit: quia ab amore præſentis ſæculi disjunctas ad portandam ejuſdem Eccleſiæ fabricam mentes prædicantium erexit. Quæ, pro eo quod perfectionis virtute ſubnixæ ſunt, ſeptenario numero deſignantur. Immolavit victimas: quia vitam prædicantium mactari in perſecutione permiſit. Vinum miſcuit: quia Divinitatis & humanitatis ſuæ nobis pariter arcana prædicavit. Menſam quoque propoſuit: quia Scripturæ ſacræ nobis pabula aperiendo præparavit. Ancillas etiam ſuas miſit, quæ ad arcem nos atque civitatis mœnia vocarent: quia prædicatores infirmos abjectoſque habere ſtuduit, qui populos ad ſpiritualis patriæ ædificia ſuperna colligerent. Ut ergo mira potentia per prædicatores clareſceret; prius mirabilius actum eſt, ut eorumdem prædicantium virtus infirma eſſet. Ancillas ergo Dominus miſit, ut Leviathan, hoc eſt, diabolum ejuſdemque miniſtros tyrannos ligarent, quia infirmos prædicatores mundo exhibuit, & potentes quoſque ſub terroris ſui vinculo reſtrinxit. Et in ſemetipſo Leviathan iſte ancillis ligatur: cum infirmis prædicantibus veritatis lumine clareſcente, contra electorum mentes, antiquus hoſtis, non quantum vult ſævire permittitur: ſed ne ſub infidelitatis captivitate cunctos quos appetit, teneat; ſignis & virtutibus coarctatur. Inter has infirmas natura, debilis corpore, primam ac ſupremam palmam tulit, glorioſiſſima martyr, virgo, & prædicatrix, ancilla Catharina; dum veritatis prædicatione, ethnicos, Chriſti religione extorres de infidelitatis captivitate in chriſticolam libertatem mirifice tranſvexit, & de leonis inferni faucibus ereptos per ſuas diſputationes Chriſto primum genuit confeſſores in terris, ac deinde conſtantiſſimos martyres parturivit in cœlis.

III. Nunc ad propoſitum thematis redeamus; *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Ibid. 31.
Decor bene ſociatur fortitudini: nam ſplendor virtutis in ſola fortitudine agnoſcitur. Tunc enim, quaſi aurum politum ac terſum emicat virtus, & fulget; cum per fortitudinem paſſio & tribulatio ſuperatur. *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Dominus ex eodem panno ſe & ſponſam ſuam veſtivit: nam Pſal. ait de ſponſo: *Decorem indutus eſt; induit Dominus fortitudinem & præcinxit ſe* Pſal. 92. *virtute.* Item: *Fortitudo & decor indumentum* ſponſæ eſt. Ergo uterque fortitudinem & decorem indutus eſt. O qualis & quanta pulchritudo, qualis decor ſponſi! Hæc pulchritudo & pulchrum facit habentem, & pulchrum facit videntem & amantem. Alia pulchra ſi diligas, non ideo pulchrior es: pulchritudo Chriſti talis eſt, ut ſi Chriſtum diligas, ſi ipſum oculis cordis videas, pulcher fias. Vidit Magdalena, vidit Latro, vidit Petrus, vidit Matthæus in telonio, & pulchri facti ſunt. Sed dices: David quidem de ſponſo ait, quod *ſpecioſus* ſit *forma præ* Pſal. 44. *filiis*

(a) S. Gregorii verba hæc ſunt loco in textu allegato. *Granum quippe ſinapis, niſi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoſcitur. Nam non contritum lene eſt: ſi vero conteratur, inardeſcit, & quod in ſe acerrimum latebat, oſtendit. Sic unuſquiſque vir ſanctus, cum non pulſatur, deſpicabilis, ac lenis aſpicitur: ſi qua vero illum tritura perſecutionis opprimat, mox omne quod calidum ſapit, oſtentat, atque in fervorem virtutis vertitur quidquid in illo ante deſpicabile, infirmumque videbatur.*

(b) Ab his verbis uſque ad ea: *Signis, & virtutibus coarctatur*, ex lib. 33. moral. cap. 16. hauſta ſunt paucis prætermiſſis.

filiis hominum, quod *induit decorem & fortitudinem*, quod *præcinxit se virtute*. Sed quid de eorum sponso Prophetes Isaias ait introspiciamus: *Vidimus* ait *eum*, *& non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus & despectus; unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo & humiliatum &c.* Sed si percussus, si humiliatus est a Deo; quomodo decorus? *Isaiæ* 53.

IV. Solutio. Hæc maxima fortitudo Dei fuit; per infirmiorem vincere fortitudinem tyranni, & assumere debilia, ut fortia quæque confundat. *Quæ* enim *stulta sunt mundi*, ut ait Apostolus, *elegit Deus, ut confundat sapientes*, ut mox dicebamus: *& infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret*. Nam, ut ait Origenes (*a*), quia exploratores terræ promissionis exterriti, dicebant ad populum: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur*; dicit: hominis virtutem comparatam ad dæmonem, esse sicut locustæ. Et tamen de istis ait Dominus in Euangelio: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit*. Psalmus: *Erue a framea Deus animam meam; & de manu canis unicam meam*. Ecce anima justi ensis est Domini, ad debellandum diabolum in manu Dei. Percussus igitur & humiliatus, sic fortitudinem quoque Dominus induit, & præcinxit se virtute. Sequitur in themate: *Et videbit in die novissimo*. Hæc differentia bonorum & malorum, quod mali, cum mors appropinquat, dolent & tremunt: ex mala vita præcedente undique angustiæ, nec remedium. Sed boni lætantur confidentia. *Respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Scitote quoniam prope est regnum Dei*. Dicebat Religiosus: O anima mea quid times? quid trepidas? O Fratres! Si ponderetis mortis angustias, cum anima jam coacta, exire debet, & non permittitur jam manere, nec datur locus pœnitentiæ: & dolor urget, & timor gehennæ cruciat, nec est quo se vertat. Iratum judicem prospicit, & in dicto damno jam non sentit remedium; unde desperatione pœnitentiæ fatiscit. *1. Cor. 1.* *(a)* *Num. 13.* *Luc. 10.* *Psal. 21.* *Prov. 31.* *Luc. 21.*

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI CONCIO.

Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4. v. 19.

(*b*) * CONCIO CLXXII.

I. UT ait Guillelmus Parisiensis (*b*) in sermone: Sancta Mater Ecclesia in festis Sanctorum celebrandis habet respectum ad Deum, ad Sanctos, ad nos. Primum ad Deum glorificandum in Sanctis suis: propter duo: & quia ipse eos sanctificavit, & fecit tales ac tantos in sanctitate & virtute; & quia eos ipse glorificavit, & pro tam brevi servitio, tam magnifica & perpetua gloriæ præmia dedit. Secundo: habet Ecclesia respectum ad Sanctum, ad honorandum eum, propter duo. Primo, propter fructum quem fecit in Ecclesia suo verbo & exemplo, fundando fidem; pro qua plurimum laboravit. Secundo, propter patrocinium, quo defendit Ecclesiam, suis orationibus interpellando pro ea, sicut scriptum est in Psalmo: *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno*. Et quamvis Deo ac Sanctis nulla accrescat gloria ex nostris laudibus; tamen ipsa & facit & adimplet quod debet, & nobis accrescit meritum. Unde tertio: habet & Ecclesia respectum ad nos, propter duo. Primo, propter id quod acquirimus in laudandis & honorandis Sanctis. Secundo, propter profectum in imitando. Ad hoc enim nobis proponit celebrando gesta & virtutes Sanctorum; ut imitando proficiamus. Non minus ergo prætendit nostram utilitatem, quam Sanctorum laudem. Solemnitates enim Martyrum, teste Parente Augustino (*c*), exhortationes martyriorum sunt: ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat; ut si miramur martyrium & fortitudinem, conemur & nos pro Domino *Psal. 31.* (*c*)

(*a*) In cap. 12. Numer. Homil. 7. *Nunc ergo quantum ad comparationem humanæ, & dæmoniacæ naturæ locustæ sumus, & illi gigantes, & præcipue si dubia sit fides nostra, & si nos perterreat infidelitas, illi vere gigantes erunt, & nos locustæ.*

(*b*) Seu quisquis Auctor sit Sermonum, qui inter Opera Guillelmi Parisiensis vulgati fuere tom. 2. edit. Parisiens. an. 1674. Sententia allegata extat initio Sermonis pro S. Gregorio Papa pag. 408. laudatæ editionis, licet aliis verbis expressa. Similia habet S. Orator Concione 2. & 3. in Festo Omnium Sanctorum. Vide etiam Concionem in Dom. 4. post Pentecost.

(*c*) Serm. alias de Sanctis 47., nunc in Append. 225. vide num. 1.

no aliquid ſuſtinere. Si laudemus virginum puritatem, & nos continentiam conſervemus: ſi exaltamus confeſſorum paupertatem, & nos ſimiliter divitias contemnamus. Sed væ nobis, quia dum ipſos laudamus verbis, opere contemnimus, & nos ipſos condemnamus. Laus enim vertitur in detrimentum noſtrum, ſi deſit imitatio. Scriptum eſt enim: Rom.14. *Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat*. Si probas & oppoſitum facis, teipſum judicas, teipſum condemnas: ſi laudas virginitatem impurus, & approbas fortitudinem infirmus, & magnificas paupertatem avarus. Si vis ex laude & honore reportare commodum: non ſolum lauda lingua, ſed etiam vita. Videamus ergo, Fratres, ne ipſa ſolemnitas fiat nobis in judicium: Bernardus (*a*). Prov.23. Scriptum eſt: *Quando ſederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam*; quoniam ad tale oportet te præparare. De ſpirituali convivio loquitur, non de corporali. Unde hodie, Fratres, divitem magnum, Apoſtolum glorioſum nobis proponit Eccleſia; ad ejus menſam nos invitat: conſiderate quæ apponuntur, ut ſimilia reddatis. Multa ſunt quæ in hoc ſpirituali convivio, de hoc divite & ejus admirandis virtutibus proponuntur. Sed omiſſis communibus virtutibus, quas habuit cum aliis Sanctis: quia Sancti fuerunt exemplaria perfectiſſima ad imitandum, ſcripturæ vivæ ad legendum, duces & ductores cœleſtes ad ſequendum: de hoc tantum tria, in quibus fuit illuſtris & ſingularis, vobis hodie proponemus; ſcilicet: obedientiam in confeſſione, fortitudinem in paſſione, zelum animarum in prædicatione.

II. De primo, dicit litera Euangelii: Mat. 4. *Ambulans Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuo relictis retibus, ſecuti ſunt eum*. Mira obedientiæ facilitas. Unde Gregorius (*b*) in Homilia: Nulla miracula viderant, nullum ſermonem ejus audierant, nihil de præmio æterno perceperant, & ad ſimplex Domini præceptum omnia reliquerunt. Non interrogant: Domine, quomodo nos idiotas facies piſcatores hominum? Non morantur, non petunt inducias, non dicunt: Domine: ſine nos diſponere de domibus & uxoribus & filiis, ſive veſtes iſtas mutare, ut tibi melius ſerviamus; non dicunt: Quis es tu, qui talia proponis? Sed ſtatim relictis omnibus, ſecuti ſunt eum. Nec mihi objicias, quod ſola retia & naviculam reliquerunt; nam multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit. Sic reliquerunt retia, quod etiam regna reliquiſſent. Væ noſtræ duritiei & ſuperbiæ! Qui nec verbis, nec admonitionibus, nec minis, nec terroribus, nec flagellis ſequi volumus, quem jam in cœlo regnare cognoſcimus. Quid in judicio dicturi ſumus, qui ab amore præſentis ſæculi nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur? Neque putandum eſt, fuiſſe illam ſimplicem vocationem; ſiquidem dedit voci ſuæ vocem virtutis, & penetrarunt verba illius viſcera illorum: prænderunt illa quaſi uncos, & tamquam hamos ea deglutierunt. Prius eos piſcatus eſt, quam faceret piſcatores hominum: attraxit eos attractione vehementi & forti. Quis enim Domine virtuti tuæ poteſt reſiſtere? Qui vocas ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt: & vocas mortuos & ſurgunt. *Clamavit: Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus*, & ſepultus. *Venit*, inquit, *hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent*.

Pſal.67. *Rom. 4.* *Joan.11.* *Ibid.5.*

III. Hac potenti attractione trahi ſe petebat, quæ dicebat: *Trahe me poſt te: curremus in odorem unguentorum tuorum*. Non exſpectes Domine, ut ego veniam, noli hoc meæ relinquere voluntati: ipſe trahe, ipſe compelle, ipſe coge venire me poſt te, ſicut Paulum, & Matthæum, & Magdalenam, & ſicut iſtos piſcatores. Hæc tamen attractio meritum & obedientiam non abſtulit, ſed auxit: quia arbitrium non coegit, ſed inflammavit; non invitos traxit, ſed voluntarios fecit; non violentavit, ſed potenter concitavit. Poterat dicere Andreas illud Iſaiæ: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non contradico: retrorſum non abii*. In quibus verbis notatur primo, virtus divina trahens, cum dicitur: *Dominus aperuit mihi aurem*. Secundo, facilitas obedientiæ, cum dicitur: *Ego autem non contradico*. Tertio, perſeverantia obedientiæ, dum dicitur: *Retrorſum non abii*. In quibus duabus conditionibus meritum obedientiæ conſiſtit: in facilitate ſcilicet & perſeverantia. Sunt enim quidam qui obediunt, ſed cum gravedine & triſtitia, cum repugnantia & murmuratione; præcepta Dei implent, ſed odiunt, quia nollent illud ſibi eſſe præceptum. Hi & meritum obedientiæ perdunt, & raro perſeverant in obedientia, quia nullum violentum perpetuo durat. Data quacumque occaſione vel difficultate, præceptum traſgrediuntur, quia erat illis moleſtum. Alii autem ſunt qui Dei præcepta implent cum facilitate & charitate multa, quia placent præcepta & delectantur in eis. Talis erat Propheta, qui dicebat: *Quomodo dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea eſt*. Et iterum: *Ideo dilexi mandata tua, ſuper aurum & topazion*. Talis Paulus, qui dicebat: *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem*, quoniam bona eſt. Tales iſti Apoſtoli, qui tanta facilitate obedierunt. Hoc eſt Deo gratum & acceptiſſimum: qui non tam acceptat opus, quam cor; non tam manum, quam voluntatem. *Hilarem enim datorem diligit Deus*.

Cant. 1. *Iſaiæ 50.* *Pſ. 118.* *Rom. 7.* *2. Cor. 9.*

IV.

(*a*) Vide Serm. in Vigil. S. Andreæ Apoſt. num. 1. (*b*) Homil. 5. in Euang. num. 1.

IV. O quam longe ſumus ab hac obedientia, Fratres! Satis feciſſe putamus, ſi quomodolibet impleamus. Unde quaſi coacti, præceptum, ne mortaliter peccemus, ex inferni timore implemus. Si præcepta non obligarent, quam male impleremus! Et utinam vel ſic impleamus, & non contemnamus. Reputabitur enim nobis ad juſtitiam, vel iſta lenta adimpletio præceptorum. Unde
Pſal. 9. Pſalmus: *Convertantur*, inquit, *omnes in infernum, qui obliviſcuntur Deum*. Si non facimus ex Dei amore, ſaltem impleamus ex inferni timore. Quamvis enim præcepta ex charitate impleri debeant, ut eorum impletio accepta ſit, ad vitam æternam; tamen, ſi quis ex timore impleverit, non eſt tranſgreſionis reus, & infernum vitat. Non enim peccat mortaliter, qui ne frangat præceptum, venit audire Miſſam: & in pluribus, non eſt purus timor, ſed mixta aliqua bona voluntas, quæ opus facit meritorium. Unde in Euangelio legimus de illo patre qui habebat
Mat. 21. duos filios, & præcepit uni: *Vade, hodie operare in vinea mea. Ille autem reſpondens, ait: Nolo. Poſtea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens, ait: Eo, Domine, & non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris?* Et reſponſum eſt a Phariſæis, quod primus: *Dicunt ei: Primus*. Et Dominus approbavit reſponſum. Utinam vel ſic ut iſte primus filius ſimus, qui licet cum gravedine, implevit tamen præceptum patris. Sed hei! hei! Similes ſumus ſecundo filio, qui ſolo verbo implemus & non opere;
Pſal. 77. ſicut ſcriptum eſt: *Dilexerunt Deum in ore ſuo: & lingua ſua mentiti ſunt ei*. Videas plurimos devotos frequenter orantes, frequenter audire miſſas & ſermones, lectioni vacantes: imo & eleemoſynas plurimas facientes. Dixeris eos bonos Chriſtianos; ſed ex alia parte, invenies eos præceptorum divinorum contemptores: facile indignari, facile detrahere, facile maledicere, facile judicare proximos, facile jurare & pejerare, in mercibus proximos defraudantes, lucra indebita ſectantes, mulieres curioſæ videntes; itaque de implendis præceptis nulla eſt cura. O grandis fallacia! Quid vobis prodeſt orationibus & ſacrificiis honorare Deum, & operibus contemnere? Quid, inquit Chriſtus
Mat. 7. Dominus, dicitis mihi Domine, Domine; & non facitis quæ dico? Numquid non
1. Reg. 15. melius eſt obedire, quam ſacrificare? Et qui obturat aures ſuas ne faciat legem, omnino erit illius inexcuſabilis. Laudo eleemoſynas, & ſacrificia; ſed ſi fundantur ſuper firmo obedientiæ fundamento. Alias, bonum quidem ædificium, ſed fundatur ſuper arenam. Non mea eſt ſententia, ſed Domi-
Mat. 7. ni dicentis: *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram; & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna*. Sic igitur cura, Fratres, vobis præcipua ſit, obedire præceptis & ſimul ſervare legem Dei. Hæc maxima vigilantia, videre & providere ne offendatur Deus. Vigilate ſuper vos, cuſtodite cor a judiciis, linguam a detractione, manus a rapina, &c. Deinde ſuper hoc fundamento cætera bona fundate. Si vis, poteris addere exemplum Saulis 1. Regum cap. 15. *1. Reg. 15.*

V. Secunda virtus, quæ nobis in hoc Apoſtolo proponitur imitanda, eſt conſtantia & fortitudo in ſua paſſione. Hæc fuit in Beato Andrea admirabilis: nam in cæteris Sanctis ordinarie laudamus, quod patienter ſuſtinuerunt tormenta, & viriliter paſſi ſunt dolores & mortem; in Beato Andrea plus invenimus: non ſolum enim viriliter & patienter, ſed & hilariter acerbiſſima tormenta ſuſtinuit: ita ut eſſet omnibus qui viderant admirandus. Poſt verbera enim acerrima, cum eſſet damnatus ad crucem; exiens civitatem & videns erectam crucem in qua crucifigendus erat, non horruit, non expavit, non palluit, non contremuit, ut faceret quivis fortiſſimus; ſed cum gaudio & tripudio ipſam adoravit, dicens: Salve crux pretioſa, quæ corpori Chriſti es dedicata, & ex ejus membris tamquam margaritis ornata! O crux, diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata! ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me Diſcipulum ejus qui pependit in te. Bernardus (*a*): Ignis vibrans eſt, non lingua loquens, & ſi lingua certe ignea eſt. Quantus furnus amoris ardebat in pectore, de quo talis egreditur flamma! Crucem hortatur ut exultet. O Andrea Apoſtole! Crux eſt, cruciare & occidere movet, non exultare; & tu dicis: ut exultet! Quomodo diligebat eam, qui tempore paſſionis, ſic ei adblandiebatur, ſuaviabatur dilectam ſuam! O hominem pluſquam hominem, qui tam lætus & & jucundus properat ad mortem, & mortem crucis! Quæ illi putas tunc erat cura doloris aut mortis? Quæ cura, quæ ſolicitudo injuriæ & opprobrii? Totus erat abſorptus in ſuo Magiſtro, ſitiens vehementer videre illum, & tripudians, quia jam properabat ad eum, quem ſuis oculis viderat aſcendentem in cœlum. (*a*)

VI. Petrum quidem germanum, Apoſtolorum Principem legimus patienter toleraſſe crucem verſam, cum humilitate: ſed non gaudenter. Nec putemus gaudium illud ſubito tranſiviſſe, & exemplo ceſſaſſe; nam

cum

(*a*) Serm. 2. in Feſto S. Andreæ Apoſt. num. 3. uſque ad ea, *certe ignea eſt*.

cum populus viso illo gaudio expaveſceret, & attonitus de tanta perfectione cœpiſſet tumultuari, movere ſeditionem, & vellet eum de cruce deponere, dicens Ægeæ: Concede nobis hominem juſtum, redde nobis hominem ſanctum, ne interficias hominem Deo charum, juſtum, manſuetum & pium. O quale damnum, ſi talis homo crucifigatur! Ipſe Apoſtolus pluribus ſuaſionibus inducebat adſtantes, ne deponeretur, dicens: Quid facitis, Fratres, cur meam coronam impeditis? Jam in triumpho ſum & ad bellum reducitis? Jam in portu ſum, & ad mare revocatis? Et converſis oculis ad cœlum, clamabat: Tu es Deus meus, quem vidi: ne me patiaris ab impio judice deponi: quia virtutem ſanctæ crucis agnovi. Tu es magiſter meus, Chriſtus, quem dilexi, quem cognovi, quem confeſſus ſum. Tantummodo in iſta voce exaudi me, ut non permitas me famulum tuum a te ſeparari: tempus eſt, ut commedetur terræ corpus meum, & me ad te venire jubeas. Tu ſcis quanto tempore hoc optavi & deſideravi. Atque ita obtinuit a populo ne deponeretur precibus & lacrymis. O Fratres mei! Qualem virum! Quid ſumus ſi ad talem virum comparemur? Si levis ægritudo ſit; trepidamus, timemus mortem. Nolumus ire, quia radicati ſumus hic. Ecce ſi pro peccatis noſtris levis tribulatio, vel infirmitas, vel perſecutio, vel injuria; ſtatim iraſcimur, indignamur, clamamus ad Dominum petentes vindictam de proximis noſtris. Bernardus (*a*) ſerm. 21. ſuper Cantica: Quam pauci poſt te, Domine Jeſu, ire volunt, cum tamen ad te pervenire nemo ſit, qui nolit. Omnes volunt te ſequi, ſed non imitari, conregnare, ſed non compati, conſequi, ſed non ſequi. Quomodo ſuſtinebit cruces qui levem injuriam pro Domino non ſuſtinet, aut non remittit? Quomodo ſuſtinebit martyrium, qui flagellum pro peccatis tam impatienter portat? Nos, Fratres, volumus gaudere cum Sanctis, ſed tribulationes mundi nolumus ſuſtinere; cum illis volumus ſine pugna & vulneribus coronari, ſed clamat Apoſtolus, *non coronatur niſi qui legitime certaverit*. Bernardus: (Dic ut paulo ante) Serviat nobis hæc Apoſtoli Andreæ tam eximia fortitudo, ſi non ad imitationem, ſaltem ad humilitatem, ut ejus comparatione agnoſcamus, quam infirmi & fragiles ſumus, & quam modici valoris.

2.Tim.2.

VII. Tertia virtus eximia hujus Apoſtoli, fuit zelus animarum & charitas proximorum. Hanc oſtendit in prædicatione & defenſione eorum. Cum enim plurimos convertiſſet ad Dominum in Achaja, & veniſſet Ægeas Præfectus, & perſequeretur Chriſtianos, non fugit, non dereliquit oves viſo lupo; ſed ſicut bonus Paſtor obſtitit ei in faciem & eum graviter objurgavit. O quantam firmitatem præſtitit ovibus hæc Paſtoris animoſitas & conſtantia in paſſione! Conſolidatæ ſunt oves in fide, viſo gaudio paſſionis. Sed illud mirandum ſupra modum, quod cum non paſſus eſt ſe deponi de cruce, ſedit populus multus ſub cruce; & de cruce illis tamdiu prædicavit, quamdiu vox duravit. O eximium prædicatorem! O glorioſam cathedram! Quantumcumque obduratum cor non emolirent, quas rupes, quas cautes non infringerent verba illa! O præclarum doctrinæ teſtimonium! De cruce docebat dicens: Videte, Fratres, quid ſuſtineam, attendite quæ patior. Si non eſſent vera quæ prædico, quis me compulit gratis hoc ſubire tormentum? Si non eſſet mihi certa corona, quare libens ac volens hanc pugnam ſuſtineo? O bonum concionatorem! Oblitus mortis & doloris, animarum ſalutem ſitiebat. Hæc lectio pro prælatis & prædicatoribus eſt. O ſi ſic zelaremus animas, ſi ſic monſtraremus opere, quod verbo docemus! Væ nobis! Non ſumus jam piſcatores hominum, ſed honorum. Quare tam modicos capimus, niſi quia non habemus acutum hamum verbi Dei, nec eſcam ſpiritus Dei? Sola verba frigida fluunt ex pectore gelato. Sic ergo glorioſus Andreas prædicavit uſus officio piſcatoris, donec deficeret vox; ſed & tunc, vel maxime, nomen Jeſu in ore ſonabat. Cum vero eſſet vicinus morti, apparuit lux magna circa eum, ita ut videri non poſſet; & poſt modicum cum illa claritate, ſanctiſſima anima evolavit ad gloriam, ad quam nos perducat, &c.

DE

(*a*) Serm. 21. in Cant. num. 2.

DE SANCTO NICOLAO
PONTIFICE ET CONFESSORE
CONCIO PRIMA.
DE SPIRITUALI ÆDIFICATIONE.

Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25. v. 40.

Concio clxxiii.

I. OMnibus qui sub Christiana religione spiritualem militiam agimus, hæc una præcipua & maxima cura est, aut esse debet: ædificare Domino intra nos tabernaculum sempiternum & perpetuum domicilium. Hoc Propheta, sedula intentione agebat, qui in Psalmo dicebat: *Sicut juravit Domino votum vovit Deo Jacob: si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino tabernaculum Deo Jacob.* Quod votum licet ad templum illud magnificum Salomonis referri possit: sed alterum potius videtur prætendere tabernaculum, non solido pavimento, sed puro corde fundatum: non ex quadratis lapidibus, sed ex devotis affectibus; non ex lignis dolatis, sed ex præcordiis inflammatis constructum, tabernaculum sempiternum, quod Babylonicum non formidet incendium, quod Barbaricus non subruat ignis. Hoc est illud sanctuarium, quod Dominus in Exodo postulat, dicens: *Facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* In medio, inquit, cordis, non in medio civitatis; in conscientia, non in platea fundabitis illud: *Spiritus enim est Deus*, & spirituale domicilium ad inhabitandum inquirit. Non sic auratos parietes, & insculptos lapides, sicut reformatos mores & claras virtutes acceptat. Unde si in construendis, exornandis, poliendis, ditandisque materialibus templis, tanta ubique a fidelibus impenditur cura; quanto major cuilibet esse debet, ut in seipso templum Domino construat sempiternum, & ut illud gratia firmet, virtutibus ornet, devotione & puritate sanctificet? Divus Bernardus (*a*) se hoc inceſſanter & sedulo agere dicebat; ut in sua constantia Christo Domino pararet cœnaculum stratum grande; in quo non semel, sed semper recumbat & cœnet, cum discipulis suis; desideriis scilicet & affectibus cordis sui: ubi & sensibus mentis splendidum sermonem faciat, & appetitus famelicos cœlesti edulio pascat, & animæ pedes, id est, affectus aquæ vivæ, lavacro mundissimo abluat.

Pſ. 131. *Marc.* 14. *Exod.* 25. *Joan.* 4.

II. Sed qualiter ædificabimus illud? Numquid pro libito suo quisque formabit Deo suo mansionem? Non utique; sed a cœlo capiat formam quam sequatur, exemplar quod ab Altissimo dimissum est, quo spiritualis structura consurgat. O igitur quisquis hanc fabricam ædificare contendis; inspice, obsecro: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, in monte pingui, in monte sancto, in monte coagulato, in monte, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: non spiritualiter solum, sed etiam corporaliter, ut omnibus Dei domiciliis, formam præbeat quam sequantur. Nullam enim conscientiæ domum Deus inhabitare dignatur, quam non viderit hoc schemate factam, & hoc protoypo formatam. Quod si ardua tibi hujus exemplaris perfectio videatur, & non possis ad eam; inspice saltem illius exemplaris exemplar, quod tibi hodie in beato Nicolao præsentat Ecclesia: & qualem, præsenti sermone ejus audieris vitam; talem posthac tuam præstare conator. Noli absque exemplari virtutum in te fabricam erigere, ne forte ædifices in ruinam.

Exod. 25. *Pſal.* 67.

III. Duo namque in quolibet artificio necessaria sunt: ars scilicet, & exemplar. Ars quæ in opere artificem dirigat; & exemplar in quod, operando artifex inspiciat; quod si foris aliquando non est: in animo tamen artificis, cum operatur, semper est. Quæ duo, etiam in hac orbis mirabili fabrica, cum crearetur, non utique defuerunt. Ars Dei sapientia est, teste Propheta: *Omnia in sapientia fecisti* Domine. Et exemplar est Verbum Dei, teste Joanne: *Omnia per ipsum facta sunt.* In Verbo enim per generationem primo producto, omnia producibilia ab æterno relucent, quæ temporaliter a Dei sapientia in actu producta sunt: in quo etiam a beatis illis Spiritibus melius quam in seipsis cuncta cernuntur. Sic quoque in hoc Ecclesiæ

Pſ. 103. *Joan.* 1.

(*a*) Nihil apud S. Bernardum reperio præter sequentia, quæ non omnino cum allegatis cohærent Serm. 27. in Cant. num. 9. *Tamen si dignetur infundere & meam animam unctione misericordiæ suæ, atque ita extendere sicut pellem, quæ utique cum ungitur, dilatatur, quatenus & ego dicere valeam: Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum; potero etiam ipse fortassis ostendere in me ipso, etsi non cœnaculum grande stratum, ubi possit recumbere cum Discipulis suis; attamen ubi saltem reclinet caput.*

siæ mirabili tabernaculo, & spirituali fabrica, ad quam ædificandam e cœlo sapientissimus Artifex ipsa Dei sapientia missus est.
1. Cor. 3. Dei enim structura estis, *Dei ædificatio estis*, ut ait Apostolus. Duo hæc supradicta, exemplar & ars, operariis ædificantibus eam, ab illo supremo Architecto relicta sunt. Exem-
Ibidem. plar in vita illius, & ars in doctrina ejus; sine his quisquis ædificat, non aurum, & argentum, & lapides pretiosos, sed paleas & lignum, & stipulas ædificat ad gehennam.

IV. Sed quia exemplum illud vivum & singulare ab oculis nostris ad Patris dexteram assumptum est, neque jam corporeis oculis in hac vita videri potest a nobis; ideo ab illo plurima translata sunt exemplaria speciosa & certa, quæ per orbem diffusa, omnibus ea imitari volentibus, præsto sunt: ut quod per morales regulas in Euangelica arte docetur, hoc in ipsis exemplaribus, spiritu formante cernatur. Ars ergo Euangelium est; in quo bene vivendi infallibiles regulæ nobis traduntur. Exemplaria sunt Sancti, quorum nobis vita imitanda proponitur. Quid enim aliud est quilibet, nisi Euangelica forma, Euangelium vivum, Euangelium pictum? Aut, quid legitur in Euangelio, quod non videatur in Sancto? In illo simplicitas, puritas, sanctitas, humilitas, charitas, pietas, mansuetudo, justitia, benignitas, & quidquid aliud Euangelica doctrina commendat, descriptum formatumque foris mirabili pulchritudine cernitur; ut sit inexcusabilis, quisquis in ædificanda conscientiæ suæ domo negligens fuerit. Non enim allegare potest, quia literas non didicerit; quia Euangelium non intellexerit, quia recte vivendi artem nescierit, quam præ oculis suis imitandam in Sanctorum quolibet depictam tenuerit; ut quantumvis rudis & rusticus, quod in libro legere nescit, in Sancto possit intueri. Sic rudibus pueris, dum scribere discunt, a magistro literarum forma proponitur imitanda; ut quod usu & arte non callent, exemplari discant. Talia namque decuit a cœlesti Magistro nobis vitæ exemplaria relinqui, talibus oportuit sacrum Euangelium tabulis exarari. Non in tabulis la-
Exod. 31. pideis, sicut olim in Sina, lex tradita est;
Ibid. 32. non in laminis æreis vel membranis; sed,
2. Cor. 3. ut Apostolus ait: *In tabulis cordis carnalibus:* neque hominis stylo, sed digito Dei sculpi, Ecclesiæque legendum relinqui; sicut olim per Prophetam Dominus facere
Jer. 31. promiserat, dicens: *Feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti... Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Omnes cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.* Attende, quanta sit legis Sinai & legis Sion differentia. In Sina, litera mortua traditur; spiritus vitæ infunditur in Sion. Lex Sinai lapideis tabulis deformatur; lex Sion humanis cordibus inscribitur. Ex Sinai monte lapides deferuntur inscripti: ex monte Sion flammantes codices descenderunt, quibus veluti carbonibus succensus mundus est. Lex mortua, mortuo insculpitur lapidi: lex vitæ, vivo inseritur exemplari.

V. Ecce fœdus novum, valde differens ab antiquo; quoniam antiquum in lapidibus, novum in cordibus exaratum est. Non lego quod Christus in aliquo libro Euangelium suum scripserit, quem Ecclesiæ suæ legendum tradiderit: sed in centum viginti ho- *Act.* 1. mines, velut in centum viginti codices, Spiritum sanctum infudit, quos per orbem universum sparsit, ut viva lex mortuos vivificaret animos, sopitos excitaret affectus. Quid enim sepultis in peccato hominibus mortui codices profuissent? Quantus autem ex his emerserit fructus, testimonio non est opus. Testis est orbis terrarum conversus, testis est idololatria sepulta, testis Ecclesia per totum mundum ab Oriente in Occidentem diffusa. Præcesserat quidem hujus rei figura in duplici illa legis antiquæ latione. Iratus enim Moyses propter *Exod.* 32. reatum vituli primas tabulas fregit, neque a Domino propter hoc reprehensus est, neque dictum est ei a Domino: Cur hoc fecisti? quoniam mysterium in fractione latebat: sed jussus est iterum ascendere, & novas deferre tabulas, quas Deus insculperet. Quare hoc Domine? cur alias sicut priores ipsi non tradis? Non, inquit, sed tu tabulas pones, & ego scribam eas; Spiritu sancto designante per hoc, bis dandam hominibus legem, semel in Sinai, & iterum in Sion: in quarum ultima datione, homo poneret cordis tabulas, & digitus Dei scriberet eas. In prima enim nihil de suo posuit homo; in secunda *3. Reg.* 8. ipse homo, legis Dei factus est tabula. Has præcepit Dominus manere in tabernaculo fœdere sempiterno. Sed ubi nunc illæ tabulæ sunt? Cessit lumini tenebra, umbra figuræ. Agnosco veras legis tabulas in Dei tabernaculo, Sanctos utique in Ecclesia Dei, qui Dei tabernaculo usque in sæculum sæculi non deerunt. Quoniam, etsi eorum caro mortalis sit; sed sanctitatis forma perpetua perseverat: tum propter exemplum relictum, tum propter aliorum Sanctorun perpetuam successionem; quorum licet sit alia persona, vitæ tamen & legis eadem est forma: Deo utique solicite providente, ne suo tabernaculo unquam desit Euangelica forma codicibus vivis inscripta, de quibus per Isaiam Dominus loquitur, dicens: *Populus meus lex mea* *Isaiæ* 51. *in corde eorum.*

VI. Hæc sunt vitæ exemplaria, quæ ascendens in altum Christus populo suo imitanda reliquit: in quibus velut speculis nitidissimis *Gen.* 30. omnis sanctitas & perfectio reluceat. Hæ sunt virgæ multicolores, quas prudens Jacob gregi suo in canalibus ponit, ut earum

aspectu

aſpectu maculoſos & varios virtutum concipiant fœtus. Quæ enim ſimplicis coloris fuerit ovis, pertinet ad Laban. Non enim una
Pſal. 44. ſufficit virtus ad gloriam, ſed vario decoratam vellere, & varietate circumdatam oportet eſſe ovem, quæ Dominico gregi annumeranda eſt. Sed unde hæc in grege varietas niſi ex vario aſpectu virgarum? id eſt, exemplorum varietate, quorum innumeram multitudinem doctrinarum, canalibus in opere
Gen. 32. Sanctorum immixtam, prudens ille Jacob, & verus cum hoſte luctator quotidie populo ſuo objicit intuendam? Quid enim aliud vobis prædicamus, quid aliud in concionibus quotidie facimus, niſi objicere vobis rectiſſimas ac nitidiſſimas virgas, inter fluenta doctrinæ; ut ex variis Sanctorum exemplis, varios virtutum concipiatis affectus? Sed harum virgarum, quædam decorticatæ ſunt in martyrio, quibus candorem præſtitit eximium, in tormento cortex carnis ablatus. Quædam vero in cortice ſuo gratum retinent ſanctitatis virorem, munditiamque cœleſtem. Gratus in illis candor, in iſtis viror. Illas corticis depoſitio candidavit, has corticis viriditas decoravit. Habes grex Dominice in utriſque quod diſcas; ſanctitatem in iſtis, in illis virtutem: in iſtis pudicitiam, in illis conſtantiam, in iſtis quid ſapienter facias, in illis quid animoſe ſuſtineas.

VII. Sed, o miſerandam noſtris temporibus harum virgarum inopiam! Ut martyres enim omittamus: ubi nunc unus Nicolaus, unus Auguſtinus, unus Hieronymus, vel Ambroſius, quem populo Dei videndum
Pſal. 73. objiciamus? Jam non eſt Sanctus, *jam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius.* Quomodo namque cognoſcet deformem gregem, nihil penitus pulchritudinis & varietatis habentem? Hodie, ſi quis non furatur, ſi quis non adulteratur, ſi quis non perpetrator eſt criminum, ſanctus habetur; illos optimos reputamus, quos olim velut tepidos, evomeret accurata perfectio. Exilem
Apoc. 3. atque tenuem virtutum fabricam hodie magnificant, qui templa illa Spiritus ſancti ſplendida non noverunt. Sic enim etiam in
Eſdræ 1. reædificatione templi contigit: ut lætantibus junioribus, qui Salomonis ampliſſimum
cap. 3. templum non viderant; qui viderant ſenes lamentarentur: quia fabricæ antiquæ diſſimilis, nova ſurgebat, & quaſi pro nihilo videbatur ad illam. Ubique hodie canales aquis inundant, ubique ſermones, ubique doctrina; ſiquidem, ut Propheta prædixerat: *Repleta eſt* hodie omnis *terra ſcientia Iſaiæ* 11.
Domini, ſicut aquæ maris operientes; Sed deſunt ubique exempla virtutum, quæ doctrinæ fluentis miſceantur. Ideo aquæ ſolæ ſteriles ſunt: plus enim populus exemplo, quam verbo movetur, & ad formandos in utero fœtus, virgarum, quam aquarum objectio potentior & fœcundior eſt. Clarius enim & perfectius Deus lucet in Sancto, quam in verbo; & altius hæret viſa, quam audita perfectio.

VIII. Quis dicere ſufficiat, quantum ſuo tempore quilibet Sanctorum hominibus profuit? plus utique unius Sancti exemplum & vita, quam congeries numeroſa librorum contulit orbi. *Multitudo enim*, non libro- *Sap.* 6.
rum, ſed *ſapientium, ſanitas eſt orbis terrarum.* Vidit Benedictus (*a*) a cella ſua in cœ- (*a*)
lum ampliſſimam & ſplendidam viam, per quam innumera gentium multitudo ſcandebat in cœlum. Vidit Bernardus (*b*), nume- (*b*)
roſam populi multitudinem a montibus in Claramvallem, ubi fundabat monaſterium, deſcendentem, Deo illis inſinuante, quia per eos plurima multitudo gentium illuminanda eſſet, & in viam ſalutis revocanda, ſicut & factum eſt. Nam, ſub prioris regula quin- (*c*)
que millia (*c*) monachorum catalogo Sanctorum annumerata ſunt; & alterius exem- (*d*)
plo centum ſexaginta monaſteria (*d*) converſis a ſæculo repleta ſunt. O ſegetem ampliſſimam, o mirabilem frugem ex uno tantum Sancto! Longum eſſet hoc in Sanctis ſingulis demonſtrare. Sufficiat nobis unus Nicolaus (*e*): quo Antiſtite Mireorum civitas pe- (*e*)
nitus innovata eſt. Hujus Paſtoris baculum timebat totum ovile. Principes arguebat, judices increpabat, oppreſſiones populi, & injuſtas exactiones tollebat, orphanis pater erat, patronus viduis, pauperibus & egenis unicum erat aſylum; malis terrori, bonis amori, populo venerationi, principibus erat honori. O ſi tales hodie in Eccleſia Antiſtites haberemus! qui non ſeipſos, ſed gregem *Ezech.*
Dominicum paſcerent, neque pro ſuis domi- 32.
bus, ſed pro domo Dei zelarent. Sed hei *Principes tui*, hodie in Eccleſia, *infideles; Iſaiæ* 1.
ſocii furum! Non exactiones prohibent in populo Dei, ſed augent. Reditibus augendis, non paſcendis ovibus incumbunt; quibus melius utique eſſet ovibus annumerari, quam gregi Dominico præeſſe.

IX. Quam varias, in uno Nicolao Dominicis ovibus objicimus virgas! In eo habent infantes & pueri quod æmulentur, habent divites

(*a*) Alludit ad celebrem viſionem, qua S. Benedicto *omnis Mundus velut ſub uno ſolis radio collectus ante oculos adductus eſt*, quemadmodum narrat S. Gregorius Dialog. lib. 2. cap. 35. de qua quidem viſione agit Angelicus Doctor 2. 2. q. 180. art. 5. & Quodl. 1. art. 1. Vide etiam Suarez in 1. part. S. Thomæ lib. 2. cap. 30. ſub finem; & S. Vincentium Ferrer. Serm. de S. Benedicto, pariter ſub fin. ad quem locum forte reſpicit S. Orator.

(*b*) Id refertur in ejus Vita ab Alano conſcripta cap. 6. num. 19. tomo 3. Operum ejuſdem Sancti, edit. Mabillon.

(*c*) Intellige ex uno Monaſterio Caſſinenſi, nam ſi Sanctorum numerum ex toto Ordine S. Benedicti colligere quis velit, ad multo majorem aſcendere comperiet. Alii enim ſupra quinquaginta quinque millia recenſent; alii millionem excedere putant; alii nullo Sanctos illos certo numero definiri poſſe contendunt, & quidem veroſimilius.

(*d*) Idem aſſerit Alanus prælaudatus in Vita S. Bernardi cap. ult. num. 88.

(*e*) Ejus acta habes apud Surium tom. 6. ad diem 6. Decembris.

divites quod imitentur, habent Antiſtites quod ſequantur. Naturalis fere fuit huic puero ſanctimonia, quoniam ab uberibus ſanctus erat. Quomodo non poſtmodum jejuniorum tempore abſtineret a pane, qui uberibus pendens abſtinebat a lacte? Maria Virgo a ſua conceptione, Joannes ab utero, Nicolaus ab ubere ſanctus fuit: ut ex tam præcoci ſanctitate, magnum aliquid portenderetur in parvulo, neque enim facile amittitur ſanctitas quæ cum lacte guſtatur. Audiſtis abſtinentiam infantis; audite nunc zelum Antiſtitis. Jugulandi aderant innocentes ab iniquo judice; præceps in forum vadit: gladium a carnifice abripuit, procul illum projecit, judicem ſevera fronte corripuit, & a morte innocentes juvenes liberavit. Neque hoc ſolum apud judicem, ſed idipſum iterum apud Imperatorem fecit. Sed vobis divitibus ſpecioſiorem in eo virgam proponimus; charitatem ſcilicet, qua ardebat in pauperes. Notorium eſt trium puellarum facinus quod prohibuit; & quam miſericorditer ex ſua pecunia illis dotes exhibuit. Quam bonum & quam gratum Deo ſacrificium, pudicitiam defendere, puellas fragiles maritare! Quanta tibi gloria coram Deo & hominibus, o dives ſæculi, videre in tua civitate viginti aut triginta domos pecunia tua fundatas, & parvulos earum tua pecunia paſtos indutoſque! Quot filias tibi ſpirituales acquireres, ſi decimam partem dotis, ab una carnali filia tolleres, & in hujuſmodi eleemoſynas erogares! Quando te Deus deſereret, quando tibi male eſſet, ſi pro ejus amore hæc & ſimilia faceres? Illos utique parvulos quos induiſti, potentiſſimos advocatos, & acceptiſſimos coram Deo oratores haberes. Numquam tibi Deus miſericordiam ſuam negaret, ſi hanc parvulis ejus miſericordiam ipſe præſtares.

Luc. 1.

X. Audite me o divites & potentes, interrogo vos: Numquid & vos regnum Dei introire cogitatis? Dicetis: utique. Quæro igitur a vobis, qua via ad iſtud pervenire putatis? Vobis ampla domus dulcem præbet ſub tegmine victum, vobis cibus regius, mollis vobis in corpore veſtis, uxor pulchra, ſuppellex multa, longa vobis comitantium turba ſervorum: cuncta vobis rident, votiſque veſtris omnia favent. Unde vobis cœlum? O miram ſtultitiam! Duplicem vos paradiſum poſſidere putatis? Non ergo vobis aſperitatis & crucis via patet; ſed neque orationis contemplationiſque via. Dies enim noctesque negotiis veſtris impenditis; neque miſſas audire vacat, aut una hora cum Domino vigilare poteſtis, neque etiam humilitatis & paupertatis iter arridet; honoribus enim & favoribus hominum exultatis: ubique vobis honor ab omnibus & reverentia præſtatur: glorioſi, purpura & auro veſtiti, ſicut reges inceditis; voluptatibus, honoribus, & divitiis abundatis. Dicite ergo: qua via in cœlum ingredi cogitatis? Utinam conſilium non meum, ſed Domini Salvatoris, audire velitis, qui vobis etiam cœlum aperire dignatur: *Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Hæc ſola vobis via ſalutis: eſt enim eleemoſyna via ad vitam regia, dummodo ex charitate fiat, aliiſque virtutibus, quæ neceſſariæ ſunt & in præcepto, ſit cohoneſtata. Hanc tenete ergo viam, hanc percurrite: nam moribus veſtris, alia vitæ non patet via. Emite mammona cœlum, emite pecunia a pauperibus regnum. Quibuſdam gratis donatur, ut Latroni qui in cruce furatus eſt illud: a quibuſdam hæreditate poſſidetur, ut a baptizatis parvulis, a quibus ſine merito & labore proprio, ſola Chriſti hæreditate poſſidetur; quibus per Prophetam a Domino dicitur: *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini*, id eſt: qui alieno peccato damnati eſtis, alieno merito ſalvabimini. Quidam violenter arripiunt illud; ut Martyres. *A diebus* enim *Joannis Baptiſtæ, uſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quidam vero negotiantur illud; ut Religioſi & devoti fideles, qui precibus & lacrymis, inceſſanter illud efflagitant, & Sanctorum interceſſionibus & bonis operibus procurant. His Dominus ait: *Negotiamini dum venio.* Tandem illud quidam mercantur; ut divites: nam venale eſt. His Dominus in Euangelio conſulit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* cœleſtis gloriæ: quam nobis præſtare dignetur, ille qui ſanguine ſuo mercatus eſt illam, negotiator cœleſtis: cui cum Patre & Spiritu ſancto, eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Mat. 26.

Luc. 11.

Ibid. 16.

Isaiæ 52.

Mat. 11.

Luc. 19.

Ibid. 16.

IN FESTO SANCTI NICOLAI CONFESSORIS ET PONTIFICIS CONCIO SECUNDA.

De definitione Viri Sancti.

Erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Pſal. 1. v. 3.

Concio clxxiv.

I. SÆpe vobis, Fratres chariſſimi, de Sanctis prædicavimus: ſed non diximus hucuſque, quid ſit eſſe ſanctum, aut in quo ſanctitas ipſa conſiſtat, quam veneramur. Hodierno ſermone hoc ſolum diſſerere diſpoſui: ut inde conſtet, quanta & quam vera fuerit ſanctitas Nicolai. Sed hoc quis melius nobis ſuggeret quam Pſalmographus? Ille quippe, quia viam ſanctitatis, in tractatu illo Pſalmorum, Dei populum edocebat,

miro ſapientiæ artificio a diffinitione viri ſancti cœpit; ut primo id diffiniret, de quo erat poſtmodum tractaturus. Omnis quæ de aliqua re ſuſcipitur inſtitutio, ſecundum (a) Tullium (a), debet a diffinitione proficiſci. Qualiter ergo virum juſtum perfectum, & ſanctum depingat; attendite: *Beatus*, in- *Pſal.* 1. quit, *vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet proſperabuntur.* Virum beatum nominat, quem & ſanctum, beatum inquam, non re, ſed ſpe. Qamquam etſi quæ vitæ hujus beatitudo eſt, non in divitiis, non in deliciis, non in honoribus; ſed in virtute & ſanctitate conſiſtit. Sanctum autem dicimus, non quemlibet juſtum, ſed perfectum & conſummatum. Hunc, qualiter diffiniat, audiamus: *Beatus*, inquit, *vir, qui non abiit &c.* Sex ergo conditiones ediſſerit, quibus quiſque ſanctus debeat illuſtrari. Scilicet: quod legem Dei cuſtodiat, quod eam amet, ſapiat, impleat, doceat; & in his omnibus proficiat & perſiſtat.

II. Primum ſanctitatis fundamentum in legis Dei cuſtodia eſt; ut ſolicite curet ab omni peccato & malitia declinare: ut neque abeat in conſilio impiorum, neque ſtet in via peccatorum perſeverando: neque, quod deterius eſt, in cathedra peſtilentiæ ſedeat, alios peccare docendo. Hi enim ſunt gradus, quibus quiſque proficit in malitia. Cathedra peſtilentiæ illa eſt, qua docetur iniquitas. Si quis in hoc negligens fuerit, ſi quis legis Dei contemptor, facilis eſt ad peccandum; quidquid faciat, quidquid ſapiat, quidquid ſuperædificet; quia ſine fundamento, ædificat ad ruinam. Væ contemptoribus præceptorum, etiamſi ſapientia, & lingua Angelica polleant, etiamſi omnibus donis & gratiis decorentur. Quid dicturus eſt Dominus in judicio noſtris his, qui de prophetia, ſapientia, & miraculorum patrationis dono fidunt? Tunc enim confitebitur illis: *quia nunquam novi vos: diſcedite a me* *Mat. 7.* *Luc. 13.* *operarii iniquitatis*. Etiam cum omnia illa portenta faceretis, non agnoſcebam vos. Nihil enim in homine malo, Deo poteſt place- *Sap. 14.* re: cum & ipſe diſpliceat & iniquitas ejus. Unde Pſalmus: *Mane adſtabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens, iniquitatem tu es*. Illo, inquam judicii mane, quod nunquam adveſperaſcet: tunc & judicandus adſtabo, & aperte videbo, quantum tibi diſpliceat iniquitas, quam modo diſſimulas; cum nulla ſapientia, nulla gloria, nulla prophetia, neque ipſa in nomine tuo portentorum operatio, iniquum defendere poterit, ne ſua iniquitate diſpereat. Itaque, obſecro vos Fratres mei, ſi ſalvari cupitis, ſi in bono proficere deſideratis; primum ſuper omnia fundamentum tenete, ut nulla ratione, nulla cauſa, peccatum mortale committatis, neque a lege Dei quomodolibet declinetis. Legis obſervantia per ſe ſufficit ad ſalutem; ſine hac, quidquid habeas, quidquid facias, pro nihilo reputabitur. Et quidem ad juſtitiam hoc ſufficeret; quia ſcriptum eſt: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*.

III. Sed ad ſanctitatem non ſufficit, non ſatis eſt ſancto legem implere, præcepta ſervare; ſed oportet & amplius diligere. Ideo ſequitur: *Sed in lege Domini voluntas* *Pſal. 1.* *ejus*. Multum intereſt inter ſervare legem, & ſic diligere. Juſtus incipiens præcepta cuſtodit quaſi præceptorum funibus alligatus, non agit contraria, quia non licet; facturus forſitan, ſi liceret. Juſto perfecto, id eſt, ſancto non eſt impoſita lex, quia ipſe ſi- *1. Tim. 1.* bi eſt lex. Condelectatur enim legi Dei, *Rom. 2.* quam moribus ſuis conformem invenit, & *Ibid. 7.* in quam ſe penitus affectibus transformavit. Ita ut, ſi liceret peccatum, minime perpetraret; quia ſibi omnino diſſonat & contrarium eſt. Huic jam virtus aſſuetudine longa, & gratiæ Dei adjutorio, quodammodo verſa eſt in naturam. Talis erat qui dicebat: *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion*. Non poteſt ſimilia dicere, qui ſolo *Pſ. 118.* timore tranſgreſſionis, propter verba Dei *Pſal. 16.* cuſtodit vias duras. Qui ergo legem Dei ex juſtitia ſervat; eandem ex intima voluntate amplexetur & diligat, ut ſanctitatis titulum & honorem obtineat. Sed ſi diligit legem, profecto curabit etiam, ut ſapiat eam: unuſquiſque enim in eo delectatur, quod amat. Unde neceſſe eſt, ut in lege ejus, non quidem ad diem, aut per horam, ſed tota vita meditetur die ac nocte. O legis Dei ſcrutinium quam dulce, quam delectabile es his, qui intus experiuntur, quod foris addiſcunt! qui legem Dei ſuſceperunt ſcriptam non in membranis, ſed in tabulis cordis car- *2. Cor. 3.* nalibus, de quibus Propheta: *Populus meus, lex mea in corde eorum*. Teſtes ſunt Anacho- *Iſaiæ 51.* retæ illi Eccleſiæ primitivæ: qui dies noctibus, & noctes diebus, legendo, orando, meditando conjungebant; obliti comedere panem ſuum, quia cœleſti intus ſaginabantur pabulo. Multum & valde multum prodeſt, Fratres, credite mihi, legis Dei aſſidua lectio, & continua meditatio; manna abſconditum eſt, ſuavitate pleniſſimum; quo Dei *Apoc. 2.* populus paſcitur in deſerto, donec fructus *Exod. 16.* terræ promiſſionis attingat. Nullus illud negligit, niſi qui non guſtavit. Hoc quippe facit lectio ſancta in corde, quod aqua in arbore. Radicem voluntatis humore ſpiritus irrigat; ut tempore ſuo fructus bonorum operum grandes emitat. Omnis arbor quæ non irrigatur, aut omnino ſterilis eſt, aut exiles fructus emittit. Ideo ſequitur: *Et* *Pſal. 1.* *erit*

(a) De Offic. lib. 1. poſt initium. *Omnis enim, quæ a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci: ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputetur.*

erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, id eſt, fluenta doctrinarum, *quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*. Hæc eſt quarta conditio: ut qui legem Dei non præterit, qui diligit & amat eam; ſecundum illam fructificare non deſinat, & opere implere quod didicit. Sed neque ſic conſummatus eſt: niſi quod ſapit & implet, alios ſtudeat edocere. Perfectus ille eſt, qui poteſt generare ſimile. Qui ſibi ſoli ſufficientiam obtinuit, nondum perfectionis culmen attigit. Unde Dominus in Euangelio: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*. Hoc eſt quod dicitur: *Et folium ejus non defluet*. Folia enim arboris, folia ſunt ſapientis, quæ non inaniter defluunt, ſed in ſalutem Gentium colliguntur; ſicut in Apocalypſi ſcriptum eſt: *Folia ligni ad ſanitatem Gentium*.

Matt. 5. *Pſal.* 1. *Apoc.*22.

IV. Sed, quid ſi in omnibus his modo creſcit, modo decreſcit, & ſicut luna mutatur? Nondum profecto ſancti cognomen promeruit, niſi in dies augeatur, & creſcat, perſeveret, & proficiat, & ſtabilem in virtute ſortiatur ſtatum. Unde ait: *Et omnia quæcumque faciet, ſemper proſperabuntur*, quod eſt ultimum ſanctitatis præconium. Scriptum eſt enim: *Juſtus, ut palma florebit, & ſicut cedrus Libani multiplicabitur: plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi, & bene patientes erunt, ut annuntient. Non ſic impii, non ſic: ſed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ*. Quam apta & propria comparatio. Juſtus ligno irriguo, florenti, & fructifero; impius pulveri ſterili, levi, & ad nihil aliud, quam ad cæcandum oculos viatorum utili, comparatur. Sicut tenuiſſimus pulvis, ambulantes in via Domini, obcæcat ſocietas impiorum. Qui ſapiens eſt, declinabit ab ea. Pulvis levis & inconſtans peccator, vento tentationis facile tollitur, quia nullo virtutis & gratiæ Dei pondere ſtabilitur. *Optimum eſt*, inquit Apoſtolus, *gratia ſtabilire cor*. Hac ſublata, quid remanet impius, niſi pulvis? Unde Propheta: *Peccatum peccavit Jeruſalem*, ideo *inſtabilis facta eſt*. Hoc quippe inter alia, horrendum & grande malum iniquitas habet; quod hominem reddat inſtabilem, levem, & ad omnem tentationis ventum expoſitum. Hei miſeriam impiorum! Nullum ſui dominium retinent: expoſiti ſunt omni malo, quos captivos diabolus retinet ad ſuam voluntatem. Quid hac animi mobilitate inſtabilitateque infelicius? Quid miſerabilius, quam nulli poſſe pravitati reſiſtere? Si concupiſcentiæ, ſi iracundiæ, ſi invidiæ, ſi avaritiæ, cæterorumque vitiorum tenuis ventus perflaverit; modico flatu rapitur, ſicut palea. *Et quidem*, ſicut Iſaias ait, *neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum; repente flavit in eos, & aruerunt, & turbo, quaſi ſtipulam, auferet eos*. Et in alio loco Pſalmographus inquit: *Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire*. Id eſt, propter peccata & ſcelera ſua, quia contra te in malitiam cordis ſui declinaverunt; ideo, etſi aliquando bona conſilia proponunt & cogitant; non tamen ea animo ſtabilire, neque opere exequi, neque in ipſis perſeverare poſſunt. Unde ſequitur: *Ideo non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in conſilio juſtorum. Ideo*, inquit, ſcilicet propter inſtabilitatem & levitatem ſuam, *non reſurgent impii* a peccatis, etiamſi aliquando reſurgere videantur: neque *in judicio* proprio, neque in conſilio alieno, ſcilicet, *juſtorum*. Nam licet intus ſyndereſis ſtimulat, & foris juſtus exhortatur, & rogat: tamen, miſer experitur in ſeipſo, quod ſcriptum eſt: Quia nemo valet corrigere quem Deus deſpexerit. Unde aptiſſime ſequitur: *Quoniam novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit*.

Pſal.20. *Pſal.* 1. *Eccle.*7. *Pſal.* 1.

V. Attendite Fratres: omnium quæ dicta ſunt, hæc prima radix & fundamentum eſt; ſanctorum ſcilicet prædeſtinatio, & reprobatio impiorum. Illorum viam Deus novit, horum non novit; ideo illorum iter proſperatur, & iſtorum peribit. *Quos* enim *prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos* magnificavit *& glorificavit*. Catena firma & indiſſolubilis eſt: non valet eam rumpere omnis inferni poteſtas, & nequitia dæmoniorum. Vere *Beatus, quem elegiſti & aſſumpſiſti: habitabit* is utique *in atriis tuis*. *Elegiſti* ab æterno; *aſſumpſiſti* in ævo: *habitabit* tecum in gloria in ſæcula ſæculorum. Nemini Deus facit injuriam, Fratres, ſi hunc aſſumit, illum non aſſumit. Exemplo id notum fiet. Si latronum multitudo deducatur ad furcam; & Rex pius ex feneſtra reſpiciens, aliquos eorum miſeratus abſolvat; jure ſuo facit illis gratiam, & aliis non facit injuriam. Neque tamen Dei præſentia vel prædeſtinatio, rebus neceſſitatem imponit: manet namque in homine ad bonum & ad malum arbitrium liberum, quamvis Dei prædeſtinatio infallibiliter implenda ſit. Neque habet excuſationem iniquus, ſi labitur in peccatum, neque meritum bonorum operum ex hoc prædeſtinatus amittit. Quia licet adſit ibi neceſſitas conſequentiæ (*a*); non tamen conſequentis, ſicut Doctores affirmant.

Pſal. 64. *Rom.* 8. (*a*)

VI. Hæc de conditionibus ſancti, & ejus definitione dicta ſufficiant. Nunc comparationem illam prothematis, qua ligno fructifero & irriguo aſſimilatur, diffuſius proſequamur. Apud Joannem in Apocalypſi legimus: in medio plateæ Jeruſalem, fluvium aquæ vivæ ſplendidum tamquam chryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni: in cujus utraque ripa lignum vitæ afferens fructus

*Apoc.*22.

*Hebr.*13. *Thren.*1. *2.Tim.*2. *Iſaiæ* 40.

(*a*) Vide S. Thom. Aquin. quæſt.24. de Verit.art.1. ad 13., & Boetium de Conſol. Phil. lib. 5. proſ. ult. ab ipſo S. Doctore allegatum.

ctus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructus ſuos, & folia ligni ad ſanitatem Gentium. Proculdubio, hic fluvius aquæ vivæ, *Pſal.* 45. cujus *impetus lætificat civitatem Dei*; ille *Joan.* 7. eſt, de quo Salvator in Euangelio ait: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluvent aquæ vivæ.* Quod exponens Euangeliſta ait: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* *Iſaiæ* 8. Iſtæ ſunt aquæ Syloe, quæ fluunt cum ſilentio: aquæ dulciſſimæ, aquæ ſaluberrimæ, aquæ mundæ, aquæ fertiles, & fructiferæ in *Gen.* 2. vitam æternam ſalientes. Hic fons ille inundans ſpiritus, cordis noſtri terram inebrians & impinguans, qui per oculorum meatus in varios lacrymarum rivulos derivatur; quibus anima ſancta, velut Dei paradiſus irrigata & fœcundata floret & vernat. Sunt enim quatuor ejus flumina, ſcilicet, contritionis, compaſſionis, devotionis & gaudii; quorum irriguo meatu, omnis Dei hortus fœcundatur & viret. Si qua arbor, ſi qua planta, harum aquarum humore non tangitur; aut ſiccatur omnino, aut, ſicut diximus, marcidos fructus emittit. Felix homo, qui radicem, id eſt, voluntatem ſuam his liquoribus irrigare conſuevit: qui ſecus decurſus aquarum iſtarum plantatus, continue ſalubres in ſeipſo bibit humores. Unde, Fratres, putatis tanta in nobis ſterilitas, & ad omne opus bonum, tanta & tam gravis difficultas, niſi ex ſiccitate radicis? quia, ſcilicet, ſtillicidia illa cœleſtia non ſuſcipimus, quia rorem illum inebriantem animam penitus ignoramus: terrenis impliciti, temporalibus involuti, ſpiritualibus cœleſtibus infuſionibus irrigari nequimus; & ideo ad omnem fructum boni operis aridi & ſteriles invenimur. Animæ devotæ & fervidæ, quæ devotionis & charitatis humores quotidie, aut continue in ſua radice percipit, quæ hujuſmodi lacrymarum fluentis irrigari aſſidue conſuevit, credite mihi, nihil eſt ad operandum difficile. Sed, incaleſcens, cum æſtuans e cœlo tempus arriſerit, in grandi nu- *Cant.* 2. mero & multitudine ficulnea hæc groſſos ſuos emittet, juxta iſtum fluvium ex Dei ſede procedentem, ſplendidum & cryſtalli- *Iſaiæ* 26. num. *Ros* enim *lucis ros tuus*, ſicut Propheta ait: ſecus harum aquarum fluenta ex utraque ripa ſanctorum ordines plantati inveniuntur in civitate Dei, quorum abundantia multiplices per annum, & varios Domino ſuo fructus reddunt. Neque folia eorum, id eſt, verba defluunt aliquando; ſed ad ſanitatem Gentium avidiſſime expetuntur. Omne enim quod in viro ſancto eſt, ſalutiferum eſt: vita, converſatio, verbum, veſtitus, inceſſus, cibus, potus, motus, geſtus, opus: omnia ad ſanitatem Gentium: quidquid facit, quidquid loquitur, quidquid oſtendit: videntium populorum ſalus & vita eſt.

VII. Ad has aquas plantatus Sanctus fructum dat, non quemlibet; ſed ſuum: & non quandolibet: ſed in tempore ſuo. Sunt enim, qui fructum non faciunt; ſunt qui faciunt; ſed non ſuum, ſed non in tempore ſuo, ut inquit Bernardus (*a*). Arbores enim ſylveſtres, ut quercus, robur, & ulmus, fructum nullum faciunt: aut ſi quem faciunt, non humano, ſed porcino eſui aptum. Tales ſunt filii hujus ſæculi carnaliter viventes; quorum, ſi quæ bona opera eſſe videntur, quia non ex charitate Dei, ſed ex quadam radice corrupta procedunt, in cibos porcorum degenerant. Illa enim opera eleemoſynarum & jejuniorum, quæ ſi ex charitate fierent, vitæ meritoria eſſent; propter inanem gloriam & humanam laudem effecta, in peccata & vitia convertuntur. Aliæ autem fructum faciunt, ſed non ſuum, ut quæ alieno trunco inſertæ, non proprium ſed alienum fructum emittunt. Tales ſunt Religioſi negotiatores, qui deſerentes clauſtrum, ſilentium, & chorum, & cætera, quæ ſtatui ſuo principaliter conveniunt; tota die per vicos & plateas negotiis quibuſdam pietatis, ut ipſi dicunt, implicantur: quæ utique opera, etſi aliis bona eſſent, ſibi tamen minime conveniunt. Tales quoque ſunt Sacerdotes, qui relicto altaris miniſterio, & iis quæ divino cultui neceſſaria ſunt, regendorum populorum gubernationi deſerviunt. Tales Pontifices, qui gregis Dominici cura & propria Diœceſi relicta; aut Regibus in curia conſiliarii accedunt, aut publicorum negotiorum præſidentiam recipiunt. Tales milites qui in otio & vitio degentes, relictis armis & populi Chriſtiani defenſione, poſt crateres & vina de ſublimibus diſputant, & ſapientiores ſibi videntur ſeptem viris proferentibus ſententias. *Prov.* 26. Tales ſunt etiam matronæ nobiles, quæ nutriendorum filiorum & regendæ familiæ cura neglecta, curioſe per vias diſcurrunt, peregrinationes ſibi minime debitas frequentantes. Hi enim, & ſimiles, fructum quidem faciunt; non ſuum, ſed adulterinum, ac propterea Deo minime gratum. De quibus Sapientiæ cap. 4. *Multigena impiorum multitudo non erit utilis, & ſpuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt. Et ſi in ramis in tempore germinaverint, infirmiter poſita a vento commovebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconſumati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* *Sap.* 4.

VIII. Quid opus eſt alienum officium uſurpare? Agat quiſque quod ſuum eſt. Nunquid ſi oculus audire vellet, aut pedes palpare cuperent, toti corpori nociva nimis non eſſet hujuſmodi officiorum permutatio? Ita, Fratres, ſecundum Apoſtolum, corporis Chriſti membra ſumus: alius oculus, alius auris, alius pes, alius manus, alius os. Unuſquiſ- *1. Cor.* 6.

(*a*) Vide Serm. in Feſto S. Benedicti num. 5.

1.*Petr.* 4. que officium ſuum exerceat; & ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtret, ne in Dominico corpore confuſio fiat; & dum unumquodque membrum officium alterius inordinate affectat, proprium agere inſipienter omittat. Aliæ autem arbores fructum ſuum faciunt, ſed non in tempore ſuo: ſed præcocem valde aut ſerotinum. Anticipant enim tempus fructificandi hypocritæ, qui prius cupiunt docere, quam diſcere; & qui domui ſuæ adhuc præſidere neſciunt, Eccleſiæ Dei præſidere ambitioſiſſime procurant.

Job 8. Quos bene beatus Job, ſcirpo comparat, qui ſimul oritur & producit germen. De his etiam Iſaias: *Ante meſſem totus efflоruit, & immatura perfectio germinabit.* *Iſaiæ* 18. Horum fructus duri & acerbi eſſe ſolent. Et quoniam immaturi ſunt, edentium dentibus generant ſtuporem. E contrario autem ſerotinos & putridos fructus emittunt, qui ad ultimam ſenectutem & teſtamenta, & bona opera & eleemoſynas differunt. Qui cum in juventute lubrici & avari ſemper extiterint; tunc de continentia gloriantur, quando nequeunt exercere libidinem: & tunc affluenter pauperibus eleemoſynas erogant, quando jam, non ſua, ſed filiorum ſunt, quæ donantur. Super hoc Eccleſiaſtes conſulit, dicens: *Me-* *Eccle.* 12. *mento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent. Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conterratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam, & revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et Dominus in Euangelio:

Joan. 9. Operamini dum dies eſt: veniet nox, quando nemo poterit operari. Cum enim tam brevi tempore conceſſum ſit fructus colligere, quibus perpetuis poſtmodum temporibus perfruamur: ſtultum eſt, vel ad horam a fructificando vacare. An ignoramus, quia

Pſ. 127. ſcriptum eſt: *Labores manuum tuarum quia manducabis; Beatus es & bene tibi erit?* Ita-

Galat. 6. que, *dum tempus habemus, operemur bonum;* ne nos fructificandi tempus prætereat & ſterilitatem noſtram poſtmodum deploremus. Fi-

Marc. 11. culneam ſterilem Dominus maledixit, etiam cum ficorum tempus non eſſet. Quid, ſi eſſet?

IX. Unde horum non inſcius B. Nicolaus: ne vel ipſa ejus infantia a fructibus eſſet aliena, ab uberibus fructificare feſtinat. Non diſtulit in ſenectutem jejunia, ſed neque juventutem expectat; ſed biduo in hebdomade abſtinebat a lacte. O mirum lactis jejunium! Quis audivit umquam tale? quis vidit huic ſimile? Puer vero non ludis, non cachinnis, non veſtibus & poculis, ut illa ætas aſſolet, indulgebat: ſed Eccleſiam Dei frequentans, ſacrificiis & orationibus aſſidue intererat. Omnis ejus voluptas in Dei obſequio & divinis laudibus erat; altari frequens, convivio rarus; ſed ſemper illud Pro-

Thr. 3. phetæ mente & opere profitens: *Bonum eſt viro cum portaverit jugum ab adoleſcentia. Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia levavit ſe ſuper ſe.* His itaque inundantium chariſmatum fluentis ſæpius irrigata plantula, in arborem grandem & excelſam nimis evaſit. Creatus poſtmodum Epiſcopus, bone Deus, quales ac quantos fructus emiſit! Quam bene illi congruit illud Prophetæ: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, voca-* *Jer.* 11. *vit Dominus nomen tuum!* Nam, etſi ad omnia virtutis genera fertilis & proclivis erat; tamen ea quæ pietatis ac charitatis ſunt, propenſius exhibebat. Sic, Fratres, filios veſtros educate, ſic illos imbuite, ſi viros optimos eos efficere deſideratis. Credite mihi: multum ad virtutem confert pia puerorum educatio. Quoniam, qualis quiſque planta fuerit in principio: talem poſtmodum arborem reddet. Unde putatis, filios jam juvenes diſcipulos, lubricos, rebelles, contumaces, ſuperbos, & inobedientes ſuſtinetis, niſi quia pueros delicate & indulgenter enutriſtis? Nunc enim, juſto Dei judicio, veſtræ indulgentiæ vices vobis reddunt, quia ita in perfecto fieri oportuit, ut neque timeant, neque revereantur canos veſtros; quoniam timere revererique Deum parvulos non docuiſtis. Merito enim veſtro, quos improbos educaſtis, patimini contemptores. Quam ſanctum & pium eſt, ut pueri vacent Dei laudibus, devotioni ac pietati aſſueſcant. Qua ſolicitudine Prælati Eccleſiarum, illorum inſtitutioni virum gravem, pium, & honeſtum providere deberent, a quo inſtituerentur in moribus, & pie & modeſte vivere docerentur! Quid Deo gratius, & populo Dei utilius eſſe poſſet quam hujuſmodi puerorum inſtitutio? niſi forte divites habere filios quam bonos, ſatius exiſtimetis.

X. Beatus itaque Nicolaus, quia ſecus decurſus aquarum ab infantia ſua plantatus fuit, mirabiles poſtmodum in Eccleſia fructus edidit. O ſi nunc plures tales arbores haberemus, ex quibus virentes ramos, in via decerptos coram jumento, cui inſidet Chriſtus, prædicatores ſterneremus! Noſtis, Fratres, hiſtoriam: cum Dominus jumento inſidens, ſanctam civitatem intraret; Apoſtoli veſtes jumento impoſuerunt, ut ſuper eas Dominus inſideret. Alii veſtes in via extendebant, alii ramos de arboribus præcidebant, ſternentes ex eis viam ut jumentum Domini pertranſiret. Jumentum cui Dominus conſidet, populus fidelis eſt, in quo per fidem & charitatem Dominus inhabitat, & pergit in Jeruſalem. Hoc jumentum Apoſtolici viri multis variiſque documentis tamquam veſtibus ornant, ut in eo ſedeat Chriſtus. Non enim aſcendit ſuper illum, quem hujuſmodi Apoſtolico ornatu non viderit præparatum. Doctrinis itaque variis & peregrinis nolite abduci: ſed Apoſtolica vobis indumenta perquirite, ſi talem cupitis aſcenſorem deferre. Alii autem veſtes ſuas non ſuperimponunt, ſed ſternunt, monſtran-

ſtrantes viam per quam vadat. Hi ſunt qui bonis operibus & exemplis Dei populum præeuntes, viam ſalutis oſtendunt, & a via Domini ſalebras & offendicula tollunt. Qui vero de ſuo non habent quid apponant, ſimiles mei Prædicatores ſteriles & inanes ad arbores altiſſimas accurentes, ramos ab eis virides & florentes præcidunt, quibus coram Domino feſtum agant. Ramos, inquam, olivarum & palmarum: quorum alterum miſericordiam, alterum victoriam deſignat. Tales vobis hodie ab iſta arbore ramos projicimus, tales vobis proponimus, Fratres. O qualis ramus olivæ puellarum illa dotatio, qua & caſtitati & inopiæ illarum miſericorditer & liberaliter vir Dei providit! Quales rami etiam olivarum, præſidia, tum militum, tum juvenum, quos jamjam jugulandos de carnificis gladio clementiſſime liberavit! Sed quales etiam palmarum rami virilis illa Imperatoris reprehenſio, & dura objurgatio magiſtratus, cum eos de crudelitate & ſeveritate nimia auſteriſſime reprehendit! Non utique ſupplex orator acceſſit, ſed Pontificis authoritate terribilis increpator & objurgator apparuit. Vide, quid authoritatis ſanctitas hominis conferat. Hos vobis & ſimiles ramos ab hac arbore, Fratres, objicimus. Videte, ne a via ſtrata aliorſum declinetis. Non vos decipiant dogmata peregrina. Væ, qui coram Domini, jumento offendicula ponunt; væ, qui illud a via recta declinare faciunt: ſuo tempore pœnas luent. Vos autem, ſi dogmata & veſtigia Sanctorum ſectantes, ſtratam veſtibus & ramis florentibus viam non deſerueritis, in cœleſtem Jeruſalem cum ipſo ſeſſore Chriſto gaudenter & ovanter introibitis, & paratam vobis ab initio gloriam poſſidebitis: quam nobis præſtare dignetur, qui eam præſtitit Nicolao, pius & miſericors Chriſtus, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI CONCIO.

QUIBUS ARMIS DUODECIM APOSTOLI MUNDUM VICERINT; ET QUOMODO COLUMNÆ FACTI SINT IN TEMPLO DEI.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Apoc. 3. v. 12.

* CONCIO CLXXV.

I. DUÆ partes: prima, quomodo vicerit: ſecunda, quomodo factus ſit columna per Apoſtolatum. Sanctus P. Auguſtinus (*a*) in lib. de civitate Dei: Maximum Dei miraculum, quod duodecim homines pauperes & ſimplices mundum vicerint & perſuaſerint ei tam difficilia ad credendum, & tam difficilia ad operandum. Manus Domini fecit hoc. Sed quibus armis? Pſalmus: *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: ut faciant in eis judicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus.* Ergo: *Gladii ancipites in manibus eorum.* Gladius eſt verbum Dei. Anceps, quia vita & miraculis ſplendebat. Adverſus Jericho itum eſt ad prælium cum tubis, lampadibus, cum lagenis. Inuſitatus iſte fuit ordo præliandi. Cecinerunt tubis, & ſiniſtris lagenæ tenebantur; intra lagenas autem ſunt miſſæ lampades, confractis vero lagenis lampades oſtenſæ ſunt, quarum coruſcante luce hoſtes territi in fugam vertuntur. Deſignatur in tubis clamor prædicantium, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis, quæ manibus comploduntur & rumpuntur, operatio denotatur. Armati ergo venerunt, ſed duce ſuo ad prælium Apoſtoli, martyres noſtri, ſed tubis, ſed lagenis, ſed lampadibus. Qui ſonuerunt tubis dum prædicarunt; confregerunt lagenas, dum ſtrenue decertando ſolvenda in paſſione ſua corpora tradiderunt: reſplenduerunt lampades, dum poſt ſolutionem corporum miraculis coruſcarunt. Moxque hoſtes in fugam converſi ſunt: quia dum mortuorum Apoſtolorum corpora miraculis coruſcare conſpiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, ut lagenæ frangerentur; lagenæ fractæ ſunt, ut lampades apparerent; apparuerunt lampades, ut hoſtes in fugam verterentur: id eſt, verbo & exemplo docuerunt ac prædicaverunt Apoſtoli, donec eorum corpora in martyrio ſolverentur; corpora eorum in morte ſoluta ſunt, ut miraculis coruſcarent;

Pſ. 149.

Epheſ. 6.

Joſuæ 6.

(*a*) De Civit. Dei lib. 22. cap. 5.

rent; coruſcarunt miraculis, ut hoſtes ſuos ex divina luce proſternerent: quatenus nequaquam Deo erecti reſiſterent, ſed eum ſubditi formidarent.

II. Et notandum quod ſteterunt ante lagenas, fugerunt ante lampades, quia nimirum perſecutores ſanctæ Eccleſiæ fidei prædicatoribus Apoſtolis adhuc in corpore poſitis reſtiterunt; poſt ſolutionem vero corporum, apparentibus miraculis, in fugam verſi ſunt, quia pavore conterriti a perſecutione fidelium ceſſaverunt. Prædicatione ſcilicet tubarum, fractis lagenis corporum, viſis timuerunt lampadibus miraculorum. Jericho, Fratres, typum habuit mundi hujus; ſicut enim tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt: ita & nunc oportet, ut civitas mundi, id eſt, ſuperbia cum turribus ſuis, avaritia ſcilicet, invidia, atque luxuria, ſimul cum populis, id eſt, omnibus concupiſcentiis malis, aſſidua ſacerdotum prædicatione, & ſana ac ſancta converſatione, etſi non martyrio, deſtruatur atque diſpereat. Non ergo oportet ut ſacerdotes in Eccleſia taceant: ſed audiant Dominum dicentem: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.* Clamare ergo jubemur & vehementer clamare. Ne parcas, inquit, id eſt, peccatoris iniquitati, ne tacendo parcas: & dum verecundiæ ejus conſulis, non conſulas ſanitati, ne vulnera illius quæ clamando reſecare poteras, reticendo in pejus enutrias. Clamare ergo jubemur, & ne quis ſe non audiſſe dicat, aut quemquam vox lateat ſacerdotis, vehementer clamare. Et ne forte hoc ipſum non ſufficeret, addit, dicens: Sicut *tuba exalta vocem tuam*. Scitis quod tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quam terroris: non tam delectationem præferre, quam inferre formidinem. Tuba itaque peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolum aures eorum penetret, ſed & cor concutiat, nec delectet cantu, ſed caſtiget auditu, & ſtrenuos quoſque hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis. Nam ſicut in prælio tuba, formidoloſi militis mentem dejicit, & animum fortis accendit; ita & ſacerdotalis tuba, quæ manu utique & ore vehementer perſtrepit, nec verbo tantum ſed & opere perſonat, mentem peccatoris humiliat, animos viri ſancti corroborat.

III. Denique ſacerdotalibus tubis Jericho muri, qui intra ſe continebant peccatorum populum, corruerunt: non illos pulſavit aries, non expugnavit machina, ſed quod mirum eſt, ſacerdotalis ſonus aut tubæ terror evertit. Muri qui adverſus ferrum inexpugnabiles extiterant, ſacra tubarum voce colliſi ſunt. Quis enim non ſtupeat in illo facto ſaxa ſono dirupta, fundamenta clangore eſſe quaſſata, & ita univerſa collapſa & expugnata forinſecus, ſono juſtorum, intrinſecus habitacula peccatorum? Sed hæc omnia in figuris facta eſſe, quæ de civitate hac ſcripta ſunt, non dubium eſt. Nam ſacerdotales illius temporis tubas quid aliud præfiguraſſe credimus, quam hujus temporis ſacerdotum prædicationes, per quas non ceſſant peccatoribus terribili ſono auſterum judicium nuntiare, triſtem gehennæ interitum prædicare, & quodam comminationis ſtrepitu aures delinquentium verberare? Sicut enim tunc tubarum clangor deſtructis cæmentorum muris ad populi interiora pervenit, ita nunc ſacerdotum prædicatio deſtructis pravis cogitationibus ad animæ nuda pertranſit. Et ſicut ſacræ vocis ſonus contumacem populum deſtruxit & captivavit, ita & nunc ſacerdotalis prædicatio populum peccatorem ſubjugat.

IV. Septem quoque diebus, ſicut Scriptura dicit, muri Jericho ſacerdotalibus tubis circumdati ceciderunt. Unde nos *ſpiritualibus ſpiritualia comparantes*, dicimus, quod hoc ſeptenario numero, nunc per ſacerdotes Dei non tam una civitas deſtruitur, quam totius mundi iniquitas diſſipatur. Nam ſicut in ſingularis urbis nuncupatione univerſus mundus figuratur, ita ſeptem dierum circulo totius mundi ſpatia diſtinguuntur, per quæ ſacerdotalium prædicationum tubæ ipſi ſæculo excidium annuntiant, & judicium comminantur: ſicut ſcriptum eſt: Quoniam mundus peribit, & omnia quæ in mundo ſunt. Intuendum eſt etiam id quod illic ſcriptum eſt: quia in dextera tubas, lagenas autem in ſiniſtra tenuerunt. Pro dextero enim habere dicimur, quidquid pro magno penſamus; in ſiniſtro vero, quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic ſcriptum eſt, quod in dextera tubas, lagenas autem in ſiniſtra tenuerunt: quia verus prædicator pro magno habet gratiam prædicationis, corporum vero utilitatem pro minimo. Quiſquis enim plus facit utilitatem corporis, quam gratiam prædicationis, in ſiniſtra tubam atque in dextera lagenam tenet. Si vero priori loco gratia prædicationis, & poſteriori utilitas corporis: certum eſt, quia in dextris tubæ, in ſiniſtris lagenæ teneantur. Hinc Dominus in Euangelio ait: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum.* In modio enim commodum temporale, in lucerna autem lux prædicationis accipitur. Lucernam ergo ſub modio ponere, eſt propter temporale commodum gratiam prædicationis abſcondere, quod nemo utique electorum facit. Et bene illud additur: *Sed ſuper candelabrum.* In candelabro enim ſtatus corporis deſignatur, cui lucerna ſuperponitur, dum eidem corpori cura prædicationis antefertur. En munus Apoſtolicum, prædicatoris officium per tubam & in framea bis acuta, ſive gladio ancipiti præfiguratum & prolixius tibi delineatum. *Et gladii,* inquit, *ancipites in manibus eorum.* Sed cur *in manibus* potius quam in linguis eorum

Iſaiæ 58.

Joſuæ 6.

1. *Cor.* 2.

Joan. 2.

Matt. 5.

Pſ. 149.

(a) S. P. Auguſtinus (a), in Pſal. 149. In manibus dixit in poteſtate; acceperunt enim Apoſtoli ſermonem Dei in poteſtate, ut ubi vellent dicerent, cui vellent dicerent, & non timerent poteſtatem. In manibus enim habebant gladium, qua volebant vibrabant, verſabant, percutiebant: & hoc totum erat in poteſtate prædicantium Apoſtolorum; nam ſi non eſſet in manibus ſermo; ne forte aliquis dicat: Quomodo ſermo eſt gladius bis acutus, & quomodo in manibus? Si ſermo non eſt in manibus; quare ſcriptum eſt: *Fa-*
Aggæi 1. *ctum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ?* Quid eſt in manu ipſius factum, niſi in poteſtate illi datum eſt, prædicare ſermonem Domini? Poſtremo, poſſumus etiam has manus aliter intelligere: nam qui locuti ſunt, in lingua habuerunt ſermonem Dei, qui ſcripſerunt, in manibus. Ergo frameæ bis acutæ ſive *gladii ancipites in manibus eorum*.

(b) V. Jam, Fratres, vidiſtis (b) Apoſtolos ancipiti gladio armatos; attendite nunc ſtrages, attendite glorioſos triumphos, attendite vindictam. Quid fecerunt ergo iſti habentes in manibus gladios ancipites, frameas bis acu-
Pſ. 149. tas? *Ad faciendam*, inquit, *vindictam in nationibus, increpationes in populis*. Videte ſi non eſt vindicta facta in gentibus: quin imo, quotidie ipſa fit; hoc enim agimus & nos loquendo & prædicando. Attendite quomodo cæſæ ſunt gentes. Bellant Sancti, educunt frameas bis acutas, fiunt occiſiones, ſeparationes. Illi quando poterant, occidebant Chriſtianos, ſed Deum non confringebant; modo pagani extinguuntur, & idola eorum franguntur. Sed quando extinguuntur, niſi cum Chriſtiani fiunt? Quæro paganum, non invenio; Chriſtianus eſt, ergo mortuus eſt, ergo extinctus eſt: nam ſi non
Actor. 10. extinguuntur pagani, unde Petro dictum
Ibid. 9. eſt: *Occide & manduca*. Unde ipſe Saulus occiſus eſt perſecutor, & Paulus erectus eſt prædicator? Quæro Saulum perſecutorem & non invenio: occiſus eſt: a quo? A Chriſto.
Gal. 2. Ideo confitens & confidens dicit: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*. Quomodo illi fit, ſic & per illum: etenim cum factus eſſet prædicator, accepit & ipſe in manibus frameam bis acutam ad faciendam vindictam in gentibus. Et ne vere putares homines ferro percuti, ſanguinem fundi, vul-
Pſ. 149. nera in carne fieri; ſequitur & exponit: *Increpationes in populis*. Objurgatio, quæ eſt? Correptio. Procedat ex vobis framea bis acuta: nolite ceſſare, dedit illam vobis Deus pro modulo veſtro, quam copioſe dedit Apoſtolis ſuis. Dic amico tuo, ſi tamen remanſit cui dicas: Qualis homo es tu qui idola colis, qui dimittis eum a quo factus es, & adoras quod feciſti? melior eſt faber quam quod fabricat faber. Si fabrum adorare erubeſcis; adorando quod faber fecit, non erubeſcis? Cum cœperit erubeſcere, cum cœperit compungi, feciſti vulnus de framea, pervenit ad cor, mortuus eſt ut vivat. Ergo frameæ bis acutæ, ſive *gladii ancipites in manibus eorum*, hoc eſt Apoſtolorum & prædicatorum, ad faciendam vindictam in gentibus, objurgationes in populis.

VI. Ut alligent *Reges eorum in compedi-* Ibidem.
bus, & nobiles eorum in vinculis *ferreis*. Expoſuimus quomodo de frameis cadant ut exurgant, ſeparentur ut congregentur, vulnerentur ut ſanentur, moriantur ut vivant: ſed quomodo exponemus: *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis?* Gregorius (c): Per Reges eos (c)
intelligas, qui animorum ſuorum motus ſecundum Dei voluntatem dirigunt, eiſque Regum more dominantur, dum in rationis eminentia, quaſi in regali ſolio præſidentes repugnantia quæque ſervituti ſubjiciunt, & pacatis omnibus, æquitatis & innocentiæ jura in ſeipſis diſponunt. Sive etiam eos, qui populis præfecti, in rerum culmine ſtare videntur, dum divitiis affluunt, honoribus cumulantur, terreni præeminent dominatione imperii, & gloria mundanæ potentiæ extolluntur; in ipſa cordium directione ſerviunt, & religionis Chriſtianæ documenta tenentes, orthodoxæ fidei jugo mentis colla ſupponunt. Tales novimus effectos reges gentium & nobiles eorum, idololatras diſſolutos, aliquando ſine lege. Novimus eos divini verbi prædicatione, objurgatione captivaſſe intellectum in obſequium fidei, Reges
2. Cor. 10. Pſal. 2. ac Principes terrenos, qui prius convenerant in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus, aliquando longe a Chriſto, novi-
Epheſ. 2. mus factos prope in ſanguine Chriſti. Converſa ſunt corda hominum (d) ad timorem (d)
Chriſti, cœperunt Reges, cœperunt nobiles miraculis commoveri, prophetiæ adimpletione turbari, videre in unum concurrere genus humanum. Et quid facerent? Multi elegerunt ignobilitatem, & dimittentes domos ſuas, & ſubſtantias ſuas diſtribuentes pauperibus, cucurrerunt ad perfectionem. Tali imperfecto dicitur a Domino: *Si vis*
Matt. 19. *perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me*. Multi ex nobilibus fecerunt hoc, & ceſſaverunt iſti nobiles eſſe gentium, elegerunt paupertatem in ſæculo, nobilitatem in Chriſto, tenent regias poteſtates, & ſic ſunt Chriſtiani; ipſi ſunt tanquam in vinculis ferreis. Unde hoc? Ne pro-

(a) In Pſal. 149. num. 11. in fin. uſque ad ea, *gladii ancipites in manibus eorum*, ex S. Parente hauſta ſunt.

(b) Ab his verbis uſque ad ea, *Gregorius: Per Reges, &c.* S. P. Auguſtini verba ſunt, paucis exceptis, deducta ex Enarr. in Pſal. 149. num. 12. & 13.

(c) Moral. lib. 26. cap. 28. num. 53.

(d) Ab his verbis uſque ad ea, *per totum mundum, & per univerſas gentes hoc Sancti agunt, & ſic glorificantur:* S. P. Auguſtini verba ſunt in Pſal. 149. num. 13. 14. & 15. nonnihil tamen variata.

progrederentur ad illicita, compedes acceperunt, compedes sapientiæ, compedes verbi Dei. Sed quare vincula ferrea & non aurea? Ferrea sunt quandiu timent; ament & aurea erunt. *Timor enim non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem.* 1. Joan. 4. Quia timor tormentum habet, hoc est, vinculum ferreum: & tamen, nisi a timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. *Initium* namque *sapientiæ, timor Domini.* Eccli. 1. Incipit ergo a vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de sapientia: *Dedi armillas in manibus tuis, & torquem* aureum *circa collum tuum.* Ezech. 16. Non tibi imponeret torquem aureum, nisi primum ut compedibus ferreis te alligasset: sed cœpisti a timore, consummaris ad sapientiam. Dan. 5.

VII. Quam multi sunt qui propterea nolunt male facere, quia gehennam timent, quia cruciatus timent, & nondum amant justitiam? Si illis promitteretur impunitas, & diceretur eis: Facite quod vultis securi, impunitum erit vobis: emitterent progressus libidinum suarum in quæque nequissima. Et maxime, Fratres mei, maxime Reges & nobiles, quibus non facile dicitur: Quid fecisti? Nam pauper homo, etsi non timeat Deum; quia nullarum virium est, nullarum facultatum; ne, cum se commoverit, in supplicium rapiatur, cessat timore hominis, etsi non Dei: potentes autem mundi, Reges, nobiles, nisi deum timeant: quid timebunt? Sed prædicatur illis, & percutiuntur framea bis acuta; dicitur illis: quia est qui ponat ad dexteram, alios ad sinistram: ut dicat eis qui a sinistris sunt: Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus. Matt. 25. Nondum diligunt justitiam, sed timent pœnam: jam acceperunt compedes, & in vinculis ferreis erudiuntur. Venit ad nos potens homo de sæculo: offendit illum uxor sua, aut forte concupivit alterius pulchriorem, aut alteram ditiorem: vult dimittere eam quam habet, & non facit: audit a servo Dei: Non licet tibi habere uxorem proximi tui; & non facit. Marc. 6. Audit ab eo in cujus manibus est framea bis acuta: non licet tibi, non permittit Deus dimittere uxorem, excepta causa fornicationis. Matt. 5. Audit hoc, timet & non facit: pedes leves jam progrediebantur in lapsum; compedibus tenentur, habet vincula ferrea, timet Deum. Dicitur illi: Damnabit te Deus si feceris: judex est supra omnes: audit gemitum uxoris tuæ; reus teneberis in conspectu ejus. Hac concupiscentia blanditur, hac pœna deterretur; ibat enim ad consentiendum pravæ cupiditati, nisi vincula ferrea retinerent. Dicam quod plus est. Sed dicat: Continere jam me volo, nolo jam uxorem. Quid si tu vis & illa non vult? Nunquid per continentiam tuam debes illam facere fornicariam? Non vult tali lucro Deus compensare tale damnum. Redde debitum: & si non exigis, redde. Audit hoc & timet, & concutiuntur vincula ejus. Audit

A quia vinculis ferreis constrictus est; durum enim est ac vinculum ferreum: *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* 1. Cor. 7. Durum est inquam; & quando Dominus hoc dicit, ostendit quia ferreum vinculum est.

VIII. *Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.* Ps. 149. Per totum mundum & per universas gentes hoc Sancti agunt, & sic glorificantur. Hæc Ps. 45. sunt prodigia tua Domine quæ posuisti super terram. Exemplum de Petro intrante Romam: exemplum de Paulo disputante Athenis: de Thoma docente ac terrente gentem ferocem. Confusi sunt: *Absorpti sunt juncti* Ps. 140. B *petræ judices eorum. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Ps. 63. Ecce, misit oves in Matt. 10. medio luporum, & tamen vicit lupos, vicit leones per hædos. *Catuli leonum rugientes,* Ps. 103. *ut rapiant, & quærant a Deo escam sibi;* id est, seducant a vera fide ac Christi orthodoxa religione famulos Dei. *Escam sibi;* tamquam escam eos sibi incorporando, per execrabiles suas doctrinas ac perversa dogmata, insidiantes ovibus, ac velut frendentes leones nitentes illas devorare. Sed ecce, dum misit oves in medio luporum, dum Matt. 10. C catuli leonum rugiunt ut quærant a Deo escam sibi, vicit lupos, vicit leones per oves, dum catuli, non illius, qui tamquam 1. Petr. 5. leo rugiens circuit quærens quem devoret; sed leonis de tribu juda, vincunt & rapiunt Apoc. 5. prædam de faucibus diaboli, & quasi dentibus suis eas masticantes, Ecclesiæ illi incorporantur, & corpori mystico in alimentum astipulantur. Intueor enim, nescio quomodo, Sanctos quasi dentes Ecclesiæ præcidere ab erroribus homines, atque in ejus corpus emollita duritia, quasi demorsos mansosque transferre. His dentibus dictum est Petro, Act. 10. D ut manducaret, mactando animalia, id est, occidendo in gentibus quod erant, & transmutando in id, quod ipse esset. Et de his dentibus Ecclesiæ dicitur: *Dentes tui sicut* Cant. 4. *greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus & sterilis non est inter eas.* Qui enim recte præcipiunt, & quemadmodum præcipiunt, ita vivunt; qui faciunt quod dictum est: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona,* Matt. 5. *& glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est:* quorum authoritate commoti, Deo per eos loquente & operante, homines credunt; recte E isti per quos hæc fiunt dentes dicuntur: detonsis ovibus similes, quia curarum terrenarum onera deposuerunt. Et ascendentes de lavacro, id est, de sordium sæculi ablutione, per Sacramentum Baptismatis, omnes geminos pariunt: operantur enim duo præcepta charitatis, de quibus dictum est: *In* Ibid. 22. *his duobus mandatis, universa lex pendet & prophetæ.* Scilicet: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum, sicut*

teip-

teipſum, in quibus ſterilis non eſt, quoniam omnes pariunt, & bonos fructus reddunt Deo.

IX. O quantus ardor, quanta ſitis ſalutis animarum in primitiva Eccleſia! Pſalmus: *Pſ. 20.* *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*. Vultus Domini, Verbum incarnatum. *Luc. 1.* *Præibis enim ante faciem Domini*. Tempus, vultus Dei eſt, quando facies Dei, Chriſtus, erat manifeſtanda mundo per prædicationem: tunc poſiti ſunt clibanus ignis, in die Pentecoſtes; & inde prodierunt & apparuerunt ſcintillæ Thomas in Indiis, Jacobus in Hiſpaniis &c. *Sap 3.* *Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent: judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum*. Habes igitur copioſiſſime deductum: Sancti qualiter per *Hebr. 11.* prædicationem fidei vicerunt regna, & ex- *Pſ. 78.* tenderunt eandem fidem in gentes, qui verum Deum non agnoverunt, & in regna, *Sap. 10.* quæ eum non invocaverunt; & attulerunt Chriſto ſceptra, & regna, & potentiam adverſus eos, qui ipſum deprimebant, & mendaces oſtenderunt, qui eum maculabant. Habetis igitur, & vidiſtis gladios bis acutos, *Luc. 22.* eorumque triumphos. *Ecce duo gladii hic:* *Judic. 7.* ſed ecce, *gladius Domini, & Gedeonis*. Ge- *Pſ. 109.* deon idem quod conterens. Contriverunt quidem Apoſtoli, & conquaſſarunt capita in terra multorum, & poſuerunt reges & tyrannos idololatras ſcabellum pedum Chriſto: ſed confiſi in Domino, ſed potentia non tam ſua, non tam propria, quam Dei ſui ſolius.

Apoc. 3. X. *Faciam illum columnam in templo Dei mei*. Qui ergo per fidem vicerunt gentes & regna: videamus quomodo illos fecerit columnas in templo Dei ſui. Templum Dei, Eccleſia Dei eſt, tam militans, quam triumphans. Monſtrandum igitur qualiter primum in militante, dein in triumphante Eccleſia victores Deus Apoſtolos fecerit columnas. Et quidem de militante Eccleſia: cum tamquam pulchra quædam mulier laudaretur; *Cant. 5.* in Canticis Canticorum: *Crura ejus columnæ* aureæ deprædicantur. Crura ſponſæ, id eſt, fortitudo Eccleſiæ. Columnæ aureæ, Apoſtoli charitate fervidi, in charitate firmati & radicati. Neque indignum fuerit & columnas, & ſcopulos, & turres, & candelabra, & tauros ſimul eos appellare. Nam ſicut ſcopuli omnem undarum aſſultum repulerunt, multam interim ipſi ſervantes tranquillitatem: & ſicut columnæ ſuſtinent, & turres muniunt Eccleſiam. Et, ut columna quæ recta ſtat, impoſito magis pondere firmatur; ſic altas rectaſque mentes Apoſtolorum oportebat non cedere, ſed obniti adverſitatibus.

(a) S. P. Auguſtinus (*a*) Honorato de gratia novi Teſtamenti Epiſt. 130. Quid ſunt oſſa niſi corporis fundamenta? Corpus autem Chriſti Eccleſia. Firmamentum ergo Eccleſiæ quid, niſi Apoſtoli? qui etiam columnæ alibi nuncupantur. Ergo columnæ militantis Eccleſiæ ſunt Apoſtoli, qui fundantur ſupra firmam petram. Etiamſi deſcendat pluvia, veniant flumina, flaverint venti; non tamen ruerunt. Sicut columna ſuſtinet ac ſuffulcit domum ne ruat; ſic illi non curvabantur ſub pondere tribulationum, ſed magnanimiter fortiterque portabant mundi adverſitates. Alii vero ſuper arenam rerum tempo- *Ibidem.* ralium figunt corda, & ideo non ſunt ſtabiles, ruunt, labentibus tranſitoriis, & fit ruina illorum magna. Job: *Qui in deſertis* *Job 30.* *habitant torrentium, & in cavernis terræ, vel ſuper glaream. Qui inter hujuſcemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delicias computant: filii ſtultorum* ſunt *& in terra penitus non parentes*. Iſti, columnæ neutiquam dicendi ſunt, qui curvantur, neque portant *Ibid. 9.* orbis terricula nec machinamenta, quoniam ſupra firmam petram, quæ Chriſtus eſt, fun- *1. Cor. 10.* dati ac firmati non ſunt: qui ſolus poteſt facere & fundare columnas, ut Apoſtolos in domo, id eſt, Eccleſia Dei ſui.

XI. Nec fundare ſolum, ſed & confirmare, ac corroborare. P. Auguſtinus (*b*) in Pſalmum 74. v. 4. *Ego confirmavi columnas ejus:* Quas, inquit, columnas confirmavit? Columnas Apo- *Pſal. 74.* ſtolos dicit. Sic Apoſtolus Paulus de coapoſtolis ſuis: *Qui videbantur columnæ eſſe*. Et quid eſſent illæ, niſi ab illo firmarentur? Quia *Galat. 2.* terræ motu quodam, etiam iſtæ columnæ nutaverunt, quando in paſſione Domini omnes Apoſtoli deſperaverunt. Ergo columnæ illæ, quæ in paſſione Domini nutaverunt, reſurrectione firmatæ ſunt. Clamavit initium ædificii per columnas ſuas, & in eis omnibus columnis architectus ipſe clamavit. Columna enim una erat ex illis Paulus Apoſtolus cum diceret: An vultis experimentum *2. Cor. 13.* accipere ejus, qui in me loquitur Chriſtus? Ergo: *Ego*, inquit, *confirmavi columnas ejus*. Reſurrexi, oſtendi mortem non eſſe metuendam: oſtendi timentibus, nec ipſum corpus perire in morientibus. Terruerunt eos vulnera, firmaverunt cicatrices. Poſſet Dominus Jeſus Chriſtus ſine ulla cicatrice reſurgere, ſed habere voluit, unde nutantes columnas firmaret. Ergo, quas fecerat columnas Apoſtolos ſuos, ac formaverat, ſolus ipſe eoſdem corroboravit atque confirmavit. Neque columnas ſolos effecit, ac confortavit Apoſtolos; ſed etiam alios quoslibet, qui prædicatione, vita, & moribus, indeſinenter, diuturno ac duro certamine debellarunt mundi rectores tenebrarum harum, & ſanguinem profuderunt in Eccleſia pro Chriſto, & glorioſam martyrii palmam conſecuti ſunt. Præter Apoſtolos enim, ut ſcribit Chryſoſtomus (*c*) Homilia 10. in Epiſt. ad Epheſios, (c) videre eſt etiam hic multos columnarum inſtar

(*a*) Epiſt. 140., alias 120. cap. 14. S. P. verba ſunt uſque ad ea, *columnæ alibi nuncupantur*.

(*b*) In Pſal. 74. num. 6. S. P. verba ſunt uſque ad ea, *unde nutantes columnas firmaret*.

(*c*) Ita apud Chryſoſtomum clauditur ſententia: *Sed & venuſtate quadam, quam ex deauratis capitibus*

ſtar ſtare: quos novit Eccleſia vocare columnas, non virtute ac robore dumtaxat, ſed & venuſtate quadam &c. P. Auguſtinus (*a*) in Pſal. 140. v. 10. *Singulariter ſum ego donec tranſeam:* Hæc vox, inquit, ex perſona capitis eſt. Quid eſt, ſingularis? In paſſione tu ſolus pateris, tu ſolus occideris ab inimicis. Singularis ego ſum donec tranſeam. Quid eſt hoc, *donec tranſeam?* Joan. 13. Euangeliſta dicit: Cum autem veniſſet hora, ut Jeſus tranſiret de hoc mundo ad Patrem. Quid eſt ergo donec tranſeam, niſi de hoc mundo ad Patrem? Tunc enim *confirmavi columnas ejus*, Pſal. 74. id eſt, columnas terræ, quando in mea reſurrectione didicerunt plene mortem non timere. Donec ergo tranſeam, ſingularis ſum: cum tranſiero, multiplicabor. Multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo. Attende ipſius verba in Euangelio: *Amen amen*, inquit, Joan. 12. *dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hoc autem ibi ait, ubi etiam dixit; Cum *exaltatus fuero a terra, omnia trahæm ad me ipſum.* Ergo illi grano multa ſeges debebatur; ſed expecta, mortificetur, & jam non erit ſingularis, ſed multi ipſum imitabuntur, ſequentur multi, quos tamquam veras Eccleſiæ columnas ipſe formabit & ſolidabit.

XII. Nemo ergo putet ſe in hoc mundo ita eſſe columnam, ut non moveatur. Satis eſt ut ſic ſit columna, ut non ruat. Pſal. 38. Pſalmus: Quamquam in imagine pertranſeat homo, tamen vane conturbatur. Homo tranſit in imagine, quia fit totus ſpiritualis: imago enim in ſola mente eſt. Qui ergo, oblita carne, totus fit ſpiritualis, iſte talis tranſit in imaginem: aut qui perfecte Chriſtum imitatur in vita ſua, qui eſt imago noſtra. Ecce tranſierat Paulus in imaginem, Galat. 2. cum ait: Vivo ego, jam non ego; ſed vivit in me Chriſtus; & tamen vane conturbatur. Nam, ecce ait: *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem, &c.* Ecce tranſierat in imaginem David, qui ait: *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Item: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Et iterum: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. Avertiſti*, inquit, *faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus.* Exemplum in Thoma: qui licet a Chriſto factus eſſet columna in templo Dei, tamen ad Domini Salvatoris reſurrectionem nutavit, dum ait: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam:* licet poſtmodum a Jeſu monitus: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis:* reſipuerit, & conſtans exſtiterit, tam in prædicatione, quam tormentis ad mortem uſque crudeliſſimam. Nemo ergo hic putet columnam ſe fore immobilem: eſt enim tempus militiæ & tentationis non quietis. Job: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* In cœlo, in templo Dei mei, ibi faciam eum columnam. P. Auguſtinus (*b*): Non erunt ibi volubiles noſtræ cogitationes, nec ex uno in aliud redeuntes, ſed uno intuitu omnia videbimus. Ecce non eſt ibi fluctuatio, ſed unus ſtatus immutabilis, ſempiternus: nam in cœlo viſiones beatificæ, unum ſunt, & ſemper præſentes, neque eſt ibi alternitas. Sed pondera multum, quod dicit: *In templo Dei mei.* O Domine: tu Apoc. 3. es Deus; quomodo Deum habes? Ex utero matris meæ, Deus meus es tu: *De ventre matris meæ tu es protector meus. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Deus eſt, & Deum habet, & tamen unus Deus eſt. O Domine! pro me habes Deum. Facias de tuo Patrem meum per infinitam largitatem: feciſti de Deo meo Deum tuum per infinitam clementiam. *Aſcendo*, inquit, *ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Joan. 20.

IN

bus habent, plurimum ornatus exhibentes. Loco, *quos novit Eccleſia vocare columnas;* lege, *novit enim Eccleſia, & homines vocare columnas.*

(*a*) In Pſal. 140. num. 25. Inde hauſta ſunt, quæ hic traduntur, uſque ad ea verba, *Ergo illi grano multa ſeges debebatur, ſed expecta, mortificetur.*

(*b*) De Trinit. lib. 15. cap. 16. *Fortaſſis etiam volubiles non erunt noſtræ cogitationes ab aliis in alia euntes, atque redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram uno ſimul conſpectu videbimus.* Vide S. Bonaventuram in 3. Sent. diſt. 14. art. 2. quæſt. 2. in reſp. ad 1.

IN FESTO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS CONCIO. (a)

(a) De S. Stephano agit S. Orator Concion. 8. de Nativit. Christi Domini.

DE MARTYRUM CERTAMINE, AD IMITATIONEM PASSIONIS CHRISTI, ET DE DUPLICI PUGNA, INTERIORI ET EXTERIORI.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Sap. 10. v. 12.

* CONCIO CLXXVI.

I. VIRGO certamina interiora non habuit: sed, quo laudabilius est vincere, eo honorabilius non habere. Nec defuit illi pugna ad coronam, sed compensata est pax interior cordis, exteriori certamine. Nam qualis tribulatio paupertatis; fuga in Ægyptum; in passione vero, ipsa cum filio crucifixa corde? Ergo Domine, certamen forte dedisti matri. Quare non in absentia passus, ne saltem mater proditoris ipsa vocaretur? A principio sæculi sic instituit justus Judex, nulli dare coronam sine pugna, qui pugnare possit. Siquidem in statu innocentiæ anima beneficio solo Dei coronanda erat. Invidia diaboli pugna subintravit in corde. Sed Deus, cum sit optimus maximus, ut ait P. Augustinus (b), in arma justitiæ vertit reorum pœnam. Nam ipsi labores & dolores, qui sunt pœna peccati, versi sunt in decorem coronæ. Quanto glorioſior est Martyris corona sanguine decorata, quam si sine suo labore capiti imponeretur? Coronari ex nostro honorabilius est, & post periculum gratior victoria est: ergo honorabilior & gratior. In statu quidem innocentiæ corona naturæ nostræ solum ornamentum: nunc vero etiam virtutis insigne est, ut fortis ab infirmo, diligens ab inerte dignoscatur. Apostolus: 2.Tim.2. Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Legitime certat, qui & pugnam tolerat, usque ad victoriam; & victoriam conservat, usque ad mortem, juxta illud: *Esto* Apoc. 2. *fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

(b) Vide Enarr. in Psal. 101. Serm. 2. num. 2. in fin.

II. Magna Dei ars in præmiando corona gloriæ; gratia est & præmium; nec gratia coronæ evacuat nostri meriti gloriam; nec meritum accipientis, largientis evacuat gratiam. Psalmus: *Quia misericordiam & veri-* Psal. 83. *tatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* S. P. Augustinus (c) ibi: Dominus ait, misericordiam diligit, qua mihi primo subvenit: veritatem diligit, ut credenti det quod promisit. Audi misericordiam & veritatem in Apostolo Paulo prius Saulo persecutore. Indigebat misericordia; & dixit in se factam: Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus; *Sed* 1.Tim.1. *misericordiam Dei consecutus sum:* ut in me ostenderet Christus Jesus omnem longanimitatem in eos, qui crediturí sunt illi in vitam æternam. Ut cum indulgentiam tantorum scelerum acciperet Paulus, nemo desperare posset sibi donari quæcumque peccata. Ecce habes misericordiam; noluit tunc Deus exercere veritatem, ut puniret peccantem. Etenim, si puniretur peccator, nonne veritas esset? Aut auderet dicere: non debeo puniri, qui non posset dicere, non peccavi? Et si diceret, non peccavi: cui diceret? Quem falleret? Ergo prius Dominus misericordiam in eo prærogavit: post misericordiam, & veritatem. Primo ergo, inquit, misericordiam consecutus sum; qui prius fui blasphemus, & persecutor & injuriosus: sed *gratia Dei sum* 1.Cor.15. *id quod sum.* Postea dicit, cum passioni propinquaret: *Bonum certamen certavi, cursum* 2.Tim.4. *consummavi, fidem servavi:* supereſt mihi corona justitiæ. Ille qui tribuit misericordiam, servat veritatem. Unde servat veritatem? *Quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* Indulgentiam donavit, coronam reddet. Donator est indulgentiæ, debitor coronæ. Unde debitor? Accepit aliquid? Cui debet aliquid Deus? Ecce videmus, quia tenet eum debitorem Paulus, consecutus misericordiam, exigens veritatem. *Reddet mihi*, inquit, *Dominus in illa die.* Quid tibi reddet, nisi quod tibi debet? Unde tibi debet? Quid ei dedisti? *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Rom.11. Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur: redde, quod accepisti; sed redde, quod promisisti. Misericordiam mihi erogavit, inquit, ut faceret

(c) Verba sunt S. Patris usque ad ea, *Ecce stupendum Dei artificium, &c.* hausta ex Enarr. in Psal. 83. num. 16.

ret me innocentem, nam prius fui blasphemus & injuriosus: sed ex illius gratia factus sum innocens. Ille autem qui prærogavit misericordiam, negare poterit debitum? Diligit misericordiam & veritatem. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quam gratiam, nisi de qua ipse dixit: *Gratia Dei sum id quod sum?* Quam gloriam, nisi de qua ipse dixit: *Supereſt mihi corona justitiæ?* Ecce stupendum Dei artificium in præmiando, dum gratia ejus est corona gloriæ &c.

Psal. 83.

III. Licet autem omnes Sancti certando venerint ad coronam; multo tamen suavius Deus Sanctos veteris testamenti tractavit, quam Sanctos novi testamenti. Licet enim aliquæ pœnalitates & asperitates in illis, ut illud Abrahæ, de circumcisione dolorosa, de egressu de terra sua & peregrinatione, de immolatione Isaac, de ejusdem peregrinatione. Similiter Moyses, & Elias, & David, & alii Prophetæ multa passi fuerint: tamen bene illis erat: habentes uxores, possessiones, filios, hæreditates, utentes rebus, conversantes inter suos. At vero, Sancti Euangelii, quanta asperitate recipiuntur, quomodo tractati! Apostolus Spiritu sancto plenus, recitans eorum historiam, audi quales fuerint: Sancti *per fidem vicerunt regna. Alii distenti sunt: alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, &c.* Pondera singula: jam non est discipulus, nisi qui renuntiaverit omnibus quæ possidet, abneget seipsum, & tollat crucem suam. Unde Dominus: *Qui non tollit crucem suam, & sequitur me: non est me dignus.* Nota in Psalmo: *Deus auribus nostris &c.* & pondera verba: *Repulisti & confudisti nos. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros. Dedisti nos tamquam oves escarum & in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* Omnis ista pia querimonia de Deo est. Quia licet in Martyrum passione, malitia fuerit occidentium: sed actus ille a Deo principaliter, ipso ordinante. Ac si dicerent: Tu es, propter quem morimur: & tu ipse es qui me lapidas, qui me affligis, qui me crucifigis, qui me affas. Tibi imputo, tibi attribuo, sine quo fieri nihil potest. Nota secundo: quod post magnam sanctitatem, & multa bona opera & merita, in præmium dabatur Sanctis, si pro Domino paterentur. Ita ajunt: Gratias tibi Domine, quod me Martyrum tuorum participem fecisti. *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* O Domine! Unde tantus rigor erga nos? Nunc, quanto nobis propinquior factus es, tanto asperior. Non reliquit Abraham omnia: non ab omnibus mulieribus abstinuit David: non vitam eremiticam egit Jacob: sed rebus & uxoribus utentes, grati facti sunt tibi. Nos vero pejoris sortis, nonnisi laboribus & flagellis & cruciatibus & cruce, coram te placemus. Quid hoc? O quam late prosequitur istam piam querimoniam nomine Sanctorum, Spiritus sanctus ore prophetico! Psalmus: *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis: opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis, &c.* Recita, & expone late totum Psalmum, quia dulcis est, ad populum. Illis prodigia, nobis pericula; illis honores, nobis dolores; illi honorati in populis, nos ludibria populorum facti sumus peripsema sæculi hujus; illi nobiles apud Reges, nos derisibiles; illis pluisti manna, nobis indicis famem; illi subjugant populos, nos laceramur a plebe. Fuerunt, ut quidam ait, illi in sphæra activorum, nos in sphæra passivorum.

Gen. 21. *Ibid.* 12. *Ibid.* 22. *Ibid.* 26. *Hebr.* 11. *Luc.* 14. *Matt.* 16. *Ibid.* 10. *Psal.* 43. *Philip.* 1. *Psal.* 43

IV. *Tu es ipse Rex meus & Deus meus, qui mandas salutes Jacob.* Tu ipse es, illos magnificans, nos humilians. Propter quid hoc? Ecce tunc Deus nondum pro hominibus aliquid passus fuerat; debebantur ei honores tamquam Deo, sed nondum labores tamquam passo. Venit ad nos, pertulit dura, sustinuit aspera; debemus ei labores suos. *Ego*, inquit, *dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Non est servus supra filium: regnet servus cum filio. Magna gratia; *Ego dispono vobis regnum:* non mihi soli retineo. Sed tamen, *sicut disposuit mihi Pater*, eisdem conditionibus. *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam:* & vos sine passione gloriam intrabitis alienam? O bone Jesu, quanto mitius nobiscum agitur, quam Pater tuus fecerit tecum! Est item & alia ratio hujus diversitatis Sanctorum: nam ante adventum Christi genus humanum, infirmum, terrenum, non poterat laboris & mortis vada transmeare: vide in populo illo Israelitico tot fragilitates: si quid sustinebat, statim murmurabat. Venit Filius Dei, transivit vadum laboris & afflictionis transvadavit mortem, præcessit ipse, & secuti sunt multi. Jam senes, & juvenes, & mulieres, & puellæ, & pueri mortis vada pertranseunt sequentes Dominum. Sic etiam glorioſus Proto-martyr Stephanus. Dic historiam martyrii ejus & victoriam, ex Actibus Apostolorum cap. 7. Secunda pars: duplex pugna; interior & exterior. Interior, tentatio; exterior, tribulatio. Apostolus: *Foris pugnæ, intus timores.* Nemo putet se sine pugna futurum, etiamsi sub terra decem stadiis abscondatur. Si defuerint ibi homines, non deerunt ibi dæmones. Pugna interior major est: sicut bellum intestinum in civitate. Job: *Memento belli, nec ultra addas*

Ibidem. *Luc.* 22. *Ibid.* 24. *2. Cor.* 7. *Job* 40.

(a) *das loqui*. Gregorius (a) ibi: Ac ſi diceret: Exterior illa tribulatio, te ab interiori bello majoris tribulationis liberat. Noli conqueri, noli exaggerare amiſſas opes, vulnera carnis, mortem filiorum, ſterquilinium & lepram. Ibi anima vulneratur, hic caro: ibi anima lepram incurrit, hic corpus. Hic alius tibi adverſatur, ibi tu ipſe tibi diffides & adverſaris. Tu pugnator, tu victor; tu de teipſo triumphas, & de tui ipſius victoria coronaris. O nimis cruenta pugna, carnis & ſpiritus, quæ fit per totam vitam in campo cordis! Non poteſt eſſe perpetua pax inter illos, uſque dum caro victa moriatur, & ſurgat ſpiritualis in merito beneficio Conditoris. Et, ut ait Job: Erunt *quondam vincti, pariter ſine* timore, id eſt, ligati pariter ſine *moleſtia*, ſcilicet, poſt reſurrectionem. Nota conſilium in hac parte Joannis Chryſoſtomi (b): Ecce pugna non excuſatur. Appetitus autem vincendi hic eſt: aut moriendum eſt tibi; & non qualicumque morte, ſed morte perpetua. Quid ergo faciendum? Vide ne permittas hoſtes tuos creſcere, ne permittas de pygmeis fieri gigantes, cogitationes tuas. *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram*, & ſine difficultate vinces. Si autem foveris, & nutrieris parvulos, fient potentes, &c. Vide pro hoc themate, Opuſculum Sancti Joannis Chryſoſtomi (c) De Exhortatione ad Martyrium; ibi multa loquitur de milite Chriſtiano.

Job 3.

(b) Pſ. 136.

(c)

DE SANCTO JOANNE APOSTOLO ET EUANGELISTA

CONCIO PRIMA.

DE AMORE DEI ERGA SUOS.

Converſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus.
Joan. 21. v. 20.

CONCIO CLXXVII.

I. VALDE ponderandum eſt, Fratres, quod Joannes Euangeliſta, cum tot titulis & cognominibus clarus eſſet, in ſuo Euangelio, non Apoſtolum, non Euangeliſtam, non Prophetam, non Virginem, aut alio quolibet dignitatis cognomento: ſed *Diſcipulum, quem diligebat Jeſus*, frequentius ſe ſoleat nuncupare. Exiſtimavit enim, & merito vir ſapiens, omnium gratiarum, hanc præcipuam & maximam reputandam eſſe, quod a Domino dilectus ſit: neque poſſe ampliori, aut digniori titulo quempiam decorari. Quæ major eſt, aut eſſe poteſt dignitas creaturæ, quam ut Factori ſuo placeat, & diligatur ab eo qui fecit eam? Aut quid illi amplius favoris, & honoris Conditor referre poteſt, quam ut placeat illi, & in oculis ejus grata & accepta ſit? Det omnia Deus, multiplicet gratias, dona conciliet, accumulet beneficia: niſi amaverit, nihil dediſſe videbitur. Hoc eſt, quod omnes maxime cupimus: hoc ſemper præcipue optamus: propter hoc indefeſſe & infatigabiliter tota vita laboramus; ut grati coram eo & accepti inveniamur: hæc ſumma felicitas creaturæ. Et e contrario, miſeria ſumma, ſi odibilis ei exiſtat. Neque enim damnatus propter cruciatus inferni, & ſempiternos ardores quos ſuſtinet, adeo miſer eſt, ſicut propter odium quo inviſus eſt Conditori. Hæc gratia Dei, hic amor omnium bonorum & donorum fons & origo eſt. Ab hoc prædeſtinatio, juſtificatio, protectio, magnificatio, glorificatio procedit. Quidquid Deus homini confert, ideo confert quia diligit: nam ſi non diligeret, non præſtaret. Denique, quod in curia facit amor regis, hoc in orbe facit amor Dei. Si quis in regno acceptus eſt regi: hic, & regis, & regni rex & poſſeſſor eſt. Amor namque omnia ſibi tribuit. Nam in regis corde per amorem poſſeſſo, & rex & regnum in obſequium veniunt, expectant ad oſtium proceres regni, & magnates donec ingrediendi facultas concedatur. Dilecto omnia patent, omnia obediunt: nemo illi quidpiam in tota domo interdicere audet. Sic

Joan. 21.

(a) Moral. lib. 33. cap. 19. *Alta diſpenſatio judiciorum Dei, idcirco ſæpe bene merentes famulos vel minis impetit, vel flagellis premit, vel quibuſdam ſuper-impoſitis oneribus gravat, vel laborioſis occupationibus implicat: quia mira potentia prævidet, quod ſi quieti, ac liberi in tranquillitate perſiſterent, tentationes ferre adverſarii non valentes, mentis proſtrati vulneribus jacerent.*

(b) Lege Homil. 67. ad populum Antiochen.

(c) Legendum *S. Cypriani*, quandoquidem apud Cyprianum extat Opuſculum, ſeu Epiſtola ad Fortunatum *De Exhortatione ad martyrium*; apud Chryſoſtomum vero Opuſculum hujus nominis, quod ſciam, non extat; niſi forte binas S. Orator Homilias intelligat, quæ ad calcem tomi 3. edit. an. 1570. S. Joannis Chryſoſtomi habentur, & ſunt *de Martyribus*; aut alias *De Militia Chriſtiana*, & *De Militia Spirituali*. tom. 5. ejuſdem edit.

omnino in regno Dei: ſi quis gratus, & amicus eſt Deo, omnis illi obtemperat creatura in cœlo, & in terra. Electi dominantur propter amicitiam Dei, nihil tam difficile quod non fiat, ſi amicus Dei hoc cupiat & petat. Inde tot miracula & prodigia paſſim a Sanctis fieri videmus, eorum voluntati obſequente natura. O quam potentes, & inſignes fecit eos Divinitatis gratia!

II. Nihil etiam eorum probitatem, & virtutem ſic commendat, ſicut quod a Deo dilecti ſunt. Hoc namque inter amorem Dei & noſtrum diſtare ſolet, quod nos bonitatem in aliis diligimus, ſed eam diligendo minime præſtamus: Deus autem, quos diligit, diligendo, optimos & illuſtres facit. Nos aliquid diligimus quia bonum eſt; in Deo e contrario evenit, quia propterea aliquid bonum eſt, quia diligitur ab eo. Eſt enim divina voluntas formaliter prima, & ſumma bonitas bonificans, ut ita dixerim, omne quod amat. Omnis enim creata bonitas a divina voluntate ſicut a prima bonitate dependet. Et ratio hoc quoque ſuadet: nam cum nulla creatura eſſentialiter & intrinſece bona ſit, ut eſt Divinitas; ſicut in Euangelio Dominus ait: *Nemo bonus niſi unus Deus*; ſed ab intrinſeco ſuam bonitatem participet & recipiat: hoc eſt aliquid in rebus conditis eſſe bonum, primæ & ſupremæ bonitati eſſe conforme, id eſt gratum & acceptum: quo fit, ut qui Deo gratus & charus eſt, eo ipſo a priori, ut Logici dicunt, bonus & juſtus infallibiliter convincatur. Unde ponamus, exempli gratia, quod quis omnes virtutes & gratias poſſideat: ſi fieri poſſet, ut hic Deo inviſus & odibilis eſſet; eo utique ipſe bonus non eſſet. Nam quomodo bonus eſt, qui ſummæ non conſonat bonitati? Aut quomodo rectus eſt, qui ſuæ non convenit regulæ? Divina voluntas omnium creaturarum prima regula eſt. *Nam Deus*, Apoſtolo teſte, *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Nos quidem omnia quæ recte agimus, ſecundum voluntatem conſilii noſtri agimus: Deus autem e contrario ſecundum conſilium voluntatis ſuæ omnia operatur. In nobis voluntas conſulit, & ſequitur rationem: in Deo autem ratio practica divinam attendit & ſequitur voluntatem. Quanta divinæ voluntatis libertas, cui omne quod placet, eo ipſo quod placet, bonum eſt! Diligat Deus, & velit quidquid voluerit: omne quod ipſe voluerit, eo ipſo quod volitum eſt, bonum eſt. Non ibi alia petenda ratio. Unde ſuperfluum, & ſuperbum, ne dicam ſtolidum, & curioſum videtur quærere, cur Deus velit hoc? Cur Deo placet hoc vel illud? Id namque eſt in prima omnium cauſa petere cauſam, & inveſtigare rationem, ubi non eſt. Illi namque optime convenit quod Poeta ait (*a*): Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas. Hæc omnia tam diffuſe proſecuti ſumus, ut oſtendamus Joannem merito in Chriſti dilectione gloriari, quæ virtutis ejus, & gloriæ unicum, & maximum teſtimonium eſſe poteſt. Quanta eſt divinæ gratiæ celſitudo, in qua quiſquis, ſive innocens, ſive pœnitens inventus fuerit, acceptior invenietur & melior! Nonnulli enim etſi peccatores, tamen ad Deum converſi, plurimos innocentes, & juſtos, & gratia & gloria, præceſſerunt. Exemplum nobis ſint David, Matthæus, & Magdalena. Nam, ſicuti Gregorius (*b*) ait, dux in prælio illum militem plus diligit, qui poſt fugam converſus fortiter hoſtem premit, quam qui numquam fugit, & fortiter numquam egit. Quanta hinc peccatoribus fiducia, quantus ſtimulus, ut a peccatis reſurgant! Nam ſi digne de peccatis pœnitere voluerint, non ſolum amiſſam gratiam apud Deum recuperabunt, ſed etiam parem cum Sanctis & innocentibus gloriam obtinere poterunt. Et *ubi abundavit delictum*, poſtmodum *ſuperabundavit* & *gratia*. Dilectio itaque Dei totius bonitatis & celſitudinis cauſa eſt: & eo quiſque judicandus eſt melior, quo Deo inventus fuerit gratior & acceptior.

III. Sed quoſdam Deus diligit ut nunc, & ſecundum præſentem juſtitiam, quos tamen ſecundum æternam prædeſtinationem non diligit. Non quia in Deo mutatio ſit, ſed quia is qui diligitur, variatur. Sic enim ad præſens quibuſdam gratiam ſuam donat, ut illis perpetuam dare gloriam non deſtinet, quia in gratia permanſuri non ſunt. Hanc divinorum judiciorum abyſſum, & divinæ prædeſtinationis profundum pelagus, nullus quamvis ſublimis & excelſus intellectus penetrare poterit. Nam vehementer intumuerunt aquæ illius, & non poterit transfretari. Quis enim intelligat, qua via, qua ratione, cum Eſau & Jacob in uno eodemque utero portarentur, cum nihil boni aut mali egiſſent; major minori ſubdatur, & Jacob dilectus, Eſau autem odio habitus ſit? *Numquid noſti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra?* Quis diſcernat, cur animas pares Deus ſic condat, ut unam inſerat infanti pagano & pereat: & aliam infanti fideli, & gaudeat in æternum? Et inter fidelium parvulos unus baptizetur & beatus ſit: alius non expectet baptiſmum, & damnatus ſit? Hæc, inquam, omnia Deo committenda ſunt, qui voluntatis ſuæ arbitrio cuncta diſponit. Unde Auguſtinus (*c*): Cur hunc acceptet, & illum non; noli inveſtigare, ſi non vis errare. Denique hujus rei qualem cauſam Propheta reddat, attende: *Salvum me fecit*, inquit, *quoniam voluit me*. Sed quamvis dilectio iſta

ab

Marc. 10.
Epheſ. 1.
Ezech. 47.
Malac. 1.
Rom. 9.
Job 38.
Rom. 5.
Pſal. 17.

(*a*) Juvenal. Satyr. lib. 2. verſ. 223. *Hoc volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.*

(*b*) Vide Moral. lib. 18. cap. 26.

(*c*) Tract. 26. in Joann. Euang. num. 2. *Magna gratiæ commendatio. Nemo venit, niſi tractus. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.*

ab oculis noſtris abſcondita ſit; mirabiles tamen ad extra producit effectus. Nam quis dicere poteſt, quanta eſt Dei patientia, quanta clementia, quis reſpectus in electos? Neque id mirum; nam charitas, Apoſtolo teſte: *Omnia ſuffert, omnia* portat, *patiens eſt, benigna eſt*. Exemplo id notius fiet. Pater quiſpiam habet duos filios unum dilectum & alterum inviſum, quam vario eos modo gubernat? Illum quidquid perpetret, quidquid agat, etſi furetur, etſi ſcortetur, etſi voret, & conſumet omnia, quamvis pravum & perverſum, patienter ſuſtinet, & tolerat, interdum etiam a pravitate excuſat. O, inquit, puer eſt, nil mirum, quod in juventute laſciviat, veniet tempus & reſipiſcet. Solent acerbi adoleſcentes matureſcere in virili ætate: ſinite illum, laſſabitur quandoque, & expertus mala, longius declinabit ab eis. Alter vero, ſi quidpiam vel per inadvertentiam miſer commiſerit, quamvis leviſſimum ac tenue; die noctuque objurgatur, increpatur, improperatur, acclamatur ſtatim vita indignus, & cum injuria domo expellitur, neque eſt qui precibus valeat placare indignantem. Vide quid in pari filiatione diſpar amor faciat. Nihil eſt amore patientius, nihil clementius. Qui diligit non offenditur, aut ſi offenditur, celerrime placatur propter amorem. Hæc in hominibus amor tolerat, & amor Dei graviora non tolerabit?

1.Cor.13.

IV. Duo populi Iſraelitici, primi reges Saul, & David, a Domino electi ſunt ad regnum, ambo præcepto Domini uncti, ambo ex paupertate ſublimati. Peccavit Saul quia non occidit quem Dominus præceperat occidendum: peccavit David, quia occidit non occidendum: neque ſolum occidit, ſed uxorem rapuit, & populum Dei opprobrio expoſuit & ruinæ. Diſcerne nunc utriuſque regis peccatum, & vide quanto gravius eſt ſecundum, quam primum. Venit ad Saulem Propheta Domini Samuel, objurgavit eum de inobedientia, confeſſus eſt peccatum, licet non recto animo, dicens: *Peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini*. Deprecatus eſt Samuelem pro venia, ſcidit pallium ejus, & vi retinuit eum: neque tamen veniam de delicto promeruit. Abjectus eſt a Domino in ſempiternum, & in oculis ejus non placuit ultra. Pro quo cum Samuel miſericordia motus, preces coram Deo aſſidue cum lacrymis funderet, dictum eſt ei: *Uſquequo tu luges Saul cum ego projecerim eum ne regnet ſuper Iſrael?* Audiſtis rigorem & ſeveritatem Dei in rege præſcito. Audite nunc clementiam illius in rege prædeſtinato. Venit ad eum Nathan Propheta: non prius palam objurgat, ſed per ænigmata ſignificat delictum, ne verbis exaſperet dilectum a Domino: fatetur ille ſtatim peccatum ſuum dicens: *Peccavi Domino*; & ſtatim audivit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris*. O celerem peccatoris pœnitentiam, & celeriorem a Deo veniam! Uno verbo pœnituit, & illico placatus eſt Deus. Nam licet inultum peccatum Deus non dimiſit, ſed graviſſime rex punitus eſt pro delicto: gratiam tamen Dei ſtatim recuperavit. O diſpar nimis judicium in pari, imo multo graviori peccato! O profundam divinorum judiciorum abyſſum! Quid dicam Fratres? Nonne vobis videtur juſtus Dominus injuſto parenti fuiſſe conſimilis, & ſic ſe habuiſſe cum regibus, ſicut pater præfatus ſe habuerat cum filiis? Quam merito Propheta orat: *Aſpice in me & miſerere mei ſecundum judicium diligentium nomen tuum*. Hoc eſt: *Non intres in judicium cum ſervo tuo* Domine; ſed ſi judicare me volueris, judica me, obſecro, illo judicio, quo judicas electos tuos, qui te diligunt: judicio, inquam, tuo clementi, & favorabili. Nam, *ſi iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Et alibi: *Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me*.

1. *Reg.* 10.
Ibid. 16.
Ibid. 15.
2. *Reg.* 11.
1. *Reg.* 15.
Ibid. 16.
2. *Reg.* 12.
Pſ. 118.
Pſ. 142.
Ibidem.
Pſ. 129.
Pſ. 118.

V. Quod ſi advertere voluerimus hiſtorias ſacrarum Scripturarum, videre erit interdum increpationes fortes, duras, terribiles, quibus Deus in peccatores invehitur. Bone Deus! Quis eas poteſt audire? ut eſt illa prævaricatricis Jeruſalem, & illa adverſus Oollam & Oolibam in Ezechiele. Interdum vero e contrario conſolationes molliſſimas & dulciſſimas, quibus peccatoribus blanditur, ut ſurgant. Ut eſt illa Iſaiæ ad ſterilem & idololatram Gentilitatem: Lætare *ſterilis, quæ non paris, &c.* Quam gratum mihi nunc eſſet, utraſque ad longum recitare ſi tempus adeſſet, ſed ſuperſedeo. Sufficiat vel hoc unico exemplo demonſtraſſe, quanta ſit amoris Dei virtus erga electos ejus; quorum peccatis etſi ad modicum Deus adverſus eos indignatur, ſuamque faciem abſcondit iratus; facile tamen revocatur ad veniam. Novit enim Deus qui ſunt ejus. Et capillus de capite eorum non peribit. Unde Joannes: *Qui natus eſt ex Deo, non peccat*. Hoc dictum eſt de prædeſtinatis ad vitam, non quod non peccent omnino: ſed quod peccatum ipſis non imputetur, vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate abſconditur, & ſi qua deliquiſſe videntur in tempore; non apparent in æternitate. Ex his nullus peccat, id eſt, in peccato perſeverat, quia novit Dominus qui ſunt ejus, & propoſitum Dei manet immobile; generatio Dei, id eſt æterna prædeſtinatio ſervat illos. Hæc Bernardus (*a*). Neque ſolum eis peccata non obſunt ad damnationem æternam, ſed etiam frequenter Dei beneficio, non ſuo malo, conferunt ad gloriam: quoniam ſcit Deus aliquando ex malis elicere bona. Unde Apoſtolus: *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecun-*

Jerem. 3. *Ezech.* 23.
Iſaiæ 54.
2.*Tim.* 2. *Luc.* 21. 1.*Joan.* 3.
Rom. 8.
(*a*)

(*a*) Serm. 1. in Septuag. num. 1., Serm. 23. in Cant. num. 15., Serm. 4. de Diverſis num. 5., & Tract. de Gratia, & lib. Arbitr. num. 29. Vide notas Mabillonii in hæc loca.

ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Cui (*a*) Auguſtini gloſſa (*a*) audacter adjungit: Etiam ſi fas eſt dicere, ipſa peccata. Surgunt enim a peccatis humiliores, ferventiores, & cautiores. Non tamen peccata defendimus; abſit, abſit: Odio enim eſt Deo & iniquus & iniquitas ejus: ſed Dei pietatem & miſericordiam in dilectos ſuos prædicamus, & commendamus.

Sap. 14.

VI. Sed quid, obſecro, tam pulchrum, aut præclarum in creaturis, ut per ſe a Deo diligi dignum ſit? Omnia quæ videmus quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo. Quippe quia ex nihilo creata, in nihilum etiam verterentur, niſi ejus protectione firmarentur. Quid ergo ex operibus quæ de nihilo fecit, in oculis ejus grande videri poteſt, ut eum alliciat ad amorem? Angeli, Archangeli, Cherubim, & Seraphim, ſi per ſe quidem conſiderentur, inſignes & illuſtres creaturæ ſunt: ſed ſi ad Deum conferantur, quaſi pro nihilo reputabuntur. Maxime cum quidquid bonitatis, & decoris habeant, non tam a ſeipſis, & ex natura ſua, quam ab extrinſeco ſortiantur: ſicut mulier quæ ceruſſa & purpuriſſo depingitur, ut pulchra ſit. Hac ratione ſatis convincitur eſſe aliquid unum primo dilectum, in quo omnes creaturæ diliguntur. Nam per ſe & propter ſe diligi multum eſt ad illas. Hoc eſt verbum illud bonum, & infinite bonum, de quo in Pſalmo: *Eructavit cor meum verbum bonum*. In quo amor ille infinitus a Patre exiens, velut in objecto primo proprio adæquato & proportionato quieſcit; & immenſa illa vis amoris pleniſſime ſatiatur. Quia ſicut Deus infinite dilectivus, ita etiam Dei Filius infinite diligibilis eſt. Unde Pater in Euangelio: *Hic eſt*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Hoc eſt, in ipſo mihi complaceo. In ipſo omnia placent, quæ in ipſo velut in exemplari primo & perfecto ſunt. In ipſo cœli, Angeli, homines, & omnis creatura mihi grata, & accepta, quæ in ipſo & per ipſum facta eſt. Quam bene conſonat Apoſtolus ad Epheſios dicens: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo, in quo habemus redemptionem, &c.*

Rom. 4.

Matt. 3.

Epheſ. 1.

VII. Vides quam aperte Apoſtolus dicat, quod in ipſo benedicti, electi, prædeſtinati, gratificati ſumus Deo, ante mundi conſtitutionem. Nondum itaque eramus, quando jam in ipſo grati eramus: non propter nos ipſos cum nihil eſſemus, ſed propter ipſum in quo ab æterno, ſicut in exemplari fuimus. Sicut enim vaſa teſtea & fictilia, quamvis ex materia viliſſima, ſæpius placent propter artem: ita & in nobis ars potius quam materia placet. Propter hoc in Canticis: *Dilectus ex Dilecto*, merito nuncupatur. Et in Pſalmo: *Rex virtutum dilecti dilecti*. Et in Euangelio: *Dilectus, in quo mihi bene complacui*. Ad quid, obſecro, iſta repetitio, niſi quia videlicet ipſe primum dilectum ſit, & prima ratio diligendi? hoc eſt dilectus, in quo omnia diliguntur. Amor ille infinitus qui in ipſo ſicut in objecto primario plenarie quieſcit: per ipſum ad omnes creaturas, quæ in ipſo lucent, abundanter diffunditur. Nam ſicut ſponſa quæ ſponſum ardentiſſime diligit, in ipſo, & propter ipſum, equum, annulum, veſtem, & ſervum diligit; non alia cauſa, neque alio reſpectu, niſi quia illius ſunt, & ad eum pertinent; ſic quoque omnis creatura quæ Deo placet, licet in ſeipſa placeat, quoniam diligit Deus omnia quæ ſunt, & nihil odit eorum quæ fecit, ſecundum Sapientis ſententiam; non tamen ad ſe, & propter ſe, ſed propter exemplar quo condita ſunt. Joannes ergo dilectus ſimpliciter, Chriſtus autem dilectus ex dilecto; vide quantum dignitatis, Joanni accreſcat, quod unigeniti Filii Dei titulum quodammodo meruit obtinere. Sponſus enim in Canticis, dilectus ſæpiſſime nuncupatur: eſt enim Pater diligens, Filius dilectus, Spiritus ſanctus utriuſque dilectio.

Cant. 5. *Pſal.* 67. *Matt.* 3.

Sap. 11.

VIII. Sed jam exponamus quibus ſignis Chriſtus erga Joannem benevolentiſſimum ſe monſtraverit. Sunt enim quatuor dilectionis præcipua indicia, ſcilicet: ſecretorum revelatio, pretioſiorum commiſſio, beneficiorum collatio, familiaritatis exhibitio. Nam ſi quis alium in veritate diligit, primo illi omnia ſecreta cordis revelat, nihilque eſt tam ſecretum, quod non fido pandatur amico. Si quid celatur, qualeſcumque ſit illud, injuria fit illi. Neque jam (*b*) unus in duobus corporibus, & animabus exiſtimatur, ſicut oportet in amicis eſſe. Magnum hoc amicitiæ emolumentum eſt, habere cum quo omnia, ut tecum, conferas. Deinde illi omnia pretioſa committit: vitam, famam, uxorem, filios, domum, familiam, prædia, reditus, & quidquid habet, ſi abeſſe contingat, amico gubernanda relinquit. Si timet lædi, non eſt amicus. Tertio, ſi quid honoris, dignitatis, aut facultatis amico præſtare poteſt, omnia in eum liberaliſſime & libentiſſime accumulat. Quarto, in ejus præſentia & converſatione ſupra modum delectatur & gaudet. Brevis eſt omnis dies ad colloquium, exiguum eſt omne tempus ad conſortium: hæc amoris indicia ſunt. Vide nunc ſi quid horum Chriſtus in Joanne omiſit. Revelavit illi ſecreta perſonæ, ſecreta regni, ſecreta domus. In illo namque ecſtatico

(*b*)

(*a*) Vide notas Concionem 3. in Dom. 3. Quadrageſ. (*b*) Legendum videtur: *Neque jam duo, ſed unus*.

tico ſomno, quando ſupra pectus ejus in cœna recubuit, mira de illius Divinitate ſecreta cognovit, a quo evigilans ſtupendum illud Euangelii ſui exordium, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, mirabiliter eructavit. Qualis ac quantus Philoſophus ſubito factus eſt, quam ſublimiter ſupra omnem intellectum, & ventorum pennas volavit! Neque fonte labia proluit caballino, neque in bicipiti ſomniavit Parnaſſo, ut ſic repente Propheta prodiret: ſed ſancti Euangelii ſecreta de ſacro Dominici pectoris fonte potavit. O miram ſcholam, quæ talem repente Diſcipulum mundo edidit! Non ſic doctus Plato, non ſic verboſus Demoſthenes, non ſic argutus Ariſtoteles, de Divinis diſſeruit ſupra humanam facultatem: & ſupra ſeipſum elevatus: Velut *aquila* potens, *magnarum alarum plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri:* ſicut in Ezechiele ſcriptum eſt. Domus quoque Chriſti, id eſt, Eccleſiæ omnia fere, quæ ab ejus exordio uſque ad finem mundi ventura ſunt, in inſula Pathmos ſub myſticis formis Domino jubente per Angelum ei revelata ſunt: in cujus revelationis fine, cœleſtis etiam Jeruſalem, id eſt, regni perpetui gloria monſtrata eſt; neque ſolum monſtrata, ſed & deſcripta. Paulus Apoſtolus cum illam gloriam perambulaſſet; quæ vidiſſet interrogatus, neſcit dicere aliud niſi: Audivi *arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Joannes vero vidit & ſcripſit. Taceo nunc inæſtimabilem illam perſonæ Chriſti gloriam, quæ illi monſtrata eſt in monte Thabor. Taceo triſtitiam illam uſque ad mortem in horto, ſicut amico propalatam. Taceo perſonam proditoris in cœna illi ſoli proditam; quæ quanti favoris & amoris ſignum exſtiterint, dicere non eſt opus, res ipſa præ ſe fert. Pectoris ergo ſui, domus quoque, & regni ſecreta illi revelavit, & arcana ſui cordis aperuit.

Joan. 1. *Pſal.* 17. *Ezech.* 17. 2.Cor.12. *Matt.* 17. *Ibid.* 26. *Joan.* 13.

IX. Sed quam pretioſa commiſerit illi audiamus. Pendebat in cruce moriturus, & unde venerat rediturus. Diſpoſuit teſtamentum electis ſuis, Patri ſpiritum, Eccleſiæ corpus, peccatoribus ſanguinem, latroni regnum, militibus veſtes, Petro Eccleſiam, Apoſtolis Paraclitum, electis chariſmata liberaliter diſtribuit. Aderat ibi Dilectus, quid ſibi legaretur expectans. Quid tibi o Dilecte legabo? Quid in ultimis dabo tibi? *Ecce Mater tua*. Hæc omnium, quæ poſſideo chariſſima & pretioſiſſima gemma: hanc tibi trado, hanc dono. Et ad Matrem converſus: *Mulier*, ait, *ecce Filius tuus. Et ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua:* exultans & gaudens, quia talem ſibi hæreditatem ejus Dominus reliquiſſet. Vere funes ceciderunt ei in præclaris, & hæc ejus hæreditas præclara eſt ſibi. O magnum dilectionis indicium! Suo loco apud matrem ſubſtituit eum, & pro ſe in filium Virgini reliquit eum. Huic gratiæ quid amplius addi poteſt? Neque putemus vacua illa Salvatoris verba fuiſſe. Neque enim defuere viri pii & docti (*a*), qui aſſererent non ſola æſtimatione humana filium reputari potius, quam eſſe, quales lex, & adoptatio ſolet filios procreare; ſed eum qui verbo ſuo cuncta creavit de nihilo, potuiſſe, ajunt, filium facere de non filio. Quod ſi potuit & fecit. Non enim dixit: habeto eam in Matrem, ſed aſſertive: *Ecce Mater tua*. Sit hæc pia opinio & religioſa: ego illi meam non aſtringo fidem. Mater ergo illius eſt, non lege, non natura, ſed gratia: unde & merito: *Ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua*. Impreſſit in hoc verbo Dominus ſtatim cordi virgineo, amorem quemdam maternum, in Joannem fortiorem & ardentiorem, quam ſoleat matribus natura tribuere. Viſceribus etiam Apoſtoli reverentiam filialem in Virginem inſeruit, qualem nullus filius natura habet in matrem. Atque ita, ſicut dicendo: *Hoc eſt corpus meum*, verum corpus ſuum fecit ex azymo; ſic etiam dicendo: *Ecce filius tuus:* amore filium fecit ex cognato: non tamen natura, ſed gratia; altiori tamen modo quam lex & adoptio filios efficere queat. Jam ex hoc intelligere licebit, quantæ fœlicitatis & gloriæ fuerit tot annis poſt Domini Aſcenſionem cum Virgine commorari, eam ſicut filius alloqui, ejus decora præſentia, & jucundo colloquio tam familiariter frui: ejus magiſterio imbui, ejus exemplo & moribus inſtrui. O vere egregium Diſcipulum, qui poſt Chriſtum Dominum talem promeruit habere præceptorem! Quid ab ea non didicit? Quid non ab ea impetravit? Omnia quæ a Filio ſuo in familiaribus locutionibus ipſa audierat, in Joannem ſicut in filium libentiſſime transfudit. Unde merito ſuper omnes Euangeliſtas ſpiritu & intellectu volavit. Nam ſi una hujus Virginis ſalutatio Baptiſtam in utero tanta gratia perfudit; quid putas in Euangeliſta tam diuturna converſatio fecit? Si grande fuit apud Eliſabeth tribus menſibus Virginem commorari: quantum erit tot annis apud eandem Virginem domo verſari? Benedixit olim Deus

Pſal. 15. (*a*) *Matt.* 26. *Luc.* 1. 2.*Reg.* 6.

(*a*) Opinioni, quam hic refert S. Orator, accedere videtur S. Petrus Damiani. Nam Serm. 66., qui eſt 2. de S. Joanne Apoſtolo, & Euangeliſta, §. 4. ſic habet. *Sicut enim dixit matri: Hic eſt filius tuus, ita dixit Diſcipulis: Hoc eſt corpus meum. Et tantus fuit in illis verbis effectus, ut illico panis ille, quem dabat, Dominicum fieret corpus. Dixit enim, & omnia facta ſunt, mandavit, & creata ſunt. Ex quadam itaque ſimilitudine, ſi dicere audeamus, & B. Joannes non ſolum filii potitus eſt nomine, ſed propter verba illa Dominica, quoddam majus neceſſitudinis ſacramentum apud B. Virginem meruit obtinere*. Barradas in hæc Euangelii verba, *Ecce mater tua: Quæritur*, inquit, *an verba Domini in Virgine, & Joanne relationes aliquas phyſicas, ac veras matris in Virgine, filii in Joanne effecerint? Non deſunt, qui id affirment. Sed ne quid nimis. Reſpondetur nullas phyſicas relationes effeciſſe verba Chriſti in Virgine, & Joanne, matris, & filii.*

Deus Obededom; quia in domo sua Arcam
1. *Paral.* 13. Domini recepisset: & Joanni quomodo putas benedixerit, qui Virginem Theotocon (*a*)
(*a*) tot annis apud se habuit? Hæc, ut existimo, omnium gratiarum maxima fuit, hoc maximum & præcipuum amoris indicium: quamquam & in aliis nihil omisit Christus, quod dilecto suo non donaret.

X. Omnium quippe dignitatum titulos, omnes gratias & honores quos per alios domus suæ famulos, & officiales sparsim divisit, in hoc uno plenius accumulavit & acervavit. Hic Apostolus, Propheta, Euangelista, Martyr, Confessor, Virgo, Doctor, Cognatus, Amicus; & si quid aliud in Ecclesia dignitatis, & gratiæ est, totum perfectissime possidet: omni honore, & dignitate in domo Dei sublimatus est, omni gratia & virtute decoratus. Quod si aliorum quilibet uno solo titulo in Ecclesia Dei præclarus & magnus est: quid de isto dicendum, qui simul omnibus pollet? Neque de martyrio quispiam dubitaverit. Non enim Joannes morti, sed mors Joanni defuit in martyrio. Postquam enim in dolium ferventis olei pro fide Christi missus est, sibi eum Dominus conservavit a morte: quid minus quam si moreretur, fidelis athleta promeruit? Vere, sicut illi Dominus ante promi-
Matt. 20. serat, calicem Domini bibit, & sine morte, martyrii meritum & gloriam obtinuit, & martyrum laureola in cœlo coronatus est. Dixit illi Christus, sicut in Euangelio hodierno audistis, quod *sic eum* vellet *manere*
Joan. 21. *donec* veniat. Non quia non esset aliquando moriturus, sed quia non esset per gladium in gloriam transiturus: Domino illum ad Ecclesiæ suæ solatium & suorum magisterium, usque in senectam & senium conservante. Familiaritatis vero insignia, quanta illi Chri-
Psal. 70. stus ostenderit, legentibus Euangelia in promptu est videre. Si quos ab aliis segregabat, si quos præ cæteris ad occultiora negotia de-
Matt. 17. ligebat, unus ex tribus Joannes erat: hic juxta ipsum recumbebat, hic ipsum comitabatur quocumque ibat. Denique Petrus Apostolorum Princeps, & Ecclesiæ Pastor, pro-
Joan. 13. ditoris nomen interrogat per Joannem. Non audet ipse petere, sed dilecto innuit ut petat: sciens, quia nihil illi præ amore negaturus esset Christus. Quod evidentius familiaritatis indicium? Sed illud omnium supremum & maximum, quod coram omnibus in cœna ultima supra pectus ejus recumbere ausus sit. O miram audaciam! Non audet Baptista sacrum Domini verticem continge-
Matt. 3. re. Magdalena cum timore & tremore pe-
Luc. 7. des tangit, Thomas nisi jussus manum non
Joan. 20. mittit ad latus: Joannes dilectus, non jussus, non petita venia, confidenter recumbit super Domini pectus. Amor fecit hoc: est enim supra modum audax dilectio. Videas aliquando pusillos tenerrime dilectos a matribus, earum pectora, ora, facies, oculos audacter contingere, super gremium volutari, amplexari capita, capillos spargere, velamina tollere, cervices contundere, super illas jactare seipsos. Omnia sibi putat licere amor: non utique sacrum Domini contingere pectus Joannes auderet, nisi fiduciam præstaret amor, qui latebat in pectore. Sed & illud quoque mirandum, quod cum in passione cæteri omnes fugissent, & solus Joannes & Petrus cum Domino permansissent, *Matt.* 26. Petrum toties ministri Satanæ quærendo in- *Joan.* 18. festant, Joannem vero nullus interrogat. *Matt.* 26. *Marc.* 14.

Astat in palatio, astitit in prætorio, adest etiam patibulo, lacrymatur, dolet, gemit, palam Magistri sui mortem deplorat, & nullus eum interrogat, quid ploras? Nullus criminatur dicens, discipulus es, amicus es, fautor es. Si dixeris, quia erat Christi propinquus, & numquid hoc omnes noverant? Si dixeris quia erat notus Pontifici, & numquid hoc omnibus constabat? Mira utique *Joan.* 18. amoris dispensatio fuit, ut terribilibus Domini sui cruciatibus dilectus adesset, & calicem passionis ad pedem crucis cum dilecto potaret, Christo Domino sic disponente; ut nemo illi obsisteret, nemo contradiceret. Ut vel ex hoc Joannes agnosceret, quia cum in vita dilexisset illum, in morte amplius dilexit eum. Amor enim in fine maxime cognoscitur.

XI. Unde & hanc ipsam dilectionem, quam illi Dominus semper ostenderat, etiam cum ipse Joannes e vita discederet, amplius illi demonstravit. O mirabilem Viri sancti exitum! Cum jam senex, & plenus dierum mortis suæ diem adesse cognovisset, convocat discipulos, populum in Epheso ad Ecclesiam suo nomini dedicatam congregat: sepulchrum aperiri jubet, & ingressus, ibi (*b*), non (*b*) quasi moriturus, sed quasi discessurus populum devotissime alloquitur. Admonet cunctos fidem, quam ab ipso audierant, firmam servare, pacem tenere, invicem diligere, mundum contemnere, erga suos Prælatos obedientiam & reverentiam custodire. Admiratur populus, quorsum ista tenderent rei exitum expectans: cum ecce subito de cœlo lux fulgentissima tumulum circumfulsit, cunctorumque oculos nimio fulgore perstrinxit, quæ cum ibidem aliquantulum permansisset, postmodum cunctis videntibus disparuit. Accurrentesque ad tumulum, nihil ibidem invenerunt, nisi scaturiens manna, quod longo postmodum tempore, ibidem velut ebulliens arena fontium, scaturire visum est. De Apostolo autem quid factum sit, omnino nescitur. Quidam existimant, quod sicut Enoch rapuit eum Dominus in paradisum; & ibi hodie vivat cum Elia & Enoch; ita 4. *Reg.* 2. ut legis naturæ, scriptæ, & Euangelicæ unus, *Gen.* 5. usque in finem mundi testis reservatus sit. Alii mortuum eum fatentur, sed subito surrexisse,

(*a*) Hoc est, Dei Matrem.
(*b*) Vide Metaphrast. in vita S. Joann. apud Surium tom. 6., & Gregor. Turon. de Glor. Mart. lib. 1. cap. 30.

rexiſſe, & cum corpore in gloria ſublimatum fuiſſe: ita ut poſt Chriſtum & Virginem, hoc Dilecto privilegium conceſſum ſit, ut generalem reſurrectionem non expectet.

(a) De quo quamvis Beatus Hieronymus (a) anceps extiterit, audacter tamen aſſeverat eum a dolore mortis tam extraneum fuiſſe, quam a corruptione carnis inventus eſt alienus.

(b) Sed quidquid ſit de hoc (b), unum indubitanter aſſerimus, eum quem tot titulis & virtutibus in vita Chriſtus tam mirifice decoravit, potioribus & altioribus beatitudinis ſuæ bonis cum Virgine glorioſa, quam illi reliquit matrem, remuneraturum, ſi adhuc vivit: aut remuneraſſe, ſi vita defunctus eſt, in cœleſti gloria: quam nobis concedere dignetur, *qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis* Apoc. 1. *noſtris, in ſanguine ſuo*, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, pius & miſericors & verus Deus, cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor, & gloria, poteſtas & imperium, in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EUANGELISTÆ

CONCIO SECUNDA.

Converſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus ſequentem, qui & recubuit in cœna ſupra pectus ejus.
Joann. 21. v. 20.

Concio CLXXVIII.

I. OMnia naturaliter quieſcunt in fine ſuo. Lapis in centro, ignis in ſublimi concavo, fluvius in maris pelago. Ita etiam impetus appetitus vel voluntatis non ſiſtitur uſque ad pelagus divi-
(c) nitatis. S. P. Auguſtinus (c): Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Sed licet omnis voluntas naturaliter deſideret finem ultimum; tamen non omnes ſciunt diſcernere in quo bono conſiſtat. Unus enim in voluptate, alius in honore, alius in potentia, alius in divitiis & opulentia quærit beatam quietem & quietam beatitudinem. Una eſt felici-
(d) tas, ſed tamen non in uno bono inquiritur. Exemplum ponit S. Thomas (d) de guſtu: nam omnis guſtus appetit dulcedinem, ſed non omnibus placet una dulcedo. Alius enim delectatur in melle, alius in ſaccharo, alius in fructibus: ſapor quæritur, ſed non in uno ſubjecto. Solus autem perfectus guſtus eſt, cui de ſapore credendum eſt: guſtus enim

A corruptus amara putat dulcia. Iſaias: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Iſaia 5.
Eligit ſuperbus honorem, nec reperit requiem: eligit avarus aurum, & non eſt requies: eligit vitioſus delicias, & non eſt requies. Luc. 12.

II. Joannes, omnia arbitratus ut ſtercora, ſolum pectus Domini ex omnibus elegit, in quo recubuit & quievit; ut ait thema: *Recubuit in cœna ſuper pectus ejus.* Ac- Joan. 21.
ceſſit ad Jeſum, *mater filiorum Zebedæi cum* Matt. 20.
B *filiis ſuis, adorans & petens ab eo: ut ſedeant duo filii unus ad dexteram &* alius *ad ſiniſtram;* & conceſſum eſt ei, ut recumbat in pectore. Solent recumbere defeſſi: Eſther viſo Rege reclinavit ſe ſuper unam ex ancil- Eſther 15.
lis, præ timore majeſtatis. Eſther anima devota ſcrutans majeſtatem Dei nititur duabus ancillis, ſcilicet, cognitioni naturali, & cognitioni fidei: iſtis enim duobus luminibus innixa, putat ſe poſſe pervenire ad Regem in ſecreto cubili reſidentem: ſed, cum nimia regis gloria opprimitur, deficit, op- Prov. 25.
preſſa a gloria. Tunc reclinat ſe ſuper fidem
C patienter expectans, non rationibus innitens, ſed fidei in veritatibus altiſſimis. Ideo ſponſus in Canticis: *Averte oculos tuos a* Cant. 6.
me, quia ipſi me avolare fecerunt. Non placent duo oculi; unum porrige ſolum fidei, nam: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuo-* Ibid. 4.
rum. Sed Joannes defecit totus in Deum: *Anima mea liquefacta eſt, ut* dilectus meus Ibid. 5.
locutus eſt. Ad vocem Chriſti reliquit patrem Zebedæum & matrem, ad vocem reliquit ſponſam in nuptiis: quia virgo a Deo vocatus, & virgo in ævum totum Chriſto ſe
D dedit, totus ipſe innixus Chriſto.

III. Figura optima: Jacob recubuit ſuper lapidem, & vidit ſcalam, & ſurgens erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper, & ait: Vere *non eſt hic aliud, niſi do-* Gen. 28.
mus Dei & porta cœli. Joannes ſuper lapidem recumbens vidit myſteria ſecreta. Lapis erigitur in titulum, dum legitur in cruce titulus: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.* Joan. 19.
Oleum, ſanguis. *Vere non eſt aliud, niſi domus Dei*, in quo habitat, *omnis plenitudo* Coloſſ. 2.
divinitatis corporaliter. Et porta cœli: nam ejus paſſio cœlum apperuit. In inveſtigatio-
E ne verbi, miſit Eccleſia Jeremiam pro erigenda familia, & ait: *A, a, a, Domine* Jerem. 1.
Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Miſſus eſt etiam ſublimipeta Iſaias; & ait: *Generationem ejus quis enarrabit.* Miſſus eſt Iſaiæ 53.
Paulus gryphus, & præda quaſi unguibus ejus dilapſa eſt. Ait enim: Audivi *arcana* 2. Cor. 12.
verba,

(a) Seu quicumque demum ſit Auctor Sermonis de Aſſumpt. Virginis, quem toties allegavit jam S. Orator. Extat tom. 5. Operum S. Hieron. pag. 82. edit. Pariſ. noviſſimæ.

(b) Ex his verbis, & immediate præcedentibus pronum eſt colligere, S. Oratorem de obitu S. Joannis Euangeliſtæ nihil definire, ſed opiniones dumtaxat referre. Hinc non eſt cur Calmet in diſſertatione de obitu S. Joann. Euang. S. Thomam de Villanova Scriptoribus illis accenſeat, qui S. Euangeliſtam, poſt mortem, in vitam rediiſſe aſſeverant.

(c) Confeſs. lib. 1. cap. 1.

(d) 1. 2. quæſt. 1. art. 7.

verba, quæ non licet homini loqui. Missus est autem aquila perspicax Joannes, & tulit prædam, dicens: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c.* Ezechiel: *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate*, quæ *venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, &c.* Joannes, in morte Christi, martyr extitit: ideo novo martyrio non eguit.

Joan. 1.

Ezech. 17.

IN CATHEDRA S. PETRI

CONCIO PRIMA.

DE AUTHORITATE ET VERITATE ECCLESIÆ IN DEFINIENDO; DE ECCLESIÆ FUNDATIONE, STABILITATE, ET PULCHRITUDINE; ET DE MYSTICA ECCLESIÆ DESCRIPTIONE.

Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Matth. 16. v. 13.

* CONCIO CLXXIX.

Matt. 16.

I. QUEM *dicunt homines esse Filium hominis?* Ardua quæstio & mirabilis, & quæ a nullo potest comprehendi. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* & a rusticanis quærit quis sit? Numquid Domine tu non dixisti: Ego ab hominibus testimonium non accipio? Quid ergo de te ipso hominum testimonium quæris? *Vos autem quem me esse dicitis?* Homines de me loquantur ut homines, vos autem plus quam homines estis: loquimini ut Apostoli: *Vos autem quem me esse dicitis?* Sic est, Fratres, Prælati & Prædicatores multo aliter & altius quam reliquum vulgus sentire & loqui de Christo debent. Sed heu! Vincimur hodie a communi populo, magis sæcularibus impliciti, & ad spiritualia habetes. Respondet Petrus unus nomine omnium. Magnum documentum: Pontifex erat Petrus, ideo vocem omnium sumpsit. Papa in Concilio de Christo nomine omnium definire habet: & quod ibi definitum fuerit, non ab homine putetur sed a Deo. Nam quid sequitur? *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est*. Non egebat Christus testimonio Petri, sed Petrus testimonio Christi. Non accipit hic authoritatem Christus a Petro, sed Petrus a Christo, & nomine Petri universalis Ecclesia. Non temere obviandum est statutis Apostolicis: maxime si in Concilio & nomine Concilii emanarunt, non ab homine putentur sed a Deo. Magnus articulus est: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*. Tolle hanc & ubi erit reliqua fides? S. P. Augustinus (*a*): Euangelio non crederem, nisi Ecclesia diceret. Item Apostolus Paulus, postquam Euangelium non ab homine neque per hominem didicit, tamen contulit cum Apostolis; ne forte invanum curreret, vel cucurrisset. *Notum*, inquit, *vobis facio, Fratres, Euangelium quod evangelizatum est a me: quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis Euangelium: quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse*. Ecce divina revelatio Ecclesiæ testimonio roboratur: contra infideles hæreticos, qui superbo & temerario supercilio, Sanctorum Patrum, & Sedis Apostolicæ definitiones parvipendunt.

Galat. 1.

Ibid. 2.

(*a*)

II. Inter alias præcipuas figuras magnificæ fundationis Ecclesiæ, una est solemnis illa Genesis: quando formavit Deus Evam de costa Adæ. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*. Apostolus testis *Sacramentum* ait, *hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Sanctus Pater Augustinus (*b*): Quid hoc, inquit, quare non mulier de limo, ut vir; sed mulier a viro nascitur? Non sic in omnibus cæteris principiis. Radix mulieris, vir. Secundo, quare per somnium? quasi vigilanti dolor immineret, qui non excitaret dormientem? Tertio, implevit carnem pro ea in viro. Quarto, postquam vidit, statim agnovit a se genitam vir, & nomen a nomine suo imposuit, dicens: *Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta*

Gen. 2.

Ephes. 5.

(*b*)

Gen. 2.

(*a*) Lib. contra Epist. Manichæi cap. 5. *Ego vero Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

(*b*) Vide de Genes. ad lit. lib. 10. cap. 18. & 19. Et de Genes. contra Manich. lib. 2. cap. 24.

ſumpta eſt. Iſtud neſciremus ei donare, niſi idem ſpiritus annuntiaſſet ore Apoſtolico:
Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, in Chriſto & in Eccleſia. Propter hoc, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* O Adam! Nondum genueras, nondum quid eſſet pater, quid eſſet mater, noveras: nondum præceptum multiplicandi acceperas. Quid Prophetas: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ?* Quis eſt ille homo, niſi verus homo de quo eſt omnis homo? Et quis cognoſceret ejus Patrem in cœlo, ejus Matrem in terra; niſi quando ait:
Joan. 16. *Exivi a Patre, & veni in mundum:* & Diſcipulo: *Ecce Mater tua, & accepit eam diſcipulus in ſua?* Relicto ergo Patre in cœlo & Matre quodammodo in terra, tunc adhæſit uxori, quando dormivit in cruce ſecundus Adam: nam primus eſt forma futuri, & in primo, ſimilitudo ex paſſione Chriſti, qui eſt ſecundus de cœlo cœleſtis, unde omnis propago cœleſtis: & ſpiritus omnis ab ipſo, ſicut omnis caro a primo Adam; & de latere dormientis Eccleſia ſurrexit. Nam ut
Pſal. 3. ipſe ait: *Ego dormivi & ſoporatus ſum.* Ambroſius (*a*): Sepulchrum lectum vocat dormientis potius, quam ſepulturam mortui. Somnus erat mors illa vitæ, & vita potius ſopita, quam mortua; inde Sponſa illa cœleſtis Eccleſia, ſine macula, ſine ruga, Virgo decora; inde totum hoc ædificium Eccleſiæ. Sic enim ait: *Tulit unam de coſtis ejus,*
Gen. 2. *& ædificavit in mulierem.* Quæ mulier ædificatur niſi Eccleſia? *Et replevit carnem pro ea.*

III. Imbecillis caro, fortius os Chriſti. Infirmitas fuit omne robur Eccleſiæ. Inde illa fortis, unde ille factus eſt infirmus. Vides in ædificio mirabilem lapidum fortitudinem in martyribus. Unde hoc, niſi quia fortitudo Dei infinita eſt, unde infirmitas hominis firmaretur. *Replevit* igitur *carnem pro ea*. Et ideo *hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt*. Inde Virago Eccleſia, quia a Viro Chriſto, omnis virtus ædificii in fundamento, & omnis virtus arboris in radice. Chriſtus radix Eccleſiæ: Iſaias:
Iſaiæ 53. *Aſcendet ſicut radix de terra ſitienti: non eſt ſpecies ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus*. Radix deformis: ſed omnis pulchritudo & decor, omnis ſapor arboris a deformi radice. S. P. Auguſtinus (*b*) lib. 50. Homiliarum, ſerm. 36. de Domino, inquit, & Salvatore noſtro, Fratres dilectiſſimi, ante multa tempora prophetatum eſt: *Aſcendet ſicut virgultum, & ſicut radix de terra ſitienti*. Quare ut radix? *Quia non eſt ſpecies ei neque decor;* paſſus eſt,
Ibidem.

humiliatus eſt, conſputus eſt, non habebat ſpeciem: homo apparebat cum Deus eſſet. Sed quomodo radix non eſt pulchra, ſed intus habet vim pulchritudinis ſuæ. Attendite, Fratres mei, videte miſericordiam Dei. Attendis arborem pulchram, amœnam, foliis virentem, fructibus opulentam, & laudas. Delectat aliquid de fructu carpere, ſub umbra ejus ſedere & requieſcere ab æſtu: laudas totam illam pulchritudinem. Si radix oſtendatur tibi, nulla pulchritudo in ea eſt. Noli contemnere quod abjectum eſt: inde proceſſit quod miraris. *Ut radix* in *terra ſitienti*. Attendite claritatem arboris: crevit Eccleſia, crediderunt gentes, victi ſunt terræ Principes ſub nomine Chriſti: ut eſſent victores in orbe terrarum, poſitum eſt collum eorum ſub jugo Chriſti. Perſequebantur ante Chriſtianos pro idolis, nunc perſequuntur idola propter Chriſtum. Omnes confugiunt ad auxilium Eccleſiæ, in omni preſſura in omni tribulatione ſua. Crevit illud granum ſinapis, factum eſt majus ſuper omnia olera. Veniunt volatilia cœli; ſuperbi ſæculi, & requieſcunt ſub ramis ejus. Unde hæc tanta pulchritudo? Neſcio de qua radice ſurrexit, & iſta pulchritudo magna gloria eſt. Quæramus radicem: conſputus eſt, humiliatus eſt, flagellatus eſt, crucifixus eſt, contemptus eſt. Ecce hic ſpecies non eſt, ſed in Eccleſia gloria radicis eſt: & quanto nobis magis deformis commendatur; tanto clarior, tanto dulcior factus eſt Sponſæ ſuæ. Inde enim omnium gratiarum & donorum fluenta in Eccleſia, inde omnis viriditas, & potentia, & ſplendor in arbore. Iſaias: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum*. Deus & homo futurus erat fundamentum fundatum in Sion. P. Auguſtinus (*c*) in Pſal. 75. Sion, quaſi patria eſt Judeorum; vera Sion, Eccleſia eſt Chriſtianorum. De fundamento: ſervus Dei Paulus Eccleſiæ ædificator, qui dicebat: *Ut ſapiens architectus fundamentum poſui; Fundamentum*, inquit, *aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*.

Matt. 32. *Iſaiæ* 28. (*c*) 1. *Cor.* 3. *Ibidem.*

IV. Ergo fundamentum poſitum in Sion, hoc eſt in Eccleſia ſolus eſt Chriſtus. Sed & ejuſdem fundamenti lapis, Chriſtus eſt. Apoſtolus: *Petra autem erat Chriſtus*. Nec lapis tantum eſt, ſed & lapis probatus eſt, angularis eſt, pretioſus eſt. Nonne probatus Chriſtus per tribulationes adverſariorum? Nonne per pietatem, per ſcientiam, per fortitudinem, per conſilium, per intellectum, per ſapientiam probatus, merito acclamatus

1. *Cor.* 10.

eſt

(*a*) Serm. 57. de Sepulchro Dom. noſtri Jeſu Chriſti, in antiquis editionibus S. Ambroſii. Eſt autem Homil. 3. S. Maximi de Paſſione, & ſepultura Domini. Bibliot. Patr. tom. 6. ita legere eſt: *Ut quid illi ſepultura, qui tridui tantum temporis ſpatio, non tam in ſepulchro mortuus jacuit, quam velut in lectulo dormiens conquievit? Ipſa enim temporis brevitas declarat ſomnum potius fuiſſe, quam mortem.*

(*b*) Uſque ad ea: *Ecce hic ſpecies non eſt, ſed in Eccleſia gloria radicis, &c.* S. P. verba ſunt Serm. 44. num. 1. & ſeq. in noviſſima edit. Pariſ., alias ut allegatur in textu.

(*c*) In Pſal. 75. num. 5. Prima tantum periodus eſt Auguſtini.

est Filius Dei? Et quemadmodum probatus, ita angularis lapis est. S. P. Augustinus (*a*) serm. 18. de verbis Domini: Angularis lapis dicitur Christus, qui fecit utrumque unum. Angulus enim duos parietes copulat de diverso venientes. Quid tam diversum, quam circumcisio & præputium habens unum parietem de Judæa, alterum parietem de Gentibus? Sed angulari lapide copulantur. *Lapidem* enim *quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. Angulus in ædificio non est, nisi cum duo parietes ex adverso venientes in unum conveniunt, & quadam unitate junguntur. Pretiosus, quo totus mundus redemptus est: in fundamento, Ecclesiæ scilicet, fundatus, id est sustinens totam Ecclesiæ fabricam. Lapis dum in fundamento collocatur, ad ima deprimitur. Isaias: *Attritus est propter scelera nostra*, inquit, sed ex lapidis nostri in fundamento profundissima depressione, sublimiter erecta est fabricæ totius Ecclesiasticæ celsitudo. P. Augustinus (*b*): Quantam quisque vult, & disponit superimponere molem ædificii, quanto est majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Ergo præcellentissima Ecclesiæ fabrica, ante celsitudinem in lapide fundamentali Christo, quanto magis humiliata est, tanto magis post ejusdem humiliationem in sublimi erecta est. Et quod erat fastigium construendæ fabricæ, & quo venturum erat? Cito dico, usque ad ipsummet consubstantialem Patri, coævum æterno Patri, Unigenitum Patri, usque ad Altissimi Filium. Hinc Discipulus ille, quem diligebat Jesus, cui revelata fuerant secreta cœlestia; & cœtus Apostolici Primas Simon Bar-Jona, qui & Petrus: ambo pariter cœlestia penetrantes: quemadmodum ille super humanum captum de Christi divinitate locutus est: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; ita & hic, sublimiora quæque cœlorum convexa transcendens, unionem hypostaticam Dei & hominis in Christo, palam fecit & coram Apostolis testatus est dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi*.

(*a*) Serm. 88. num. 10., alias ut allegatur in textu, usque ad ea, *& quadam unitate junguntur*, S. P. verba sunt.

V. Magnificum hoc fundamentum, simul cum ædificio, sponsa, licet verbis obscuris in Canticis exposuit, dicens: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo*. Et quærentibus illis: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?* Mystice describit in dilecto totam Ecclesiæ fabricam. Ad quam explanandam priusquam accedamus: quid sit *dilectus ex dilecto*, exponamus (*c*). Explicatione facta: quomodo totius spiritualis ædificii, descriptionem ex sponsi seu dilecti statura subtiliter enucleare pergat, auscultemus. *Dilectus meus*, inquit, *candidus & rubicundus, electus ex millibus*. Candidus divinitate: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*. Rubicundus passione: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor justitiam & propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi*. Sequitur *electus ex millibus*. Et quidem: *Millia millium* ministrant *ei, & decies millies centena millia* assistunt *ei*. Et audivit Joannes *vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & erat numerus eorum millia millium*. Sed *cui Angelorum dixit aliquando* Deus Pater, *Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis; ad Filium autem: Thronus tuus Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui &c.* Et *ad quem Angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Ergo dilectus & electus ex millibus, tanto melior cæteris omnibus est effectus, quanto differentius prælatus est illis, & præ ipsis nomen hæreditavit. *Caput ejus aurum optimum*. Ecce fundamentum nomine Capitis. Cæteri Sancti aurati, Christus aurum optimum. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum* Filio suo, sed *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus*. Et iterum: *Crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*.

VI. *Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus*. Comæ capitis ejus Apostoli: nam propinqui fundamento. Quin & ipsi etiam fundamenta sunt necessaria Ecclesiæ. Joannes in Apocalypsi. *Murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*. Comæ etiam conjunctæ capiti dicuntur Apostoli, tamquam primitias spiritus habentes. Apostolus: *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis; in qua & vocavit vos per Euangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi. Comæ* ergo *ejus elatæ palmarum, nigræ*

(*b*) Serm. 69. num. 2., alias Serm. 10. de verb. Dom.

(*c*) Hoc loco Editor Bruxellensis remittit Lectorem ad Concionem in Fer. 3. Pasch.

Joan. 1. *Matt. 16.* *Cant. 5.* *Isaiæ 53.* *Psal. 117.* *Sap. 7.* *Isaiæ 63.* *Cant. 5.* *Dan. 7.* *Apoc. 5.* *Hebr. 1.* *Joan. 3.* *Ephes. 4.* *Cant. 5.* *Apoc. 21.* *Rom. 8.* *2. Thes. 2.* *Cant. 5.*

nigræ quaſi corvus; duo ait: *elatæ* & *nigræ*: quæ oſtendit utraque in Apoſtolis reperiri.

Philip.3. Altitudo: *Noſtra autem converſatio in cœlis*
1.Cor.4. *eſt*. Nigredo: *Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris: maledicimur & benedicimus: perſecutionem patimur & ſuſtinemus: blaſphemamur & obſecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti ſu-*
Cant. 5. *mus, omnium peripſema uſque adhuc. Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima. Oculi* capitis Prophetæ ſunt. *Sicut columbæ ſuper rivulos aquarum*. Dicuntur columbæ in rivis videre deſuper venientem accipitrem, & fugere. Ita omnia ſcripta Prophetarum ſunt præmonitiones omni viventi, de omnibus machinationibus & tentationibus dæmonum, adverſus omnem ma-
Epheſ. 6. litiam ſpiritualium nequitiarum, *adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum*. Ut inde accipientes armaturam Dei, poſſimus reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecte ſtare, & in omnibus ſumentes ſcutum inexpugnabile fidei, poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea
Cant. 5. extinguere. *Sicut columbæ, quæ lacte ſunt lotæ*: columbæ per fœcunditatem & abundantiam & exuberantiam: *quæ lacte ſunt lotæ*: quia Prophetæ lactei apparent per ſermonis dulcedinem, & vitæ innocentiam ac puritatem. *Et reſident juxta fluenta pleniſſima*, ſacræ ſcilicet Scripturæ veteris Teſtamenti, quod redundat prophetiis undequaque, & præſcitis copioſiſſime ſuperfluit. Reſident ergo Prophetæ *juxta fluenta pleniſſima*: quia & ſententiarum & intelligentiarum opulentia repleti, in modum pleniſſimi torrentis exundant & abundant inexplicabili eloquio.

VII. Sequitur: *Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ a pigmentariis*. Genas vocat Confeſſores, quorum vita eſt veluti facies Chriſti, quia in eis forma vitæ Chriſtianæ exprimitur. Ideo vero genæ areolæ: nam
2.Cor.10. areæ pauci. Apoſtolus: *Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus*. Unuſquiſque ſuis terminis contentus eſt, & ſuis gratiis ſecundum diviſionem ſpiritus; ſed Chriſto non eſt datus ad menſuram. *Aroma-*
Cant. 5. *tum*: quia Chriſti bonus odor. Paulus: *Deo*
2. Cor. 2. *gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo*. Sint igitur *genæ* iſtæ, Confeſſores inquam *areolæ aromatum*: odore ſcilicet bonæ famæ, non herbarum viridium ſeu male olentium. Debet enim eſſe Confeſſor velut quædam apotheca Spiritus ſancti, in qua inveniantur varia electuaria virtutum & gratiarum. Idcirco enim conſitæ dicuntur etiam genæ iſtæ a pigmentariis ſicut areolæ aromatum, quia in eorum cordibus omnes virtutes & bona quæ docuerunt Sancti, debent

A creſcere & oriri: ut notetur in hoc peritia, experientia, diligentia, cautela & ſedulitas ipſorum. Vel conſitæ ſunt genæ iſtæ ex pigmentariis, quia ex lectione Scripturarum, ſapientia eſt Confeſſorum. Sequitur: *Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam*. *Labia* Sponſi *Cant. 5.*
ſunt prædicatores & prælati. *Labia* candore & puritate vitæ: *diſtillantia myrrham primam*, quia myrrham debent diſtillare, id eſt, pœnitentiæ dolorem prædicationibus, & exhortationibus ſuis ſanctis in alios derivare. Di-
B ſtingue triplicem myrrham contra triplicem corruptionem, quæ eſt voluntatis, operis, & conſuetudinis. Hæc enim eſt triplex corruptio, ſive mors animæ. Prima in voluntate ſola: Chriſtus Dominus: *Dico vobis*; *Matt. 5.*
quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Figura illius: puella Principis cujuſdam *Ibid. 9.*
jam defuncta, ſed jacens adhuc in domo. Secunda in opere; Dominus ad Cain poſtquam occiderat fratrem Abel: *Cur concidit* *Gen. 4.*
facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Figura altera: filius viduæ defun- *Luc. 7.*
ctus & elatus extra domum. Tertia eſt con-
C ſuetudo inveterata: Pſalmus: *Operti ſunt ini-* *Pſal. 72.*
quitate & impietate ſua, prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis; peccata, ſcilicet, & ſcelera eorum. Figura: Lazarus non mortuus tantum in do- *Joan. 11.*
mo, ſed inde elatus inſuper, & in ſepulcro putridus & fœtidus. Contra triplicem hanc corruptionem myrrha correctionis & increpationis, tam prælatis quam prædicatoribus prima ac præſtantiſſima eſt neceſſaria.

VIII. Sequitur: *Manus illius tornatiles* *Cant. 5.*
aureæ, plenæ hyacinthis. Per manus ſponſi ſeu dilecti non incongrue ſignantur confeſſa-
D rii, qui duas habent manus, duplicem dico poteſtatem: ligandi videlicet, & ſolvendi. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: *Joan. 20.*
& quorum retinueritis, retenta ſunt. Deſcribuntur manus hæ *tornatiles*: quia confeſſarii in nullo poſſunt eſſe reprehenſibiles, ſed ad omne opus bonum volubiles. Circulos undique, id eſt, omnia perfectionis opera exprimentes. *Aureæ*: per ſapientiam ſcilicet. *Plenæ hyacinthis*, id eſt, operibus virtuoſis, ſolidis, pretioſis, cœleſtia oſtendentibus, & pleni cœleſtibus donis. *Venter ejus* *Cant. 5.*
eburneus, diſtinctus ſapphiris: venter ſponſi
E viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non deſunt egentibus, quorum eleemoſynæ ex mera charitate procedunt, nec laudis fornace, uri in aliquo poſſunt: miſericordiæ operibus abundantes, per quos, & in quibus Dominus operatur. *Eburneus*: candida & recta intentione, cito & hilariter tribuendo. Similes merito *ventri*, quia ſunt pleni viſceribus miſericordiæ. *Diſtinctus ſapphiris*: quia a reprobis illos Deus diſcernet & diſtinguet, & rejectis avaris ac tenacibus, ad cœleſtia regna ſecernet, & eriget beneficos in pauperes: *Cum autem venerit Filius homi-* *Matt.25.*

nis

nis in majestate sua ... tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, tunc dicet his qui a dexteris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: Sitivi, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me... Quamdiu namque *fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me. Quamdiu* enim *non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.*

Cant. 5. IX. Denique: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Crura sponsi sunt Martyres fortissimi universam Ecclesiæ machinam sustentantes. Hi debent esse *columnæ marmoreæ*, fortes scilicet in passione. *Fundatæ super bases aureas.* Bases super quas fundatæ sunt istæ columnæ, charitas sive amor Dei, & virtus seu fortitudo: vel vivacitas fidei, & constantia in patienter sufferendo. Possunt etiam commode duæ bases aureæ interpretari duo genera martyriorum. Pro quo nota cum Parente (a) Augustino (a) serm. 32. de Sanctis. Quod Martyr Græce, Latine testis dicitur, & quotiescumque bonis actibus mandatum Christi facimus, toties de Christo testimonium perhibemus. Unde, ut prosequitur P. Augustinus, & crux Domini non tantum illa dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur; sed illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. De qua videtur Salvator dicere: *Si quis* *Matt. 16.* *vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Alioqui; numquid omnes Martyres, qui secuti sunt *Apoc. 14.* Dominum, crucifixi sunt cum Domino? Numquid omnes Virgines, quæ juxta Apocalypsim sequuntur Agnum, crucifixæ sunt, ut sequantur? Numquid Paulus Apostolus crucifixus *Galat. 6.* fuerat qui dicebat: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo?* Hoc ergo dicit, ut intelligas, crucem non tantum ligni esse patibulum; sed vitæ virtutisque propositum; & omnes qui in vitæ *Ibid. 5.* integritate *carnem suam* pro Christo *crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, & totam vitam christiani hominis, si secundum Euangelium vivat, crucem quoque fore atque martyrium durissimum. *Species ejus ut Libani, electus ut cedri.* Attende quod commendato sponso a pulchritudine membrorum sigillatim, totum ipsum a pulchritudine commendat. Ergo *species ejus ut Libani* peroptime describitur. Accipitur quandoque Libanus pro candore: & sic est species ejus; quia ipse *candor est lucis æternæ.* Ut merito de *Sap. 7.* ipso dicatur alibi: *Pulchritudinem candoris* *Eccli. 43.* *ejus admirabitur oculus.* Ipse enim est omnium nostrum candidatio. Quandoque vero sumitur Libanus pro ipso monte, & dicitur esse altissimus, & propterea nive candidissima perpetuo coopertus. Christus etiam mons *Ibidem.* est in vertice, & species ejus in nubibus cœli. Mons est, in quo omnes Sancti, quasi *Isaiæ 2.* arbores altissimæ radicatæ sunt. *Electus ut cedri.* Imo præ cedris electus, & præ cedris altus: nam pulchritudine, altitudine, fortitudine Angelos omnes præcellit. Vel, *electus ut cedri:* quia altus per virtutum eminentiam, fortis per tolerantiam passionis, imputribilis per glorificationem in resurrectione. Item altus per ascensionem, odoriferus per Spiritus sancti emissionem. Tandem: *Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis.* Guttur ejus secundum Divinitatem est Verbi generatio, quam non oportet nos enarrare, sed credere & admirari, & adorare. *Suavissimum.* Suave est guttur illius ei, qui delectatur in credendo; suavius est illi, qui excitatur inquirendo: sed suaviissimum est ei, qui deficit incomprehensibilitatem ejus comprehendendo. Sequitur: *Et totus desiderabilis.* Secundum Divinitatem scilicet: nam ipse est: *In quem desiderant Angeli prospicere.* *1. Petr. 1.* Secundum humanitatem quia in se scilicet & in membris nunc enumeratis, suavis & decorus, & quæri ac desiderari dignus. *Talis est dilectus meus.* Ideo præ omnibus diligendus. *Et ipse est amicus meus.* Dilectus, scilicet quem diligo, & amicus qui me amat, & propter utrumque summopere diligendus. *Cant. 5.* *Cant. 5.*

(a) Sermo hic allegatus, in Appendicem rejectus est in novissima editione Parisiensi, & est ordine 207., inde hausta sunt, quæ hoc loco tradit S. Orator, usque ad ea verba, *si secundum Euangelium vivat, &c.*

IN CATHEDRA S. PETRI

CONCIO SECUNDA.

DE QUALITATIBUS IN SUPREMO ECCLESIÆ RECTORE REQUISITIS.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cœlorum. Matth. 16. v. 18. & 19.

I. REx commissurus castellum alicui Gubernatori: tria in illo requirit. Primo fidem: secundo amorem: tertio fortitudinem. Fidem, ne prodat castellum inimicis ex perfidia. Amorem; nam etsi fidelis, si tamen contrarius est, timetur ne

CONCIO CLXXX.

ne vincat fidem inimicitia. Fortitudinem, ne victus timore, facile cedat inimicis in congreſſu belli. Cœleſtem illam Jeruſalem pulchram & ſpecioſam nimis, fortem & inacceſſibilem; cujus muri ſtructura ex lapide jaſpide, ipſa vero civitas aurum mundum: cujus fundamenta omni lapide pretioſo ornata: cujus duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt; cujus plateæ aurum mundum. Turrim illam fortiſſimam, ex qua proſtat omnis armatura fortium; caſtellum illud inexpugnabile ac ſpecioſiſſimum Petro cuſtodiendum deputavit, non cœleſti militi, non Angelo non Archangelo; pro hominibus iſta gratia reſervatur: pro hominibus, inquam; nam pro Angelis excludendis Archangelus Michael officio deputatur. Magna dignificatio naturæ noſtræ, habere ex ſe receptorem, non ſubdi Angelo flammigero (*a*).

Apoc.21.

Cant. 4.

(*a*)

II. Tria igitur hæc quæruntur in Petro. Primo, fides: *Venit Jeſus in partes Cæſareæ Philippi: & interrogabat Diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jeſus: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.* O magna fides Petri! Tam limpide occultam Dei Perſonam agnovit in carne, & coram omnibus Apoſtolis, ſuper omnes confeſſus eſt. Hæc fides, Fratres, veritas hæc includit reliqua omnia, quæ de Chriſto credenda & confitenda ſunt. Si enim Dominus Jeſus eſt Meſſias ille in lege promiſſus, ſi eſt Filius Dei; verum eſt quidquid dixit, verum eſt quidquid ſtatuit. Super hanc veritatem tota fides Eccleſiæ fundatur. Tolle quidpiam, & corruet totum penitus ædificium. Propterea ergo Petrus hanc tenens fidei indubitatæ rationem, tenens hanc fidei confeſſionem, meruit audire a Chriſto Domino: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro eſt ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumque ligaveris ſuper terrram, erit ligatum & in cœlis &c.* Preme verba: *ſuper hanc petram*, confeſſionis videlicet tuæ, ædificabo Eccleſiam meam.

Matt. 16.

III. Secundo quæritur Amor: *Dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? Et dixit ei: Domine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei: Paſce oves meas.* Tertio dictum eſt Petro a Chriſto Domino; diligis me, amas me? Primo: miror ſi amas me: ſecundo, amas me pluſquam tua: tertio, amas me pluſquam te? Et ideo tertio quoque audire promeruit: *Paſce agnos meos: paſce agnos meos; paſce oves meas.* Ter *paſce:* triplex paſtus: paſce doctrina, paſce exemplo, paſce affectu. Audiant Paſtores, Eccleſiarum Præpoſiti, audiant Epiſcopi. Primus paſtus, doctrinæ ſanæ, doctrinæ veritatis, per ſe vel per alios: non fabulæ, non lepores, non quæſtiones vanæ. *Dominum Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe* & fide: ſive Catholicus ſit cupiens erudiri, ſive Paganus cupiens impugnare. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Sed qualis paſtus ſcientiæ ſine exemplo? Unde poſtquam de doctrina Petrus egiſſet Superioris ſeu Paſtoris: ſubinfert quoque bonum illius exemplum, & converſationem, dicens: *Sed cum modeſtia, & timore, conſcientiam habentes bonam: ut* etiam *in eo, quod* forte *detrahunt vobis* injuſte, *confundantur, qui calumniantur bonam veſtram in Chriſto converſationem.* Igitur: væ paſtoribus Iſrael, qui paſcunt ſemetipſos. Nonne greges a paſtoribus paſcebantur? Sed lac ipſimet comedebant, & lanis ovium ipſi operiebantur, & quod craſſum erat ipſi occidebant ſibi, gregem autem Domini non paſcebant: quod infirmum fuit non conſolidarunt, & quod ægrotum non ſanarunt, quod confractum erat non alligarunt, & quod abjectum erat non reduxerunt, & quod perierat non quæſierunt, ſed cum authoritate imperabant eis, & cum potentia, &c. Et infra: *Nonne ſatis vobis erat paſcua bona depaſci? Inſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris: & cum puriſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus turbabatis. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur: & quæ pedes veſtri turbaverant, hæc bibebant*, &c. Vide caput integrum, quia materiæ huic accomodatiſſimum eſt.

1.Petr.3.

Malac.2.

1.Petr.3.

Ezech. 34.

Ibidem.

IV. Ergo: conculcatum paſtum pedibus, & aquam turbidam propinat ovibus Paſtor, qui nec ſubtilia intelligit, nec dulcia guſtat de Deo: ſed hæc ipſa dum docet; fœtida malo ſuo exemplo, & prava vita propinat ovibus. Doceat ergo vita perfecta, monſtret iter exemplo ſuo bono: quoniam plus eſt hominum vita, quam id quod docet. Paſcat etiam affectione & ope charitatis: ſuccurrendo eleemoſynis, viſitando, adjuvando: hoc eſt enim paſcere, ut ait Gloſſa ſuper hoc verbo: *Paſce oves meas.* Hoc commendat ipſe Apoſtolus Petrus dicens: *Seniores qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſſionum: qui, & ejus quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator: Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpon-*

Joan. 21.

1.Petr.5.

(*a*) Vide Concion. in Dom. 9. poſt Pentecoſten, ut monet Editor Bruxellenſis.

ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Spontanee paſcere, cum affectione reficere eſt. Et hoc primum eſt. Secundum, quod eſt exemplo paſcere, verba ſequentia declarant: *Non dominantes in cleris, ſed forma facti gregis.* Doctrina vero paſcere gregem, ſonant verba illa: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.* Quandoquidem igitur in Apoſtolo Petro, tria hæc officia comperta ſint, & deſuper, fidelis ſervus, ac dilector Domini ſui, & fortis; ideo non immerito conſtitutus eſt a Domino ſuo ſuper familiam ſuam, ideo convenientiſſime claves ei traditæ ſunt regni cœlorum; turris fortiſſimæ, caſtelli inacceſſibilis, Eccleſiæ videlicet Dei factus Gubernator, ac Rector denuntiatus excellentiſſimus, dicente ei Chriſto: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, &c.* Sunt duæ claves, ſcilicet, clavis ſcientiæ, & poteſtatis: ut poſſit confeſſarius diſcernere, & judicare. Dic: quomodo *ego te abſolvo*; ſi abſolverit (*a*); abſolutum oſtendit.

Matt.16.

(*a*)

V. Tertio requiritur etiam fortitudo in caſtelli ſtrenuo Gubernatore, ut dictum eſt. Et Petrus, quam conſtans, quam fortis in fide fuit! Apertis per Angelum Domini januis carceris, in quem per magiſtratum fuerant concluſi Apoſtoli, & eorundem vinclis ſolutis, cum adducti in concilio dixiſſet illis Princeps Sacerdotum: *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine* Chriſti; *& ecce repleſtis Jeruſalem doctrina veſtra;* nonne reliquorum nomine Petrus dixit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus?* Nonne frendente concilio Jeſum teſtatus eſt palam & dixit: *Deus Patrum noſtrorum ſuſcitavit Jeſum, quem vos interemiſtis?* Nonne frendentibus illis omnibus, & cogitantibus occidere eos, cum eis denuntiaſſent, ne omnino loquerentur in nomine Jeſu; cum gaudio diſcedentes a conſpectu concilii, quoniam erant digni pro nomine Jeſu contumeliam pati: *Omni die non ceſſabant, in templo, & circa domos docentes, & evangelizantes Chriſtum Jeſum*, & præſertim Petrus? Nonne apprehenſa manu dextera claudi iſtius, & protinus conſolidatis plantis ejus, cum cognoviſſet omnis populus, quod ipſe erat qui ad eleemoſynam ſedebat ad ſpecioſam portam templi, & impleti eſſent ſtupore & zelo; nonne Petrus intrepide confeſſus eſt, & palam teſtatus Jeſum fore authorem vitæ, & in fide nominis ejus claudum eſſe ſanatum? Ecce Petri conſtantiam, ecce fortitudinem! Dic de martyrio, de fortitudine ejus in morte, &c.

Actor. 5.

Ibid. 3.

IN CATHEDRA S. PETRI

CONCIO TERTIA.

De quatuor Eccleſiæ Perſecutoribus.

Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.
Marci 16. v. 18.

I. QUatuor perſecutores Eccleſiæ, ſcilicet, Judæi, Pſeudo-Apoſtoli, Tyranni, mali Chriſtiani, deſignantur per quatuor beſtias: Danielis 7. v. 2. Quatuor iſti conati ſunt & tentaverunt funditus deſtruere hoc ædificium, & primum irruerunt in illius fundamentum. Et primo quidem Judæi dixerunt: Venite, *mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Hic eſt hæres, venite, occidamus eum.* Sed quid ait illis Jeſus? *Numquam, legiſtis in Scripturis: Lapidem quem rebrobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?* Contigit eis oppoſitum. Nam: *niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit: ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Frumentum hoc mortuum, quantam frugem fecit! In hoc ſe Deum monſtravit, quoniam mortuus debellavit mundum, & ſubegit. Quid putavit Judæus, niſi occiſus eſt, ergo ſtatim erit in oblivionem? Et e contrario, dum occiditur, majeſtas oſtenditur. Ecce velum templi ſcinditur in duas partes a ſummo uſque deorſum, terra tremit, ſol obſcuratur, petræ ſciſſæ ſunt, monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam civitatem & apparuerunt multis. Ita ut, Centurio & qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timentes valde dixerunt: *Vere Filius Dei erat iſte.* Tamdiu latuit, quamdiu libuit: ſed ne putaretur infirmitas in morte, tunc cœpit clarere majeſtas appertius, licet fuerat prius miraculis demonſtrata. Quid ais Judæe? Non deſcendit Chriſtus de cruce; ſed ecce ſurgit de tumulo. Quid ais: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere?* Ecce poſt triduum vivus apparuit.

CONCIO CLXXXI.

Dan. 7.

Jerem.11.

Matt.21.

Joan. 12.

Matt.27.

II. Videntes ergo quod nec morte deſtructus eſſet, ſed doctrina ejus per Apoſtolos creſceret; mittunt Pſeudo-Apoſtolos; qui baptizati & mentiti Chriſtiani, ſeminarunt lolium cæremoniarum. Sed cogniti ſunt & Paulo, & fidelibus demonſtrati. Intentaverunt hi aliter: & ad minus ſuadent, ut lex currat cum Euangelio, poſtquam Euangelium non valuerunt impedire. Adeo magna iſta perſecutio fuit, ut Petrus etiam in ſimulationem tractus ſit: ſed tandem facto con-

Gal. 2.

(*a*) Vide Concion. in Fer. 6. poſt Dom. 4. Quadrag.

concilio, excluſa eſt falſitas. Tertio, ſurrexit crudelitas & atrocitas tyrannorum; contra quos venit fortitudo Martyrum. Tandem in Eccleſiam inſurrexerunt hæreſes & malitia Chriſtianorum; contra quos venit ſapientia Doctorum & multitudo Religionum; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.

Pſal. 45. III. Hoc Pſalmus indicat: *Deus noſter refugium & virtus: adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* In Chriſto & per Chriſtum ſtat firmitas Eccleſiæ, & ſtabit in *Luc.* 22. æternum. *Simon ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ad ipſam tuendam ſemper Deus refugium ejus & virtus, & adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt eam nimis.

(*a*) S. P. Auguſtinus (*a*) in Pſalm. 45. Sunt quædam refugia, ubi non eſt virtus, quo quiſque cum fugerit, magis infirmatur, quam confirmetur. Non eſt refugium noſtrum tale, ſed refugium noſtrum eſt virtus. *Adjutor in tribulationibus.* Multæ ſunt tribulationes, & in omni tribulatione ad Deum confugiendum eſt. Omnino refugium aliud non debet eſſe homini Chriſtiano, quam Salvator ejus, quam Deus ejus; ad quem cum confugerit, fortis fit: non enim ipſe in ſe fortis erit, aut ſibi ipſe fortitudo erit, ſed ille illi fortitudo erit, qui refugium ejus factus eſt. Neque fortitudo tantum illi erit; ſed etiam *adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis;* ſed inſuper hoc agit: ut ſit tranquillitas magna in cordibus noſtris. Videte ipſam tranquillitatem: *Propterea*, inquit, *non timebimus dum turbabitur terra.* Id eſt, quando terrena poteſtas tyrannorum frendebit contra fortitudinem Chriſtianorum, non timebimus. *Et transferentur montes in cor maris.* P. Auguſtinus: Leges & præcepta per Apoſtolos indita omnium Gentium fidei & credulitati, montes dicti ſunt translati in cor maris, translati in corda Gentilium, quando Judæis ait Apoſtolus: *Act.* 13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum.* Quæ aquæ, niſi principes ſimul cum plebe Judæorum? Aquæ enim multæ, populi *Apoc.* 17. multi ſunt. O quomodo ſonuerunt quando contra Chriſtum clamaverunt: *Crucifige,* *Marc.* 15. *crucifige!* Prædicante illis Paulo Euangelium, *Matt.* 27. quomodo ſonuerunt! Quid, inquiunt, eſt *Act.* 17. hoc? Peregrinorum dæmoniorum videtur iſte *Ibid.* 19. annuntiator eſſe. Hoc Athenienſes, Epheſii quoque quo tumultu occidere Apoſtolos voluerunt, quando in theatro pro Diana ſua tantum ſtrepitum fecerunt, & clamarunt: *Pſal.* 45. Magna Diana Epheſia! Ergo *ſonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum.*

IV. *Conturbati ſunt montes a fortitudine ejus.* Alii ſunt montes Dei, ut ſunt Apoſtoli & boni Chriſtiani, quorum caput eſt Chriſtus. A Alii ſunt montes ſæculi, quibus caput diabolus. Et per hos montes conturbati ſunt illi montes. Sed ſonent aquæ, turbentur montes: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei:* non deſerit Deus civitatem ſuam Eccleſiam ſuam: ſed ille impetus, id eſt, perſecutionis ſeveritas fecit Eccleſiam creſcere, Eccleſiam virtutibus coruſcare; & ſicut Chriſtus fundamentum ejus impugnatus, clarificatus eſt; ita & Eccleſia oppugnata crevit, & clarior effecta eſt, quia *ſanctificavit tabernaculum ſuum*, Eccleſiam ſuam *Altiſſimus;* hoc eſt, *Luc.* 1. magnus ille & Filius Altiſſimi Jeſus. *Deus* B *Pſal.* 45. *in medio ejus non commovebitur.* Unde non commovebitur? Quia in medio ejus Deus. *Adjuvabit eam Deus vultu ſuo.* Quid eſt *vultu ſuo*, niſi demonſtratione ſua didicit præſentem Deum? Didicit per opera, quando ab illo aliquid adjutorii accepit. *Conturbatæ ſunt Gentes.* Ut quid conturbatæ? Ut jam dejiciant civitatem Dei, in cujus medio Deus, ut evertant tabernaculum ſanctificatum, quod adjuvat Deus vultu ſuo? Non. Sed jam ſalubriter conturbatæ ſunt Gentes. Quid enim ſequitur? *Et inclinata ſunt regna.* Inclinata, inquit, ſunt regna; jam non erecta, ut ſuperbiant; ſed inclinata, ut ado- C rent. Quando inclinata ſunt regna, niſi quando factum eſt quod prædictum eſt in alio Pſalmo: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes Gentes ſervient ei?* Sed unde con- *Pſal.* 71. verſæ ſunt Gentes & regna? Quæ res fecit ut inclinarentur regna? Audi: *Dedit vocem ſuam* Altiſſimus, *& mota eſt terra.* Sed quibus dedit vocem, ut converterentur ad Chriſtum regna, niſi Apoſtolis, niſi Prædicatoribus ſuis, in quibus & per quos loquebatur Deus? *Nolite*, inquit, *cogitare quomodo* *Matt.* 10. *aut quid loquamini: dabitur enim vobis in* D *illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et iterum: *Injicient vobis* *Luc.* 21. *manus ſuas & perſequentur tradentes in ſynagogas & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides, propter nomen meum. Ponite ergo in cordibus veſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.*

V. Dedit ergo vocem ſuam Altiſſimus. Et quid factum eſt? *Mota eſt terra.* Terreni principatus & regna inclinata ſunt, ut ado- E rarent. Et quid miramini ſuper his quæ dicuntur? Si Deus nobiſcum, quis contra nos? *Dominus virtutum nobiſcum.* Quid admira- *Pſal.* 45. mini Fratres, quaſi propria virtute ſua fe- *Act.* 3. cerint id Apoſtoli, cum Dominus virtutum ſit, qui glorificavit Filium ſuum Jeſum Chriſtum? *Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Jacob.* Ille nobiſcum, & ille ſuſceptor noſter eſt: quia ſuſcepimus de manu *Iſaiæ* 40. ejus duplicia pro omnibus peccatis noſtris. *Suſceptor noſter Deus Jacob.* Nempe de quo

(*a*) Ab his verbis, uſque ad aliud teſtimonium S. P. Auguſtini, excerptum ex Enarr. in Pſal. 54. *Mundi dixit amatorum mundi, &c.* fere omnia carptim hauſta ſunt ex Enarr. in Pſal. 45.

Luc. 1. ad Mariam Angelus ait: *Ecce concipies in utero & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Deus*
Eccli. 2. *Jacob:* Jacob interpretatur, Luctator. Et ubi nos suscepit Deus, luctatores fecit. *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad ten-*
Ephes. 6. *tationem.* Apostolus: *Fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum,* adversus principes & potestates. P. Augusti-
(a) nus (a): Mundi dixit, amatorum mundi; mundi dixit, impiorum & iniquorum; mun-
Joan. 1. di dixit, de quo dicit Euangelium: *Et mundus eum non cognovit;* mundi dixit, persecutorum ac tyrannorum in Christianos, maxime in fundatione, in primitiva Ecclesia.

VI. Verum radicata jam Ecclesia, quid?
Psal. 45. *Venite, videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram,* super terrenos istos: *auferens bella usque ad finem terræ:* ita ut jam finis sit immanium istarum persecutionum Ecclesiæ Dei in Christo fundatæ, per Christum firmiter stabilitæ. Jam enim subductis Martyribus eo tempore ad mundi notitiam venerunt Christiani, quo fides clarius elucet, & repressa infidelitatis hyeme, altius per corda fidelium, sol veritatis calet. Qui remota tempestate persecutionis, expletis longis noctibus infidelitatis, tunc Sanctæ Ecclesiæ orti sunt, cum ei jam per credulitatis vernum, lucidior annus aperitur. *Auferens bella usque ad finem*
(b) *terræ.* Quamvis enim, o Roma, S. Leone (b) teste, multis olim victoriis aucta, jus imperii tui terra marique protuleris: minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit. Ut modo gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis & regia, per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena. *Arcum conteret:* igitur, *arcus fortium*
1. Reg. 2. tyrannorum *superatus est; & infirmi* tunc habiti Christiani, *accincti sunt robore. Et ap-*
Jer. 51. *prehensi sunt fortes ejus, & emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus. Et confrin-*
Psal. 45. *get arma:* tormenta scilicet & blandimenta, quæ arma recte dici possunt persecutorum, quibus animas enecare conantur Christi-

A fidelium. *Arcum conteret & confringet arma, & scuta comburet igni.* Tyrannorum quæque machinamenta, sola superavit charitas Dei, & jam non amplius tam per martyria, quam charitate in Deum, pervenitur ad cœlestem patriam (c). Tantum ergo nunc feriandum (c)
est Catholicis Christianis, ac Deo vacandum in sola dilectione, & spirituli contemplatione. Plus animo, quam corporeis oculis videndum, quoniam solus est Dominus, qui fecit mirabilia illa magna.

VII. Et hoc est quod sequitur: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus. Exaltabor in* Psal. 45.
B *gentibus,* quæ suave Christi jugum amplexatæ sunt: *Et gavisæ sunt, & glorificabant* Act. 13.
Verbum Domini, & crediderunt. Et exaltabor in terra, Malachias: *Ab ortu enim solis*
usque ad occasum, magnum est nomen meum Malac. 1.
in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Dominus virtutum nobiscum. Facta sunt miracula in gentibus, impletur fides gentium, cessant in Ecclesia arma persecutorum. Vacatur jam in tranquillitate cordis, ut cognoscatur author omnium
C munerum suorum: sed post illam clarificationem, nunquid deserit Deus Ecclesiam suam? Nequaquam. Sed *susceptor noster Deus Jacob.* Jacob idem est ac Supplantator. Ergo, post supplantatos Ecclesiæ hostes, posteaquam sudore suo ac labore illam fundaverat, postquam pretiosissimo suo cruore ipsam rigaverat, & jam radicata succreverat; qui olim susceptor illius factus erat, ipsam non deseruit, sed protector ejus erit in æternum. *Tu,* inquit, *es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non* Mat. 16.
prævalebunt adversus eam. Quæ sunt portæ
D inferi, nisi potentes & pervicaces mali, per quos multi intrant & descendunt ad infernum? qui percusserunt pactum cum morte, & fe- Isaiæ 28.
cerunt fœdus cum inferno. Qui insurrexerunt adversus Dominum & adversus Christum ejus. Sed, contra quos magnum solatium habemus, Fratres, in Christi promissione. Non enim cessabit Ecclesia, non evellentur claves ejus; non rumpetur, licet graviter vacillet, licet in undis fluctuet navicula pressa; non enim potest submergi. Psal. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam,* Ps. 103.
non inclinabitur in sæculum sæculi. Vide ex-
E positionem S. P. Augustini in Quinquagenis; de fundatione Ecclesiæ; & de Petro & Paulo (d). (d)

DE

(a) In Psal. 54. num. 4., usque ad ea: *Et mundus eam non cognovit.*

(b) Serm. 82., alias 80. cap. 1. in Natali Apost. Petri, & Pauli. *Quamvis enim multis aucta victoriis, &c.* Quod sequitur, *ut modo gens sancta, &c.* usque ad *dominatione terrena*, ordine inverso hic a S. Oratore allegatur.

(c) Vide Concionem in Dom. Quinquag., ut monet hoc loco Bruxellensis Editor.

(d) Forte intelligit Hom. 45. inter quinquaginta Homilias; & Sermones in Dedicatione Ecclesiæ, ut videre est in editione Lovaniensium: Sermones item 1. & 3. in Natali SS. Apostolorum Petri, & & Pauli, in Append. novissimæ edit. Parisiensis.

DE SANCTO ILDEPHONSO ARCHIEPISCOPO TOLETANO

CONCIO PRIMA.

DE FIDE, AC SANCTI HUJUS ACTIS.

In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum. Eccleſiaſtici 45. v. 4.

CONCIO CLXXXII.

I. FIDES, ſecundum Apoſtolum, eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Non potuit fides melius diffiniri: fides enim, & quæ ſperanda ſunt docet, & ſpei vim & firmitudinem præbet. Tolle fidem, & corruit ſtatim omnis ſpes, nullus enim ſperat quæ non credit; quidquid etiam ſperamus, fide magiſtra didicimus. Unde enim vitam æternam, reſurrectionem, beatitudinem, & futura præmia novimus, niſi per fidem? Eſt etiam argumentum veritatum non apparentium, id eſt, quæ noſtri intellectus facultatem exuperant, quia in eis videlicet, argumenti, & virtutem ſupplet & locum tenet: nam quod in apparentibus facit argumentum, hoc facit fides in non apparentibus: aſſenſum, ſcilicet, & credulitatem. Si quis enim concluſionem aliquam phyſicam, aut mathematicam dubitat, vel ignorat; argumento ſuadetur, aut convincitur, ut aſſentiat. Pariformiter ſi quis articulo Eccleſiæ non credit, fide ad credendum quaſi argumento quodam trahitur & inducitur. Eſt *Epheſ. 2.* ergo fides donum quoddam a Deo menti infuſum, quo intellectus ad ſupernaturales veritates intelligendas illuſtratur, & ad eas credendas mirabiliter inclinatur; & cui, ut fundamento, ſpes futurorum innititur. Hæc intellectum velut ceram mollificat, ut ſuperna veritate firmetur. Hæc hominis animum humiliat & domat, ut veritatis obſequio ſe ſubmittat. Hæc veritates ſupernaturales & inattingibiles, miro quodam modo cum intellectu maritat.

II. Mira virtus & poteſtas fidei: quæ res tam diſſonas atque diſcordes, tam intimo & forti glutino conjungit ac ligat. Unde me- (a) rito Bernardus (a) triplicem unionem admiratur: Dei & hominis in Chriſto, maternitatis & virginitatis in Virgine, intellectus & fidei in Chriſtiano. Stupendum prorſus admirandumque prodigium, ut intellectus fortius amplexetur, quæ non capit, quam quæ videt; & non apparentibus, quam evidentibus firmius hæreat. Neque enim pro his quæ videt, mori quiſpiam ſuſtineret, ſicut pro his quæ credit; fides quam ſcientia firmior eſt, licet ſit obſcurior; & nil mirum: quia fortiori nititur fundamento; ſcientia enim oculo innititur, & fides oraculo, & falli oculus forſitan poterit, aut illudi, oraculum vero non poteſt: fides non hominis, ſed Dei teſtimonio, & primæ innititur veritati. Sicut ergo impoſſibile eſt Deum men- *Hebr. 6.* tiri, ſic impoſſibile fidem fallere: non Petro, non Paulo, non cuivis alteri Apoſtolo aut Prophetæ, propter ſeipſum credimus; ſed Deo, qui in Apoſtolo loquitur aut Propheta, ſicut ſcriptum eſt: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* *Matt. 10.* Et iterum: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* *2. Cor. 13.* Quamvis alioquin tantæ authoritatis Paulus, & quivis aliorum Apoſtolorum & Prophetarum ſit, ut ſi inter ſe diſſentirent mundus & Paulus; citius Paulo, quam mundo credendum eſſet. Tanta eſt in ejus ſcriptis veritatum & ſublimitas & ſimplicitas. Sic etiam de Magdalena canit Eccleſia (b): Cre- (b) dendum eſt magis ſoli Mariæ veraci, quam Judæorum turbæ fallaci. Et cum tales ſint fidei Catholicæ teſtes, non tamen illis fides innititur, non, inquam, homini, ſed veritati, non viro, ſed Deo, non humano ſpiritui, ſed divinæ revelationi. Quando ergo corruere poterit, quæ tam firmum obtinet *1. Cor. 3.* fundamentum, quæ ſupra firmam petram, id eſt, Dei infallibilem veritatem fundata eſt? Unde Dominus in Euangelio, ut terra cœloque firmiorem eſſe fidem demonſtraret. *Cœlum*, inquit, *& terra tranſibunt, verba autem mea non* tranſibunt. Neque ſolum ver- *Matt. 24.* ba mea, ſed etiam Prophetarum: nam, *donec tranſeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* *Ibid. 5.*

III. Quid mirum, Fratres, ſi Deo credimus, cum hominibus tam multa credamus? Quanta dicunt homines interdum ardua & difficilia! tamen ſi non credantur, indignantur graviter, & iraſcuntur, quia mendaces facimus eos. Et utique, ſi attenderis; vita

(a) Serm. 3. in Vigil. Nativ. Dom. num. 8.

(b) Ita legere eſt apud Miſſale Romanum an. 1508., & 1554. Venetiis editum, in Sequentia ipſo die Paſchatis in Miſſa recitanda, quæ exceptis unice duobus hiſce verſiculis ſubinde reſectis, etiam nunc eadem recitatur, & incipit: *Victimæ Paſchali, &c.*

ista sine fide non agitur. Tolle fidem, & nulla erit hominum societas, nulla communitas. Romam non vidi, & tamen ex sola dicentium relatione Romam esse non dubito. Credimus invicem homines; quamvis
Ps. 115. *omnis homo mendax:* cur igitur veraci Deo, imo ipsi veritati potius non credamus? Unde
1 *Joan.* 5. Joannes: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Et quid, obsecro, dicere potest Deus, ut non dicti difficultas a dicentis authoritate vincatur? Credimus Imperatori etiamsi difficilia asserat, quia Imperator est, & Imperatoriam majestatem mentiri non decet, & si gravis est
B assertio, authoritate Imperiali, aut vincitur, aut compensatur: & Deo aliquid asserenti quispiam audeat dissentire? Ardua sunt, fateor, quæ fides affirmat, sed si per se considerentur; nam si ad dicentis authoritatem
Psal. 92. conferantur, facillima utique, & *credibilia*
Luc. 1. *facta sunt nimis.* Sicut enim *non erit impossibile*, ita neque incredibile *apud Deum omne verbum.* Olim cum Dominus coram discipulis de suo corpore disputaret, & carnem suam se daturum hominibus in cibum polliceretur, scandalizati sunt nonnulli, dicen-
Joan. 6. tes: *Durus est hic sermo, & quis potest eum*
C *audire?* Et discesserunt ab eo. Unde, quæso, durus ille sermo visus est, nisi quia quo ore pronunciaretur obliti sunt? Nam si dicentis authoritatem considerassent, nunquam utique de illius verbo dubitassent. Quod autem fidei mysteria Deus ipse nobis revelaverit, non unius tantum, aut duorum, sed totius Ecclesiæ authoritate firmatur; hoc innumeris miraculis fulcitur, hoc plurimorum Martyrum sanguine roboratur, ut pertinacissimus & pervicacissimus fuerit quisquis, tot, talibus, & tantis testimoniis fidem non adhibuerit. Adde quod ipsum lumen fidei de hoc
D nos dubitare non sinit.

IV. At, inquies, ea quæ fides astruit, non modo incredibilia, sed etiam impossibilia videntur. Quod enim tres Personæ distinctæ sint unus Deus, quod in modico velamine totus Christus resideat, & similia: sensus non capit, intellectus non apprehendit. Fateor, incomprehensibilia sunt; sed si ea comprehenderes, jam non essent admirabilia. In rebus divinis ille verus æstimator censendus est, qui cum plurimum profecerit, modicum apprehendisse se putat; in illis si rationem quæris, non erit admirabile; si
E exemplum, non erit singulare. Quid enim? Naturalia & quæ præ oculis habemus intel-
(*a*) lectu difficilia sunt: &, sicut Plinius (*a*) ait, natura in suis operibus fide caret; & divina & super cœlestia comprehendere poterimus?
Eccle. 1. *Cunctæ res difficiles*, ait Sapiens, *non potest eas homo explicare sermone. Et difficile*
Sap. 9. *æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem*
A *in cœlis sunt, quis investigabit?* Nil mirum ergo si divina, ardua, & incomprehensibilia sunt: imo mirum, si talia non essent. Quod ardua dicente Deo & difficilia credis, hoc tibi reputabitur ad justitiam, sicut de sancto Patriarcha scriptum est: *Credidit* *Gen.* 15. *Abram Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Sed unde reputatum est illi ad justitiam? Apostolum audi: Quia *contra spem in* *Rom.* 4. *spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, & non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit* Deus, *potens est & facere; ideo & reputatum est illi ad justitiam.* Tu igitur similiter, si quæ non apparent, Deo testificante credideris, reputabitur tibi ad justitiam; videlicet, quia divinis oraculis tuum sensum subjeceris, & intellectum tuum in 2 *Cor.* 10. fidei obsequium captivaveris.

V. Quid enim hac humilitate præstantius? Quid hac subjectione Deo gratius inveniri potest? Ubi non corpus, sed animus Deo
C subjicitur, & non lucris temporalibus, sed propriis sensibus pro Deo renunciatur. Mens enim omnium quæ sunt in homine, sublimissimum & præstantissimum est. Hanc fide Deo subjicimus, & humiliamus; hanc fide offerimus & donamus; huic pro Deo obsistimus & renunciamus: gratissimum Deo donum, & acceptabile sacrificium. Si enim omnia Deo dederis, & mentem tuam non dederis, quantum est quod dedisti? Si omnia pro Deo reliqueris; & mentem tuam non reliqueris; quantum est quod reliquisti? Si omnia Deo subjeceris, & mentem tuam non
D subjeceris, quantum est quod subjecisti? Tunc vere Dei mancipium comprobaris, cum id quod in te sublimius erat, ejus fidei & servitio mancipasti. Hæc de fidei firmitate, virtute, & merito dicta sunt: nunc de necessitate dicamus. Non solum enim hominibus utilis & proficua, sed & necessaria, & ad præsentis sæculi calamitates tolerandas, & ad sæculi futuri delicias obtinendas, fides fuit. Sed ut appertius hoc innotescat, altius hoc scrutinium repetamus. Si homo in ea mentis puritate & intellectus claritate permansisset, in qua conditus est, forsitan minus
E necessaria fides videretur, quamvis & tunc fides necessaria erat. Erat enim homo ante peccatum ingenuus, intellectualis, perspicax, clarus, ea mentis acie spiritualia intuens, qua nunc corporalia videt. Sed o miserandam calamitatem, & deplorandam hominis dejectionem! Postquam peccavit, illico mentis oculos amisit, & cæcus ad spiritualia factus, aperuit oculos, quos non habebat, & clausit quos habebat; ex intellectuali

(*a*) Hist. natur. lib. 7. cap. 1. *Quam multa fieri non posse, priusquam sint facta, judicantur! Naturæ vero rerum vis, atque majestas in omnibus momentis fide caret: si quis modo partes ejus, ac non totam complectatur animo.*

ctuali brutalis factus est, lumine intellectus magna ex parte obtenebrato. Si enim homines quos nunc vides, & ipsummet Adam postquam peccavit, eidem ante peccatum conferas; non homines, sed bruta quædam & pecora videbuntur. Intellectum habere & intellectu non uti, quantæ miseriæ est; & heu miseri non sentimus! Non erat homo quod nunc est, sed longe aliud mente & intellectu. Sed & corpore totus mutatus est. Quæ pulchra & pretiosa sunt, Angelos, scilicet, & spiritus, non videmus; quæ infima sunt in rebus, ea cum brutis inspicimus. Mundum illum speciosum & pulchrum penitus ignoramus, solas has umbratiles formas corporum intuemur. Novit hoc etiam, (a) nescio quo lumine, Philosophus ille (a) qui dicebat: Sicut oculus noctuæ ad lumen solis, sic intellectus noster ad intelligibilia naturæ. Hoc modo non agnoscimus: sed cum anima nostra his carneis sensibus, quibus ligatur, soluta fuerit, tunc videbit, tunc agnoscet, quid per peccatum amiserit.

VI. Deplorat Patriarcha sanctus hanc hominis cæcitatem, dicens: *Viro cujus abscondita est via, & circumdedit eum Deus tenebris*. Job 3. Heu! via lubrica, & viator cæcus. Quid ergo huic homini qui in similitudinem pecoris degenerarat, & obscurato spirituali lumine, mentis tenebras incurrerat, jam reliquum erat, nisi ut regeretur fide, qui oculo non poterat? Si enim cæcis, pueros quosdam ductores adhibemus quibus regantur; quam rationi consonum est, ut qui ad res spirituales hallucinatur, adhibeat fidem! Nam quomodo viam ibit cæcus, si directori non credat? Hæc fides, Fratres, director noster & ductor est; hæc hominem animalem mente cæcum, via recta dirigit in salutem. Hanc teneamus, hanc amplexemur, hanc sequamur: quacumque duxerit obediamus ei, non Deut. 2. declinemus ab ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Cæci sumus, cæcitatem nostram agnoscamus, lumini directori in omnibus obediamus. Si enim cæcus adversum suum directorem superbiat, & a se abjiciat, sibique fidens, ignorans, quia cæcus est libere per viam currat; offendet, corruet, præcipitabitur, & ex inflicto vulnere cogetur cæcitatem suam agnoscere, & stultitiam suam deplorare. Sic omnis qui relicto fidei moderamine, sibi confidens viam istam lubricam & obscuram perambulare præsumit, in mille hæreses & ignorantias statim labatur & præcipitetur, necesse est. Hæc cæca superbia, & superba caligo omnium hæresum mater est, quia videtur sibi videre, qui cæcus est. Magna Dei erga homines pietas, quia dignatus est dirigere ignorantes, & cæcutientibus viam monstrare salutis, sicut scriptum est: *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Quod Psal. 15. fecit; *Multifariam multisque modis Deus olim* Hebr. 1. *loquens patribus in Prophetis, novissime* loquens *nobis in Filio*, quem misit in lucem gentium *illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Hæc est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; quam qui amiserit, in tenebras exteriores labi necesse est. Unde & ipsum hortabatur, dicens: *Ambulate* in lucem, *dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant*.

Isaiæ 42. Luc. 1. Joan. 1. Ibid. 12.

VII. Sed non potest homo viribus suis fidem istam acquirere. Donum Dei est, sicut Apostolus ait: Vobis datum est, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut pro illo patiamini. Et rursus: *Unicuique sicut Deus divisit, secundum mensuram fidei*. Et in Euangelio Apostoli: Domine *adauge nobis fidem*. Noverant quippe, quia illam de suo habere non poterant. Experientiam consulito: quot annis credidisti, & nunc interdum tardior & tepidior es ad credendum? In his enim quæ supra naturam sunt, natura assuescere nescit. Nostrum ergo est, intellectum summittere; Dei est, fidei donum infundere. Quantæ difficultatis in principio fuit, intellectus illos procaces & superbos Philosophorum, & tyrannorum fidei subjugare! sed sic postmodum cordibus eorum adhæsit, ut nullis potuerit tormentis obliterari, quo ad imprimendum durior, eo ad divellendum tenacior. Sic enim solent formæ duriori materiæ fortius imprimi. Sed quis fidei vigorem enarrare, quis potestatem ejus & virtutem explicare sufficiat? Vere, sicut Joannes ait: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*. Quis enim vitæ præsentis delicias divitiasque contemneret, nisi alias & meliores, & permanentiores futuras firma definitione sentiret? Quis laboribus nunc libenter incumberet, nisi futuram requiem aliquando speraret? Quis vitam hanc periculis exponeret, nisi meliorem succesSuram firmiter crederet? Tolle fidem, quis laboraret, quis contineret, quis abstineret, quis castitatem & paupertatem amaret? Quid fecit Martyres viriliter cruciatus & supplicia sustinere, nisi fides? Quid Anachoretas, mundo fecit cum suis pompis & deliciis calcato, inter bestias & scorpiones solitariam vitam degere, nisi fides? Quid fecit Virgines duro perpetuoque certamine in carne fragili, cum propria natura luctari, nisi fides? Quid facit hodie innumeram religiosorum catervam parentibus & propinquis relictis, in paupertate & obedientia vivere, nisi fides? *Fide*, sicut Apostolus ait, *plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo. Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Fide Noe aptavit arcam in salutem domus suæ. Fide Abraham obedivit in locum exire, quem acceptaturus erat, nescions quo iret. Fide demoratus est in terra aliena in casulis habitando*. Fide idem Abraham obtulit unigenitum, in quo re-

1. Joan. 5.

Heb. 11.

pro-

(a) Aristot. Metaph. lib. 2. cap. 1. *Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt.*

promissiones acceperat cum tentaretur a Deo. *Fide Joseph moriens de ossibus suis mandavit. Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Et quid de cæteris Sanctis & Prophetis dicam? *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Alii distenti sunt non suscipientes redemptionem; alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.*

VIII. O miram fidei potestatem, cujus vel grani synapis quantitas transferre montes sufficit in cor maris. Hæc totius spiritualis ædificii unicum fundamentum est. Hæc salutis initium, hæc vitæ janua, sine qua *impossibile est placere Deo*. Hæc vitæ nostræ currus & auriga, hæc stella splendida in vasto mari nostrum dirigens cursum, hæc lucerna lucens in caliginoso loco, & lucifer clarus tenebrosam vitæ hujus noctem illuminans. Quocumque te vertas, quidquid cogites, quidquid agas; ubique & semper fides tua necessaria est. Aliis virtutibus pro loco & tempore utimur: non semper oramus, non semper jejunamus, non semper vigilamus, tempus miserendi, tempus plangendi, tempus patiendi, tempus largiendi. *Omnia tempus habent:* fidei autem tempus semper est paratum. Sive comedas, sive bibas; fides occurrit, ne excedas; sive dormias, ne pigriteris; sive loquaris, ne detrahas; sive cogites, ne vageris. In labore, in requie, in prosperitate, in adversitate; sive tecum agas, sive cum alio contrahas fides utilissima, ut peccata devites, ut affectus modereris. Hæc verbis & factis modum imponit, hæc inter medias inferni leges illæsos transire facit, hæc congregat sicut in utre aquas tempestuosi maris cordis nostri, hæc ponit in thesauris abyssos, *suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus*, & solium gloriæ teneat. Denique, sicut scriptum est: *Justus meus ex fide vivit*.

Matt. 17. *Psal.* 45. *Hebr.* 11. *4. Reg.* 2. *2. Petr.* 1. *Eccle.* 3. *Psal.* 32. *Ps.* 112. *Rem.* 1. *Hebr.* 10.

IX. Cui comparabimus fidem, Fratres, aut cui assimilabimus eam? Similis est domino, qui associatus servo suo ad regiam pergit: ambo in via sociati vadunt, ambo scalam conscendunt, sed servus manet ad januam, & dominus intrans lustrat omnia: ita fides & intellectus per scalam creaturarum simul ascendunt, quod enim fides astruit, hoc intellectus assentit. Fides ait: omnipotens est Deus: & intellectus; & hoc, inquit, ego novi, nam qui talem ac tantam machinam fabricare potuit, utique omnipotens est. Fides ait: sapiens est Deus; & intellectus: & ego quoque hoc novi, quia qui talem rebus ordinem imposuit, utique sapientissimus est. Fides ait; bonus est Deus: & intellectus; & hoc ego novi: nam qui absque necessitate & utilitate sua, sola bonitate, tot & tantas naturas condidit, optimus profecto est. Fides ait: clemens est Deus; & intellectus: & hoc ego novi, quia *qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, & blasphemis atque paganis; panem, & vitæ necessaria tribuit, utique clementissimus est. Fides ait: æternus est Deus; & intellectus: & hoc ego novi; quia cum sol iste ab eo conditus per tot millia annorum, neque modicum quidem senuerit, sed invariabilis perseveret; utique artifex illius multo erit permanentior illo, ac proinde æternus. Sic itaque per scalam creaturarum fides intellectu sociata in Deum conscendit; sed intellectus manet in foribus: *Quia quod notum est Dei manifestum est in illis*.

Matt. 5. *Rom.* 1.

X. Fides autem ingrediens omnia penetrat, omnia lustrat & rimatur, etiam profunda & secreta Dei. Illa totam regiam perambulat, & secretius intrat cubiculum. De Angelis, de eorum proprietatibus, natura, ordine, numero, ministerio disputans: quomodo assistant, quomodo mittantur, quo ordine disponantur, quomodo intelligant, quomodo in verbo omnia videant, quomodo a superioribus illuminentur, purgentur, & perficiantur. Deinde transiens usque ad Regem majestatis, rimatur occulta Dei? quomodo ejus substantia in tribus personis indivisa subsistat, quomodo personæ divinæ distinguantur, quomodo producantur, quomodo mittantur, quomodo æquentur: an distinguantur per absoluta, an per relationes, an Spiritus sanctus a solo Patre, an a Patre & Filio procedat, & ab illis tanquam ab uno principio, an tanquam a duobus. Et de personarum origine & distinctione multa perquirit. Audet etiam arcanum illud prædestinationis ingredi, & investigare: an prædestinatio sit æterna, an habeat causam, an imponat rebus necessitatem, an necessario implenda sit, & de occultis judiciis & providentia Dei multa pertractat. O mirabilis perscrutatio! O stupenda indagatio! Fides quæ de talibus tractare, differere, diffinire non veretur, quid de cæteris verebitur? Quæ talibus se intromittit, quid non audebit? Post hæc a summo se dejiciens ad inferiorem abyssum, quæ in ea sunt, diligenter perlustrat, de inferno, de purgatorio, de limbo: quales sunt pœnæ damnatorum, quomodo igne cruciantur, quomodo purgantur animæ. An in limbo sit pœna sensus; an sit ibi lux; an pœna inferni minuatur aliquando, an cessatura sit: quæ gravior sit pœna, ignis, an vermis? & alia plurima de abysso differit. Nihil tam altum, nihil tam infimum, nihil tam secretum, quod non discutiat fides. Hæc *attingit a fine usque ad finem fortiter*. Gyrum cœli sola circuit perlustrans quæ in cœlo, & quæ in

1. Cor. 2. *Sap.* 8. *Eccli.* 24.

in terra, & quæ in omnibus abyſſis ſunt: cæteræ omnes ſcientiæ ſuas habent methodos, fides nulla periodo terminatur, ſed tam de Deo, quam de creaturis ſine limite diffinit.

Matt.14. XI. Hujus typum geſſit cymba illa, in qua, Chriſto ſuper aquas ſiccis pedibus ambulante, Apoſtoli periclitabantur. Omnes pelagus navicula pertranſibant, ſolus Chriſtus navigio non indiguit; ſic a principio, tempeſtuoſum hujus ſæculi mare in fidei cymba omnes percurrimus: ſine hac nullus unquam ſalvari potuit. Solus Chriſtus fidem non habuit, quia comprehenſor erat. Unde Apo- *Hebr.11.* ſtolus: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Quot ſapientes, quot philoſophi, quot viri prudentes, & ingenui, in hoc pelago ſubmerſi ſunt, quia fidem non habuerunt! Quibus, ſi veritatis lumen illuxiſſet, juxta morum ſuorum probitatem & honeſtatis zelum, ad magnum ſanctitatis culmen pertingere potuiſſe, non dubitamus. Nemo in Eccleſia quamvis ſanctus, quamvis excelſus, quamvis contemplatione & intellectu conſpicuus, per ſpeciem ambulavit; ſed ſicut ſcriptum eſt: In *Thr. 4.* umbra ejus vivemus inter gentes. Quis Paulo excelſior, qui paradiſum in vita mortali luſtrare promeruit? Hic de ſe, & omnibus *1.Cor.13.* fatetur: Quia *videmus nunc per ſpeculum in* *Philip.3.* *ænigmate.* Et iterum: *Non arbitror me comprehendiſſe.* Sed, & Virgo beata per fidem *Cant. 2.* ambulavit, ſicut in Canticis ait: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Quamvis verbum hoc Eccleſiæ Dei congruentius aptari poteſt, quæ per totum orbem ſub hac Chriſti umbra protecta, ejus fructibus affluentiſſime paſcitur. Quod ſi placet, alia hujus naviculæ inſtrumenta percurramus. Hujus anchora, ſpes *Jer. 13.* eſt; quæ in foraminibus petræ, id eſt, Chri- *& Cant.* ſti vulneribus defixa, naufragantem vitiorum *2.* fluctibus cymbam immobilem retinet, ne *Pſal. 68.* demergat eam tempeſtas aquæ, & deſperationis abyſſus abſorbeat. Charta vero navigandi, quæ dicitur, ſive deſcriptio itineris, ſacra Scriptura eſt, quæ maris hujus ſyrtes & pericula docet. Gubernatores, Doctores ſancti ſunt, quorum peritia Eccleſiæ cymba dirigitur. Noli, obſecro, tu alios perquirere directores: hi ſpiritu Dei edocti, artem & deſcriptionem optime norunt. Clavus ſive acus cui univerſa navigandi ars innititur, vita Chriſti eſt: hanc continuo reſpice, hanc diligenter obſerva o Chriſticola, ſi ad ſalutis portum pervenire deſideras. Remi virtutes morales ſunt, & vela charitas, quæ Spiritus ſancti vento perflata, celeri curſu navem propellunt. Velo & remo ad Chriſtum propera, expande ſinus, onera jacta, navem alleva, ut poſſit cito pervenire quo tendis. Sic enim onuſtas mercibus naves in tempeſtate relevare inſtitores conſueverunt, ut animas ſuas ſalvent. Nihil ſit tibi anima tua pretioſius: ſi tempeſtas ingruit dimitte omnia, ſalvetur anima.

XII. Quod autem Petrus juſſus a cymba reſiliit, & naufragium paſſus ad eandem a Chriſto reducitur; magnum habet abſconditum ſacramentum. Petrus hic erat, neque tamen jubente Chriſto a navicula proſilire in pelagus auſus eſt. Non dubitamus, Fratres, Sanctorum plurimos aliquando, illuſtrante Chriſto, ad fidei culmen aſcendere, ita ut fere videantur, relicta fidei cymba, pedeſtres hujus ſæculi aquas cum Chriſto calcare: in qua, etſi communius, tutius tamen navigat omnis homo. Auſus noſtros reprimit hæc Petri reductio: ne dum revelationes ambimus, illuſionibus decipiamur. Non ergo alta ſapiamus: fides ſecurius dirigit. *Rom.11.* Hanc teneamus dum ſumus in via, hanc ſequamur: hæc ad regem majeſtatis recto tramite nos deducet, hæc regem in decore ſuo monſtrabit. Unde Petrus: *Habemus firmiorem* *2.Petr.1.* *propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco donec illuceſcat dies, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Illucente die non erit opus lucerna, ſed auferetur quod ex parte eſt, ut *1.Cor.13.* veniat quod perfectum eſt. O dies clara, o dies ſerena! Quando advenies! Quando illuceſces! Quando dicemus: *Sicut audivimus,* *Pſal. 47.* *ſic vidimus in civitate Dei noſtri!* Imo nunquam talia audivimus, qualia tunc videbimus, non agnovimus ea: nam ſi agnoſceremus, utique exilium vitæ tolerare nequiremus. Tunc mea anima, *tunc videbis, & Iſaiæ 60.* *affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum,* quando pro fide ſuccedet viſio, pro labore quies, & pro mœrore lætitia. Audi modo, *Pſal. 44.* ut videas, aurem inclina, ut viſum promerearis: credenti enim quod non videt, juſte debetur, ut videat quod credidit. Crede ergo, & videbis; ama, & poſſidebis.

XIII. Sed jam grandem illam quæſtionem quæ in prothemate tangitur, de juſtitia & ſanctitate quæ per fidem eſt, breviter perſtringamus. Super hac enim quæſtione, duo inſignes Apoſtoli Paulus & Jacobus in ſuis Epiſtolis varie ſenſiſſe videntur; ſed in veritate utriuſque eadem ſententia eſt. Quantis Paulus teſtimoniis aſtruit, quibus rationibus convincit juſtitiam non ex lege, non ex operibus, ſed ex fide poſſideri: citans illud Propheticum: Juſtus meus ex fide vivit. *Habac.2.* Et iterum: *Quicumque invocaverit nomen Do-* *Rom. 1.* *mini, ſalvus erit.* Et illud Geneſis: *Credidit* *& 10.* *Abram Deo, & reputatum eſt illi ad juſti-* *Ioel. 2.* *tiam.* Ex quibus & aliis, Doctor Gentium *Gen. 15.* fidem magnificat, exaltat, & ſuper aſtra ſublimat. E contrario videtur Jacobus, fidem per ſe ſolam, ſine operibus parvipendere: uſque adeo; ut eam fidem dæmoniorum appellet. Unde ait: *Quid proderit Fratres mei,* *Jacob 2.* *ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſalvare eum? Tu credis quoniam unus eſt Deus, bene facis; & dæmones credunt & contremiſcunt. Vis autem ſcire o homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt. Abraham pater noſter*

nonne

Gen. 22. *nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?* Mira res! eodem utitur exemplo, quo Paulus ad oppoſitam partem; videlicet ut probet, quia non ex fide, ſed ex operibus juſtificatur homo. Sed, (a) ſicut Auguſtinus (a) ait, perfacilis eſt concordia: neque enim potuit ſpiritus idem variis fiſtulis contraria perſonare. Paulus opera non excludit, neque Jacobus fidem; Paulus aſſerit hominem juſtificari per fidem, ſed Gal. 5. quæ per dilectionem operatur, quam vocant formatam. Informem contemnit Jacobus, qui hominem aſtruit ex operibus juſtificari, Jacob 2. ſed cooperante fide. Unde ait: *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt.* Non in eis diſcordia, ſed pergrandis conſenſio. Nam neque ex ſola fide, neque ex ſolis operibus juſtificari hominem, ſed per fidem operantem, utriuſque ſententia eſt.

XIV. Cavendi ſunt itaque in hac parte ſcopuli hæreticorum contrarii, ne vel in Pelagianos, vel in Lutheranos impingas, quorum primi tantum arbitrio & operibus deferunt, ut gratiam & fidem excludant; reliqui e contrario tantum fidei favent, ut opera tollant. Medius incedat quiſquis orthodoxam fidem tenere deſiderat. Scimus Luc. 19. enim, quia Filius Dei venit in mundum, Joan. 3. ſalvum facere quod perierat; *ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Sine Chriſto & fide, nihil prodeſſe nobis poterit noſtra juſtitia, quæ ad Deum Iſaiæ 64. comparata, eſt velut pannus menſtruatæ. Quis enim ſuperbire audeat de operibus ſuis, Pſ. 142. cum nequeat coram Deo juſtificari omnis vivens? Quam acriter invehitur Patriarcha Job in amicos ſimilem Pelagii ſententiam defendentes, & opera hominum & juſtitiam efferentes, quam potenter eos humiliat! Quam aperte convincit, nullam eſſe hominis juſtitiam, ſi per ſe dijudicetur! Unde ait: *Vere* Job 9. *ſcio quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille.* Et infra: *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit: Unum eſt quod locutus ſum, & innocentem & impium ipſe conſumit.* Quid, obſecro, aliud Job in amicos, quam Paulus adverſus tumentes de propria juſtitia Judæos protulit? De quibus ait: Rom. 10. Quod contemnentes juſtitiam Dei, & ſuam volentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Uno ore, eodemque ſpiritu, Job & Paulus ſolicite monent homines, non in propria juſtitia confidere, non ſuis meritis & operibus inniti; ſed Chriſto Domino, qui 1. Cor. 1. *factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur*, non in ſua juſtitia, ſed *in Domino glorietur.*

XV. Diſputatio ergo illa Job & amicorum, & diſceptatio iſta Pauli & Judæorum, in idem tendunt. Uterque hominem humiliat, uterque hominis juſtitiam attenuat, uterque pios homines, fidos, & Deo ſubditos facit, ut diſcant non ſuis naturalibus operibus, ſed Dei potius gratiæ pietatique inniti: ſcientes, quia *nemo aſcendit in cœlum,* Joan. 3. *niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo.* Id eſt, niſi ei fuerit, qui de cœlo deſcendit per fidem & charitatem unitus, &, ut ita dixerim, incorporatus. Non tamen propter hoc, opera contemnenda ſunt: *Opus* enim *hominis reddet ei*, & quiſque recipiet pro ut geſſit, ſive bonum ſive ma- Job 34. lum, & Filius hominis venturus eſt in mundum, ut reddat unicuique ſecundum opera 2. Cor. 5. ſua; ſed, ſicut Jacobus ait: fides cooperatur operibus ad juſtitiam, & ex operibus fides conſummatur ad gloriam. Jacob 2. Sic ergo volo hominem pium in Chriſtum, ut negligens non ſit ad operandum; ſic ſolertem ad opera, ut per ſuperbiam, pietatem non abjiciat. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Do-* Galat. 6. *mini noſtri Jeſu Chriſti; per quem*, utinam, utinam *mihi mundus crucifixus* ſit, & *ego mundo.* In illo mihi ſalus, in illo vita, in illo omnis ſpes & fiducia eſt. Efferat qui voluerit merita, jactet opera, ſervitia computet; *mihi* certe *adhærere Deo bonum eſt; ponere in Domino Deo ſpem meam.* Pſal. 72. Gloriatur Apoſtolus in operibus ſuis aliquando, ſed invitus, ſed coactus. Inſipiens, ait, fa- 2. Cor. 12. ctus ſum, vos me coegiſtis; quanto inſipientior ego, ſi in meis gloriari præſumpſero? Præclara opera, ſi fide fulciantur, alioquin nulla ſunt. Denique finem quæſtionis omnes pariter audiamus: *Sacrificate ſacrificium juſti-* Pſal. 4. *tiæ, & ſperate*, non utique in ipſo ſacrificio, ſed *in Domino.* Hæc de fide dicta ſint.

XVI. De beato nunc Ildephonſo dicamus: quem fides non ſola, ſed conjuncta lenitati, cæteriſque virtutibus ſanctificavit, & inter electos Dei glorioſum effecit. Illo tempore fideliſſimus fuit, quando inter Hiſpaniæ nobiles fides naufragium ſuſtinebat: tunc enim adverſus Filium Arriana hæreſis ſæviebat, quæ divinitatem in Chriſto negabat. Qua hæreſi per Sanctum Leandrum & Recaredum regem eliminata; ecce adverſus Matrem Elvidiana impudentia delatrabat, quæ perpetuam illius virginitatem ore ſacrilego impugnabat. Quo zelo, quo ſpiritu, quo fervore, Vir ſanctus in ſecundam hæreſim inſurrexerit, quo animo ab Hiſpaniæ finibus eam eliminaverit, & perpetuo effugaverit, quis enarret? Feſtum indixit (b), librum edidit (c), (b) (c) ſynodum congregavit, inſtigavit regem, principes

(a) Vide lib. de Diverſis quæſt. octoginta tribus quæſt. 76., ubi ex profeſſo de hoc agit S. Parens.

(b) Scilicet Feſtum expectationis Partus Deiparæ, quod a S. Ildephonſo vel inſtitutum primitus, vel præcipue ſtudio propagatum fuit, ut notat Bollandus ad diem 23. Januarii.

(c) *De Virginitate S. Mariæ*, qui liber extat tomo 12. Biblioth. Patrum fol. 550., una cum aliis ejuſdem S. Præſulis lucubrationibus.

cipes excitavit, populum adhortatus est, neque ab incœpto quievit, donec Virginis gloria, quæ prophano errore in Hispaniæ finibus obscurata fuerat, in pristinum fulgorem restituta est. Sed, o bone Deus! Quam bene remuneras zelatores tuos! Quis unquam pro te vel tantillum zelavit, quis vel ad modicum pro honore tuo sudavit, quis pro te adversus impios unum verbum respondit, qui non supra meritum, & ultra condignum a te fuerit remuneratus? Quomodo mirificasti Confessorem tuum, quomodo sublimasti eum, quanta cum gloria decorasti! Hodiernam epistolam audiamus, illa enim succinte, omnem ejus historiam percurrit. *Dilectus Deo & hominibus;* quod, perquam rarissimum est. *Cujus memoria in benedictione est* in sæculum sæculi. Quamdiu volvetur cœlum, sæculumque durabit, gloria tua o Alphonse, nomenque manebunt. *Similem fecit illum in gloria Sanctorum.* Grandis honor, amicis Dei chariſſimis annumerari. *Magnificavit eum in timore inimicorum.* Terribilem enim eum ac formidabilem hæreticis fecit, sicut de illo legimus: *Et in verbis suis monstra placavit.* Et qualia monstra? Portentosas hæreses & sacrilegas. *Glorificavit illum in conspectu regum, & unxit illum coram populo suo.* Quomodo in Præsulem unctus fuerit, egregiaque dignitate promotus, omnes nostis; sed quomodo eum in conspectu regum, & totius populi glorificaverit audite.

Eccli. 45.

XVII. Narratur de illo factum memorabile (a), cui aliud simile nusquam legi. Coram rege Recisiundo, & toto populo in Ecclesia congregato, Leocadia Virgo & Martyr ex sepulchro consurgens apparuit, &, mirabile dictu, adstantibus omnibus & audientibus, Ildephonso ait: Per te Alphonse, Domina mea vivit; & postmodicum disparuit. Eximium sane honorem & gloriam ineffabilem cœlesti nuncio coram omnibus ita laudari. Ille vero de muneribus magis, quam de gloria solicitus, gladium petit, & virgini velum abscidit: & utrumque, gladium & velum inter sacras reliquias reponi jubet, tam mirabilis facti perpetuum monimentum. Sed quid hoc, aut quantum ad illam inæstimabilem gratiam quam promeruit, ut Virgo sacra cœlesti curia comitata, nocturnis horis in sua Ecclesia ei apparere, & eum alloqui dignaretur? Vestimento cœlesti induit eum, & in suum sacerdotem assumpsit eum. O Pontifex gloriose quanto honore sublimatus, & quam abunde remuneratus es pro labore! Si quid egisti pro Virgine, certe multo amplius ab ea suscepisti. O Virgo sacra quomodo diligis amantes te! Quomodo honorificas honorantes te! Felix Ecclesia Toletana, tantæ Virginis præsentia consecrata, sacerrimum templum Reginæ cœli vestigio sublimatum. Quid minus habes ab illo templo Salomonis mirifico, nisi quod Filius illud; te Mater sua præsentia decoravit? Fateor, Fratres, quoties templum illud ingredior, nescio quid in me reverentiæ & devotionis invenio. Cœlestia ibi vestigia impressa manserunt; & odor quidam cœlicus spirat, qui spiritum excitat, & animum provocat ad amorem. Sed horreo valde, quia negotiis sæcularibus prophanatur, post omnes istos honores, post eximias gratias & favores innumeros. Expleto vitæ hujus curriculo desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Ostendisti illi gloriam tuam: quam etiam nobis ostendere & præstare digneris, fidelis & verax, qui promisisti: cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 20.

Hebr. 10.

(a) Hoc, & aliud factum, mox a S. Oratore afferendum, referuntur a Zixilane Archiep. Tolet. in Vita S. Ildephonsi apud Bollandum ad diem 23. Januarii.

DE S. ILDEPHONSO ARCHIEPISCOPO TOLETANO

CONCIO ALTERA.

De Euangelio sint Lumbi vestri &c.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. Lucæ 12. v. 35. & 36.

Concio CLXXXIII.

I. Dominus noster Jesus Christus, cupiens nos in adventu suo invenire paratos, sæpius nos admonet vigilare, ne propter somnolentiam & desidiam perpetua illius jucundaque societate privemur. Quoties hoc repetit in Euangelio, quibus verbis & exemplis hoc nobis commendat? *Vigilate*, inquit, *quia nescitis diem neque horam.* Et iterum; *Vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit.* Et alibi: *Quod vobis dico omnibus dico; vigilate.* Et rursus: *Estote parati quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Et rursus: *Attendite ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa.* Illud quoque quod de virginibus fatuis tam multis edisserit: quæ licet virgines, & vigilantes, quia tamen paratas lampades non habebant, a Sponsi consortio rejectæ sunt. Et hoc idem pluribus aliis locis, quæ sparsim per Euangelium ubique leguntur. Ex quibus aperte colligitur, magni momenti rem esse, quæ tam obnixe tam frequenter & tam solicite nobis a Domino commendatur. Nisi enim magnum emolumentum nobis hæc vigilia afferret, non quidem ad illam tam repetito & frequenti vocaremur sermone. Totum legito Euangelium & notato: nihil hoc amplius reperies nobis a Domino com-

Matt. 25. *Marc.* 13. *Ibidem. Luc.* 12. *Ibid.* 21. *Matt.* 25.

commendatum. Ut enim Isidorus (*a*) inquit: In vita hominis finis quærendus est, quoniam Deus non respicit quales antea vixerimus, sed quales circa finem vitæ erimus. Quid enim proderit famulo, quod tota nocte vigilaverit, si cum venerit Dominus ejus, tunc invenit eum dormientem? E contrario: etiamsi prius tota nocte dormierit; increpationem evadet, si vigilans adveniente Domino fuerit repertus. Grandis gratia, Fratres, bonus finis, & quæ vere desursum est a Patre luminum descendens: & ideo semper nobis a Domino toto vitæ tempore, dum in hac miseriæ valle peregrinamur, ardentissime postulanda. Multum namque ad felicitatem æternam consequendam refert, quo quis tempore vocetur. Vigilavit aliquis diu & dormiens repertus, perpetuo igne damnatur; dormivit alius, & tempore vigiliæ vocatus, perpetua gloria afficietur. Quare hoc? Quia vigilans repertus est. Grande secretum hujus vocationis, Fratres, neque a nobis scrutandum, sed potius cum Propheta humiliter supplicandum: Domine non concludas me in manus inimici.

Luc. 12. *Jacob* 1. *Psal.* 30.

II. Hoc est igitur, quod nobis hodie tota hac lectione euangelica commendatur, quam cum Dei gratia vobis exponendam suscepimus. Attentis ergo eam auribus audite, & opere memoriæque mandate. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.* Tria nobis commendantur ad finem: castitas, bonum opus, & vigilia. Et quare magis castitas, quam alia virtus? Nempe quia nihil libidine periculosius nihil obscœnius, nihil abjectius, nihil turpius, neque vilius. Quantumcumque enim splendide, prudenter & juste, in cæteris te omnibus geras, si carneis his momentaneis & immundis voluptatibus demersus sordidaris; parva tibi gloria erit: nec solum inglorius, sed & stultus, ignavus, immundus, imprudens, & inanis, inter probos reputaberis viros. Unde Dominus ab hoc vitio libidinis magis quam ab alio cavendum monet, propter tria. Primum, quia vitium hoc generalius est. Secundo, quia pernicioſius. Tertio, quia periculosius. Ab alio enim quocumque vitio plures reperies liberos: non enim omnes ad omnia inclinantur vitia, imo suum sibi quisque peculiare vendicat. Arrogans avaritiam spernit, avarus sine arrogantia multoties reperitur, multi sine invidia vivunt, multi sine ambitione, multi sine furore; sed non ita sine libidine. Hoc virus universum fere genus humanum sic infecit, ut vix sit *qui se abscondat a calore ejus*, præter paucos, quos divina gratia præservat. Unde B. Remigius (*b*): Demptis, inquit, parvulis, ex adultis propter hoc vitium pauci salvantur. Adeo hæc pestis in genus grassatur humanum. Universalis naturæ nostræ pernicies libido est: quam omnes faciliter accusare, pauci vitare, pauciores autem superare possunt. Est enim vitium naturæ insertum & naturali quadam inclinatione firmatum. Repugnare autem naturæ, difficillimum est.

Psal. 18. (*b*)

III. Quis namque sine divino adjutorio suam poterit in hoc casu superare naturam? Unde Cassianus (*c*): Cætera, inquit, vitia forinseca sunt, & levi pelluntur impulsu, quia eorum pugnam ab extra nobis inferri sentimus, ut autem libidinem ferociſſimam & indomitam belluam superare possimus, non extra nos, sed intra auxilia quærenda, magnam nobis metipsis vim inferre debemus, & intra nos sunt tela, quibus ipsam fugare valeamus. Tu tibi auxilio esse poteris favente Deo. Non in amicis, non in exercitu, non in divitiis, non in regno confidas: quia pestis hæc naturæ intrinseca, & connaturalis est. Quare Augustinus (*d*): Inter omnia Christianorum, inquit, certamina duriora sunt prælia castitatis, ubi continua pugna & rara victoria. Quo igitur vitium cæteris naturalius est, eo tenacius; & quo tenacius, eo periculosius, & difficilius ad vincendum. Unde quidam Monachus (*e*) septem se creditoribus a patre suo se debitorem relictum ajebat, & omnibus debitum persolvisse, uno excepto qui quotidianum semper exigeret a se tributum. Quod quamvis de gula protulit; poterit forte congruentius ad libidinem adaptari, quia comedere non ita semper peccatum est, sicut concupiscere. Et quanto pernicioſior cæteris luxuria sit, ex hoc poteris comprehendere, quia nullum secum commorari bonum, nullam secum compatitur adesse virtutem. Reddit enim hominem penitus brutalem, & ad omnem spiritus motionem inhabilem, ipsumque extra humanæ naturæ terminos dejicit, & prosternit. Rationem alienat, intellectum obnubilat, sensus hebetat, brutum denique facit ex homine. Avaros, superbos, invidos, iracundos, plures devotos invenies; & licet peccatores, tamen pios, & qui in Deum & Sanctos ejus piam & devotam habeant affectionem: libidino-

(*c*)

(*e*)

(*a*) Vide lib. 2. de Summo bono cap. 6. Huc spectat illud S. Hieronymi Epist. 47., alias 10. ad Furiam. *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finivit. Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.*

(*b*) Frequens est hujus sententiæ allegatio apud Scriptores, quorum alii ad Comment. in Epist. ad Rom. cap. 1., alii ad cap. 6. illam referunt; sed tum in his, tum aliis in locis eam mihi hactenus non licuit invenire.

(*c*) Vide Cassian. Institut. lib. 6. cap. 1. 2. & 3., & Collat. 12. Huc facit illud S. Hieronymi Epist. 47., alias 10. ad Furiam. *Omnia alia peccata extrinsecus sunt, & quod foris est facile abjicitur. Sola libido insita a Deo ob liberorum procreationem, si fines suos egressa fuerit, redundat in vitium, & quadam lege naturæ in coitum gestit erumpere.*

(*d*) Serm. 293. num. 2. in Append. novis. editionis, olim de tempore 250.

(*e*) Nempe Serapion, ut habetur apud Palladium Histor. Lausiac. cap. 83.

dinosus undique absorptus est in libidinem, neque Deum, neque Sanctos veretur, neque diligit: nulla in eo devotionis scintilla, nullum spiritualis amoris vestigium. Totus namque a pestifero illo igne devoratus est, nec illum quidquam præter flammas cogitare permittit in igne solum veluti Salamandra nutritur. Unde Job de adulterio loquens: *Ignis*, *Job* 31. inquit, *est usque ad perditionem devorans, & eradicans genimina*.

IV. Nihil in homine, quem possidet ignis hic relinquit inustum, & si fuerit quispiam in juventute sua omnium virtutum decore præfulgidus, & veluti paradisus Dei; vernantibus undique & fragrantibus gratiarum liliis dealbetur: si semel intima ejus hic penetraverit rogus, totum funditus urit, totum absumit, totum redigit in favillam. Ex amœno paradiso in desertum horridum, & ex Angelo reducit in beluam. Fuerit forsitan peccatorum quispiam libidinoso deterior; nullus certe ad Dei contemptum promptior, nullus ad malum perpetrandum audacior, nullus ad persistendum in peccato tenacior, nullus ad colendum diligendumque Deum ineptior. Effugit omnem iniquitatem spiri- *Sap.* 1. tus Dei, & sicut scriptum est, a superveniente iniquitate corripitur; sed ab hoc fœdo turpique contagio amplius elongatur, propterea quod præter ipsam criminis deformitatem, annexam habet turpitudinem quandam, spiritus decori maxime contrariam. (*a*) Propter quod, teste Hieronymo (*a*), Prophetas Domini conjugatos, tempore conjugalis amplexus, Spiritus Domini non tangebat: non quia ulla ibi aderat culpa, sed quia spirituali non congruit splendori, carnis obscœna voluptas. Quod si adeo spirituali adversatur unctioni: quantum existimas longe erit ab illo beatarum mentium splendore lubrica hæc & fœda contagio? Fœtentem libidinibus carnem Angelicis inferere quis audeat choris, jumentumque in suo stercore putridum nitentibus associare civibus quis præsumat? Anima justa & caro pudica cœ- *Isaiæ* 9. lorum possidebit regnum. Putrida enim caro in combustionem erit, & cibus ignis. Merito igitur a regalibus veniens nuptiis Dominus, ut secum ad cœlestis gloriæ thalamum peregrinas deferat animas, admonet lumbos esse succinctos, id est, castitate purissimos, quia fulgentem gemmis & auro civitatem, luteis calcare pedibus non liceat, *Apoc.* 21. sicut scriptum est: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens*. Et *Isaiæ* 52. alibi: Non transibit per te circumcisus & immundus. Sed non solum carnis, sed etiam mentis lumbos oportet habere succinctos, si- (*b*) cut Apostolus monet: *Succincti lumbos mentis* 1. *Petr.* 1. *vestræ*. Unde Augustinus (*b*): In mente, in-

A quit, non violetur, qui non vult sine causa corporis habere munditiam. Castitas mentis est ab omni peccato continentia, cujus diabolus violator est. Lumbos mentis, appetitus effrænes intellige; quos timoris cingulo oportet esse constrictos, ne illicitum foras defluant in opus. Timor enim Domini expellit peccatum, motusque cordis impetuosos intrinsecus cohibet atque cingit. Antiquitus in lege, Danieli Angelus succinctus *Dan.* 10. renes apparuit, sed Joanni Apostolo succinctus apparuit ad mamillas, quia videlicet lex, solum carnis, Euangelium etiam cordis B lumbos præcinxit, nec eodem cingulo: sed lex timore, Christus amore, qui per zonam *Apoc.* 1. illam auream Angeli designatur. Pellicea namque zona, non aurea in lege Elias legi- 4. *Reg.* 1. tur fuisse præcinctus: sed quia juxta Prophe- *Psal.* 26. tam declinare a malo non sufficit ad vitam, nisi etiam faciamus & bonum, adjungit.

V. Et lucernæ ardentes in manibus vestris, per quas, secundum Gregorium (*c*), (*c*) bona opera designantur. Via nobis tenebrosa & atra perambulanda est, via ignota, plena periculis: quam mille undique larvales bestiæ, mille circumstant prædones. Lu- C cernas igitur portare oportet, faceisque manibus gestare lucentes, quibus insidiantium inimicorum latebræ detegantur. Lubrica via est, & quæ facili impulsu præcipitet in gehennam, nisi interlucentibus fuerit patefacta lucernis. Sed sunt qui post se illas deferunt faces, nimium stolidi, quas ante se gestare debuerant: nam postpositum lumen viam non aperit transeunti. Damnato quid proderit numerosa multitudo Missarum, copiosa eleemosynarum congeries testamento legata? quibus in vita forsitan & peccata redimere, & gehennam evadere potuisset. D Sunt etiam qui lucernas habent, sed non in manibus, sed in voto & proposito, hujusmodi autem bonis propositis infernus plenus est. Sunt etiam qui eas in manibus habent, sed extinctas: qui videlicet ita bonis operibus desudant, ut peccata non deserant, non attendentes, quia bona malis permixta Deo non placeant, neque operanti conferant ad salutem. Etiamsi mille virtutibus polleas, unum tibi vitium sufficit ad gehennam. Habeto igitur in vita lucernas, habeto in ma- *Matt.* 25. nibus, habeto incensas, si cum Sponso cupis introire ad nuptias. Sed vide ne dormien- E tem inveniat te, cum venerit Dominus, & in aperiendo moram facias, & damneris. Quosdam enim Dominus invenit profundo somno gravatos, qui nec Domino pulsante excitantur, donec perfractis foribus Dominus intrat, & in abyssum miseros detrudit. Quippe, sic mundialibus gaudiis voluptatibusque sopiti sunt, ut suam non prævideant

(*a*) Prophetiæ spiritum non semper in Prophetis fuisse affirmat Hieronymus in cap. 35. Ezech. *Sed quia*, inquit, *ob humanam fragilitatem, & vitæ hujus necessitates interdum recedebat ab eis, &c.* Nihil expressius reperio in S. Hieronymo.

(*b*) Tract. 13. in Joann. Euang. num. 12. *In mente non corrumpatur, quæ non vult sine causa tenere corporis virginitatem.*

(*c*) Homil. 13. in Euang. num. 1.

damnationem, donec eos infernus adurit. Tunc incipiunt aperire oculos, cum penitus nulla jam expectatur redemptio. De quibus
Pſal. 48. Pſalmus: *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos*. Sicut oves, inquam, fa-
Pſal. 56. tuæ, ſimplices & ignavæ non viderunt foveam donec inciderunt in eam; unde morti in paſtum perpetuum dati ſunt. Alios autem Dominus dormientes quidem invenit, ſed ad primam ejus pulſationem ſtatim excitantur: qui, quoniam parati non ſunt; dum moram faciunt aperire, pertranſit eos Dominus, & perpetuo illos carcere detrudit. Videas hoc, cum prima tanguntur febre, & tunc maxime cum mortis periculum ſuſpicantur, veluti a ſomno excitatos ad omnia feſtinare: tunc accelerant ſoliciti ſua confiteri peccata, tunc reſtitutiones fiunt, tunc debita perſolvuntur, tunc affluentes faciunt eleemoſynas, tunc longam Miſſarum ſeriem præmeditantur, tunc cum lacrymis, gemitibus, & quatienti ſingultu pœnitendi & bene operandi ſibi a Domino petunt inducias; morum & vitæ correctionem firmo, ut videtur, propoſito promittentes. Sed ſi contingat evadere inſtantem, quam prævident mortem gehennæque damnationem, continuo retrocedunt.

VI. Sed de his quid Propheta dicat atten-
Pſal. 15. de. *Multiplicatæ ſunt*, inquit, *infirmitates eorum, & poſtea acceleraverunt. Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Hoc eſt, neque eos a ſuis ſanguinibus peccatorum mundabo, nec ero amplius memor eorum. Beati qui cum gaudio expectantes & ſolicite vigilantes reperti ſunt: quos mors
Philip. 1. non contriſtat, ſed magis juvat, qui diu jam cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; qui cum omni gaudio & lætitia adventanti occurrunt Domino, & mira eum alacritate ſuſcipiunt; facit quippe injuriam Domino ſuo, qui eum triſti & torvo ſuſcipit vultu. O ſtulte! Venit Dominus deducere te in cœleſtes nuptias, & tu de adventu illius triſtaris, & pro tanto beneficio non applaudis? Invitus conſcendis in cœlum, invitus deduceris in regnum? Quomodo igitur quotidie
Matt. 6. petebas dicens: *Adveniat regnum tuum?* Nunquid non Apoſtolum audiſti dicentem:
2. *Tim.* 4. redditurum tibi Dominum coronam juſtitiæ, & omnibus qui diligunt adventum ejus? Quomodo autem coronabitur qui invitus & plorans ducitur ad coronam? qui adventum Domini non diligit, ſed horret & timet? Timet utique, quia infenſum Dominum habet, ſi enim abſentem non offendiſſet, præſentem utique non formidaret. Hoc eſt, Fratres, unde adventum Domini non diligimus, vel quia judicem pertimeſcimus, quem offendimus, vel quia cœleſtes illas nuptias non guſtavimus, vel quia in terrenis plantati deliciis, ab eis abſque violentia non divellimur. Qui enim in terra radices non habet, ſine dolore rapitur ad cœleſtia;

A ſed filiorum & uxoris, temporaliumque deliciarum amor, miſeros in terra tenet defixos: & quoniam cœleſtia diligere non noverunt, temporalia ſine triſtitia non deſerunt.

VII. Quantum vero placeat Domino ſolicita hæc adventus ejus expectatio, alacriſque ſuſceptio, ex præmio in littera promiſſo cognoſce. *Beati*, inquit, *ſervi illi, quos* *Luc.* 12. *cum venerit Dominus invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*. Multum eſt hoc, ad quodcumque
B famuli meritum, ut cum Domino ſuo ad menſam ſedeat. Neque ſolum hoc, ſed ut ſuus ei Dominus ſuccinctus miniſtret. Quis adeo benignus & humanus Dominus, qui ſuis quantumvis fidelibus famulis talem præſtet honorem, hujuſmodi præbeat dignitatem? Qualis honor, ad menſam unam cum Deo, & cœleſtibus ſedere Principibus! *Ego*, *Luc.* 22. inquit, *diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*. Præcingit autem ſe Dominus ad menſam iſtam, non ad ſerviendum, ſicut in cœna ultima, quando lavit pedes Diſcipulorum ſuorum; tempus e-
C nim ſerviendi jam tranſiit, non jam humilitatis ſervum, ſed Dominum majeſtatis ſe præbet in cœlis: & tamen quia quidquid ad illam menſam Beatorum apponitur obſonii, totum ex illo refertiſſimo divinitatis cellario propinatur, ideo miniſtrare dicitur: non quia recumbentibus ſerviat, ſed quia dulciſſimos ſingulis cibos, pro merito cujuſque, manu ſua propinat. Ipſe enim dator eſt in cœlo præmiorum, qui dator extitit in vita virtutum. Sed quomodo *tranſiens*, cum omnia ibi perpetua ſint, non facile eſt intelligere. Forte ideo tranſire per ſingulos dicitur, quia ſingulis pro merito ſigillatim gloriæ obſonium
D ponat, neque omnibus in communi? Tranſitus præterea ille non ad ipſum, ſed ad diſcumbentes pertinet, qui ſicut ſucceſſive ex hoc exilio ad menſam Domini tranſeunt, ita quoque ſucceſſive illo abundanti ferculo felicitatis cibantur. Tranſire ergo per ſingulos dicitur, non quia ipſe illis ſedentibus tranſeat; ſed quia ipſo immobili permanente, illi ad eum ſucceſſive pertranſeant & perveniant. Quod ſi ad Deum hic tranſitus referendus eſt, non ſecundum beatificum illud gloriæ poculum, quod viſione clara Deitatis hauritur, ſed ſecundum acceſſorium adhæ-
E rentemque alium beatitudini hauſtum, qui per revelationem, vel illuſtrationem beatarum mentium deguſtatur, intelligendum eſt. Viſio enim illa beatifica & matutina omnino invariabilis & immutabilis perſeverat, neque in perpetuum ullum recipit aut incrementum, aut decrementum in Beato, licet forte per illam aliquando plura, aliquando pauciora ex creatis videantur in verbo: hoc enim beatitudinem eſſentialem non variat. Quia, ut inquit Auguſtinus (*a*),

(a) (a), qui te videt & alia videt, non idem beatior, quia tecum alia videt.

VIII. Neque placet nunc cujuſdam Doctoris (b) docti, ſententia, qua opinatur ex adjunctione animæ ad corpus propter meliorem animæ diſpoſitionem, viſionem illam beatificam, non ex parte Dei, ſed ex parte potentiæ poſt reſurrectionem aliquantulum augeri. Supernaturalis enim eſt illa viſio, & quæ non naturæ, ſed meriti proportionem conſequatur. Sed præter hanc beatificam viſionem, & quæ in illa panduntur, quædam alia occulta per ſupernam illuſtrationem divinitatis, beati ſpiritus veſpertina cognitione percipiunt, quæ non ſimul cunctis, ſed mediis per ſupremos, & infimis per medios revelantur. Siquidem, Dionyſio (c) authore, Angeli ſuperiores quo ad iſta myſteria, inferiores Angelos menteſque beatas illuminant, atque ita radius ille divinitatis, per ſuperiores ſpiritus tranſit ad medios, & per medios tandem diſcurrit ad infimos. Hunc exiſtimo tranſitum in propoſito deſignari, cum dicitur: *Tranſiens miniſtrabit illis*. Quod ſi hunc largius ex Scriptura velis agnoſcere, Prophetam audi, toto illum Pſalmo mirifice deſcribentem. *Ecce*, inquit, *quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum*. Id eſt: cum primogenito Fratre, omnes ſimul ad unam in cœleſtibus menſam diſcumbere, nectareaque pocula ſimul deguſtare. Sed quomodo hic dulciſſimus liquor, ſingulis propinetur ad menſam, audi: *Sicut unguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti ejus. Caput Chriſti Deus*. Ex illo capite excelſo, unctio illa dulciſſima, pretioſumque balſamum, per omnes ſigillatim derivatur. Primo quidem, *in barbam, barbam Aaron*. Magni, inquam, illius Aaron ſacerdotis, qui a Deo conſtitutus eſt propitiator in ſanguine ſuo omnium peccatorum; qui non *per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta æterna redemptione inventa*. Neque tamen ſiſtit unguentum in barba Aaron: ſed per omnia ejus membra defluens totam illius perfundit veſtem, *uſque ad oram veſtimenti ejus*, id eſt, uſque ad ultimos Beatorum, qui poſt baptiſmum, ſtatim ad cœlum convolarunt. Et ora veſtimenti ejus ideo dicti ſunt, quoniam ſcriptum eſt: *Vivit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris*. A capite velut ornamento igitur illo Deitatis, in barbam, id eſt, Chriſti humanitatem ſacratiſſimam, & a barba in collum, id eſt, Virginem Deiparam, & ita conſequenter per ſuperiora corporis membra, ad inferiora uſque defluit unctio ſuaviſſima: donec ad ultimam veſtimenti oram, id eſt, ultimum Beatorum ordinem, chorumque perveniat. *Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion*. *Hermon*, anathema triſtitiæ dicitur: Deitatem deſignat, in quam nulla unquam poteſt cadere triſtitia, & a qua procul eſt omne tædium. *Sion*, ſpecula interpretatur; & cœleſtem illam ſpeculantium civitatem Deum deſignat. Rorat ergo deſuper mons Hermon in montem Sion, & totum ſuavitate perfundens, roſcida nimiaque lucis ubertate fœcundat. Ros enim lucis, ros tuus Domine, ut Propheta inquit. Et ut clare cognoſcas, quoniam de cœleſti illa Beatorum menſa hæc omnia proloquitur; attende quod ſequitur: *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam uſque in ſæculum*, id eſt, vitam ſempiternam. Attendiſtis tranſitum, notaſtis quam ſublimiter dictum ſit: *Tranſiens miniſtrabit illis*: nunc cætera proſequamur.

IX. Magnum præmium hoc eſt, & quod ſomnolentum quemlibet excitet ad vigiliam. Sed longa nimis quibuſdam videtur vigilandi mora. Quis enim, inquiunt, toto vitæ ſuæ tempore ſuſtineat vigilare? Duobus vel tribus annis expectare cum patientia quiſpiam forſitan poterit, ſed ab ineunte pueritia ad ultimos uſque canos in procinctu pervigilem eſſe, humanam ſuperat facultatem. Quis Sanctorum aliquando tam diutinæ expectationis affectus tædio non dormitat? Hoc eſt peſſimum tædium quod devotos etiam Religioſos ad tempus ſolet fatigare, cum ſuſpirio acclamantes: Grandis honor, ſed longa vigilia, ingens præmium, ſed prolixa valde & intolerabilis expectatio! Unde & ſanctiſſimus Job, etſi non tam diuturnæ vigiliæ tædio, quam longo futuræ beatitudinis deſiderio fatigatus, ſimilem prorupit in vocem: *Sicut cervus deſiderat umbram, & mercenarius præſtolatur finem operis ſui. Sic ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam: quando reſurgam? & rurſum expectabo veſperam, & replebor doloribus uſque ad tenebras*. Sed o vitam fallacem! O vitam mendacem! O quam te variam ſimulas ad diverſos! Neque unam te cunctis exhibes, ſed biformem: gaudentibus & ridentibus, & hujus ſæculi gaudia vana ſectantibus breviſſimam te demonſtras, & momentaneam. Quantus ubique terrarum apud mundanos & leves homines, de tua brevitate luctus, quanta querela! Laborantibus autem & afflictis die ac nocte gementibus, futuræque beatitudinis præmia deſiderantibus, longiſſimam te mentiris & grandem: veluti quæ concavo non claro perſpicuoque ſpeculo videaris. Sed, qui te claro videt intuitu, hujuſmodi præſtigiis nuſquam fallitur. Talis erat Apoſtolus ille, qui

Luc. 12.

Pſ. 132.

1. Cor. 11.

Rom. 3.

Hebr. 9.

Iſaiæ 49.

Pſ. 132.

Iſaiæ 26.

Pſ. 132.

Job 7.

(a) Confeſs. lib. 5. cap. 4. *Beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui vero & te, & illa novit, non propter illa beatior; ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi cognoſcens te, ſicut Deum glorificet, & gratias agat, & non evaneſcat in cogitationibus ſuis.*

(b) Richardum fortaſſe intelligit, qui in 4. Sent. diſt. 49. art. 2. docet Beatitudinem intenſive augeri poſt reſurrectionem, eo quod anima conjuncta corpori perfectius eſſe habeat, quam ſeparata. Quæ quidem opinio neque S. Thomæ diſplicuerat diſt. ead. quæſt. 1. art. 2. Eam tamen deſeruit in Summa 1. 2. q. 4. art. 5., ubi aſſerit gloriam augeri dumtaxat extenſive reaſſumptis corporibus.

(c) De Cœleſt. Hierarch. cap. 7. §. 3.

2.Cor. 4. te lynceis oculis penetrans dicebat: *Momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ, æternum ſupra modum in ſublimitate gloriæ pondus operatur in nobis*. Momentaneus eſt labor oculis perſpicacibus, ſi ad æternitatem præmii comparetur. Si autem ſolus & per ſe videatur cæcutientibus oculis, longior apparebit. Noli homo attendere quid ſuſtineas, ſed conſidera quid expectas, tranſit guttatim laboris anguſtia (*a*), advenientique portioni præterita cedit; at vero totum ſe ſimul animo infundet pelagus illud incommutabilis gloriæ. Non enim ſicut pœna, ita & gloria, ſed conſtans, fixa, invariabilis, & æterna.

X. Ubi ergo tantæ locus querelæ: multum laboramus, multum expectamus, multum ſudamus? Nunquid condignæ ſunt paſſiones iſtæ, quas ſuſtines ad futuram gloriam quam expectas? Quis unquam agricola ſeminandi opportunitatem reputat longiorem, ſi futuræ meſſis reſpicit ubertatem? Huic igitur tam pernicioſo mentis tædio Dominus obvians objicit præmium, dicens: *Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi*. Ac ſi dicat: quo diutius expectaverit, largius remunerabitur, vita enim longa ſicut malis mala eſt, ita bonis eſt bona: non ſolum quia meritis augeatur & gratia; ſed quia patiens & diuturna expectatio multum illis conferat ad coronam. Neque enim paris meriti eſt pugnaſſe per annum, & toto vitæ ſpatio duriſſimi hoſtis ſuſtinuiſſe congreſſum, neque defeciſſe. Vitæ autem mortalis noctem Dominus triplici diſtinxit vigilia, more eorum qui in caſtellis vigilias ſervant. Quarum prima in tenerioribus annis, pueritia eſt: ſecunda in ſolidioribus, juventus: tertia in labentibus, veternoſa ſenectus, quæ quanto ad temporales iſtos ſudores imbecillior, tanto ad ſpirituales congreſſus fortior 2. Cor. 4. invenitur. Quamvis enim exterior homo noſter quotidie corrumpitur & labaſcit, interior tamen, Apoſtolo teſte, fortificatur magis, & de die in diem amplius renovatur. Quis ergo de hujus vitæ longitudine merito conqueratur, cum neque craſtinum habeat diem certum? Inſidioſus latro mors eſt, & ſemper ad invadendum paratus, qui nec prævideri poteſt, neque fugari: latro nocturnus, qui ſæpe dum non ſentitur, jam penetralia tenet, acutiſſimo ſpiculo rumpit murum, & ſurdiſſima terebra corporis perforat domum. Quod ſi dormientem invenerit incolam, trucidat, ſpoliat, & profundo puteo jactat; ſi autem vigilantem repererit, diſſimulat, & multo cum honore ſalutat. Salve, inquit, o anima, ſalve. Legatus ſum Regis ſummi. Te Dominus ad nuptias vocat, noli tardare; veni, ducam te quo deſideras, ut optata requie potiaris, & gaudiis perfruaris æternis. Quid hoc nuncio dulcius? quid jucundius? Non ſolum horribilis non eſt mors, ſed placida etiam & amabilis vigilanti; peccatori autem dormienti crudelis & formidabilis. Omnibus divitiis eum, quas per totum vitæ ſpatium cum labore quæſierat, ſpoliat, enecat, & in abyſſum profundam detrudit. Vigilemus itaque & non *Luc. 12.* ſinamus perfodi domum noſtram. Expectantes ſolicite cum bonorum operum lucernis Dominicum adventum, non cauſemur hoc tempore tardantis Domini moras. Qua enim *Ibidem.* hora non putamus Dominus adveniet, & pro momentaneo vigiliæ labore, perpetuam nobis retribuet mercedem.

XI. Beato Ildephonſo fideli ac prudentiſſimo Domini ſervo, optime convenit aſſumptum prothema. Fuit enim Virgo puriſſimus, Doctor illuminatiſſimus, Antiſtes vigilantiſſimus; quæ tria denotantur in themate. Quodlibet horum trium, per ſe cuilibet Sanctorum apud Deum, & homines miram confert dignitatem. Quid ergo decoris & gloriæ uni conferent ſimul juncta? Virginalis puritatis nullum alium in eo teſtimonium inquiramus; ſufficit familiaritas, quam ad Virginem Deiparam habuit; quoniam niſi virgo, virgini placere ita non poſſet. Lucernam ſapientiæ illius fulgentiſſimam, libri ejus oſtendunt, quibus Eccleſiam Dei ſuo tempore, & ſequentibus ſæculis, miro lumine illuſtravit. Erat quippe, ut de Joanne dicitur, lucerna, *Joan. 5.* non ſolum lucens, ſed ardens & lucens: ardens amore Dei, & fidei zelo, lucens doctrinæ verbo, & operis exemplo. Non erat ex eis quibus potius cura eſt lucere quam ardere, qui lampades habentes, oleum non ſumpſerunt ſecum: & ideo dictum eſt illis a Domino: *Neſcio vos*. Quanta vero ſolicitudine in Dominicum gregem vigilaverit, ſo- *Matt. 25.* licitus de ratione, quam redditurus erat Domino pro illo, quando revertetur a nuptiis; Hiſpania tota teſtis eſt, a qua truculentos luporum, id eſt, hæreticorum incurſus, morſuſque amariſſimos, miro animi vigore prædicationis latratu procul abegit & fugavit. Hæc omnia eximiam Ildephonſo gloriam cœlo terraque pararunt.

XII. Sed illud ejus ſingulare præconium, quo præ cæteris maxime decoratur, illuſtraturque: gratia videlicet & ſingularis amicitia, quam habuit ad Virginem glorioſam. Quis enim ita Virgini gratus, ita familiaris & acceptus fuit? Perlege Sanctorum hiſtorias, & poſt illum Euangeliſtam Domini Joannem, nullum invenies in hoc, Ildephonſo parem. Is namque a Virgine impetratus, a Virgine promiſſus, a Virgine annunciatus, totum quod erat, Virgini ſe debere non ignorans, obſequentiſſimum ſe illi gratiſſimumque præbuit: totumque illius ſervitio mancipavit, atque devovit, a quo ne temporalium ſolici-

tudine

(*a*) Similia habet S. Bernardus Serm. 1. de Diverſ. num. 7. *Guttatim pœna bibitur, liquando ſumitur, per minutias tranſit: nam in remuneratione torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis. Flumen plane eſt, ſed quod affluat, non quod fluat, vel effluat. Flumen vocatur, non quod tranſeat, vel pertranſeat, ſed quod abundet.*

tudine aliqua præpediretur, monaſterio ſe incluſit, ubi nocte dieque perpetuis Virginis laudibus deſudaret. Sed diſponente Deo, quia id magis ad honorem Virginis pertinebat, Toletanæ Sedis Archiepiſcopus eſt ordinatus; in quo dignitatis faſtigio, data occaſione hæretici cujuſdam erroris in perpetuam Mariæ virginitatem oblatrantis, quo erga Virginem zelo ferveret, magnifice demonſtravit. Namque incredibili diligentia, ſcribendo, docendo, declamando, blaſphemantia ora contundens, convocato concilio, edito libro, inſtituto feſto, peſtiferum illum errorem ab Hiſpaniæ finibus eliminavit. Sed non utique ſine præmio: nam primo quidem, publice coram omnibus aſtante rege, virgo Leocadia a tumulo ſuo progrediens, mirum præbuit omnibus ſpectaculum, taleque reddidit Ildephonſo præconium: Alphonſe per te vivit Domina mea. Quid præclarius, quid illuſtrius? Deinde ipſamet Virgo, A nocte feſti, quod in laudem perpetuæ illius virginitatis ipſe Sanctus inſtituerat; ut monſtraret quantum ſibi illud obſequium placuiſſet, publice in loco prædicationis apparens, ubi laudes ejus Alphonſus erat ſolitus populo declamare: decora ipſum propria manu induit veſte ſacerdotali, qua in ſacris uteretur ſacrificiis. Si quid de aliquo Sanctorum ſimile audiſtis dicite: ego fateor non audivi. Nam etſi beata Dei Genitrix apparuiſſe aliis dicitur, ſed non ita. Exiſtimo igitur, & Paulo Apoſtolo Filium, & Ildephonſo Matrem, ſpeciale hoc privilegium contuliſſe, B ut vere & viſibiliter per ſe apparere ante horam mortis dignarentur. Quod ſi illum dum viveret tali decoravit ſtola, quali exiſtimas animam ejus exutam corpore induiſſe in illa cœleſti gloria, quam poſſidet? Ad quam nos perducat ipſe Filius Virginis Jeſus Chriſtus: cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Act. 9. & 1. Cor. 15.

IN FESTO S. DOROTHEÆ VIRGINIS ET MARTYRIS

CONCIO PRIMA.

DE EUANGELIO PRUDENTES VIRGINES &c.

Prudentes Virgines aptate veſtras lampades: ecce Sponſus venit, exite obviam ei. Matth. 25. v. 7.

Concio clxxxiv.

I. NAtura hominum in hac vita incorporeas res nude & per ſeipſas non poteſt contemplari, quin potius ſimilitudinibus corporeis & phantaſmatis involuta, ſpiritualia utcumque hallucinando rimatur; eſtque noſter intellectus ſic corporeis ſenſibus alligatus, ut teſte Philoſopho (*a*), neceſſe ſit intelligentem phantaſmata ſpeculari. Propterea Dominus Jeſus, qui a Patre in mundum miſſus eſt, hominum non *Iſaiæ 30.* ſolum redemptor, ſed & magiſter & doctor, noſtræ condeſcendens fragilitati & cæcitati, ea quæ ipſe claro videbat intuitu, nobis optimo doctrinæ artificio, ſub corporalium ſimilitudinum velamine intelligenda propoſuit. Neque ex naturæ abditis, & occultis rerum proprietatibus ſimilitudines aſſumpſit: ſed communibus & vulgaribus, & quæ nulli liceat ignorare, utitur. Ut nemo ſit excuſabilis in judicio, neque doctrinæ ſalutis arduam difficultatem allegare poſſit. Modo noſtro locutus eſt nobis: nam ſi ſuo loque- *Joan. 3.* retur, quis illum capere poſſet? *Si terrena*, inquit, *dixi vobis, & non creditis; quomodo* 1. Cor. 3. *ſi dixero vobis cœleſtia, credetis*. Parvulis lac C propinat, non ſolidum cibum Sapientia mater, dividens ſingulis, prout capere poſſunt. Nudis ergo intellectibus, id eſt, Angelicis nudas objicit veritates, & velatis velatas: quoniam juxta modum eſſendi, modus eſt etiam intelligendi. Unde Pſalmus: *Dies diei* *Pſal. 18.* *eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*. Proponitur nobis hodie regni cœleſtis parabola, decem virginum prudentum, & fatuarum; quarum quinque recipiuntur, & quinque excluduntur. Quæ, quia in Euangelio diffuſe narratur, non eſt opus repetere, ſed exponere. Det ipſe intelligentiam qui dedit D parabolam. Regnum cœleſte, ut opinor, Eccleſia eſt, virgines ſunt animæ fideles, propter continentiam a peccatis: nam etſi plures vitio infectæ ſunt, tamen fidei lumine, timore ſupplicii, & amore juſtitiæ, etſi non univerſaliter & integre, tamen plures ſunt qui a peccatis arcentur, ne videlicet ſicut infideles tranſeant in affectum cordis, *Pſal. 72.* & ſequantur pravitatem inclinationis ſuæ. Lampades habent, id eſt, cœleſtis doctrinæ claritatem, & Sponſum expectant: quia ſive boni, ſive mali, omnes Domini adventum, & jucundam ejus præſentiam & deſiderant & ſperant. Nemo enim fidelium eſt qui futuræ beatitudinis deſiderium aliqualiter non

(*a*) Ariſtot. de Anima lib. 3. cap. 7.

habeat; sed quædam oleum habent & aliæ non. Oleum charitas est: quam non omnes fideles habent, etsi fide & doctrina Euangelica polleant.

II. Tardante autem Sponso dormitaverunt omnes & dormierunt, quia dum vita præsens protenditur; & boni dormitant tædio, & mali dormiunt in peccato. Media nocte, id est, insperato, & cum minus putatur: *Thes.* 5. *Dies enim Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* *Matt.* 25. *Clamor factus est; ecce Sponsus venit.* Si ad judicium referas, clamor est Angelorum; si ad mortem cujusque, clamor est ægritudinum. Surrexerunt omnes, & aptaverunt lampades suas. Nemo enim est fidelium, qui mortis clamore non excitetur: tam boni quam mali, omnes lampadem, id est, conscientiam ad exitum vitæ parant, & ut possunt, operum suorum rationem præordinant. Sed heu plures eorum tunc lampades suas extinctas & sine oleo reperiunt! Curritur ad prudentes, vocantur monachi, implorantur Sancti, undique a justis suffragia petuntur. Date, inquiunt, nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Male viximus, orate pro nobis, juvate nos precibus: sed stultus est qui alieno merito solo salvari se putat. Heu miser! Quid clamas inopiam olei? Nullus valet amicus, quantumvis justus & sanctus supplere: si lampas oleo caret, nemo eam profundere potest, nisi solus Deus. Nullus autem mereri potest primam gratiam: unde sapienter mittuntur ad vendentes oleum, id est, pauperes, ut in morte eleemosynas & opera pietatis exerceant, quæ in vita facere neglexerunt, si forte respiciat Deus & oleum infundat. Sed dum hæc opera fero, non pietatis affectu, sed pœnarum timore fiunt, merito a Deo contemnuntur. Dum ergo vadunt emere, venit Sponsus, & animas oleo charitatis perfusas secum recipit: his vero quæ ad id tempus pietatis opera distulerunt, janua regni concluſa ab intus respondet: *Nescio vos.* Ecce parabolam: cujus aditum quadam veluti clave, ultima sententia reseravit Dominus *Ibidem.* dicens: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam:* hic enim parabolæ scopus, in quem a principio tota protenditur.

III. Sed altius ista pertractemus. Quis non condoleat, quis non misereatur virginibus istis licet fatuis & ignaris? Ecce totam vitam suam Sponso dicaverant, virginitatem suam ipsi consecraverant, adventum ejus utcumque expectaverant & expulsæ sunt. O severum Sponsum, o durum judicium, o asperum verbum: *Nescio vos!* Quid hoc Domine? Tuas ignoras virgines? Tuas nescis amatrices? Post tot labores, post tot vigilias, post tot sudores & diu frequentata servitia, modo miseris dicitur: *Nescio vos?* Quæ aures hoc poterunt verbum audire? Hæc sunt stipendia operum? hic fructus laborum? hæc subsidia meritorum? Expergiscimini, Fratres, arrigite aures, sentite quod dicitur. Non quinque virgines solum, sed plusquam quinque millia sunt, quibus hoc infortunium evenire solet. Ab ineunte ætate *usque in senectam & senium* in Sponsi domo, id est Ecclesia, Deo servire proponunt in laboribus, *Psal.* 70. in jejuniis, in vigiliis, in multa patientia *2. Cor.* 6. & solicitudine multa, ne Dominum offendant, ne mandata ejus prætereant, ne vel leviter ei displiceant. Sacramenta suscipiunt, missas audiunt, orationes frequentant, eleemosynas faciunt, lacrymas pro peccatis affluenter effundunt: & tamen non sumpserunt oleum secum, quia levi occasione libidinis, odii, invidiæ, cupiditatis, aut cujusvis alterius mortalis peccati oblata: in peccato perdurant, & in fine vitæ cum omnium istorum operum præmium sperare debuissent, extincta lampade, foris manent. Quanta miseria hæc, quantus dolor! O quomodo confunditur misera anima egrediens carnem, quæ se Angelicis choris & supremis ordinibus associandam sperabat; cum foris expulsa æternis ignibus deputatur! Quas voces, quos gemitus, quos ab imo pectore rugitus, ejulatus, emittit! Sed nihil post mortem sera pœnitentia prodest: janua clausa est. Custodiamus ergo, Fratres, animas nostras solicite, ne vel per horam labes nos mortalis inficiat, & expulsi foras perpetuo lamentemur. Grandis temeritas vel ad modicum tanto se committere discrimini. Non enim temporalis & momentanea, sed æterna & incommutabilis vita periculo exponitur. Audes o homo, gloriam & beatitudinem tuam exiguo confidere vitæ vapori, quo dissoluto ardeas in æternum? O audaciam temerariam, o insaniam temulentam! Infernus sub pedibus ardet, & jam jam hianti ore te devoraturus expectat: & tu in peccato securus & quietus dormitas? Unde tibi ista securitas maledicta?

IV. Gravissimum est, Fratres, periculum nostrum. Nolite dormire: vere ex omni parte parabola hæc terribilis est & plena timoris. Nam ecce istæ, quæ excluduntur, virgines erant, lampades habebant, Sponsum expectabant, & tamen propter solum olei defectum repulsæ sunt. Noli gloriari virgo in virginitate tua, quia si non habes oleum excluderis. Noli gloriari sapiens in lampade tua, quia si non habes oleum excluderis. Noli gloriari monache in religione tua, quia si non habes oleum excluderis. Si enim hæc tria simul sine oleo non sufficiunt, quanto magis neque horum per se quodque sufficiet? Quid autem si nihil horum habeat? Si virgo excluditur, admittetur lubricus? Si sapiens cum lampade rejicitur, admittetur stultus? Si religiosus Deo vacans repellitur, admittetur mundanus? *Nolite errare* *Galat.* 6. Fratres: *Deus non irridetur.* Vere *arcta via* *Matt.* 7. *est* & stricta janua, *quæ deducit ad vitam*, & pauciſſimi ingrediuntur per eam. Sponsus est qui loquitur ista, ipse qui a Deo vivo- *Act.* 10. rum & mortuorum constitutus est judex.

Quid

Quid tu gratis hallucinaris? Quid tibi o peccator de beatitudine falso blandiris? Virgo cum lampade expectans excluditur, & quæ neque virgo est, neque lampadem habet, neque Sponsum, expectat ad nuptias admittetur? Deciperis miser deciperis. Hoc Christi prædicat Euangelium: si tu aliud habes Euangelium, proferto. Hoc lex, secundum quam judicandus es, dicit. Quid tu, nescio quam tibi legem aliam machinaris? in Euan-
Matt. 21. gelio sic lego: *Malos male perdet. Omnis ar-*
Ibid. 3. *bor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Virgo sine oleo audit:
Ibid. 25. *Nescio vos;* Diviti edaci dicitur: *Recordare*
Luc. 16. *quia recepisti bona.* Qui ergo male agit, secundum Euangelium, peribit. Rursus etiam si non male agit; si bonum non agit, cum bonum agere tenetur, peribit. Item, si bona multa agat, si oleum charitatis in fine non habeat, peribit. Rursus qui bona recipit in vita sua, si illis aut male aut non bene utatur, juxta id quod tenetur, recipiet procul dubio postmodum mala. Hæc judicii forma futuri, hæc lex secundum quam judicandus est mundus. Vide ne te horum aliquid comprehendat, & pereas. Non tibi durus videatur Sponsus, quia virgines expe-
Psal. 65. ctantes excludit: quia etsi *terribilis est in consiliis super filios hominum;* tamen quia futuri formam judicii non occultat, misericors
(a) invenitur. Hæc Bernardus (*a*).

V. Sed jam oleum ipsum explicemus, cujus defectu virgines istæ repulsæ sunt. Hoc, ut diximus, charitas est, sine qua non modo virginitas, sed congeries multa virtutum,
*1.Cor.*13. teste Apostolo, Deo placita non est. De hoc
Ps. 108. Psalmographus: *Caro mea immutata est pro-*
Isaiæ 10. *pter oleum.* Et Isaias: *Computrescet jugum a facie olei.* Pretiosum balsamum quo vulnera carnis sanantur, dura peccati servitus tollitur, intelligentiæ lampas accenditur, & cœleste regnum expectantibus aperitur. An non tibi videtur hanc Domini parabolam expo-
*1.Cor.*13. suisse Apostolus cum dicebat: *Si linguis hominum loquar & Angelorum; & si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam: Et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas. Et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quid miraris, quia sine oleo virginitas excluſa est? cum neque fides, neque scientia, neque doctrina, neque prophetia, eleemosyna, neque martyrium ipsum sine hoc charitatis oleo grata Deo sint. Hæc est unctio
*1.Joan.*2. illa sancta, quæ docet nos de omnibus, & instruit nos in omni veritate: sine hoc oleo sapientiæ lampas durare non potest. Illo enim nutritur & fovetur. Grandis fatuitas existimantium diu lucere se posse sine oleo! Vere profunda mysteria solus penetrat un-
Dan. 2. ctus: spiritus enim est qui revelat mysteria & scrutatur secreta Dei. Nam & Apostoli,
1.Cor. 2. postquam oleo peruncti sunt, lampadibus suis orbem universum illustraverunt. Quid frustra miseri sine oleo lampades conamur accendere? Die noctuque sapientiæ vacamus, literis & libris indefesse incumbimus, & de pietatis oleo ultima cura est? O si tantam adhiberemus diligentiam oleo, sicut lampadi! Lucere volumus non ardere: luciferum imitantes, qui ab hoc ipso sortitus est nomen. Credite mihi divinæ sapientiæ amatores, si lucere vultis, ungimini prius: oleum enim voluntatis nutrit ac fovet lampadem intellectus. Nolite ergo negligere voluntatis lecythum qui sapientiæ vultis fovere caminum: oleum namque sine lampade prodesse potest, lampas vero sine oleo nequaquam. Proh dolor! In lampadibus accendendis vitam consumimus, & in fine velut steriles a perpetua vita rejicimur. Surgunt indocti & rapiunt cœlum, & nos cum nostris scientiis demergimur in infernum. Similes sumus venatori illi, cui frater simplex domi residens *Gen.* 27. furatus est benedictionem: cœlos, terrasque intellectu lustramus, pervigili cura capiendis volucribus, id est, arduis veritatibus inhiamus: &, ut Augustinus (*b*) ait, prævo- (*b*)
lat intellectus, & sequitur tardus vel nullus affectus. Dum igitur in hoc venandæ veritatis studio vitam expendimus; vetula *Luc.* 21. simplex & devota ad regnum cœlorum admittitur, & nos cum nostra scientia miseri foras excludimur. Gratior enim Deo est devota simplicitas & pia, quam diserta sine pietatis oleo philosophia.

VI. Sed unde nobis hoc oleum comparabimus? Ite, inquiunt, ad vendentes, & emite vobis: non gratis & sine pretio possidetur unctio sacra, etsi gratis donetur, multo pretio hæc olei gratia comparatur. Mira res! si gratia, quomodo emitur? si emitur, *Rom.* 11. quomodo gratia? Quod enim ematur non solum ex hoc virginum prudentum consilio, sed etiam ex alio Scripturæ loco colligitur, ubi cuidam Episcopo dicitur: *Suadeo tibi* *Apoc.* 3. *emere a me aurum ignitum.* Idipsum est oleum quia ungit, aurum quia fulget, ignitum quia ardet, suprema quoque omnium gratiarum. Hæc est Apostolo teste, quæ non merito nostro acquiritur, sed per Spiritum sanctum gratis infunditur: unde ait: *Charitas Dei* *Rom.* 5. *diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Emitur ergo & gratis donatur. Sed quomodo hoc? Nimirum utique, quia non justo, sed exiguo pretio emitur, veluti si quis obolo amphoram bal-

(*a*) De Conversione ad Clericos cap. 10. num. 21. *Plane terribilis Deus in consiliis super filios hominum! Sed si terribilis est, etiam misericors invenitur, dum futuri formam judicii non occultat.*

(*b*) In Psal. 118. Serm. 8. num. 4. in fin. *Sæpe enim quid agendum sit videmus, nec agimus, quia non delectat ut agamus, & cupimus ut delectet. Prævolat intellectus; & tarde sequitur, & aliquando non sequitur humanus, atque infirmus affectus.*

balsami emat, pretium dat, sed non est pretium. Ita in proposito multis lacrymis, multis suspiriis, multis orationibus, supplicationibus & eleemosynis hoc oleum spiritus emendum est; diu laborandum & sudandum, ut tantum bonum obtinere possimus. Sed quid sunt hæc ad tantum donum? Vere,
Cant. 8. *si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Nullam ergo habet pretii aut meriti rationem ex se, quicquid agimus, quicquid damus: sed quia aliud non habemus, pius Dominus acceptat in pretium, quod non est pretium,
Marc. 14. quia sicut scriptum est: *Quod habuit hæc, fecit.* Vult namque Dominus sua munera non
Matt. 7. contemni. Non mittit margaritas suas porcis conculcantibus eas, sed desiderantibus, cupientibus, flagitantibus; gratis eas donat, non quia obligatus, sed quia rogatus. Hic maximus mundanarum mentium error est, quod quasi pro nihilo dona Dei possidere volunt: sacræ unctionis gratiam valde affectant, sed eam minime sibi procurant; voluptatis cœno superinfundi spiritus oleum postulant; sed non effundetur oleum, nisi prius expulsis sordibus. Mira stoliditas! lampades suas implent aqua. Quo infundetur oleum, aut quomodo ardebit lampas sine oleo? Ecce hi qui diebus ac noctibus in hoc oleo comparando desudant, post assiduos labores & continuos conatus, modicam ejus stillam vix obtinent, & isti negligentes & desides, inter sæculi delicias oleo spiritus abundabunt? Credite mihi, Fratres, hoc oleo non ungitur lubricus, non invidus, non cupidus, non arrogans & superbus; sed si quis justus & timoratus conscientiæ suæ lampadem evacuaverit fœtido voluptatis cœno, & sedulo egerit, misericordia Dei implebitur charitatis oleo.

VII. Emendum est igitur. Sed a quibus? Ab his utique qui eo abundant. Et quis
Psal. 44. abundat charismate, nisi Christus? *Propterea*, inquit, *unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Hic est qui a Deo oleariam obtinuit apothecam, & præpositus olei a Deo constitutus est. Si quis eget, vadat ad eum, & emat oleum, non vadat ad solas lampades hominum: nam di-
Matt. 25. cetur ei: *Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.*
Ephes. 4. Quilibet enim ad sufficientiam accepit gratiam, Christus ad redundantiam. Solus ille non potest hujus olei timere defectum, cui
Joan. 3. non est datus spiritus ad mensuram. Aliorum quilibet quantumvis bonus & sanctus, dum in vita mortali degit, non ita plenus & securus est, ut non timeat, ne forte sibi & aliis non sufficiat. Quis Paulo major? quis doctior? quis sanctior? Et tamen quid de seipso sentiat, audite. *Castigo*, inquit, *cor-*
1. *Cor.* 9. *pus meum & in servitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Tremendum verbum: postquam vas electionis a Christo electus es, postquam Gentium Apostolus & Doctor a Christo constitutus es, post totum fere mundum tua prædicatione ad fidem conversum, post raptum in ter- 2. *Cor.* 12.
tium cœlum & deambulatum Dei paradisum, nunc o Paule ais: *Ne forte?* Et quis ita tutus erit, ut non dicat tecum: *Ne forte?* Virgines prudentes oleum non commodant fatuis, quia prudentes sunt, sed ad illum remittunt, cujus lampas mensuram non accepit, ac proinde timere non potest defectum. Quis ergo prudens dum vivit, olei penuriam non timebit? Numquam enim istarum virginum prudentiam Dominus commendasset, nisi in custodiendo oleo suo prudenter egissent.

VIII. Videant qui alienis commodis ultra modum incumbunt, qui suas non timent lampades minuere, ut alienis infundant. Discant ab his virginibus sibi prius providere, quam aliis. *Quid enim prodest homini* *Matt.* 16.
si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Olei detrimentum in lampade conscientiæ, neque pro toto universo sustinendum est. Videas plurimos indiscreto charitatis zelo fervidos, animarum ægritudinibus curandis ardentissime operam dare, cum ipsi magis ægrotent. Videas monachos claustro relicto in media civitate vagantes, aliorum negotiis libenter implicari, alios pauperibus alendis, alios viduis visitandis, alios populis erudiendis, alios amicitiis reconciliandis, non sine gravissimo lampadis propriæ detrimento indiscrete incumbere, suamque dispersionem charitatis velo palliare. Non est hæc charitas, sed grandis stoliditas, propriæ vocationis terminos transgredi, propriam lampadem extinguere, ut alienas accendant; seipsos damnationi exponere, ut alios salvos faciant. Perfectorum est munus, & quorum probata est virtus, intendere aliis: qui sibi jam sufficit, ille aliorum inopiam suppleat; qui sibi superabundat, ille accommodet oleum, qui sibi non timet defectum: qui autem timet, si accedat mandatum Prælati, ut aliis copiam faciat, confidenter obediat. Sunt enim qui erogando magis abundant, nam & viduæ illius Sareptanæ, quia olei modicum quod 3. *Reg.* 17.
habuit, Prophetæ dedit, lecythus de cætero *Lucæ* 4.
non est imminutus; charitas enim dum dispergitur, magis augetur. Solicite ergo prudens anima inspiciat, ut sic aliorum inopiam suppleat, ut suam lampadem mutuando non minuat. Duo enim ex his virginibus documenta suscepimus: primum ne alieno soli merito confidamus, exemplo fatuarum: secundum, ne alieno commodo cum nostro damno provideamus, exemplo prudentum.

IX. Non est igitur hujus olei gratia contemnenda, unde tot nobis profluunt bona. Uxor illa Prophetæ apud Elisæum cum gran- 4. *Reg.* 4.
di debito astringeretur, & quid creditori redderet non haberet, a viro Dei interrogata, quid domi haberet: *Non habeo*, inquit, *Ancilla tua quidquam in domo mea, nisi*

nisi parum olei, quo ungar. Vacua vasa infundere jussa est, & oleo multiplicato debitum creditori persolvit, & ipsa cum filiis de reliquo vitam sustinuit. Credite mihi, Fratres, valde multum habet, qui olei modicum apud se habet, si quid pietatis, si quid devotionis, si quid spiritus in mentis lecytho est, confidat hujusmodi anima, habet enim unde creditori Deo peccatorum suorum debita reddat, & in multa opulentia de reliquo ipsa vivat, infundat in vasa: ne timeat, nam effundendo, oleum multiplicabitur, & solvetur omne debitum. Peccatrix *Lucæ 7.* illa femina apud Euangelium pedes Domini unxit unguento, & soluta est a toto debito. Unde soluta? Utique propter oleum. Quod oleum? Dimissa sunt, inquit, ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ecce oleum, ecce unguentum, ecce balsamum, quo peccatorum ulcera cuncta sanantur, quo omnis macula cordis abstergitur, quo miseræ servitutis jugum aufertur. Væ menti sterili, væ arido peccatori, cujus *vulnus, & livor* *Isaiæ 1.* *& plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo*. Itaque quamvis grande nimis sit debitorum pondus, fiducia tamen non amittitur, ubi olei devotionis & amoris vel modicum invenitur. Omnium enim virtutum & charismatum hæc unctio mater est: ab hoc fonte omnis animæ viror scaturit: ipsa mentem illuminat, affectum inflammat spiritum exhilarat, animum roborat, ipsa æternorum desiderium, & temporalium contemptum parit, ipsa ad tolerandas pro Deo passiones, & subeundos labores, cor agilitat & forti- *Ps. 118.* ficat: ipsa ad mandatorum Dei percurren- *Psal. 17.* dam viam, pedes nostros quasi cervorum perficit & mobilitat. Nihil hac spiritus unctione dulcius, nihil suavius, nihil fortius.

X. Hæc, Virginem Dorotheam, unam ex prudentibus, fecit non pavere furentis judicis minas, & sævientis tortoris non formidare pœnas. Ad tormentum quasi ad convivium Virgo prudentissima gaudens & læta ferebatur; abundabat oleo lampas ejus, ideoque vacuas sororum lampades infudit, & eas secum ad Sponsi thalamum introduxit. Felix Virgo, quam sic adamavit Sponsus, ut non solum ipsa cum illo intraret, sed & secum alias intromitteret. Et vos quoque prudentes virgines lampades vestras aptate, & cum ea festinanter introite. Sequimini matrem prudentes filiæ, ducem vestram nolite relinquere. Vere prudentes quæ sæculum pro Domino reliquistis, quæ momentaneum gaudium pro æterno commutastis, quæ durissimam conjugii servitutem & importabile jugum viriliter abjecistis, & in libertate spiritus vitam agentes, noluistis fieri mortalis hominis ancillæ. Ut Christi Domini effetis libertæ, servitium durissimum in regni gloriam permutastis. Utinam, utinam vobis plene innotescat, & quid reliquistis, & quid accepistis, ut pro tanto munere inæstimabiles Deo gratias agatis, qui de potestate tene- *Coloss. 1.* brarum vos eripuit, & in regnum Filii dilectionis suæ vos transtulit! Aptate ergo lampades vestras: hæc enim vobis sola & potissima cura, hoc vitæ vestræ unicum officium, hoc munus: in hoc opus vitam destinatis, in hoc positæ estis. Nulla vos alendorum filiorum cura, nulla rei familiaris ratio, nulla placendi marito solicitudo perturbat; non vos partus anxietas vexat, non temporalium rerum cura solicitat, non famulantium ancillarum turba molestat. Quid ergo respondebitis in judicio, si lampades vestræ repertæ fuerint sine oleo? aut quam hujus indigentiæ afferre excusationem poteritis? Sit ergo in lampade ignis amoris, oleum devotionis, lux sapientiæ, splendor bonæ famæ. Hæc enim optima lampadis præparatio est. Mementote autem quoniam habetis thesaurum istum in vasis fictilibus, & *2. Cor. 4.* diligenter cavete, ne per incuriam lampas frangatur, & sacrum oleum effundatur. Observate etiam circumvolitantes noctuas, ne lampadarum vestrarum & sorbeant oleum, & lumen extinguant. Nolite dormire quia Sponsus tardat: non enim tardat, sed properat & accelerat. *Ecce*, inquit, *venio cito:* *Apoc. 22.* *reddere unicuique secundum opera sua*. Vere cito, quia omne quod finitur, breve est. *Adesse festinant tempora*, & festina mors ve- *Deut. 32.* lo & remigio accelerat quantum potest. O deplorandam mortalium cæcitatem, quæ longum putat omne quod displicet! Ecce Sponsus venit, credite mihi, jam jam prope in foribus est. *Exite obviam ei:* nolite expectare eum in domo, sed obviam ei occurrite, *Matt. 24.* & cum gaudio & tympanis suscipite eum. Ut quid misera anima corporis hujus tabernaculum egredi pertimescis? Sponsus venit, & hæres? Vocat te, & exire recusas? Egredere, egredere, & occurre ei cum gaudio, libens ac volens domum istam luteam & ruinosam defere, ut domum illam cœlestem non *Job 4.* manu factam perpetuam inhabites, & in *2. Cor. 5.* Sponsi tui thalamo cum sodalibus ejus perennibus deliciis perfruaris: quas nobis præstare dignetur pius & dulcis Sponsus, cui cum Patre, & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN

IN FESTO S. DOROTHEÆ VIRGINIS ET MARTYRIS

CONCIO SECUNDA.

De Vita Spirituali.

Mulier innupta, & Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu.
1. Cor. 7. v. 34.

(a) Concio clxxxv.

I. TRiplicem vitam Bernardus (a) statuit in libro de vita solitaria: animalem, rationalem, spiritualem; secundum illa tria quæ in homine reperimus, sensum vel carnem, & rationem, & spiritum. Hominum enim quidam sequuntur sensum, quidam rationem, quidam spiritum: &, (b) sicut Poeta (b) ait: Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. Hanc triplicem hominum differentiam, ni fallor, Psalmographus in- *Psal.35.* nuit, cum ait: *Homines & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Animales, vocavit jumenta: rationales, homines; spirituales autem, filios hominum: quia etsi ex hominibus, jam non homines, sed majus aliquid dicendi sunt. Vita animalis illorum est, qui sola sensus passione reguntur, qui desi- *Psal. 72.* deria carnis appetitusque perficiunt, & *transierunt* jam *in affectum cordis*. Quorum omne studium est comedere, bibere, saginari, lascivire, dormire, gaudere. Nihil habent humanum, præter figuram & loquelam: in cæteris omnibus, velut bruta sunt; qui in vanum rationalem animam suscepisse videntur, quoniam solo sensu vivunt. In his ratio sepulta, spiritus vero neque cognitus quidem; totum suum dominium amiserunt, quoniam ad reprimendos & corrigendos passionum impetus, ratio nullam vim, potestatemque retinuit. Hi navi absque gubernaculo persimiles sunt: quæ omni vento in cautes, syrtesque colliditur. O miseram servitutem & vilissimam abjectionem! Etsi nullam suorum operum rationem hujusmodi reddituri essent, etsi nullum esset judicium aut gehennæ incendium; ad omnem confusionem & pudorem sufficere debuerat, tam vilis & abjecta conditio. Hi inter jumenta homines, & inter homines jumenta sunt. *Joel 1.* De quibus Propheta: *Computruerunt jumenta* *Psal. 31.* *in stercore suo*. Et iterum: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*. Tutius cum viperis & draconibus commorabitur quispiam, quam cum istis. Si enim exarserit iracundia, si furor excanduerit: amici viscera gladio perforabunt. Si livor aut libido invaserit; omnia mala, omnia turpia, omnia flagitia perpetrabunt. Quis sustineat habitare cum homine, qui contempto rationis arbitrio, solo passionis impetu agitur, sola sensus libidine regitur: aut cui periculo expositus non est, qui tali amicitia perfruitur? Maxime, si hujusmodi divites & potentes sint, quos quasi elephantes a longe tractandos censeo, ne sæva proboscide fragiliores involvant, & ponderosa mole suæ potestatis premant. Pudeat, pudeat, sic ab homine degeneravisse viros, & rationis virtutem amisisse: pudeat, sine moderamine, & *Psal.48.* jumentis insipientibus similem vitam agere.

(c)

II. Quam pulchre Seneca Philosophus (c)! Major, inquit, sum & ad majora natus, quam ut sensuum meorum mancipium existam. De his in libro Sapientiæ: *Dixerunt* *Sap. 2.* impii *cogitantes apud se non recte; Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus, &c. Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter: Vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors* nostra. Hoc itaque pravo & stulto consilio vitam agentes ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Job 21.* Vita rationalis est eorum, qui secundum rationem vivunt: qui licet passiones & appetitus carnis sustineant, tamen dominantur eorum, sicut scriptum est: *Sub te erit appe-* *Gen. 4.* *titus ejus, & tu dominaberis illius*. Hi, honoribus, facultatibus & deliciis utuntur, sed modeste & temperate, prout oportet, & quando oportet. Vivunt sicut homines in omnibus operibus suis a ratione directi. Hujusmodi multa habuerunt antiqui Philosophi, virtutum, licet non omnium, studiosi. Tales etiam sunt hodie boni Christiani sæculares Euangelicæ militiæ sectatores. His Apostolus: *Humanum*, inquit, *dico, propter infirmi-* *Rom. 6.* *tatem carnis vestræ; sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Ac si dicat: Non ardua & spiritualia vobis injungo, sed humanam & rationalem vobis doctrinam propono: ut sicut fuistis hactenus vitiorum mancipia, ita de cætero justitiæ cultores sitis. Spirituales autem dicimus eos, qui non tam humana ratione, quam divino spiritu diriguntur. De quibus Apostolus: *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii* *Ibid. 8.* *Dei*. Et iterum: *Quod si spiritu ducimini,* *Gal. 5.*

non

(a) Seu potius Guigo Majoris Cartusiæ Prior in Epist., seu tractatu ad Fratres de monte Dei cap. 5. Extat vol. 3. operum S. Bernardi: in editione autem Veneta, Guigoni pluribus momentis vendicatur hæc Epistola ab eo, qui novam editionem curavit.

(b) Persius Satyra V. ante medium.

(c) Epist. 65. in edit. Venet. an. 1658. *Major sum, ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis.*

non estis sub lege. Qui continuo studio, solerti industria, & assidua exercitatione virtutum, adjuvante Dei gratia, non solum carnis passiones & appetitus effrænes domuerunt; sed eos penitus a se eliminaverunt, & extinxerunt: in carne quasi extra carnem viventes, & in mortali corpore Angelicam
Philip.3. vitam degentes, quorum conversatio in cœlis est. Mira gratiæ exercitationisque potestas, quæ homines humanam fragilitatem exuere, & super humanam sortem & conditionem facit ascendere!

III. In Genesi legimus: aves & pisces eo-
Gen.1. dem elemento, id est, aqua fuisse formatos; sed pisces in genitali elemento permanserunt, aves autem in aera, supra suam originem volaverunt. Omnino ita est in proposito: una est omnium hominum genitalis conditio eademque natura, sed valde differens vita. Quidam suam naturalem conditionem sectantes, quæ ad malum prona est ab adolescen-
Ibid.8. tia sua: in sæculo vagantes, delicias carnis sequuntur: velut *pisces maris, qui perambu-*
Psal.8. *lant semitas maris*. Alii autem supra suam conditionem volantes, ad æterna & cœlestia rapiuntur, longe amplius a prioribus distantes, quam a piscibus maris volucres cœli differunt. Qui, etsi homines sunt natura: vita tamen non homines, sed Angeli sunt. Unde Apostolus hujusmodi spiritualibus, probro, hominis vocabulum objicit, dicens: Cum sit inter vos
1.Cor.3. zelus & contentio: nonne homines estis? Insignis profecto virtus, & præclarum facinus, suam excessisse naturam, & proprio studio atque industria in melius se transmutasse. Quanta est illorum libertas, quanta felicitas! Non solum enim a totius peccati servitute, sed etiam ab omni passionis molestia liberi sunt, quibus intolerabile jugum & onus importabile videtur, priores subire passiones, & ad relictas carnis concupiscentias redire: quia vere, *ubi spiritus Domini, ibi* plena *li-*
2.Cor.3. *bertas* est. Hi omnibus solatiis & gaudiis sensibilibus abdicatis, in solo intellectu & affectu, omnes suas divitias & delicias col-
Ps.149. locarunt, sicut scriptum est: *Lætabuntur in cubilibus suis*. Invenerunt enim intra se reconditos quosdam thesauros & pretiosas margaritas, quas mundus ignorat: pro quibus
Matt.13. juxta Euangelicam parabolam libenter omnia sua dederunt, ut compararent eas. Neque enim dubium est, ampliores & meliores esse divitias in spiritu, quam in carne; majora & potiora esse solatia in intellectu, quam in sensu. Sed *animalis homo, non per-*
1.Cor.2. *cipit ea quæ sunt spiritus Dei*; ideo totus sensibilibus occupatur. Felix qui tales in se divitiarum venas invenit, cui ad jucundam & felicem vitam, nullo exteriori opus est,
2.Cor.9. sed in similitudinem Dei omnem intra se sufficientiam habet, quia in corde suo Deum possidet. Qui hujusmodi, non necesse habent persuaderi ratione, aut consilio impelli ad

A omne bonum: quia in illud affectu & voluntate propensi sunt. Multo enim amplius isti in spiritualibus, quam carnales in sensibilibus oblectantur; & proniores sunt ad virtutem, quam animales sint ad libidinem. Longo enim virtutis usu, & Dei adjutorio, hi quoque transierunt in affectum cordis, & *Psal.72.*
jam ad omne bonum perficiendum, non tam ratione, quam affectu aguntur. Nam sicut mater filio suo unigenito in periculo constituto, non ex rationis discursu, sed ex amoris impulsu succurrit; ita in his, spiritualis affectio, rationis consultationem non
B expectat. Gravissimum enim eis esset a quiete spiritus & contemplatione divelli, in qua supra modum quiescunt & oblectantur. Imo, nihil magis timent, quam ne illam aliquando amittant. Talis erat qui dicebat: *Quam* *Ps.118.*
dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! Desiderabilia super aurum & lapi- *Psal.18.*
dem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum. Et iterum: *Lætabor ego super elo-* *Ps.118.*
quia tua, sicut qui invenit spolia multa.

IV. Hujusmodi spirituales animæ, desig-
natæ sunt per illas rotas Ezechielis, quæ, *Ezech.1.*
ubi erat impetus spiritus illuc rapiebantur; *& 11.*
C sequentes illum: quas vocavit volubiles; quia, sicut Hieronymus (*a*) ait, animæ Sanctorum rotæ sunt mobiles & agiles ad omne (*a*)
bonum: quæ, quoniam nihil gravedinis peccatorum habent, modico flatu spiritus celeriter volvuntur. Unctæ enim sunt oleo devotionis sancto: & ideo ad omnem virtutis motum faciles & mobiles sunt. *Non sic* *Psal.1.*
impii, non sic; sed velut rota gravissima, quæ nimio aquarum impetu vix volvitur præ gravedine. Unde Psalmus: Domine *pone illos* *Psal.82.*
ut rotam, quæ tamen rota, si spiritus unctione ungatur, agilis reddetur ad virtu-
D tem. Hinc in religione videmus, nonnullis gravissima fieri quæ aliis levissima & suavia sunt. Et vere, animæ devotæ, nihil est in religione difficile. Quale autem sit horum spiritualium exercitium, qualis vita, Psalmographus optime in sua persona describit, dicens: *Renuit consolari anima mea,* *Psal.76.*
memor fui Dei, & delectatus sum, & defecit spiritus meus. Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus. Cogitavi dies antiquos & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.
E Quam mirifice, quam pulchre omnem spiritualium vitam, mores, officium, & statum in semetipso expressit! Renuit in sensibilibus consolari, qui deliciis spiritualibus abundabat; non in creaturæ usu, sed in Dei memoria omnis consolatio ejus. Defecit spiritus ejus: quia Dei spiritu plenus erat; omnis livor, omnis superbia, omnis ambitio, omnis concupiscentia, omnis cupiditas & libido, omnis affectus & passio sensualis defecit & siccata est: quia spiritus Domini in- *Sap.15.*
suf-

(*a*) Vide Breviar. in Psalter. in Psal. 76. ad ea verba: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*. Tom. 2. part. 2. edit. P. Martianæi.

sufflavit in ea. Omnis appetitus carnalis evanuit, cum spiritus devotionis incaluit. *Et exercitatus sum*. Sed quibus exercitiis? *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, scilicet, in Dei mei laudibus excubando. *Turbatus sum*, a confusione peccatorum, scilicet, & præ confusione nimia *non sum locutus*. *Cogitavi dies antiquos*, id est, totam vitam meam ab initio revolvi, longam operum meorum, & totius vitæ peractæ historiam texens. Quæ a Deo accepi, quæ illi reddidi: gratias ejus & malitias meas assidue animo commemorans. Gratissima profecto cordi meo & delectabilis exercitatio. Sed & *annos æternos in mente habui*. Præmium illud æternum, & perpetuam gloriam oculis meis objiciens: *Ps.* 118. ut sic inclinarem cor meum ad faciendas justificationes ejus, proposita retributione, a qua neque ad momentum quidem, quoad poteram, mentis meæ obtutum deflexi. In his & similibus meditationibus exercitabar. *Et meditatus sum*, maxime *nocte cum corde meo*, quando a regni negotiis & aliis operi- *Psal.* 41. bus pietatis vacare licebat. Nam: *In die mandavit Dominus misericordiam suam*, & *nocte canticum ejus*. Sed super hæc omnia, mihi maxima & præcipua cura fuit, ut ab omni peccati contagio, ab omni fæce libidinis, & ab omni pulvere terrenæ cupiditatis me custodirem. *Scopebam spiritum meum:* scopis pœnitentiæ purificans, & unda lacrymarum assidue rigans illum, ut gratum Deo meo in illo, & mundum habitaculum præpararem. Hoc officium, hoc exercitium meum, hic vitæ modus, in hoc exercitabar, in hoc delectabar, in hoc tempora mea, & dies meos, vitam meam, & annos meos expendebam.

V. Descripsimus vobis Virgines Christi, hominum status varios; animalem, rationalem, spiritualem, sub quibus militat omnis vita mortalium. Vidistis certe quanta sit hominum ab invicem distantia, quo perfectionis intervallo homo ab homine distet. (*a*) Quam merito Parasitus ille comicus (*a*) exclamavit: Dii immortales, homini homo quid præstat? stulto intelligens quid intereat? In simplici & univoca natura major quodammodo videtur hominum differentia, quam jumentorum. Est enim homo animalis, prope nihil distans a bruto: est homo spiritualis simillimus Angelo. In una, inquam, eademque natura humana, bestiam, dæmonem, homines, Angelum, si varias hominum conditiones attenderis, invenies. Neque solum hoc; sed etiam varia genera bestiarum: hominem leonem, hominem vulpem, hominem simium, hominem elephantem, hominem porcum, viperas, serpentes, basiliscos, humana effigie figuratos ubique reperies. More namque camaleontis, prout vult, configuratur homo; in uno temporis momento ascendens usque ad Angelum, & in alio descendens usque ad brutum. Crea- *Eccli.* 15. vit enim Deus hominem liberum, & reliquit eum in manu consilii sui, ut esset quidquid vellet, liberam ei tribuens facultatem ascendendi & descendendi quantum vellet. Propter quod in prima rerum conditione, cum singula quæ fecerat, sigillatim approbasset: sicut de quolibet scriptum est: Vidit Deus quod esset bonum; solum hominem sine laude reliquit, expectans, quis postmodum arbitrio suo futurus esset. Noluit quippe approbare bonum quod facile mutari poterat, sicut & cito mutatum est. Arbor enim servavit quod creata est, & homo delevit quod erectus est. Ad hominum quippe excellentiam spectat, ut sit propria electione quod velit: non mutando naturam, sed affectiones arbitrio variando. Nos autem qui spiritualem vitam professi sumus, qua solicitudine, qua vigilantia curare debemus, ut simus quod promisimus, ut ad destinatam morum pulchritudinem pertingamus! Neque enim aliud in monasterio agimus: ab omnibus curis & negotiis sejuncti sumus, nulla filiorum, nulla domesticorum, nulla rei familiaris solicitudo nos premit. Non serimus, neque metimus, non militamus, neque fabrefacimus: ab omni officio & negotio liberi sumus, ut solis nobis vacemus. De alieno labore & industria nobis domus, victus, vestitus, & alia vitæ necessaria præstantur. Nullus turbat, nullus molestat, nullus inquietat; neque pro his omnibus aliud exigitur a nobis, nisi ut meliores simus. O pulcherrimam sortem & egregiam conditionem! Ut cordis nostri hæreditatem excolamus, mercedes accipimus; & ut in proprio agro laboremus, nobis stipendia donantur. Quid dicturi sumus in judicio? Quam excusationem habebimus, si carnales & rudes inventi fuerimus? Poterit aliquo modo sæculares virgines occupatio excusare: nobis autem quid reliquum est, *Matt.* 22. nisi, sicut nequam illi homini Euangelico, obmutescere?

Gen. 1.

VI. Ad hanc vero vitam spiritualem, de qua diximus, & promerendam & obtinendam, nihil magis homines juvat, quam pudicitia: ob id enim præcipue Apostolus vir- *1. Cor.* 7. ginitatem hominibus persuadere conatur, ut sic melius spiritui & contemplationi vacetur; sciens, quia sine pudicitia frustra quis conabitur ad sapientiam: quia non intrabit *Sap.* 1. in animam malevolam neque habitabit in corpore subdito peccatis. Quis enim consensus spiritui Dei cum libidine? Aut quæ convenientia sapientiæ ad illecebram? Sancta virginitas ad contuenda cœlestia oculum mundat, intellectum clarificat, mentem elevat, affectionem purificat, & ad omnem spiritualium donorum influentiam animam habilitat. Non immittet Deus pretiosissimum purissimumque spiritus sui liquorem in vas inquinatum. Atras nubes radius solaris non penetrat: inter densissimas nebulas, solis claritas non renitet; virginitas argento splendidior, crystallo clarior, vitre purior,

(*a*) Id est, Gnato apud Terentium in Eunucho, Act. 2. Scen. 2.

purior, vas mundum divinis impreſſionibus aptum; grata Deo, Angelis chara, hominibus ſpectabilis: hanc Deus inhabitat, hanc diligit, hanc illuminat. Quid enim aliud virgines ſanctas, niſi Dei ſecretarias dixerim? His ſua Deus pandit arcana, his ſecreta ſui cordis communicat, his abſcondita myſteria revelat; has viſitant Angeli, has perficiunt, has exornant theſauris cœleſtibus, pulcherrimas eis murenulas & præclara donaria deferentes, variiſque eas muneribus decorantes. Vere: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Quid enim proderit inſpiciendis cœleſtibus oculum intendere, ſi ſanguine rubet, aut ſi pulvere plenus eſt? O anima, purifica oculum, & videbis; abjice ſordes, & omnia proſpicies. Acies polluta lucem puram videre non poteſt, & ſentina carnis obſcœna, atram nebulam ſemper exhalat, quæ placidum veritatis lumen occultat.

Cant. 1. *Matt.* 5.

VII. Eſt quoque aliud, unde virginitas valde adjuvat ad ſpiritum; quia ab omni negotio libera eſt. *Mulier* namque *innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu:* ut placeat ei cui ſe probavit. *Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro, & diviſa eſt*. Non vacat ei guſtare cœleſtia, quoniam temporalibus curis implicata eſt. Duplici itaque impedimento tenetur, ne in ſpiritu proficiat: occupatione ſcilicet & libidine. Libido mentis aciem obnubilat, occupatio debilitat: quoniam pluribus intenta, ac diſtracta mens, ad ſingula debilitata eſt. Quod ſi ad ſingula; quanto magis ad contraria? Gratias Deo agamus, qui nos vocavit in partem ſortis Sanctorum, & a tantis periculis & ſolicitudinibus ſegregavit, ut exhibeamus ei corda & corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, placentem & rationabilem; & quæ placita ſunt coram eo, toto deſiderio faciamus. Grandis nobis retributio & eximia merces propoſita eſt, ſi quæ bene cœpimus firmiter compleverimus. Non enim qui cœperit, ſed *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Confido in Domino Jeſu, qui cœpit in vobis bonum opus, ipſe perficiet; ſed opus veſtrum volo interim agnoſcatis. Virgo devota api quam ſimillima eſſe debet, quæ longe a ſuo apiario volans pulchros undique flores legit, ex quibus intra alveum concluſa mellificat. Sic vos Spiritus ſancti flatu in cœleſtia raptæ, placidos e paradiſo, ſanctarum cogitationum & meditationum flores colligite, unde dulciſſimos & mellifluos intra viſcera deſideriorum favos conficiatis. Spiritus enim Domini ſuper mel dulcis, & hæreditas ejus ſuper mel & favum. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Quos etiam in abſcondito vultus tui a conturbatione hominum, & a contradictione linguarum abſcondere dignatus es. Apis quæ ſemper foras vagatur, numquam mellificat. Monialis, quæ curis ſæcularibus implicatur, ſpiritus ſuavitatem ignorat. Quam bene ſibi conſonat apis & virgo! Apis non coitus libidine, ſed ſolis calore generatur: pudiciſſima eſt, omnem labem ignorat, dulciſſimos fructus facit. Unde enim dulcedo, niſi a puritate confici debuit? Qualis artifex, tale opus.

1. *Cor.* 7. *Col.* 1. *Rom.* 12. *Matt.* 10. *Philip.* 1. *Eccli.* 24. *Pſal.* 30. *Ibidem.*

VIII. Materia quoque non diſſonat. Flore enim quid pulchrius? quid purius? Quid ſuavius rore? Quam eximiam analogiam hæc omnia continent, ſi ad ſpiritum ſuo ordine transferantur! Apis, Deo dicata virgo; flos, cœleſtis meditatio; favus, ſpiritualis dulcedo; ros, ille eſt, de quo Iſaias: *Ros lucis, ros tuus;* alveus, aut virgineum pectus, aut religionis clauſtrum, in quo velut examina apum virginum chori in pace & ſilentio mellificant ſub magiſtra. Volate ergo Virgines Dei aſſidue in florigerum paradiſum, atque inde placidos flores vobis colligite, ut mellifluos ſpiritus conficiatis favos. Hoc opus veſtrum, hoc officium, in hoc poſitæ eſtis in monaſterio, explorare *terram lacte & melle manantem*, uberrimoſque inde populo Dei fructus deferre. Noſtis figuram, ut opinor. Olim cum famulus Dei Moyſes populum Iſrael in terram promiſſam introduceret, ex præcepto Domini, duodecim exploratores miſſi ſunt, qui terram illam explorarent, & populo referrent omnia quæ vidiſſent. Qui omnes præter duos Joſue & Caleb, terræ quam viderant, detraxerunt, dicentes: *Terram quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos: populus quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt; vidimus ibi monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur*. Quibus verbis populum exterruerunt, & grandis in eo mœſtitia & murmuratio excitata eſt, propter quam proſtratus eſt in deſerto. Viri quoque illi, qui terræ pulcherrimæ & fructiferæ nequiter & mendaciter detraxerant, in reatus ſui pœnam percuſſi a Deo, ſubito extincti ſunt.

Iſaiæ 26. *Deut.* 6. *Num.* 13.

IX. Ad vos Virgines, & ad nos pertinet hæc parabola. Exploratores conſtituti ſumus in populo Dei electo, populo peregrino, in manu potenti & ſanguine Agni immaculati, de Ægypti tenebris, & Pharaonis ſervitute liberato. Hic per hujus ſæculi ſqualentem eremum in patriam ſuam properat, & audire geſtiens in deſerto bona, quæ in ea ſunt, exploratores deſtinat, religioſos & perfectos viros, qui eam penetrent, & de illa ſibi nuntient. O egregium exploratorem Paulum! qui cum Dei paradiſum & ejus delicias beatis oculis perluſtraſſet; hoc ſolum exulanti populo dicere potuit: quod bona illius ineffabilia ſunt. Luſtravit quoque eam Joannes aquila potens, & quæ viderat, prout potuit, myſticis ſermonibus & typis populo Dei deſcripſit. Nonnulli etiam ex Sanctis, etſi non tam aperte viderunt, jucunda & præclara de illa nobis retulerunt. Unde

2. *Cor.* 12. *Apoc.* 21.

Pſal. 86. de Pſalmus: *Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei*. Sed heu, heu! Exploratorum hodie maxima pars populum Dei ab ingreſſu vitæ deterruit. Videas hodie Monachorum plurimos mœſto vultu, pallida facie, terræ deſiderabili detrahentes. Religio, inquiunt, devorat hæc habitatores ſuos, vita hæc aſpera & arida & ſine fructu eſt: non eſt qui eam portare poſſit. Sunt ibi monſtra gigantea, labores intolerabiles, jugis obedientia, vigiliæ longæ, clauſura perpetua, tenuis victus, chorus continuus, rigor aſſiduus, fatigatio multa, conſolatio nulla, interminabilis mœſtitia. Nolite intrare, nolite probare labores: iſti ſuper vires hominum ſunt, non poteritis ad eos; non lacte & melle, ſed abſinthio & felle manantem religionem experti ſumus.

X. O genus hominum perfidum & iniquum! Deſidiam & inertiam ſuam, auſteritati & ſterilitati imputant religionis. Quam ſimiles ſunt hi Scribis & Phariſæis, qui, ſi-
Luc. 11. cut Dominus ait, clavem ſcientiæ tulerunt, & ipſi non introierunt, & intrare volentes
Pſ. 105. prohibuerunt! *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*; quia ejus delicias campoſque latiſſimos non viderunt. Si enim interiora ejus penetraſſent, ſi ad ejus latitudinem perveniſſent; probaſſent utique intra rigores illos pœnitentiæ, quos tam vehementer exaggerant; quanta felicitas, quam ampla & delicioſa planities clauderetur. Noverat hoc
Pſal. 83. qui dicebat: *Melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia*. Et iterum: *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Vos itaque Virgines Deo devotæ, terram iſtam deſiderabilem viriliter penetrate, & paſcimini deli- *Pſal.* 36.
ciis ejus. *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt* *Pſal.* 33.
Dominus; & quia non eſt amaritudo ulla in converſatione ejus. Non ſunt gigantes, non ſunt monſtra in Dei obſequio, ſed redundans gratia & perfecta lætitia. Quod ſi eſſent; utique pro Deo & aggredienda, & toleranda fuiſſent. Quid enim levius, quid ſuavius, quam pro Domino laborare? Melliti ſunt labores juſtitiæ & ſpiritus dulcedine conditi; labores eſſe deſierunt, quia placidi ſunt. Ubi enim delectatio & voluptas, qualis labor eſſe poteſt? Virgo hæc, quam ſequimini, cujus hodie feſta percolimus, non ſolum obedientias, inedias, vigilias, clauſuram & paupertatem pro Chriſto Domino ſuſtinuit, ſed graviſſimas contumelias, injurias acerrimas: confuſionem, nuditatem, irriſionem, & atrociſſima tormenta, pro eo libentiſſime toleravit. Conſideravit quid promittitur, & noluit conſiderare quid patitur. Proſpicienti æternitatem in præmio, nihil temporale poteſt eſſe difficile. *Momen-* 2. *Cor.* 4.
taneum enim hoc *& leve tribulationis noſtræ*, ſicut Apoſtolus ait, *ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; & exiguus labor inenarrabilem requiem & lætitiam ſempiternam: quam nobis præſtare dignetur pius & miſericors Dominus Rex & Legiſer noſter Jeſus, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria, decus, laus, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO
S. MATHIÆ APOSTOLI
CONCIO.

DE EXISTENTIA BONORUM ET MALORUM IN ECCLESIA DEI.

Oſtende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum miniſterii hujus, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Actor. 1. v. 24. 25. & 26.

CONCIO CLXXXVI.

I. SANCTI Patres Auguſtinus (*a*) & Ambroſius (*b*) in libro de Arca Noe dicunt illam arcam habuiſſe typum Eccleſiæ, propter multa. Primo: quia ſicut illa arca agitabatur fluctibus, numquam tamen fuit ſubmerſa; ita Eccleſia ſemper eſt in diluvio perſecutionum ab initio, & tamen numquam demergitur: Pſal-
Pſ. 128. mus: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam*. Per tyrannos, per hæreticos, per paganos, ſæpe agitata, ſed non ſubmerſa. *Dominus juſtus concidit cervices peccatorum*. Dominus enim, qui excitat fluctus, ipſe eos ſedat. Pſalmus: *Accinctus potentia,* *Pſal.* 64.
qui conturbas profundum maris: Tu dominaris poteſtati maris: Motum autem fluctuum *Pſal.* 88.
ejus tu mitigas. Siquidem: *Mirabiles elatio-* *Pſal.* 92.
nes maris; ſed *mirabilis in altis Dominus*. Secundo: quia ſicut extra arcam nullus ſalvatus eſt a diluvio, ſed omnes perierunt: ita extra Eccleſiam non eſt ſalus. Audiant hæretici, audiat Lutherus. O Luthere! Non aliud dico tibi, non aliud contra te argumen-

(*a*) In Joann. Euang. tract. 6. num. 19. in Pſal. 103. Serm. 3. num. 2. De Civit. Dei lib. 15. cap. 26. & 27.
(*b*) Lib. de Arca Noe cap. 8.

mentum ſumo: ſed illud quo utitur S. P. Auguſtinus (*a*) contra Donatum accipe. Reſpice, ubi es: nonne extra Eccleſiam es? Scito, quia extra Eccleſiam non eſt ſalus. In diluviis es; peribis. Tertio: quia ſicut in arca, animalia munda & immunda recepta ſunt; ſic in Eccleſia etiam boni & mali. Quarto: quia ſicut in imo, ubi erat manſio animalium immundorum, arca latior erat, & quo altior manſio, tanto ſtrictior erat; ita etiam in Eccleſia immundorum & malorum maxima eſt multitudo: rationalium & ſpiritualium paucitas nimia, & quo ſtatus altior eſt, & perfectior, tanto ſtrictior eſt. Denique: ſicut omnis illa maxima fabrica terminatur ad unum cubitum; ita omnis Eccleſiaſtica perfectio ad unum Chriſtum conſummatur & definitur, qui eſt exemplar totius perfectionis: *Ex quo totum corpus* Eccleſiæ *compactum & connexum* eſt, *per omnem juncturam ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri*, ut ait Apoſtolus.

(*a*) Ephes. 4.

II. Sicut ergo, quamdiu diluvium duravit, animalia munda & immunda, ſimul in illa arca manſerunt; ſed poſtea, quieſcente diluvio, arca jam ſedente in monte, ſeparata ſunt, & unumquodque abiit in locum ſuum; ita quamdiu durat ſtatus iſte vitæ mortalis & inundatio corruptionis, boni & mali permixti ſunt in Eccleſia. Sed tandem, in fine, ceſſante diluvio, Eccleſia foras mittet omnes, & unuſquiſque abibit in locum ſuum. Sicut de Juda & Mathia ait Petrus: *Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris, accipere locum miniſterii hujus de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Quamdiu ergo diluvium manet: non ægre feramus malorum ſocietatem, ſed patienter illam ſuſtineamus, donec ſeparationis tempus adveniat. Non eos oderimus: nam nobis utiles ſunt ad coronam; ipſi enim nobis fabricant coronas. Unde S. P. Auguſtinus (*b*): Ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum; ad exercitium bonorum ſunt: & boni ad judicium & teſtimonium malorum, quia neque eorum conſiliis & exemplis acquieſcere voluerunt. Unde non meretur eſſe Abel, quem non exercet malitia Cain. Sunt etiam ad illuſtrationem bonorum: nam album juxta nigrum amplius candet, & virtus inter vitia illuſtrior eſt. Unde in Scriptura valde commendantur qui inter malos bene vixerunt. Unde Angelo Pergami in Apocalypſi dicitur: *Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ: & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam.* Et ad Ezechielem Prophetam: *Quoniam increduli & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* Inter malos enim bene vivere, & in luto immaculatum ſe cuſtodire, multo ſplendidius & majoris meriti eſt. Unde & juſtitiam Lot Apoſtolus Petrus commendans, inquit: *Juſtum Lot oppreſſum a nefandorum injuria, ac luxurioſa converſatione eripuit: aſpectu enim & auditu juſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.*

(*b*) Gen. 4. Apoc. 2. Ezech. 2. 2. Petr. 2.

III. Verumtamen: ex hac malorum & bonorum permixtione & contradictione, magnum mater Eccleſia ſuſtinet cruciatum. Sicut enim quondam Rebecca ex duorum illorum filiorum uterino duello, magnam anxietatem ſentiebat, quia viſcera illius, litigantes rumpebant: ſic Eccleſia hoc bellum inteſtinum gravius ſentit, quam forinſecum Paganorum; quia internum eſt, quia perpetuum eſt, & quia univerſale eſt. Impoſſibile enim eſt, juſtos & injuſtos convenire; etiamſi cognati & fratres ſint, etiamſi mille beneficiis adſtringantur, non erit ſocietas, non erit pax, non erit amicitia. *Quæ enim ſocietas lucis ad tenebras?* Oppoſita prætendunt, oppoſita volunt, oppoſita quærunt, oppoſita deſiderant, oppoſita agunt, oppoſita ſentiunt. Quomodo erit pax? *Non eſt pax impiis dicit Dominus.* O felix illa patria Beatorum! ubi pax eſt & ſecuritas, ubi nullum diſſidium, nulla contradictio, ubi omnes unum ſunt, unum volunt, unum cupiunt. *Lauda*, inquit, *Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te; qui poſuit fines tuos pacem.* Felix illa bonorum ſocietas, ubi nullus eſt malus. O quam jucundum eſt commorari cum gente optima! Propheta: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum.* Hic plena ſunt omnia contentione, bello & diſcordia; nulla pax, nulla ſecuritas: quia inter viperas & ſcorpiones commoramur, & neceſſe eſt, ut morſus eorum toleremus. Atque ita oportet, ut vel ſic, ſaltem cœleſtem illam patriam deſideremus. Si enim, cum omnia plena ſint malis, & perturbationibus, & doloribus, & amaritudinibus, vitam iſtam ſic amamus; quid eſſet, ſi placida eſſet, & quieta, & delectabilis? Quis cœlum deſideraret? Quis eam contemneret? Mala quæ hic nos premunt, ut ait Gregorius (*c*), nos ad Deum ire compellunt.

Gen. 25. 2. Cor. 6. Iſaiæ 48. Pſ. 147. Habac. 3. Ezech. 2. (*c*)

IV. Sed inter alia, hic grandis labor, & moleſtia eſt, quia inter bonos & malos non eſt diſcretio. Utinam ſignati eſſent, ut homo poſſet cavere! Utinam bonos illo *Tau* ſignatos; & malos, illo charactere beſtiæ, de quo in Apocalypſi, videremus: ut aliquo

Ibid. 9. Apoc. 16.

(*a*) Serm. ad Cæſareenſ. Eccleſiæ plebem num. 6. tom. 9. pag. 622. noviſs. edit. Pariſ., & de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 4. cap. 17.

(*b*) In Pſal. 54. num. 4. poſt ea verba, *agere Deum*, ita proſequitur S. Parens. *Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.*

(*c*) Vide Homil. 36. in Euang. num. 9., & Moral. lib. 3. cap. 9., & in Pſal. Pœnit. Pſal. 2. num. 14.

signo, factio Dei ab acie diaboli distingueretur! Est tamen aliquid, unde per conjecturam, bonos pisces a malis secernamus. Pro quo nota, quod, ut dicitur in Genesi, aves & pisces ex eodem elemento formati sunt. *Producant*, inquit, *aquæ, reptile* omne *animæ viventis, & volatile super terram. Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum.* Super quo Origenes (*a*): Aves, inquit, ab elemento aquæ factæ sunt: sed super naturalem originem elevatæ volaverunt. Pisces in naturali sua origine permanserunt. Aves, significant spirituales viros & Religiosos: pisces, viros mundanos & sæculares. Utrique eadem origine geniti, easdem habent inclinationes & appetitus: sed spirituales supra naturalem inclinationem elevati, intellectu & contemplatione suspenduntur ad alta: carnales vero, naturalem inclinationem sequentes, sunt *pisces maris, qui perambulant semitas maris;* voluptatibus & negotiis implicati. Aves sunt Religiosi, qui terrena deserentes, ad cœlestia contemplanda semper in altum volant. De quibus Propheta: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Fenestræ, sunt mansiones illæ perpetuæ, quas habituræ sunt animæ justorum; quas hic quotidie contemplantur & desiderant, & ideo ad eas volare dicuntur. O Religiose, cave, ne ad ima descendas. Non volites vicinus terræ, sed altius elevato teipsum. Aves repentes, vident corpus mortuum, & in odore carnis attractæ, sæpius residen & vorant. Et cum eas sagittarius videt carne saturas, sagitta transfodit. Ita fit Religiosis, qui terrenis negotiis implicantur: dum aliquo appetitu detinentur, aculeo peccati perfodiuntur.

Gen. 1.

(*a*)

Psal. 8.

Isaiæ 60.

V. Neque tamen omnes pisces mali sunt; nam etiam inter illos qui sæcularem vitam degunt, licet negotiis implicentur, reperiuntur aliqui boni pisces, & aliqui mali. Horum discrimen ponitur in Levitico, & in Deuteronomio: ubi pisces, habentes squamas, & pinnulas, mundi dicuntur; & qui non habent, immundi. Squama pro corio, pisci datur; quod enim est corium in animali, hoc est squama in pisce: & significat patientiam, quam maxime oportet habere omnem sæcularem. Ex quo enim inter mundanos vivit; alius murmurat, alius irridet, alius subsannat, alius infamat, alius rapit. Patientia ergo illis necessaria est, ad sustinendum omnia. Unde, licet melius sit sæculum fugere, & in monasterio degere; tamen majoris virtutis est medium inter sæculares & mundanos salvari. Oportet etiam habere pinnulas: quibus, etsi non possint volare semper ut aves: saltem ad tempus saltent super aquas. Oportet enim sæculares, aliquando dimissis negotiis, Deo vacare, & spiritualia intervalla procurare, quibus in domo sua in devotionem rapiantur & contemplationem; legere libros sanctos, colloqui de Deo, audire sermones, missas, &c. Unde, omnibus nobilibus matronis consulo, ut in domo sua habeant oratoria, ad se colligendum, & Deo vacandum orationibus & meditationibus. Qui vero negotiis implicati, & fluctibus contentionum ac litium agitati nesciunt psallere, nec pinnulas habent, immundi sunt. Hi cœno implicati, & delectatione carnis venenosi sunt: hos illi piscatores sapientes, id est, Angeli, optime norunt, ex maculis scilicet peccatorum. Ideo, cum rete venerit ad littus, id est, Ecclesia ad judicium, separabuntur: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* O quam amara erit illa separatio! O quomodo plangent, cum viderint justorum gloriam, & videant se perpetuo a tanta gloria separari! Apocalypsis: *Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni; ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Non* enim *intrabit in eam aliquod coinquinatum.* O Fratres mei! Simus omnes nunc de factione Dei, recedamus a factione diaboli, ut cum bonis hinc mereamur colligi. Psalmus: *Particeps ego sum;* id est, socius & consors, *omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Factionem enim illam, quam in vita secuti fuerimus, sive malam cum proditore Juda, sive bonam cum Apostolo Mathia; perpetuo post mortem tenebimus. Unde Dominus: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Ubi cum eodem Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in omne ævum. Amen.

Levit. 11. Deut. 14.

Matt. 8.

Apoc. 22.

Ibid. 21.

Ps. 118.

Matt. 10.

IN

(*a*) Vide Homil. 1. super Genes.

IN FESTO SANCTÆ CRUCIS

CONCIO BIPARTITA.

PARS PRIOR.

DE BOTRO CHRISTO, IN VITE CRUCIS.

Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Cant. I. v. 13.

* CONCIO CLXXXVII.

I. CYPRUS est insula abundans bonis racemis, vinum dulce facientibus, & florida botris (*a*). Botrus est uva cum palmite, & significat Christum pendentem ex cruce: & sicut ex botro exprimitur vinum, ita ex Christi benedicto corpore pretiosissimus sanguis fluxit in passione, & maxime in cruce. Engaddi civitas est eadem quæ & Jericho: ubi olim fuit (*b*) vinea balsami, quam Cleopatra (*b*) transtulit in Ægyptum. Dicitur autem vinea balsami, quia arbores illius ad modum vineæ excoluntur. Ergo botrus significat Christum. *Num.* 13. Et hunc botrum olim exploratores in vecte tulerunt, Prophetæ præcedentes, & Apostoli subsequentes, medium autem Christum Jesum, pulchro schemate figurantes. Hic, inquam, est ille racemus sive botrus terræ promissionis, qui a duobus populis gestatur in ligno crucis super humeros in obedientia fidei: sed Judaicus præcedens eum gestat a tergo, quoniam quæ de illo prædicta erant, in præsentia non agnovit. Christianus autem populus gestat eum coram se, per imitationem vitæ & operum ejus. Et quoties lassatur in labore mandatorum, gustat de ipso, & reficitur ad sustinendum laborem, per gustum internæ dilectionis. Hic quoque botrus ille est, qui medius pependit in ligno crucis inter duos latrones. Euangelista: *Crucifixerunt*, inquit, *cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jesum.* *Joan.* 19. Verum, sicut Christus figurate botrus interpretatur, ita Virgo vitis etiam, seu vinea congrue nuncupatur. *Eccli.* 24. Ecclesiasticus: *Ego quasi vitis fructificavi.* Vitis inter omnes arbores minor corpore, & major fructu. Virgo inter omnes Sanctos minor humilitate, major fructu. *Psal.* 71. Psalmus: *Superextolletur super Libanum fructus ejus;* id est, Christus: *super Libanum;* id est, super omnes choros Angelorum. O Virgo vitis frondosa & fructifera, quam late propagines tuas extendis, omnes sub umbra protegens & defendens! Ubique cœlo terraque fructificas: Angelis lætitiam, peccatoribus veniam, justis gratiam. Ad hanc igitur accedentes, de fructu ejus capiamus, gratum offerentes ei:

AVE MARIA.

II. Ut dictum est, Fratres, non absone viti comparatur Virgo respectu sui Filii. Verum, non Mater tantum, sed & Pater quoque vinea rectissime dicitur, si ratio habeatur ejus ad Christum. Nec botrum recte dixeris solum Filium si relatio fiat ad Patrem & Matrem illius. Sed & nos palmites seu botros convenientissime nuncupamur, si vitem, si vineam nostram dixerimus esse Christum Dominum nostrum. Ratione ac similitudine, quibus in Literis sacris probat se Christus Dominus vitem esse, & nos botros sive palmites; insinuatur pariter, Christum palmitem fore, & Patrem ejus cœlestem vitem esse. In Euangelio ponitur una sola comparatio, per quam Dominus Christus nominat se vitem & nos palmites. Scilicet: quia sicut palmes fructificat in vite, ita & nos in Christo fructificamus. Et quid hac in parte Dominus Jesus? *Pater*, inquit, *meus usque modo operatur, & ego operor.* Item: *Joan.* 5. *Solus non sum*, ait, *sed ego, & qui misit me, Pater.* Et iterum: *Ego & Pater unum sumus.* *Ibid.* 8. *Ibid.* 10. Et deinceps quid? *Dicitis*, inquit: *Quia blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et Philippo: *Pater in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* *Ibid.* 14 Vides igitur quod fructificet in Patre Filius: & per consequens botrus seu palmes sit Filius, quomodo vitis est Pater æternus. Sed quid deinceps ad nostram conducat instructionem, attente consideremus: quod Christus nominat se vitem nostram, dicendo: *Ego sum vitis, vos palmites:* *Ibid.* 15. idque propter duas similitudines; prima: quia sicut palmes præcisus nullum fructum potest facere: ita nos a Christo separati arescimus. Et hoc est quod ait: *Si quis*

(*a*) Verba hæc sunt Hugonis Card. in cap. I. Cant. v. 13.

(*b*) Hugo Card. loco nuper allegato.

quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet. Si ergo fructum multum feceris in abundantia bonorum operum vel
1. Cor. 4. gratiarum, noli gloriari. *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Gratias ergo viti, unde venit virtus ad palmitem, ut fructum ferat. Tu autem quid? Præcidite palmitem; & si præcisus germinaverit, sibi deputet fructum, quem habet. Si vero a vite virtus est, & nihil habeat de suo, quare in aliena virtute gloriatur, quasi de sua?

III. Videte, Fratres, quam aridi sumus de nostro, & quam steriles: quod nec unam cogitationem bonam possimus de nostro ger-
2. Cor. 3. minare, teste Apostolo: *Non quod sufficientes simus*, inquit, *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: qui idoneos nos fecit.* Nec unum verbum bonum possumus dicere, eodem teste, qui ait:
1. Cor. 12. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Quomodo ergo gloriabitur de fructu bonorum operum qui nec cogitationum nec verborum folia potest a se produ-
Isaiæ 26. cere? Isaias ait: *Domine, omnia opera nostra operatus es nobis.* Operum ergo nostrorum, si bona sunt, Deus est operator, nos autem coadjutores. Non tamen sibi, sed nobis operatur in nobis. Quid ergo præmias Domine, cum merita nostra præmias, nisi dona
Joan. 1. tua & gratiam? *Gratiam pro gratia*, ut ait Joannes. Tuum est quod præmias, tuum est quod rependis: dedisti prius virtutem, & postea das gloriam pro virtute. *Dominus*
Psal. 23. enim *virtutum ipse est Rex gloriæ.* Mira dispositio divinæ largitatis, & mirificus ordo justitiæ! si propter hoc quod aliquis recipit unum donum, dignus putetur etiam, ut recipiat alterum, & non abjecisse gratiam, sufficiens meritum putetur ad gloriam. Veluti si quis præmiet calamum pro scriptura, cum præmium non debeat calamo, sed scriptoris manui; ita Deus cum nos suorum operum instrumenta glorificat. Sed inquies: Quid igitur liberum arbitrium, si ad malum sufficit & non ad bonum? Aut quomodo illi imputatur quod non fecerit bonum, si non sufficit ad bonum? Respondeo: Liberum arbitrium potest bonum & malum, quamvis ad malum sufficiat, & non sufficiat ad bonum: nam aliud est posse, aliud est sufficere. Exemplum ejus: quis neget, me modo liberum esse ad videndum, vel non videndum parietem illum? Et tamen ad non videndum sufficio solus, si claudam oculos: ad videndum autem non sufficio sine luce. Sed numquid quia non possum videre sine luce, ideo non sum liber ad videndum? Quis hoc dicat? Ita etiam peccare nos possumus & cæcari: sed operari bonum non sine divino adjutorio. Nec tamen hoc libertatem adimit: quoniam prope est Dominus cooperari volenti, & ipsum velle nobis præstare non repugnantibus nobis: & sicut lumen non necessitat oculum ad videndum, sed juvat; ita etiam Dei gratia non necessitat, sed juvat arbitrium nostrum ad operandum.

IV. Secunda similitudo est: quod palmes a vite præcisus non tantum arescat, sed insuper in ignem mittatur, dicente eodem Domino nostro: *Et colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Sicut ergo palmes extra vitem ad nihilum valet, nisi ad ignem: ita etiam homo præcisus a Christo, solummodo aptus est ad gehennam. Ezechielis 15. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum? Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas?* Sequitur: *Ecce igni datum est in escam.* S. P. Augustinus (a) Tract. 81. in Joannem: Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis: si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit. Elige Christiane, aut in vite Christo fructificare, aut præcisum perpetuo ardere. Si durum videtur fructificare, jejunare, orare, humiliari, eleemosynas largiri, injurias dimittere: numquid non durius est ardere? Unum necesse habes eligere; duorum tibi datur optio, vide quid eligas: impossibile enim est, ut evadas ignem, nisi adjunctus ad vitem. Scio quid dices: Modo nec germino, nec ardeo. Bene: sed induciarum hoc tempus est. Nunc positus es extra vineam, ut arescas, ut postea melius ardeas. Mira virtus vitis! aridos jam palmites iterum vivificabit, si iterum illi inserantur: nec quisquam tam putridus palmes, qui adjunctus iterum huic viti, non valeat pristinos germinare fructus, & virentia denuo producere folia. Magna dignatio pietatis! De cœlo venit vitis, ut terrenos palmites sibi insertos mirifica virtute cœlestes faciat afferre fructus: ut qualis vitis, tales etiam & palmites sint. Quanta gloria nostra, Fratres, quantus honor; Unigenito Filio Dei, Verbo illi æterno, tamquam palmites inseri, tantæ majestati incorporari! Quis auderet hoc dicere, nisi ipse prius dixisset: *Ego sum vitis, vos palmites?* Gaudeamus igitur, exultemus & lætemur. Vere *magnificavit Dominus facere nobiscum.* Nimirum: si ideo *facti sumus lætantes*, si repleatur *gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.* Si Angelo inseretur homo, grande quid esset; Deo Angelorum Domino inseri, qualis gloria est! Sed non valuit palmitum tam rudis materia sublimi Majestati conjungi, nisi fieret prius ipsa rudis cum rudibus. Accepit igitur naturam nostram, per quam nos sibi palmites copularet. Et quemadmodum vitis pulchra non est, sed intus habet vim pulchritudinis suæ: ita Christus inter homines humilis, abjectus, ac veluti rudis apparuit; sed postea dum floruit, quænam intus in vite virtus esset, monstravit.

Joan. 15. Ezech. 15. Joan. 15. Ps. 125.

V. Si

(a) Usque ad ea, *in vite sit* S. Patris verba sunt num. 3.

V. Si Christum in cruce consideres, vitis apparet rudis: *Non est species ei neque decor.* *Isaiæ 53.* Humiliatus, sputus, flagellatus, derisus. Quis fructus in vite? Attende modicum: transeat hyems, pertranseat gelu passionis, veniat *Psal. 79.* æstas resurrectionis; Extendet *palmites suos usque ad mare: & usque ad flumen propagines ejus.* Totam terram vernantibus foliis & uberrimis fructibus replevit, totam sua umbra occupavit, universam palmitibus suis *1. Cor. 1.* intexuit. Apostolus: *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est.* Insania videbatur Philosophis, dicere Deum crucifixum; quia eis omnino contra rationem videbatur, Deum pati. Nobis autem crux Christi, Dei virtus est, & Dei sapientia est: res maxima & omnium secretissima, altissima, profundissima, plena amore, plena mysterio, plena virtute & potestate. In crucis mysterio omnis mea sapientia, omnis mea fiducia, omnis mea justitia, omnis spes, omnis gloria. Denique totus thesaurus mundi in crucis mysterio positus est. Siquidem, quia non potuit mundus per sapientiam Deum intelligere, placuit ei per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, quoniam ipsa stultitia Dei major est omni sapientia, & devoratrix om- *Exod. 7.* nis sapientiæ. Figura, de Virga Aaron deglutiente omnes virgas magorum. Ita a sapientia crucis, omnis sapientia Philosophorum devorata est: ut appareat in hoc Deus sapientissimus, cujus stultitia omnem sapientiam vicit. Currunt undique sapientes, currunt reges, currunt populi adorare Crucifixum, sedere sub vite, & de fructibus ejus edere, & eidem ut palmites inseri. Vides quantus decor, quantus honor vitæ, quæ apparuit ante deformis! Pleni sunt cœli & terra gloria ejus, & universum mundum suo virore ornavit, sua opulentia decoravit.

VI. Et ne solum putes per vitem evadere ignem, & solo timore viti huic te agglutinandum; præmium tibi proponitur: ut si ad hoc non te incitat timor, incitet saltem cupiditas & amor. Quid enim ait Dominus? *Joan. 15.* *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* Itane? Quidquid voluero, quidquid desideravero, impetrabo? Vide Domine, quid dicas, vide quid promittas: veritas *Psal. 88.* es, *& quæ procedunt de labiis tuis*, scio quia *non* facies *irrita*. Quidquid voluero, habebo? Igitur quasi alter Deus ero. Magnum hoc: attende ut impleas quod promittis. Nam sic non deerunt tibi palmites. Omnes vellent inseri tanto præmio, ut habeant quidquid volunt. Sed, quid si volunt divitias, quid si volunt honores, quid si volunt voluptates, quid si petant cibos, aut vestes, aut regna, aut hæreditates, aut alia quæ solent homines appetere, & sæpius etiam petere: numquid etiam palmes insertus, si hæc petierit, a te impetrabit? Utique impetrabit. Mirum hoc: nec est in mundo qui non curet tali viti inseri, si ita est. Sed dignare Domine ostendere, quomodo ita est. *Re-* *Ps. 118.* *vela oculos meos, & considerabo mirabilia de* ore tuo. Expone quod dicis, quoniam ita est, ut dicis; sed ita esse, non percipit adhuc infirmus oculus & caliginosus. Hæc enim quæ dicta sunt, profano a te largiri, indignum est. Non enim vanitatis & iniquitatis adjutor est Deus, ut inserto palmiti talia polliceatur, qui ædificat ad infernum. Rursus, si adhuc de spiritualibus bonis intelligamus quod dicitur, non minus difficilis videtur impletio. Quantos enim vidimus veros & indubitatos hujus vitis palmites, in vita sua plurima postulasse nec impetrasse! Omitto particularia exempla, de Moyse, Paulo, & aliis Sanctis. Numquid non sæpius justi pro se, aut pro aliis petunt aut vitam, aut sanitatem, aut gratiam, aut favorem, aut erui a tentatione, aut liberari a tribulatione, aut donum lacrymarum, aut alia plurima spiritualia dona tua, vel temporalia, quæ tamen sæpe non impetrant? Si quidquid justus voluerit, fiet: quis non vellet splendere virtutibus, gratiis abundare, & similem Sanctis fieri in regno tuo? Sed non tam est omnis justus quantum ipse vult, sed quantum ipse vis, qui das unicuique spiritum ad mensuram, secundum voluntatem tuam, & non secundum voluntatem suam. Quomodo igitur vera sit hæc tua promissio, non intelligo, quamvis veram esse non dubito.

VII. Antequam ita esse appareat, oportet scire, quomodo palmes viti inseratur. Inserto enim palmiti, & non præciso ista repromissio facta est in Euangelio, ubi se ait Dominus vitem, cum dicitur: *Sicut dilexit* *Joan. 15.* *me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea.* Ecce modum, quo palmes inseritur viti, per dilectionem, scilicet: quo- *1. Joan. 4.* niam qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in ipso, & unus spiritus fit cum eo. Amor ergo est quo inseritur palmes viti, id est, conglutinatur Deo. Nam fides, licet nos Deo conjungat: tamen hæc incorporatio per solam fidem ad viriditatem est, non ad fructum; nec adhuc viresçit palmes, si fides mortua est, sed tamen in vite est; sed in vite non vivit, nisi amet. Fides ergo quæ per dilectionem operatur, illa est palmitis insertio. Si ergo diligis vitem, non dubites, quin eidem insertus sis viti. Scio, Fratres, scio, omnes dicetis: Et quis non diligit Dominum Jesum Christum, si Christianus est? Quis est adeo, inquis, malus, ut Jesum non diligat? Sed: *si quis non amat Dominum nostrum* *1. Cor. 16.* *Jesum, sit anathema.* In hoc solum stat insertio. Ego certus sum quoniam insertus sum. Nam licet peccator sum, licet infirmus, tamen diligo. Verum est, quod quasi peccator adhuc domi retineo concubinam, adhuc arcam meam plenam ære alieno retineo, juro, perjuro, irascor fratribus, & murmuro, & alia similia: & hæc non nego: quoniam, fateor, peccator sum & infirmus; sed tamen

Do-

Dominum Jesum ego diligo, plusquam animam meam, plusquam vitam meam. O gran-
Psal. 26. de mendacium! *Mentita est iniquitas sibi.* Attende quid ipse Christus consequenter dicat in Euangelio isto, ubi se vitem & nos
Joan. 15. palmites describit: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Hoc ergo signum dilectionis est, si ejus mandata ser-
Ibid. 14. ves. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Si non servas, non diligis. Cor tuum decipit te: non diligis Jesum, non es insertus viti, non virescis in vite, aridus es. Psalmus:
Psal. 77. *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.* Et tu similiter, ore, non corde diligis, & non reputaberis fidelis in testamento Christi.

VIII. Dices: O certe, licet ego opera non habeam, tamen sentio in me amorem ejus, & devotionem, & reverentiam. Audio devote missam, gemo, lacrymor, Sacramenta omni veneratione revereor. Numquid non hæc dilectio? Imo: numquid hæc est dilectio? Qualis amor, Christum sub pedibus calcare, ipsum millies pro uno denario vendere, ipsum pro una vili illecebra carnis contemnere, & peccatorum clavis ipsum intra te rursum crucifigere, & felle & aceto amarissimo tuorum peccatorum potare, & a cordis tui hospitio cum injuria rejicere, & verbis solis blandis eum in tanta injuria alloqui, & venerari? Ista tibi videtur dilectio, an irrisio; honor iste, an vituperium? Ostendam tibi tui similes Christi veneratores: tui similes Christi dilectores. Postquam Pilatus tradidisset Jesum ut flagellaretur:
Matt. 27. *Milites* ejus *suscipientes Jesum in prætorium, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* Jesum indutum veste purpurea, corona spinea coronatum, capite velatum, milites flexis genibus, capite discooperto salutabant: & arundine percutiebant, laudabant, & cædebant, prophetam dicebant, regem nominabant, regem salutabant; sed percutientes caput ejus, sed botrum conculcantes, sanguinis illius pretiosissimum profundebant liquorem. Erat ne iste honor? Erat ne ista veneratio? Talis es tu venerator: istis adjungeris in judicio tui similibus, ut in manipulos conjunctus cum eis, ardeas cum eis, propterea quod, sicut illi, veneratus es Christum. Vera ergo dilectio, non mentita, non falsa; sed de corde puro & opere non ficto: hæc est quæ nos conjungit Deo, hæc est quæ nos Deo unit, ut palmes viti. Si hanc habes, si mandata opere custodis, si ab omni malo pedem tuum avertis, tunc scito quoniam insertus es, & ad te pertinet repromissio, qua dicitur: quod omne quod volueris, petes, & impetrabis.

IX. Sed jam tempus est, ut quomodo hoc verum sit Deo adjuvante, declaremus. S. P. Augustinus (*a*), magnus ille divinæ legis interpres: sic exponit dictum hoc Domini Salvatoris, ut ejus expositio quodammodo videatur dicti limitatio. Ait enim: Manentes in eo, quodcumque voluerimus petemus, & fiet nobis. Quia si petimus & non fiat: non hoc petimus, quod habet mansio: sed quod habet infirmitas & cupiditas carnis, quæ non est in eo. Hæc ille. Attendat ergo palmes vitem suam, cum petit. Et quænam est vitis, nisi Christus Jesus? Et quid est Jesus, nisi Salvator? Si ergo salutaria petit, ut insertus viti petit, & fiet illi. Si autem petit noxia & contraria saluti: jam non petit ut insertus Christo, sed ut insertus mundo. Non tenebitur ergo promissis vitis, nisi quando secundum eum est petitio. *Si manseritis* ergo *Joan. 15.* *in me*, quidquid, ut sic in me manentes petieritis, *fiet vobis*. Si aliter petitis, respondebitur vobis illud: *Petitis, & non accipitis; eo quod male petatis.* *Jacob 4.* Sed quamvis vera sit expositio Patris nostri: tamen valde desidero, si fieri potest, ut simpliciter dictum & generaliter, simpliciter etiam & generaliter intelligatur. Sed quomodo inquies, potest esse hoc? Nam petitiones injustas Deus non exaudit, nec etiam quæ videntur nobis justa, Deus semper implet. Respondeo: imo, ideo semper Deus justorum petitiones implet, quia justus non petit nisi justa: & si justa est petitio, semper impletur a Domino.

X. Dices: utrumque mihi falsum videtur, ut dixi. Attendamus igitur, quomodo ita sit. Numquid putas te verum palmitem & vere insertum viti huic, sæculi hujus oblectamenta aut deliramenta diligere, pompas quærere, voluptates amplecti, honores inquirere? Certum est quod non. Omnia ista amarissima sunt justis & acria. Numquam ergo talia aut pro se, aut pro aliis petiturus est justus, quæ novit esse impedimenta salutis. Audi quid ille verus palmes, & sine dubio insertus, dicat: *Unam petii a Domi-* *Psal. 26* *no, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Hanc unam petitionem habet justus omnis: petere sibi & aliis necessaria & utilia ad salutem: hoc est solum quod desiderant, hoc solum est quod cupiunt. Quidquid aliud est quod huic repugnet, non solum non petunt sibi donari, sed longe se a tali desiderio & petitione fieri. Quod si aliqua temporalia petunt; petentis intentio est, donari sibi vel aliis, si talia commoda sint ad animarum salutem, alias non donari. Si igitur non donantur; petitio potius impletur, quam revocatur. Non mirum ergo, si Dominus polliceatur facturum se in omnibus quod placeat justo,

cum

(*a*) Eodem tract. 81. in Joann. paulo ante allegato num. 4.

cum sciat: justum nihil injuste voliturum, quamdiu justus est, & viti insertus. Quod si scienter injusta petat, ipse sibi testimonium perhibet, quoniam justus non est, & a vite præcisus, nec illi fit repromissio. Quid ergo ait Dominus omnibus hominibus? Venite, accedite ad me, inserimini in me, & ego faciam quidquid volueritis. Hac promissione peccator incitatur, ut inseratur. Putat forte, quoniam insertus, bona ista temporalia & divitias quas desiderat, ei licebit obtinere; sed factus spiritualis, omnia respuit, quæ prius valde desiderabat. Quidquid ergo petit sibi insertus, dabit Deus. Sed voluptates & insanias falsas non dabit, quia insertus eas non petet: imo velut venena horrebit. Si potest gustus sanus, venena virulentaque pocula petere in convivio, poterit etiam justus hæc & similia desiderare a Deo suo. Ita est, Fratres, ita est. Sed utinam liceat nobis experiri, quando ita est. Video autem multos magis anxie, magis fervide temporalia petere, quam spiritualia, & pro istis impetrandis multiplicare intentiones, sacrificia multa offerre, lacrymosas orationes & devotas facere. Et tunc solum friget oratio, quando salus animæ petitur, quia sancta & salubris est petitio.

XI. Sed dices: Esto, ita sit: non petit justus nisi justa, non petit vanitates & insanias falsas: sed numquid omnis justi petitio semper adimpletur? Justa petitio est, pro se, & pro alio laborante, afflicto, infirmo, tribulato petere, & similia plurima; & tamen non semper impetratur liberatio quæ petitur. Dico: numquid hoc justa voluntas absolute petit, & non si sic saluti animæ expedit? Si non donatur, non expedit. Ideo cum non donatur, fit quod petitur, licet oppositum fieri videatur. Attende comparationem. Vocat quis plagatus chirurgum; petit ut curetur, & tamen dum curatur, ingravescente dolore abigit a se chirurgum & rejicit. Obsecro: numquid dum curatur iste plagatus, voluntas ejus impletur? Certum est quod sic: nam ipse hoc medico humiliter supplicavit: & licet clamet, licet renuat, voluntate tamen sua, non necessitate curatur. Ita est, Fratres, omnis bonus palmes plurimum afferre fructum desiderat, & petit a Domino: sed tamen Agricola ille cœlestis, ut ait Dominus in Euangelio, palmitem in se ferentem fructum, purgat tentationibus, afflictionibus, persecutionibus, ut fructum plus afferat. Quod si tribulatus clamet, si petat a Domino liberari: novit cœlestis ille Creator animarum sanctarum, quid intus desideret. Ideo non curat, quia extra vox illa doloris efflagitat. Cum ergo non exauditur caro, tunc maxime spiritus justi auditur. Attendite Apostolum illa mirifice personantem: Nos, inquit, *quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Aliud ergo petimus nos, aliud petit spiritus pro nobis. Hinc, intus in corde justorum gementem hunc audit Dominus: justorum carnem non semper audit, quia nec justus eam vult a Domino exaudiri, sed spiritum ejus in corde suo. Sed adhuc non videtur omnino remotus scrupulus. Numquid, ut diximus, spiritus justorum exauditur? Nam sæpe conversionem peccatoris fratris sui petit, nec impetrat; numquid non sæpe etiam pro se spiritualia dona petit, quæ tamen nondum meretur impetrare; ut devotionem, ut amorem Dei fervidum, & alias sibi utiles gratias? Numquid quisquam tam spiritualis est, quantum vult, aut tam magnus, quantum desiderat? Certum est quod non. Non ergo petitio quælibet justi semper impletur, etiamsi salubris sit & sancta. Respondeo: justus etiam qui se novit a Deo suo creatum, non sibi vel alteri majorem vult dignitatem vel excellentiam, quam factori suo placuerit illi dare: sed contentus est mensura, qua mensus est illum, qui fecit illum; semper clamans cum Propheta: *Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ: numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis?* Deus fictor est justi: & numquid dicet lutum figulo suo, cur me feciſti sic? Cur me non majus feciſti aut minus? Amor etiam absolutus propriæ excellentiæ, in spiritualibus interdum ambitione non caret. Spiritualis erat pulchritudo quam optavit Lucifer: sed quia sibi non congrua, quasi fulgur e cœlo cecidit, & dum alienam concupivit, propria dignitate privatus est.

Rom. 8.

Isaiæ 45.

XII. Sed, ad quid vult justus excellentiam sanctitatis, aut virtutum culmen, vel gratiarum abundantiam? Numquid ut placeat ipse sibi factus decorus, an ut placeat Deo? Notum est, quod ut placeat Deo. Tantum ergo sibi desiderat, quantum Deo suo placet illum habere. Illa mensura contentus est, nec alienæ gloriæ invidet, etiamsi major sit in ore cœlestium Beatorum: ubi, quamvis est diversa gloriæ portio, una est tamen omnium satietas in dispari mensura, quia quisque sua gloria contentus est. Major ergo non vult esse justus; sed tantus quantus voluerit eum esse, qui dedit illi esse. Quid ergo mirum videatur, si tam libere, si tam absolute promittat Dominus facere & implere quidquid justus voluerit, cum sciat justam voluntatem nihil aliud ab ipso petituram, desideraturam, quam quod ipsi placuerit? Gratias tibi Domine, gratias tibi: ostendisti nobis quomodo verum est verbum tuum: quod nisi verum esset, non esset tuum. Dicimus ergo voluntatem justi semper impleri a Domino, quidquid petat. Quia si justa est, nihil petitura est, nisi quod Deo suo placeat. Omnis enim voluntas justi, etiamsi absoluta videatur, implicitam tamen habet hanc conditionem intus in spiritu, quam Dominus scrutatur: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Sic enim justorum omnium caput Christus Dominus orare & petere demonstravit. Sed si placeat, audite

Matt. 26.

aliam

aliam expoſitionem Dominicæ promiſſionis. Petat quid voluerit juſtus: petat divitias, petat voluptates, petat honores, petat ſolatia, petat regna, petat dignitates, petat poſteritates, & quæcumque alia: omnia ei ſine dubio largietur Deus, modo veras petat & non falſas. Nam falſas dare Deum, qui ſumma bonitas eſt, non decet. Quis honor major, quam Angelicis choris aſſociari? Quæ voluptas major, quam ſpiritualis? Quæ divitiæ majores, quam divitiæ ſpiritus? Quod regnum majus, quam ſervire Deo? Quæ major dignitas, quam amicitia Dei? Quod majus ſolatium, quam puritas conſcientiæ? Quod gaudium plenius, quam jucunditas ſpiritus? Non ſolum ergo in futura vita, ubi omnia iſta, ſupra quam intelligi poſſunt, magna ſunt: verum etiam hic omnia iſta bona largitur Deus; ſed vera bona, non fallacia, non vana. Juſti autem intentio numquam eſt petere vanitates, ſi vere juſta eſt. Sed ponamus, quod petat omnia vana: cum hæc omnia vera largiuntur ei, numquid non ei plus donatur, quam ab eo petitur? Si petat quis obulum, & accipiat argenteum vel ducatum, numquid non ei donatur quod petitur? Fidelis ergo Dominus in verbis ſuis, & firmus in omnibus promiſſionibus ſuis. Accedite itaque, Fratres, ad vitem & incorporamini: accedite, plantamini, accedite, & roboramini; ut fructum plurimum afferatis, ut ignem æternum evadatis, ut petatis, & fiat vobis.

IN FESTO SANCTÆ CRUCIS CONCIONIS BIPARTITÆ PARS ALTERA.

De spirituali Vinea, ex Canticis Canticorum.

Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Cant. 1. v. 13.

* Concio clxxxvi.ii.

I. PLacet nunc de ſpirituali vinea ex Canticis Canticorum quædam myſtica miſcere verbis ſponſæ, id eſt, animæ perfectæ: Sponſum, id eſt, Verbum Dei Filium, alloquentis. Quid dicat alio in loco, pro modulo noſtro diſcutiamus. *Veni*, inquit, *dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane ſurgamus ad vineas: videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea. Mandragoræ dederunt odorem.* Flagrantis animæ ac ſitientis Deum, & languentis præ amore verba ſunt iſta. Animæ, inquam, perfectæ, & univerſa mundi hujus oblectamenta calcantis. Sed quid dicat, audiamus: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Non placent ſæculi blandientis tumultus, non me delectant rerum permutatæ viciſſitudines. Horreo jam inanes faſtus & pompas mundi hujus, honores vanos, lætitias vacuas, mentita ſolatia; omnia hæc longe ſunt a corde meo. Sicut diſtat ortus ab occidente, ita omnia hæc Domine a me elongaſti, munere tuo, dono tuo, & bonitate tua, quia ſic fuit placitum ante te. Gratiæ tibi Domine, gratiæ tibi. Sed & fraternæ charitatis officia, quibus hucuſque exercebar pro amore tuo, jam tædio mihi ſunt. Si alendus eſt pauper, ſi mœſtus conſolandus, ſi viſitandus ægrotus, ſi errans corrigendus, ſi ignorans inſtruendus, omnia hæc ſtudio mihi fuerunt & oblectamento, ut placerem tibi, cui ſic placere deſiderabam Deus meus. Nunc autem poſtquam apparuiſti mihi, poſtquam ſermo tuus vivus & efficax, interiora cordis mei penetravit; anima mea liquefacta eſt, poſtquam dilectus meus locutus eſt. Rapuiſti ad te omnem cordis mei motum, & affectum. Jam nihil libet niſi audire te, ad tuos pedes ſedere, tecum colloqui. Te ſolum ſitio, te ſolum deſidero. Nemo me ſolicitet, nemo me inquietet, nemo me tanto bono, tanta ſuavitate, tam jucundo ſolatio privet. Si fameſcit pauper, ſi friget nudus; fameſcat & frigeat: dummodo reficiar ego Domine, ut caleat cor meum verbo tuo, & amore tuo. Tibi de pauperibus tuis cura erit, mihi hoc unum curæ erit, ut ſemper ſim tibi præſens, ſemper tibi aſſiſtam, ut videam lumen tuum, & decorem tuum, & placeam coram te in lumine viventium. *Veni*, ergo, *dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Nam civitatum & locorum ſtrepitus, audire vocem tuam ſuaviſſimam non ſinit, videre tuam lucem clariſſimam non permittit, frui jucundiſſima præſentia non dimittit. Sedebo igitur ſolitaria tecum, & tacebo, & elevabo me ſuper me, ut videam te. Tu mihi ſolus ſufficis, tu ſolus abundas. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Nihil ultra quæro, nihil amplius volo. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Et quid ibi agemus? Ad quid ſoli in agro? *Mane*, inquit, *ſurgamus ad vineas: videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica.* Hoc officium noſtrum hoc exercitium. Etſi aliud non fuerit alimentum: *Ibi dabo tibi ubera mea.*

Cant. 7. *Ibid. 5.* *Ibid. 7.* *Thr. 3.* *Cant. 2.*

II. Quam profunda ſunt eloquia tua Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ! Quis ſapiens & intelliget hæc? *Mane*, inquit, *ſurgamus ad vineas*, mane novo, cum nova luce, nova cognitione & intelligentiæ lumine ſplendiderit nobis radius tuæ claritatis, & illuceſcere cœperit in corde noſtro; fugatis præteritæ ignorantiæ tenebris, te illuſtrante, te illuminante: tunc animus luce perfuſus, vino delectationis tuæ inebriabitur, tunc in altiſſima & occulta ſapientiæ tuæ ſecreta rapietur. *Mane* ergo *ſurgamus*, & *ad vineas*. Mane præcedat cognitioni novæ, & ſtatim animus evolabit, ſpiritus rapietur

Pſal. 91.

pietur, & ab infimis ſuſtolletur ſuper altitudines terræ: a terrenorum amore & ſolicitudine ſublevabitur, & rapietur *ad vineas*.
Pſal. 21. Felix vinea, unde impletur muſto calix meus ille præclarus, & inebrians, unde extrahitur vinum illud animam in Deum ſuum totam abſorbens, & extra ſe ducens. *Mane ſurgamus ad vineas*. Ut quid ſurgemus, niſi ut inebriemur? Lac ego ponam ab uberibus meis: tu dilecte, vinum appones a vineis tuis. Neſcit lubricus vineas iſtas, neſcit avarus. Illi enim dicit: Non *ambulet per viam*
Job 24. *vinearum*. Felix prandium tali cibo, tali potu, lacte & vino! Et ne Sponſus cibari tali cibo, contemnere videatur: audi quomodo
Cant. 1. lac ſponſæ, vino ſuo præponat: *Meliora ſunt*, inquit, *ubera tua vino*. *Mane* ergo *ſurgamus ad vineas*. *Mane* tuo, lumine tuo ſpeculabimur vineas, e quibus pendent botri, e quibus eſt muſtum forte, fervidum, & recens, quod lagunculas novas diſrumpat. Quæ ſunt
Job 32. *Iſaiæ* 5. illæ vineæ? *Vinea*, inquit, *facta eſt dilecto meo in cornu filio olei*. Iſaias hoc ait. Quid eſt hoc Domine, expone nobis: *in cornu filio olei vinea facta eſt dilecto meo?* Ad illam vineam nunc ſponſa feſtinat.

III. Vinea ergo tua, paſſio tua Domine: vinea inebrians animas in amore tuo, vinea florens in cordibus noſtris, & botros mittens grandes dulcedinis, & acerbos ſimul amaritudinis & compaſſionis. Quis hanc vineam intrat ſæpius, & non totus inardeſcit, non totus flagrat, non totus undique accenditur amore tuo? Nihil eſt Domine in omnibus operibus tuis, quæ ab initio feciſti, quod me ſic alliciat ad te, ſic ferventer faciat amare te, ſicut paſſio tua & dolores tui quos paſſus
(*a*) es pro me. Ambroſius (*a*): Multa feciſti Domine, & numquam genu flexi: feciſti cœlum, feciſti terram; at vero poſtquam paſſus es: mea genua flexi pro te, & repo ſuper terram. Plus debeo vulneribus tuis quibus redemiſti me, quam operibus quibus creaſti me. Utinam pretioſiſſimum illum liquorem ex vineæ hujus botro ſuaviſſimo ſcaturientem de pectoris noſtri palato ſpirituali, nec ad horam quis patiatur deficere; ne meraciſſimi potus iſtius deſideratiſſima refocillatione privatus miſere tabeſcat animus langueſcens amaritudinæ cœleſtis alimoniæ; ſed poſſit veraciter ac ſemper dicere: *Botrus Cypri, dilectus meus*
Cant. 1. *mihi*. Ego, Fratres, pro acervo meritorum quæ mihi ſentio deeſſe, ſuccum hunc pretioſiſſimum ex omnibus amaritudinibus & anxietatibus Domini mei, tamquam ex myſtici botri multiplicibus acinis ſcaturientem, libare conatus ſum. Et primum quidem infantilium neceſſitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo: poſtremo periculorum in falſo traditore, exprobrationum, convitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, clavorum, horumque ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis vinea Dei copioſiſſime germinavit, ac botrus noſter ſuaviſſimus, tam pullulans quam ſuccreſcens ac matureſcens protulit. Ubi ſane inter tot ſuccoſi noſtri botri, minime prætereunda eſt *uva fellis & botri amariſſimi*, cujus exitia- *Deut.* 32.
bili liquore in cruce potatus eſt; in qua ap- *Matt.* 27.
plicuit ſibi meorum amaritudinem peccato-
rum. Memoriam igitur abundantiæ ſuavita- *Pſ.* 144.
tis horum omnium eructabo quoad vixero, & in æternum non obliviſcar miſerationes iſtas, quia in ipſis vivificatus ſum.

IV. Eſtne alia vinea, quoniam ad vineas invitat, dum ait: *Mane ſurgamus ad vineas?* *Cant.* 7.
Eſt utique alia, & multæ aliæ. Vinea namque Domini Sabaoth, univerſitas creaturarum; ex quarum contemplatione etiam ſpiritus quandoque, ſi non inebriatur, candeſcit, ac incaleſcit tamen; ſed non ſic inebrians, ſicut prima, non ſic animum undique perfundens. Eſt etiam alia vinea plena virentibus foliis & varietate fructuum: meditatio ſcilicet Scripturarum ſanctarum, novi veteriſque Teſtamenti ſancta luſtratio. Per vineas item, cœtus clauſtralium intelliguntur, qui aſſidue, aut fodiuntur, aut putantur, aut plantantur, aut propagantur, aut ligantur. Quorum tota vita eſt martyrium, qui magis vino devotionis abundant. Ad has & ejuſmodi vineas invitat Sponſum ſuum, cum ait: *Mane ſurgamus ad vineas*. Ergo *mane*, id eſt, nova ac divina luce perfuſi, novo ſplendore illuſtrati, luſtrabimus, ſcrutabimur, penetrabimus, paſſionis tuæ ſacra myſteria, creaturarum ſecreta, Scripturarum ſanctarum ſacramenta; vitæ monaſticæ percipiemus Euangelica conſilia. Ergo *mane ſurgamus ad vineas*. Ad quid ad vineas? Quid in vineis faciemus? Sequitur: *Videa-* *Ibidem.*
mus ſi vinea noſtra floruit. Quæ vinea? Noſtra vinea. Vinea, quam intra me, ipſe plantaſti. Vinea mea conſcientia mea. Hanc, inquit, una videamus & examinemus: quia & hoc ſine te videre neutiquam valeo. *Videamus* ergo *ſi floruit vinea* iſta. Si ſanctis cogitationibus & mundis affectibus, ſi cœleſtibus deſideriis vernat, ſi floret, ſi flagrat multiplici odoramento virtutum; ſi charitate rubet, ſi caſtitate candet, ſi zelo ſancto coruſcat, ſi pallet temperantia, ſi lucet ſapientia; ſi denique omni varietate florum, id eſt virtutum, intus in animo plena eſt. Videamus igitur ſi floruit vinea, ſignanter in Sacerdotum, in Religioſorum primordiis; ſi aliqua bona fidei & confeſſionis indicia, & proficiendi ſigna emittant novitii, an emittendorum votorum interna deſideria ſigno aliquo exterius appareant.

V. Sed

(*a*) In Pſal. 118. Serm. 14. num. 20. *Quanta fecit Dominus, audeo dicere, & non flexi ei genu? Sed flexi ei poſtquam ſe humiliavit*. Vide etiam Serm. 20. num. 18. In expoſitione autem Euang. ſec. Luc. cap. 2. num. 41. *Plus igitur, Domine Jeſu, injuriis tuis debeo, quod redemptus ſum, quam operibus, quod creatus ſum. Non prodeſſet naſci, niſi redimi profuiſſet.*

V. Sed quid amplius in hac vinea videbimus & considerabimus? Nempe: *Si* etiam *flores* isti *fructus parturiunt*. Hoc est: si bonum propositum sequatur opus bonum, ut fructus sint virtutum soliditas. Nam licet pulchra, licet decora; inutilis est tamen vinea, cujus flores fructus non emittunt. Quid enim prodest florere desideriis bonis, & non fructificare operibus bonis? Est quidem jucunditas in floribus, sed utilitas in fructibus, si bene floreat vinea: sed si insurgente aquilone flores marcescunt, si fructus novi comburuntur: quis vineam talem laudet, quis emat? Si conscientia nostra bene concepit, & veniunt cogitationes usque ad partum, & non sit virtus in parturiente, ut flos sanctæ cogitationis fructum boni operis emittat; aut flante tentatione, flores, & novi adhuc fructus exsiccantur, & arescunt, ne veniant in maturitatem; quænam spes ista vineæ, aut quis valor in vinea? Et heu! *Prov. 24.* *Transivi per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ*. Plurimi dum passionem considerant Christi, martyrium desiderant pati: sed quid (*a*) facerent (*a*) inter tormenta ac verbera, qui ferre non possunt verba? Qui morsum pulicis metuit; quid faceret, si aggredi deberet ursos & leones? Quomodo sustinebit sartaginem qui non potest pati solis ardorem? Sed numquid floribus pascitur Deus, an fructibus? Placidus flos in se, sed amabilis & *Cant. 7.* gratus in spe. *Videamus* ergo, *si floruit vinea nostra, si flores fructus parturiunt*. Si flores, hoc est, desideria, quæ intus concepimus virtutum, ad solida exercitia & opera virtutis perveniant.

VI. Estne aliquid ultra, quod faciemus in vineis, o sponsa? Est utique. Nam videndum non solum, *si flores fructus parturiunt:* sed etiam, *si floruerunt mala punica*. Acerba sunt ista mala punica & acria. Horum etiam flores in vinea nostra requiremus. Scio enim Domine, scio quoniam a principio vitæ meæ innumera & gravia peccata commisi, & istorum peccatorum unicum antidotum in dolore & anxietate cordis mei constare, & pondus hoc peccatorum meorum, doloris ac pœnitudinis requirit medicamentum. Scio quia multum peccavi, nec tamen agnosco, an prout debeo, dolui. Ibi ergo secretorum tuorum meditationibus, peccatorum meorum scrutinium permiscebo, ut ex illis animus ad amorem, ex istis ad dolorem insurgat. Hæc sunt malogranata, quæ florent in vinea; malorum, scilicet, meorum memoria, quæ florem contritionis gignit in corde meo. Sed hic, quare non ultra requiritur, si flores malogranatorum fructus parturiunt, sicut in floribus vinearum? Non quia fructus etiam desideretur in flore. Sed tamen in pœnitentia flos præcedit fructum, non in virtute. Non enim tam attendit Deus in venia peccatorum, rigoris & laboris exterioris magnitudinem, quam pondus doloris. Pœnitentiæ autem maxima pars est peccati commissi displicentia, & tristitia. Quæ ubi adsunt; etiamsi cætera opera exteriora punitionis desint: animus in gratiam pristinam reducitur. Videtis, Fratres, qua ratione in malogranatis solum florem, sed in vineis præter florem, etiam fructum ista desideret. Duo igitur sunt spiritualis animæ exercitia, quæ soleat in otio sancto exercere, cum vacat a curis, & ab exterioribus solicitudinibus se abscondit; videlicet, amorem devotionis, & dolorem contritionis inquirere; ut dolore purificetur, & amore decoretur. Unum purificat, alterum pulchrificat animam. Turpis est anima, quam non scopat doloris rigor; deformis est anima, quam non ornat charitatis ardor. Et quid, obsecro, mihi datura es, o sponsa, si te associem, si tecum vadam ad vineas? Sequitur: ibi *dabo tibi ubera mea*. Quid hoc sponsa? Lactare ut cervulum lacte tuo putas sponsum tuum? Et hoc ei laboris itineris proponis præmium ab uberibus tuis? Bonum præmium & jucundum. Sed, numquid parvulus ego sum, ut sim modo lactandus ab uberibus tuis? Habeo ego altiora ubera in sinu Patris mei in quibus pascor, & fontem aquæ *Joan. 4.* vivæ salientis in vitam æternam, quo refrigerer; & tu ubera promittis? Sed nimirum præbuit tibi audaciam, quod paulo ante audieras dicentem: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa*. Placere ubera per- *Cant. 4.* sensisti, & ideo ubera promisisti. Si etiam placet: mala punica multos habent ordines granorum diversis distinctionibus cellularum, ab illis telis distinctorum; sed omnia grana rubent miniis eodem colore. Sic Monachorum sunt virtutes & desideria simul connexa, & eadem charitate rubentes emittunt flores desideriorum, ex quibus sunt fructus virtutum copiosi.

VII. Sed quænam sint ista sponsæ ubera, inquiramus. Dominus melius hoc nobis declarabit, qui est ipse laudator eorum. Noverat autem quid laudabat Sponsus. Quid veritas dicat, attendite: *Duo*, inquit, *ubera* *Ibidem.* *tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ*. Ardua nimis & difficilis comparatio. Quid, obsecro, uberibus cum hinnulis? Et quare gemelli? Aut quis umquam vidit hinnulos pascentes lilia? Et quare, donec inclinentur umbræ, quasi nocte sola, & non potius de die pascantur? Mystica sunt omnia hæc, & adeo profunda, ut in eis natet elephas, & submergatur quicumque, quantumque sublimis est intellectus. Veniat nunc Plato, veniat Aristoteles, veniat Pithagoras, rimentur hoc, & annuntient verborum tuorum intelligentiam, si possint. *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli*. Notum

(*a*) Lege S. Bernardum Serm. de S. Clemente Papa, & Martyre num. 3., ubi similia habentur.

tum eſt, duo ubera in uno pectore contineri, ſicut etiam duæ potentiæ ab una ſubſtantia animæ pendent, ſcilicet, intellectus & voluntas. Nam memoria aut non eſt in parte intellectiva, ſed ſolum in ſenſitiva, ut quidam philoſophi dixerunt: aut ſi eſt, ab intellectu non diſtinguitur, ſi ab actu denominatur. Si vero non ab actu recordatur, ſed a conſervatione ſpecierum ſic nominatur, tunc potius eſt paſſiva quam operativa potentia, & ideo non eſt cæteris duabus annumeranda, quæ operativæ ſunt. Duo igitur ubera in uno pectore ſunt duæ potentiæ in una ſubſtantia animæ. Lac intellectus, eſt ipſa veritatis contemplatio; lac bonitatis, eſt ſupremæ bonitatis dilectio. Nunc apparet quid voluerit ſuperius ſponſa dicere, cum ait: *Ibi dabo tibi ubera mea*. Id eſt: ibi nocte dieque intellectum meum & voluntatem in te ſolo contemplando & amando indeſinenter exercebo, & meis meditationibus affectibuſque mundiſſimis, quibus libenter veſceris, te paſcam. Hoc eſt quod cupit, hoc eſt quod optat: beatis illis ſpiritibus aſſimilari, qui nunquam ceſſant cantare continue Alleluja illud perpetuum: in ſæcula ſæculorum laudantes Dominum. Ita ergo cupit terrenis omnibus occupationibus eximi, ut huic liceat tam grato officio otioque vacare.

VIII. Sed poſtquam cœpimus, videamus, cur iſta uberibus hinnulis comparentur. Oportet ad hoc proprietates hinnulorum primitus intelligere. Ego tamen, quantum arbitror: propter hoc hinnulis comparantur, quia iſti inter omnes fœtus vivaciores ſunt, & quaſi frequentatis curſibus, fervidi ſaliunt, & hinc atque illinc ſalientes decurrunt. Conſcendunt alta, de rupe in rupem, de ramo in ramum. Talis eſt etiam in pectore ſponſæ proprietas iſtarum potentiarum. Binæ ſunt ſalientes aſſidue, ferventes, non quaſi mortificatæ aut ſicut mortuæ a corde, ſed vivaces, ad omnia quæ ſpectant ad Deum oculis bullientibus ſemper ſolicitæ: nunquam quieſcit intellectus rimari veritatem, penetrare occulta Dei, & non ceſſat continue bullientibus affectibus fervere, & tripudiantium hinnulorum more, in Dei laudibus exultare, & a creatura in creaturam ſcandere in Creatorem, & de radio in radium in ſolem, & a vita in veritatem, & in primam veritatem rapi; ſicque per convexa & ſimilia virtutum culmina, hædorum more, ſaliunt in vitam æternam. Bene ergo ubera hinnulis comparantur in myſterio, a quibus diſſonant in re. Si quis autem melius novit; dicat, & audiamus. Sed quare, obſecro, gemelli? Propter duo. Primo, quia frequenter gemelli, uti notum eſt, æquales ſunt tempore & coævi. Sic etiam voluntas & intellectus ſunt æquales; partus enim ſunt æquales. Sunt etiam coævi natura: in pueris ſimul ratio perficitur, & voluntas; neque ante voluntas perficitur in amando, quam

A ratio perficitur in diſcernendo. Gemelli ſunt etiam propter conformitatem. Nam in ſponſa neque intellectus aliud ſcrutatur, quam quod amat voluntas; neque voluntas aliud vult, quam quod dictat intellectus. Gemelli ergo ſunt, ubi tam conſona eſt ſocietas, ut neutra diſcrepet ab altera: neque intellectus intendit, niſi amatis, neque voluntas incumbit, niſi deſideratis. Quid intellectus ſcrutatur? Quod amat voluntas. Quid amat voluntas? Quod intellectus dictat. Non ſic gemelli ſunt in mundanis hominibus, ubi &
B voluntas ſæpius diſcrepat amando a ratione, & ratio intelligendo non cohæret voluntati. Gemelli ergo ſunt propter æqualitatem & propter conformitatem.

IX. Sequitur: *Qui paſcuntur in liliis, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ*. Lilia hæc *Cant. 4.* ſunt cogitationes ſanctæ, ſanctæ meditationes, lectiones Scripturarum, contemplationeſque ſublimes, quibus reficitur anima ſancta quaſi cœleſtibus dapibus, ac veluti liliis vernantibus e cœlo paſcitur. Quis lætitiam, jucunditatem, gaudium valet annuntiare devotæ mentis? Qua aviditate, ſi non ſatiatur, cibatur tamen modo iſtis liliis! Felix
C anima quæ tam ſuaves dapes ſibi reponit in menſa. Vere: *Beatus qui* impleverit *deſiderium ſuum ex* iſtis, vere *non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta:* in exitu præ- *Pſ. 126.* ſentis vitæ, & ingreſſu futuræ. Eant nunc filii hujus ſæculi, & paſcantur in cœno voluptatis ſuæ ac limoſis paludibus, illecebroſis delectationibus; & ut ait prophetia: *De* *Deut. 32.* *vinea Sodomorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ* bibant: de vinea, inquam, iniquitatis uvas fellis & botros amariſſimos, ac fœculenta pocula ſibi propinent, fel draconum, &
D venenum aſpidum inſanabile. Sponſa nonniſi liliis nonniſi floribus paſcitur, cœleſti nectare & divino poculo ſaginatur. Utinam, Fratres, utinam lilia hæc palato noſtro liceat deguſtare, & delectationes cœleſtes adhuc in terra poſitos præſentire! Poſſunt verba hæc etiam referri ad illud lilium, de quo dicitur: *Ego flos campi, & lilium con-* *Cant. 2.* *vallium:* id eſt, humilium. Lilium, Verbum incarnatum eſt: in lilio namque duplex eſt ordo foliorum. Nam intus in centro, triplici folio conſtat: exterius autem aliis foliis quaſi veſtitur. In Chriſto Jeſu lilio de cœlo, lilio de Virgine, lilio campi non arati,
E non ſeminati, duo hæc agnoſco pabula: intus Trinitas, exterius humanitas. Nam licet ſolum Verbum ſibi carnem unierit, tamen per quandam concomitantiam vel circumſcriptionem ibi eſt tota Trinitas. Quid enim Dominus Philippo deſideranti ſibi oſtendi Patrem? *Tanto*, inquit, *tempore vobiſcum ſum:* *Joan. 14.* *& non cognoviſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: oſtende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Si ergo adeo ſubtilis eſt guſtus, ut ſufficiat ſecreta majeſtatis rimari, & medullam reconditam deguſtare:

2. Cor. 5. hic jam cum Apoſtolo dicere poterit: *Etſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum: ſed nunc jam non novimus*. Arcanis namque & profundis ſacramentis Deitatis, cognitiſque myſteriis: deguſtatio exterior, operatio carnis, ipſa forma ſervi qua circumdatus eſt, minus ſapit. Sic eſt Fratres mei, ſic eſt: qui enim audit Jeſum Chriſtum, qui loquitur cum Jeſu, cum meditatur Jeſum; non tam formam illam hominis attendit: imo potius abyſſum illius inacceſſibilis intelligit luminis, in ipſo figit oculos, & ibi dirigit animum, intus magis in forma Dei, quam exterius in forma hominis: ſicque alloquitur non quaſi hominem, ſed ſicut Deum verum, & ibi magis inflammatur in amore, & ibi invenit, unde magis ad reverentiam, obedientiam & amorem inclinatur. Qui vero ſimpliciores ſunt, neque valent ſpiritu forti ſecreta Dei ſcrutari; tales paſcuntur exteriori lilio, carnis ſcilicet puriſſimæ, meditatione & operibus noſtræ redemptionis: neque talibus ſapit Chriſtus, niſi ut homo: Filium Virginis potius quam Filium Dei recordantur & colunt. Utraque tamen ſubſtantia ſapit, utraque dulciſſima eſt. Ingredientur *Joan. 10.* namque, & egredientur, ut ipſe ait, & paſcua invenient. Sed uſquequo paſcentur hinnuli in liliis? Numquid ſemper comedent lilia?

Cant. 4. X. Sequitur: Uſque dum *aſpiret dies, & inclinentur umbræ*. Scripturarum namque ſecreta, atque Prophetarum oracula, ſolum præſentis ſæculi cibaria ſunt. Aliquando e- 1. Cor. 13. nim teſte Apoſtolo: Et prophetiæ ceſſabunt, & ſcientia deſtruetur. Quando ſcilicet declinaverint umbræ, & aſpiraverit dies. Nunc enim nocte vivimus, & umbris ignorantiæ tegimur. Sub umbra namque illius vivimus inter gentes, victuri aliquando in luce illius inter Angelos. Omnia præſentis vitæ myſteria, umbra ſunt. Umbra, fides: umbra ſunt Sacramenta, umbra denique omnis cognitio Deitatis. Omnis etiam creatura umbra Dei eſt: in illa etenim quaſi per umbram cognoſcitur Deus; radius namque veritatis noſtro intellectui eſt nunc inattingibilis; qui veluti noctua ad lucem ſolis allucinatur, nec valet oculos dirigere, niſi attenuetur & obfuſcetur corporis phantaſmatibus: quibus veluti nucleus teſta recluſus, infirmo guſtui propinatur. Iſta ergo phantaſmata, veluti umbra ſunt temperantia divini luminis fulgorem, ut poſſit ab intuitu debili noſtri intellectus percipi. Quod ſi quemquam placeat divinæ bonitati ab iſtis nubibus coruſcare, & veluti tecta nube claritatis ſuæ, radios cæcutientibus oculis, veluti per quaſdam rimulas demonſtrare: ut jam non velatus nec adumbratus, ſed quaſi apertus & nudus ſeſe radiis divini luminis inſinuet: o quanta lætitia, o quanta jucunditas ſitientis ac anhelantis animæ vultum implet! Quanto igne amoris ſuccenditur, quanta ſatietate & pace undique perfunditur! Sed heu! Non permanet, non ſiſtit: ſed ſtatim quaſi vibratus omnis ille fulgor evaneſcit & fugit futuræ illius felicitatis. Sed veniet, veniet tempus, quando inclinabuntur umbræ, & caligo iſta corporea undique diſſolvetur. Nunc enim anima noſtra, quaſi viator quidam, undique caligine iſta corporis vallatur, ut luceſcentem diem nequeat circumſpicere: ſed diſſolvetur iſta nebula, & egreſſa foras, non jam raptim & per rimulas; ſed perpetuo liberoque intuitu ſplendentem diem, lucemque inacceſſibilem intuebitur: diem, qui ſemper eſt meridies, diem, qui neſcit occaſum.

XI. O Fratres mei! Si daretur videre in carne iſta mortali diem illum lucidum Deitatis, quem nos poſtea, ſolutos a nebula corporis hujus, viſuros ſperamus! Crediderim ego, neminem patienter vitæ hujus tenebras poſſe ſuſtinere; quin imo, ſi liceret, carnem ipſam propriis manibus dilaniaremus ac rumperemus, ut poſſemus exire caliginem iſtam, & videre tam jucundam lucem, tam placidum diem. Nunc autem ideo ſuſtinemus, quia nondum videmus: deſideramus tamen. Sed unde, obſecro, hoc deſiderium? Audite: *Mandragoræ dederunt odorem* ſuum *in portis noſtris*. Delectamur quidem hic, in ſpe paſcentes lilia, & odore mandragorarum refecti. Siquidem *mandragoræ dederunt odorem* ſuum *in portis noſtris*. Mandragoræ genus ſunt pomorum ſuavis odoris, utique cœleſtia illa oblectamenta ſignificantia, quibus licet non veſci, odorare tamen hic permiſſum eſt. Mandragoræ ergo illæ cœleſtes, quibus aliquando paſcemur, nunc ſolo ſuo odore reficiunt, & odor cœleſtium, terrenorum ſaporem extinguit. Iſaias: *Quieſcite*, inquit, *ab homine, cujus ſpiritus in naribus ejus eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe*: id eſt, qui habet odorem cœleſtium in ſpiritu: quia excelſus reputatus eſt ipſe: & eorumdem odore excitata anima, in odorem, inquit, tuum Domine currimus poſt te, & curremus uſque dum aſpiret dies, & inclinentur umbræ. Tunc enim jam non liliis Scripturarum, non odore ſolo devotionis in menſa tua cibabis nos. Sed quid? *Inebriabimur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis* nos, ac ingurgitabimur pelago illo profundiſſimo voluptatis & ſuavitatis tuæ, immerſi abyſſo illius luminis & claritatis tuæ, ubi omnis jucunditas, omnis amœnitas, omnis ſatietas, omnis pulchritudo, & decor & gloria: ad quam nos perducat, &c.

Cant. 7. *Iſaiæ 2.* *Pſal. 35.*

IN

IN FESTO SS. QUIRICI ET JULITTÆ MARTYRUM CONCIO.

DE UTILITATE TRIBULATIONUM.

Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Apoc. 7. v. 14.

CONCIO CLXXXIX.

I. SI oculis claris, veluti ex alta specula errores filiorum Adam considerare voluerimus; dolebimus valde, & vix poterimus continere lacrymas de tam misera cæcitate. Quis non doleat videndo tantam multitudinem, cum nimio labore & fatigatione & anxietate suam quærere perditionem & mortem? Quid est enim, quod totus mundus inquirit? Quid est, quod anxie procurat, nisi prosperitatem, abundantiam, & gloriam temporalium, vivere in deliciis & solatiis, abundare divitiis, frui temporalibus bonis? Hæc est omnis felicitas mundanorum, in hac procuranda totus fere mundus desudat. Et hac felicitate quid infelicius, & quid hac prosperitate deterius? Grandis misericordia Dei, quod homines non assequuntur quod inquirunt; nam, si sic: dæmonibus essent deteriores. Quanta mala facit prosperitas & abundantia! Prosperitas facit hominem obliviscI Dei, & sui, prosperitas facit eum superbum, prosperitas facit eum leviſſimum & mundanum, prosperitas facit vitiosum & inertem, prosperitas facit eum contemptorem proximorum & crudelem, prosperitas facit hominem brutalem, & insensatum, prosperitas facit hominem oblivisci futuræ gloriæ, & mortis, & inferni, prosperitas replet hominem vitiis & peccatis usque ad summum. Da mihi hominem rectum & bonum, cui omnia succedant ad votum, breviſſimo tempore quasi brutum fiet, vel quasi dæmon. Quis melior, quis sanctior, quis sapientior Salomone in sua juventute? cui Deus, dono tantam infudit sapientiam, cui tantam dedit devotionem & spiritum, ut librum Canticorum scriberet, qui omnium librorum veteris legis spiritualiſſimus est, qui propter nimiam sanctitatem & puritatem, Idida, id est, dilectus Domini vocabatur. Hic tantus vir succedentibus prosperis, ex nimio luxu & abundantia temporalium, super omnes homines factus est carnalis. Utpote, qui domi greges habebat mulierum quasi greges caprarum: & in tantam devenit miseriam & stultitiam, ut idololatra fieret, & idolo Moloch templum construeret, & sacrificia offerret. Quem non deterreat tanti hominis præcipitium, & tam miserabilis lapsus? Simile contigit Sauli regi, & quotidie evenit pluribus, qui dum erant pauperes, boni erant & probi: postea vero arridente fortuna, facti sunt pessimi. Unde David enarrans mala, quæ proveniunt ex prosperitate & carentia tribulationum, ait: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt: posuerunt in cœlum os suum, &c.* Quanta mala ex abundantia, & prosperitate, & ex tribulationis defectu!

3. *Reg.* 11.

1. *Reg.* 13.

Psal. 72.

II. E contrario autem, quid est quod mundus magis horret & fugit & timet, quam tribulationes? Et tamen in hac vita nihil homini utilius, nihil salubrius. Quanta bona accumulat tribulatio! quot utilitates conciliat! Primo, tribulatio expergefacit hominem a somno, & veluti quadam manu excitat a peccato, aperit oculos ejus, & illuminat, ut videat ignominiam & fœditatem suam, & gravitatem peccatorum suorum agnoscat, & corrigat vitam suam, sicut scriptum est: *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Quantos vidimus in fœce peccatorum, quasi profundo somno sopitos, tribulationis vehementia excitatos, correxisse vitam, mutasse mores, in alteros transisse viros, & ex peccatoribus in studiosos, & probos fuisse permutatos! Secundo, tribulatio humiliat hominem & domat, & facit eum deposito superbiæ tumore, mansuetum, humanum, pium & tractabilem. Nam qui succedentibus prosperis veluti equinus hinnulus, nimio furore spumabat, & fremens ac frendens alios morsibus & calcibus lædebat & turbabat, tribulationis assiduæ pondere

Isaiæ 28.

preſſus, & ægritudinis frequentis vexatione perdomitus, de cætero quiete vivit, ſicut
Jer. 31. Jeremias ait: *Caſtigaſti me*, Domine, *& eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus*. Tertio, tribulatio hominem a vitiis, & concupiſcentiis, & vanis ſæculi deſideriis purificat, & ab eo pulverem vanitatis excutit. Sicut enim veſtes diu thecis incluſas, & a tinea corroſas, vel nimio pulvere reſperſas, aliquando virga percutimus, & ab eis vermes & pulverem percutientes excutimus: Deus ſic homines nimio luxu, & abundantia corruptos, illecebroſis appetitibus veluti vermibus corroſos, vanitatis, & cupiditatis pulvere fœdatos, tribulationis virga, excuſſa vanitate, & carnalibus deſideriis extinctis purificat. Nihil enim ſic omnia hominis vitia, & vana deſideria, noxias cupiditates, & flagrantes carnis concupiſcentias extinguit & mortificat, ſicut tribulationis acrimonia, quæ veluti abſinthii poculo, omnes animæ vermes intus viſcera ejus corrodentes, ſua amaritudine enecat & interficit. Conſidera hominem in tribulatione conſtitutum, & vide, quam longe eſt ab omnibus voluptatibus, & vanitatibus, & illecebris. Nulla tunc concupiſcentia titillat, nulla vanitas elevat, nulla eum delectatio mulcet. Quam liber eſt a jocis, & ludis, & cæteris vaniſſimis deſideriis! Totus dolore occupatus, triſtitia abſorptus, ſic omnia mundi gaudia & oblectamenta deſpicit quaſi mortuus.

III. Placet hic inſerere Joannis Chryſoſtomi perpulchram conſiderationem de domo luctus, & de domo conjugii, quam more ſuo
(*a*) luculentiſſime in quadam homilia (*a*) proſequitur, dicens: Et ſi vultis, duas domus deſcribamus, hanc quidem nubentium, hanc vero lugentium: mente utramque ingrediamur. Videamus utra melior? Invenietur enim lugubris ſapientiæ plena, nuptialis autem plena confuſionis. Nam turpia verba, incompoſitus riſus, incompoſitiores locutiones, & veſtis, & inceſſus deformitate plenus, verba multæ fatuitatis & ſtultitiæ plena, & aliud omnino nihil: riſus omnia, & deriſio quæ ſunt illic. Non nuptias carpo; abſit: ſed quæ ſunt in nuptiis. Tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus fiunt præſentes: hi quidem ut equi hinniunt, hi autem ut aſini calcitrant, multa effuſio, nihil ſtudioſum, generoſum nihil; diaboli pompa, cymbala & tibiæ & cantica fornicationis, & adulterii plena. At non ita illic ubi luctus: omnia compoſita, multa requies, ſilentium multum, correctio multa, inordinatum nihil, nihil incompoſitum: ſi quis aliquid locutus fuerit, omnia ſunt philoſophiæ plena. Et id quidem mirabile, quod per illud tempus, non modo viri, verum & familiares & mulieres ſapienter agunt. Talis enim eſt luctus natura,

A & videntur quidem lugentem conſolari: plurima vero totius philoſophiæ plena loquuntur. Quarto, tribulatio convertit hominem a peccatis, & reducit ad Deum, & facit hominem redire ad cor, & divinam miſericordiam poſtulare: ſicut ſcriptum eſt: *Converſus* *Pſal.* 31.
ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Facit etiam hominem timere Deum, & revereri, & deſiſtere a peccatis, & clamare ad Deum, & divinum adjutorium poſtulare: ſicut dicitur in Pſalmo: *Clamaverunt ad* *Pſ.* 106.
Dominum cum tribularentur. Et iterum: *In* *Pſal.* 17.
tribulatione mea invocavi Dominum. Quinto,
B avocat hominem a deſiderio hujus vitæ, & facit cogitare de morte, & deſiderare cœleſtis patriæ tranquillitatem. Unde cum Elias perſecutionis anxietate fatigatus ſederet ſub junipero, petivit animæ ſuæ ut moreretur, & ait: *Sufficit mihi, tolle animam meam;* *3. Reg.*
neque enim melior ſum, quam patres mei. Et 19.
quotidie idipſum contingere ſolet fatigatis & tribulatis, ut ſupplicent humiliter Deo, ut de præſentis vitæ miſeria eos eripiat, & a præſenti ſæculo ſolvat. Sexto, hominem exercet, patientiam probat, meritum auget. Propter quod Apoſtolus: Gaudemus, inquit,
C *in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio pa-* *Rom.* 5.
tientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem. Septimo, dat gloriæ conſequendæ fiduciam: Diviti enim avaro dictum eſt, *Fili, recordare quia recepiſti bona* *Luc.* 16.
in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. Signum enim eſt divinæ acceptionis, ſicut ſcriptum eſt: *Ego quos amo, arguo, & caſtigo*. Et Apo- *Apoc.* 3.
ſtolus: *Quis* eſt *filius quem non corripit pater*. *Hebr.* 12.
Et e contra: proſperitas hujus vitæ reprobationis indicium eſt, ſicut ibidem Apoſtolus ait: *Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus par-*
D *ticipes facti ſunt omnes; ergo adulteri, & non* (*b*)
filii eſtis. Et Gregorius (*b*): Continuus ſucceſſus rerum temporalium, ſignum damnationis æternæ eſt.

IV. Multas alias utilitates confert nobis tribulatio, propter quod Dominus Sanctos & electos ſuos, ſemper in hac vita pati voluit tribulationes, ſicut ait Pſalm. *Multæ tribu-* *Pſal.* 33.
lationes juſtorum. Et iterum: *Quantas oſten-* *Pſal.* 70.
diſti mihi tribulationes multas, & malas, &c. Vide a principio mundi, & perlege catalogum Sanctorum, & non videbis aliquem ſine tribulatione vixiſſe. Vide Abraham amiE cum Dei, Jacob, Joſeph, Moyſen, Job, David, omnes Prophetas; & in novo teſtamento, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, omnes per multas tribulationes introierunt regnum Dei. Unde Joannes cum per revelationem vidiſſet Sanctorum gloriam & civitatem ſanctam Jeruſalem, ſicut ipſe ait: *Vidi* *Apoc.* 7
turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis,

(*a*) Homil. 62. ad Popul. Antioch., cujus argumentum eſt: *Quod utiles ſint moderatæ tentationes ad omnes, & Deo ſerviens tribulationem expectare debet*. Vide poſt initium deſcriptionem a S. Oratore indicatam, cujus verba leguntur apud Chryſoſtomum uſque ad ea: *Plurima vero totius Philoſophiæ plena loquuntur*.

(*b*) Vide Moral. lib. 5. initio.

pulis, & linguis, ſtantes ante thronum in in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, &c.; quæſivit ab eo unus de ſenioribus, dicens: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & unde venerunt?* Et ille ait: *Domine mi, tu ſcis*. Gloriam & felicitatem eorum video, ſed qui ſunt, aut unde venerunt, penitus ignoro. Et ait illi: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna*. Vides gloriam. Vides candorem. O ſi ſcires cum quanta tribulatione illum promeruerunt! Nullus eſt illorum, quos ſtolis albis indutos vides, qui non mille paſſus ſit in mundo anguſtias, & tribulationes. Ecce hoc dictum eſt Joanni. Væ cæcitati, væ ſtultitiæ & errori noſtro, qui per delicias & ſolatia ad illorum ſocietatem pervenire putamus; qui ſine pugna & victoria coronas ſperamus, cum ſcriptum ſit: *Non coronabitur, niſi qui legitime certaverit*. Unde, ut ait Chryſoſtomus (*a*): ſimiles ſumus mulieribus & pueris ſedentibus in theatro, aſpicientibus, mirantibus, laudantibus certantes & præliantes in agone, & non deſcendentibus in prælium.

2. Tim. 2.

(*a*)

V. Quam ridiculum, quam ſtultum eſt, ſi finito agone petamus coronas, poſtulemus bravium, qui omnes labores fugimus, qui nullam pugnam ſuſtinere curavimus; ſed ſolemus nos excuſare, quod ſumus debiles, fragiles, infirmi, & delicati! Propter hoc ad confuſionem noſtram objicit nobis hodie Sancta Mater Eccleſia, non Petrum aut Paulum, non viros Apoſtolos robuſtiſſimos, ſed Sanctum Quiricum puerum & Matrem ſuam, Martyres glorioſos; ut videamus eorum martyria: & confundamur, quod neque puerum, nec mulierem fragilem imitemur. O ſpectaculum digniſſimum! Non valde miror Petrum crucifixum, Stephanum lapidatum, Bartholomæum excoriatum; viri erant Spititu ſancto pleni, robuſti, & fortes. Sed quam glorioſum, videre puerum (*b*) tenerrimum & delicatum, laniatum flagellis, exaratum ungulis, mille tormentis diſcerptum, quaſi leproſum plagis ulceratum, & invictum! O egregium triumphum quo in puero de mundo & de diabolo triumphaſti! In hoc puero tuam Domine potentiam & fortitudinem oſtendiſti, in hoc te Deum eſſe monſtraſti. Quam verum eſt quod ait Apoſtolus: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. Ecce divina virtus in puero infirmo, quantam oſtendit fortitudinem, quam mirabilem pietatem! Quale etiam ſpectaculum fuit, videre matrem filii dirum agonem ſpectantem, exhortantem, laudantem, gaudentem! Videt filium laceratum, & exultat: videt morientem in tormentis, & gaudet. Ubi materna viſcera? Ubi parentis pietas? Ubi amor matris? Ubi naturalis illa compaſſio filiorum? O potentiſſima charitas Dei! omnia

(*b*)

1. Cor. 1.

viceras, omnia abſorpſeras, ſic namque totum cor illius mulieris occupaverat Dei amor, ut oblitam naturæ faceret, nullumque in ea locum relinqueret compaſſionis. Duplex in hac matre martyrium colimus: prius enim fuit martyr in filio, quam in corpore ſuo. Non ſic admiror quod dolores proprios toleravit, ſicut quod de filii doloribus exultavit. Tales ſunt, quos Joannes vidit amictos ſtolis albis, & palmas manibus tenentes, tales qui cum Angelis coram Agno ſtantes clamabant: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum & Agno*. Non ibi vidit aliquem delicatum, non aliquem voluptuoſum, non aliquem ex his qui ſericis induuntur, qui dormiunt in lectis eburneis, qui in ampliſſimis domibus habitant, qui opulentiſſimis dapibus veſcuntur, qui dies ac noctes in ludis & voluptatibus conſumunt. Sed de his quid ſcriptum eſt? *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*.

Apoc. 7.

Job 21.

VI. Sed jam propter quid Dominus Sanctos ſuos in hac vita ſuſtinere voluerit tribulationes, audiamus. Decem ſuper hoc rationes ponit Beatus Chryſoſtomus (*c*) in homilia prima, quarum aliquas nunc breviter perſtringemus. Primo, ad humiliationem, ne de donis & gratia Dei ſuperbiant; tanta enim donorum, & favorum, & conſolationum cœleſtium gratia in eorum cordibus inundavit, ut niſi contra poſitis tribulationibus & infirmitatibus firmarentur, nullo modo poſſent in humilitate perſiſtere. Unde Apoſtolus: *Ne magnitudo revelationum extollat me; datus eſt mihi Angelus Satanæ qui me colaphizet*. Hoc eſt enim appendere aquas in menſura, ut ait Job: ſic gratias tribulationibus contemperare, ne obruant poſſidentem. Secundo, ad purificationem; ut eos, ſcilicet, ab omni temporalium amore & deſiderio purificent. Sicut enim conflator aurum & argentum in fornace ab omni plumbo & ſcoria purificat, ut ex eo vaſa pulchra, pretioſa, & admiranda conficiat; ſic Deus quaſi aurum in fornace electos ſuos in hac vita probat, ut eos in cœleſti palatio ſplendidos & rutilantes, quaſi vaſa pretioſa in menſa ſua conſtituat. Et ſicut armamentarius arma diu jam rubigine & ferrugine fœdata oleo ungit, & ferro polit, & quaſi ſpeculum, fricando, nitida ac clara reddit: ſic quoque Dominus Sanctos ſuos otio torpentes, intus Spiritu ſancto ungit, & foris tribulatione tergit, ut ab omni terrenæ cupiditatis rubigine, & mundanæ affectionis ferrugine purificet. Tertio, ad meritorum & virtutum cumulum. Nam quantis eos meritis & virtutibus Dominus probaſſet, ſi tribulationibus non eos exercuiſſet? Quo pretio putas darent (*d*) modo Sancti Martyres in cœlo, tormenta & martyria non ſuſtinuiſſe?

(*c*)

2. Cor. 12.

Job 28.

Sap. 3.

(*d*)

(*a*) Hæc apud Chryſoſt. non reperi. Simile aliquid habet S. Bernardus Serm. de S. Clemente Papa, & Mart. num. 4. *Videtis quomodo ad nihilum redacti ſumus, & ſicut ſolent mulieres, aut parvuli, pugnantes laudamus alios, pugnare ipſi non poſſumus*.

(*b*) Vide Bollandi continuatores ad diem 16. Junii.

(*c*) Homil. 1. ante medium, ubi octo habentur.

(*d*) Editio Rom.: *eſſent*; & infra: *ſi non ſuſtinuiſſent*.

O quomodo beatificant gladios & ignes quos passi sunt! O quantas Deo gratias agunt! Quales exultationes & lætitiæ laudes emittunt, laudantes & benedicentes eum, qui per dolores & afflictiones, ad tantam eos gloriam sublimavit. Voces eorum in Psal-
Psal. 89. mo considera: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala*. Et iterum: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Quarto, ad eorum illustrationem in hoc mundo, & ut eos nobis relinqueret in exemplum. Nisi enim sanctum Job tribulationibus pulsasset, virtus quæ in eo intus latebat non emicuisset, & nisi Sanctum Quiricum tormentis exposuisset, quantus in eo fortitudinis thesaurus latens non apparuisset! itaque celebres & clarissimos coram toto orbe Sanctos tribulatio facit. Quale in eis nobis Dominus patientiæ, fortitudinis, & tolerantiæ exemplum præbuit! ut, scilicet, imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Granum piperis & synapis, nisi confractum & emolitum fuerit, quid intus caloris & vigoris lateat non apparet. Quinto, ad alterius vitæ persuasionem. Cum enim videamus Sanctos Dei amicos, qui pro Deo in hac vita talia passi sunt, & semper afflictos & vexatos nullam operis sui mercedem in hoc mundo recepisse: aliam esse vitam, in qua laborum suorum retributionem accipiant, non
2.Cor.11. ambigimus. Quid enim? Paulus semper in laboribus, semper in periculis, semper, sicut ipse ait, in tribulationibus, & mortibus frequenter pro Deo, nullam pro tantis sudoribus ab eo mercedem accipiet? Ubi ergo est Dei judicium? Hoc argumento facile suadetur, aut Dei providentiam non esse, aut certe aliam vitam esse. His & aliis rationibus satis innotescit, quanto Dei consilio & providentia, electi Dei in hoc mundo semper affligantur.

VII. Sed forte dicet aliquis: Nonnullos Sanctorum magnas sustinuisse tribulationes notissimum est: sed tamen de aliis non videtur. Nam plures in pace & tranquillitate vixerunt, & non per crucem, sed per devotionem, & eleemosynas, & delicias spirituales ascenderunt ad gloriam. Sed si hoc ita est; quomodo ait Joannes de omnibus:
Apoc. 7. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione?* Quomodo ait Apostolus: *Qui pie volunt vi-*
2.Tim.3. *vere in Christo, persecutionem patientur?* Pro hoc advertendum, quod duplices sunt tribulationes; quædam corporales & exteriores, aliæ spirituales & interiores. Et istæ secundæ majores sunt, quam priores. Primas frequenter passi sunt justi, sed multo frequentius secundas, quas tamen mundus ignorat. Sunt autem multæ hujusmodi interiores tribulationes, scilicet, compunctionis, tentationis, mundanæ conversationis, æmulationis, dilationis. Prima spiritualis tribulatio justorum est continua compunctio peccatorum. Oderunt namque peccata valde, & plus plorant & dolent de levibus, quam alii de mortalibus. Quia enim valde diligunt Deum, horrent etiam leviter illum offendere: & quia valde diligunt munditiam cordis, valde dolent & tristantur, quia eam, prout volunt, propter humanam fragilitatem obtinere non valent. Ex quo nascitur secunda tribulatio tentationis: nam omnem malam inclinationem gravissime sustinent, & sit eis intolerabile tormentum pondus carnis. Videntes enim, aliam legem in mem- *Rom. 7.*
bris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem eos sub lege peccati: fatigantur & dolent plurimum exclamantes cum Apostolo: *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Exterius quoque multas patiuntur tentationes, quia totus mundus fit eis tentatio, quia contradicit eorum proposito & intentioni. Unde Gregorius (*a*): (*a*)
Tot habet justus tentationes, quot habet mundus voluptates. A dæmonibus quoque gravissime tentantur: nam mundanos non curat dæmon, quos sine tentatione possidet: sed,
Habac.1. sicut ait Propheta: Esca ejus electa; propterea Sanctos vehementer infestat.

VIII. Tertia tribulatio eorum est conversatio mundanorum; nam fit eis acerbum & grave videre mala & peccata, quæ fiunt sub sole, & malorum mores tolerare, & videre contemptum Dei, & prævaricationem malorum: sicut Psal. ait: *Super inimicos tuos* *Ps. 138.*
tabescebam. Unde Petrus ait de Loth: *Aspe-* *2.Petr.2.*
ctu & auditu justus erat: habitans apud eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Quarta tribulatio æmulationis est & zeli: quando, scilicet, vident pauperes oppressos & afflictos, quando vident plurimos Christianos pereuntes & labi in peccata: sicut Apostolus ait: *Quis infir-* *2.Cor.11.*
matur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Sunt enim pii & misericordes, & tristantur de malis proximorum valde ex nimia compassione. Unde Psal. *Zelus domus tuæ comedit me*. Quinta tribu- *Psal.68.*
latio est dilationis gloriæ: nam sicut Dei præsentiam cupiunt, ita & dissolvi & esse *Philip.1.*
cum Christo; sentiunt hujus vitæ exilium, & est eis valde molestum vivere: dicentes cum Propheta: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ* *Psal.41.*
panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? Quando veniam? Quando apparebo? Quando introibo in tabernaculum admirabile usque ad domum Dei? Felices qui sic tribulantur. Beati qui hujusmodi sentiunt amaritudines. Has mundus non sentit: longe enim sunt a cordibus mundanorum; has sentire, donum Dei est. Quis enim propter Dei absentiam fatigatur? quis desiderio videndi Deum vexatur? quis inco-

(*a*) Moral. lib. 10. cap. 24. *Quod peccatores voluptatem æstimant, hoc justi proculdubio pœnam putant*. S. Bernardus Serm. 28. de Divers. num. 4. *Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere videtur; tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir justus*.

incolatum vitæ hujus graviſſime portat? Cui vita præſens amara eſt? quem proximorum afflictio torquet, quem Dei proximique zelus excruciat? quis animarum ſalutem cum lacrymis & dolore zelat? Rarus eſt homo qui has tribulationes experiatur & ſentiat. Anima autem juſti, his amaritudinum flammis veluti in ferrea ſartagine aſſidue frigitur; A unde Propheta (*a*): Oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt. Donet nobis Dominus has ſpirituales amaritudines ſic guſtare, ut per eas ad æterna gaudia cœleſtis patriæ pervenire mereamur: ubi cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. (*a*) *Pſ.* 101.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI

CONCIO PRIMA.

DE ANGELIS, ET EORUM PERFECTIONIBUS.

Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me uſque in Idumæam? Pſal. 107. v. 11.

(*b*) §. CONCIO CLXXXX.

I. VERI, & legitimi filii (*b*), B civiſque clariſſimi ſupernæ civitatis Jeruſalem verba ſunt, ex exilio & peregrinatione in cœleſtem patriam anhelantis, & in concivium ſuorum gloriam ſuſpirantis. Attendit mala quæ patitur, conſiderat bona quibus privatur, & cupiens carere illis, frui iſtis, anhelo ſpiritu exclamat: *Quis deducet me in civitatem munitam?* civitatem fortem, muratam, ſecuram, pacificam, tranquillam, quietam, ubi nullus timor, nulla anxietas, nulla afflictio, nulla turbatio, nulla ſolicitudo? *Quis deducet me uſque in Idumæam* illam felicem, rubeam, purpuream, empyream, igneam, flammeam; *Ezech.* 1. cujus omnes cives ſunt veluti carbones ardentes, *& aſpectus eorum quaſi aſpectus lampadarum?* Omnes deificæ charitatis igne ſuccenſi, & potentiſſimo illo incendio divini *Iſaiæ* 31. amoris inflammati, ab illo utique *cujus ignis eſt in Sion, & caminus ejus in Jeruſalem.* *Pſ.* 103. Ille enim eſt *qui facit Angelos* ſuos *ſpiritus*, *& miniſtros* ſuos *ignem urentem*. Duo autem ſunt, quæ inter cætera Prophetæ animum ad illius civitatis deſiderium promovent, & quod munita, & quod Idumæa eſt, id eſt tranquillitas, & pulchritudo: de quibus in præſenti ſermone, juxta ingenioli noſtri vires, tractabimus. Vos autem, Fratres, non quid de tam præclara civitate dicamus, ſed quid dicere geſtiamus, attendite, ſicut beatus Auguſtinus (*c*) ait in meditationibus: (*c*) De Deo quidem creatore omnium, qui eſt incomprehenſibilis, & ineffabilis, excelſa, & mirabilia omni remota ambiguitate legi- C mus, loquimur, & ſcribimus: de Angelis autem quicquid dicimus, non tam evidenter probamus. Cujus ratio eſt, nam Deum, & ejus gloriam, pulchritudinem, & æternitatem, tum ejus opera, tum Scriptura ſancta ab illo revelata, tum interior ejus guſtus, & inſpiratio ſatis aperte nobis objiciunt, & demonſtrant: Angelorum autem, & inviſibilium illarum poteſtatum nullum exterius opus videmus, nullum interiorem guſtum ſentimus, nullum inſpirationis veſtigium experimur. Scriptura quoque de eis adeo ſuccinte,

---

(*a*) Ita ex Pſalterio Romano, ubi nos legimus: *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt.*

(*b*) Diximus in præfatione S. Oratorem juſſu Prioris Generalis Ordinis concionem habuiſſe recurrentibus Comitiis Provincialibus. Porro Salonius, ex quo id accepimus, Vitæ lib. 1. cap. 10. concionem illam die Dominico, in quem Feſtum S. Michaelis inciderat, habitam fuiſſe aſſeverat. Tum vero ſermonis thema, & initium idem omnino cum concionis hujus themate, & initio deſcribit, addens S. Oratorem ad hæc verba, obortis lacrymis præ affectus magnitudine in cœleſtem patriam, ita conticuiſſe, ut non leviter mirarentur auditores. Ex his ſuſpicari quis poterit eandem hanc eſſe concionem, quam tunc temporis recitavit Sanctus Thomas, proindeque extemporalem minime fuiſſe, quod tamen in præfatione aſſerere non dubitavimus eodem auctore Salonio. Verum eandem prorſus concionem non eſſe jure affirmabit quicumque concionem ipſam cum iis, quæ ab eodem Salonio enarrantur, contulerit. Etenim bipartitam concionem illam fuiſſe refert, cujus prima portio, bonitatem divinam pro cuſtodia Angelorum proſequebatur, altera vero de Ordinum Religioſorum utilitate in Eccleſia, agebat; quæ certe concioni huic non quadrant. Eſto igitur aliqua, quæ tunc ex tempore dixit S. Orator, potuerit ſcripto deinde committere, aut forte ex adverſariis ſuis in memoriam revocare cum dixit, non tamen inde conſequitur eandem eſſe concionem. Quamquam etſi rerum ordo in hac concione idem eſſet cum deſcripto a Salonio, extemporalem tunc non fuiſſe concionem, adhuc non evinceret; cum ſæpe ex tempore aliqua dicantur, quæ deinde limatius ſcripto traduntur vel contractiori, vel fuſiori ſermone, eodem plane ſervato ordine. De Angelis, præter quam in concione altera de hoc Feſto, agit S. Orator Conc. in Dom. 3. poſt Pentecoſt.

(*c*) Seu quiſquis auctor eſt meditationum olim Auguſtino adſcriptarum, quæ nunc in Append. tomi 6. rejectæ ſunt. Vide cap. 27. §. *Sed quando.*

cinte, & ænigmatice loquitur, ut quantumvis doctus, & peritus, nihil fere aliud certum, & indubitatum de eis asseverare audeat, nisi quod sunt, & quod multi sunt, & quod Domini creatoris sui ministerio deputati sunt. Qualis autem sit illa cœlestis respublica, quibus regatur legibus, quibus ritibus disponatur, quibus usibus adornetur; qui mores, quæ officia, quæ exercitia in ea sint, quomodo vivant, quomodo intelligant, quomodo loquantur, quomodo inter se conversentur, videre oculis, si Deo propitio, nobis datum fuerit, aliquando poterimus intelligere, certe modo ex libris minime sufficimus. Sed neque de eorum creatione, cum de omnibus aliis sensibilibus late loquatur, neque unum quidem verbum in libro Geneseos Scriptura commemorat: quando scilicet creati sunt, ubi creati sunt, quales creati sunt, aut quomodo creati sunt. Nomina quoque eorum, exceptis tribus, Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis, vix unquam in Scripturis legimus: neque Seraphim uspiam nomen (*a*), nisi tantum semel in Isaia, in tota Scriptura positum invenimus. Propter quod natura illa Angelica sublimis, & excelsa, sicut a sensu, & intuitu nostro, sic quoque ab intellectu, & judicio longe semota est: neque de illius gloria, & celsitudine quidpiam affirmare possumus, quod aut ratione certa, aut firmo Scripturæ testimonio roboretur.

(*a*) *Isaiæ* 6.

II. Si qui in hac peregrinatione de Angelis aliquid attingunt, hi sunt qui puritatis, & innocentiæ candore illis assimilati, orationi, & contemplationi vacantes, a mundi strepitu, & tumultu sequestrati, in absconditum vultus Dei a conturbatione hominum absconsi, illorum aliquale commercium, & colloquium meruerunt: quorum etsi caro in terris, tamen *conversatio in cœlis est*. Sed neque hi quod de eis noverunt, nobis quovis modo indicare possunt; sicut neque Apostolus Paulus, cum in tertium cœlum raptus, beatas illas paradisi mansiones felici intuitu perlustrasset, mundo redditus, aliud renunciare potuit, nisi quod *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Nobis autem, qui a felici illorum commercio, propter mundi solicitudines, & lubricam vitam longe sumus, nulla relinquitur via, per quam in eorum aliqualem notitiam conscendamus, nisi per animam nostram: quæ & naturæ conditione, & intelligentiæ vigore, & arbitrii libertate, illis quam proxima, & quam similima est: *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus* carnis absconditum, & præclariſſimam margaritam luteo ergastulo impressam, depositum certe pretiosum, & inæstimabile, nobis a Deo commissum, suo tempore reddendum: de quo clamat Apostolus ad suum discipulum: *O Timothee depositum custodi*. Hæc est decima drachma perdi-

Psal. 30. *Philip.* 3. 2. *Cor.* 12. *Ibid.* 4. 1. *Tit.* 6. *Luc.* 15.

ta, quam divina sapientia eversa domo, & accensa lucerna, solicite quæsivit, & reperit: quæ Angelicis ordinibus annumerata, decimum constituit chorum, & cœlestem illam civitatem denario numero perficit, & decorat. Unde licet natura juxta propheticum vaticinium, paulominus ab Angelis minorata sit, sed æqualem cum eis sortitur gratiam, & gloriam, sicut in Apocalypsi legimus: una est *mensura hominis quæ est Angeli*: propter quam genuinam similitudinem, in ea quasi in quodam simulacro effigiatam Angelicam celsitudinem possumus intueri. Sed quo nam modo hoc fiat, latius ostendamus.

Psal. 8. *Apoc.* 21.

III. Vulgata est satis illa Philosophi (*b*) sententia, quod species rerum sunt sicut numeri: quoniam sicut superaddita unitate in numeris, nova fit species numeri; sic quoque superaddita perfectione, nova fit species rei. Est enim in rebus lapis, & cætera insensibilia, quasi unitas solummodo habens essendi subsistentiam: cui si superaddatur vita, fit planta: quæ quasi binarius, esse habet, & vitam: cui rursus sensus superadditus, reddit brutum: quod quasi ternarius, triplici unitate, esse, vita, sensuque potitur: huic si superaddas rationem, fit homo quadruplici unitate constans, esse, vita, sensu, ratione. Jam huic quaternario inquirimus, quam unitatem addat Angelus, ut in quinario numero, quasi natura superior collocetur: qua reperta, facile haberi poterit Angeli diffinitio, sed hanc quamvis diu in ea quærenda desudes, non invenies. Quicquid enim in Angelo perfectionis agnoscitur, hoc in rationali anima reperitur, licet perfectiori modo sit in Angelo, quam in anima. Est enim anima rationalis, natura quædam spiritualis, incorporea, incorruptibilis, immortalis, intellectualis, libera, capax Dei, habens intellectum, & voluntatem sicut Angelus, sed non ita perfecte sicut Angelus; propter quod paulominus dicitur ab Angelis minorata, quia videlicet nullam, ut in cæteris superaddat Angelus unitatem, sicut planta lapidi vitam, jumentum plantæ sensum, homo jumento rationem superaddit. Ac perinde multum distat a lapide planta, quasi vivens a non vivente; multum quoque planta a jumento, quasi sentiens a non sentiente: multum a jumento homo, quasi rationale ab irrationali. Sed non eodem modo de Angelo, & homine, vel ejus anima dicere poterimus, eo quod omnino easdem Angelus, & anima rationalis habeat unitates.

(*b*)

IV. Quid enim habet Angelus præter intellectum, memoriam, & voluntatem? Has omnes potentias etiam habet anima, sed non ita perfecte eis utitur sicut Angelus, maxime in hac vita, in qua intellectus rudis, memoria labilis, & voluntas mobilis est. Cum labore intelligimus, cum lubricitate me-

(*a*) Ita Hieronymus in cap. 6. Isaiæ. *Seraphim autem præter hunc locum in Scripturis Canonicis alibi legisse me nescio.*

(*b*) Aristot. Metaphysicor. lib. 8. cap. 3.

memoramur, cum inſtabilitate diligimus. Quantus labor in addiſcendo, quanta oblivio in memorando, quanta varietas in amando! Nonniſi longo, & laborioſo diſcurſu, veluti canis olfactu lepores, cæcutiendo inquirimus veritatem: ad quam vix unquam poſt diutinam meditationis, & ratiocinationis inquiſitionem, cum animi vexatione, & afflictione pertingimus. Nam anima rationalis quamdiu corpori eſt alligata, mendicat a ſenſu, & rerum egena ad phantaſmata corporea ſeſe convertit: eſtque forma naturalis corporis, qua ignobilitate ingenuitas Angeli libera eſt. De nobis ajebat Salomon hanc
Eccle. 1. ob rem: *Qui addit ſcientiam, addit & labo-*
Sap. 9. *rem*. Et cuncta quæ ſunt invenimus cum labore, nam exempli gratia, hunc ſermonem quem vobis prædico, non ſubito intuitu percepi, ſed cum multa anxietate (*a*), multis horis, hac & illac animo, diſcurrendo collegi. Quid etiam dicam de voluntatis noſtræ mobilitate, & inſtabilitate? Quid diu placuit in hoc ſæculo? Ecce quod modo placet, poſtea diſplicet: quod nunc ſummo deſiderio concupiſcimus, poſt modicum ſummo
Eccli. 40. faſtidio horremus. Graviſſimum certe *jugum*
Job 15. *ſuper filios Adam a die* ortus ſui, *uſque in diem ſepulturæ* ſuæ, nunquam in eodem ſtatu permanere, nullam animo firmitatem habere. Quoties toto animi conatu propoſuiſti Deo ſervire, a ſæcularibus blanditiis, & tumultibus ſequeſtrari, peccata abjicere, Deo vacare, ſolis æternis, & cœleſtibus inhiare; & vix cœpiſti, cum jam in oppoſitam affectionem totus omnino permutatus es? O duriſſimam ſortem, o acerbiſſimam conditionem, continue volvi, ſemper agitari, ſemper mutari, nunquam idem eſſe, ſemper a ſeipſo diſſentire! Quando finiet iſtud? Quando erimus, ubi ſicut non erunt vo-
(*b*) lubiles cogitationes noſtræ (*b*), neque ex uno in aliud euntes, & redeuntes, ſed unico intuitu omnia videbimus; ſic quoque non erunt mutabiles affectiones noſtræ, unum poſt aliud ſitientes, ſed unico gaudio plene replebimur, & integre ſatiabimur? Erit utique hoc, quan-
2. *Cor.* 15. do erit Deus omnia in omnibus, quando ſicut ſcriptum eſt: Æquales erimus Angelis
Matt. 22. Dei. Magna fœlicitas Angelici intellectus, non diſcurrit, neque laborat, neque inquirit, ſed unico intuitu omnia, quorum naturaliter eſt capax, perſpicit, & cognoſcit: ſicut & nunc apertis oculis, quæ in proſpectu ſunt, ſine diſcurſu, & labore, clare, & aperte intueor, & cognoſco. Quicquid etiam intelligendo percipit, nunquam labitur a memoria, fixum & immobile in eo perſeverat quod ſemel impreſſum eſt: voluntas quoque illius omnino invertibilis eſt, tenaciter tenet omnem affectum quem ſuſcepit, non poteſt ei diſplicere quod placuit, neque valet a ſemel placito reſilire, fixa & immobilis perſeverat in eo quod diligit. Unde beati Angeli, Deo in principio ſuæ creationis adhærentes, in ejus gratia, & charitate ſtatim confirmati ſunt: dæmones vero per oppoſitum ab eo averſi in ſua nequitia illico obſtinati ſunt: propter quod erunt illi ſemper beati, & iſti ſemper miſeri. Vides certe in quo præſtat Angelus animæ rationali: da mihi intellectum creatum, ſimplici intuitu naturaliter videntem omnia quæcumque intelligit, & voluntatem creatam immobiliter ſecundum naturam tenentem omne quod amat, hic eſt Angelus: quod ſi paululum pertranſieris, invenies quem diligit anima tua. Sed de hoc alias.

V. Effigiavi vobis Angelum, ut potui, *Cant.* 3. qui ſecundum ea quæ dicta ſunt, ſpiritus quidam eſt creatus, incorporeus, & incorruptibilis, non unibilis corpori, ut forma, ſimplicis intellectus, & invertibilis voluntatis: ſimplicem intellectum voco, qui ſuapte natura non diſcurrit, neque ratiocinatur ex cognitis ad ignota. Sed quanta ſit horum ſpirituum potentia, magnitudo, ſublimitas, ſapientia, pulchritudo, nobilitas, claritas, quis in eis ordo, quæ vita, quoniam a ſenſu longe ſemoti ſunt, penitus ignoramus, niſi ea ſolum, quæ de his Spiritus ſanctus in ſacris libris typico eloquio, & ſub ænigmate ſenſibilium, quaſi cæcutientibus parvulis inſinuare dignatus eſt. Unde ſi quid in rebus ſenſibilibus, pulchrum, pretioſum, fulgidum, inſigne, decorum, hoc ad effigiandam nobis Angelicam celſitudinem, teſte Dionyſio (*c*) aptatur, & ſumitur. Ad inſinuandam (*c*) enim eorum claritatem, & multitudinem, comparantur ſtellis, ſicut apud Job legimus: Ubi eras, quando me laudabant aſtra matu- *Job* 38. tina? Et in Pſalm. *Qui numerat multitudi-* *Pſ.* 146. *nem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Ad oſtendendam vero eorum pulchritudi- *Ezech.* nem, & nobilitatem, comparantur gemmis, 28. ſicut apud Ezechielem legimus, novem gemmarum differentias in Luciferi ornatu, novem Angelorum ordines, quibus præpoſitus fuerat, deſignantes: quorum lapidum virtutes ſi plenius noſceremus, & Angelicas illas poteſtates clare vidiſſemus; quam apta eſſet iſta comparatio, & quam conveniens ſimilitudo, utique noſceremus. Ad oſtendendam vero eorum potentiam, & virtutem, ſub ſpecie multorum curruum ignitorum in monte apud Eliſeum apparuerunt, ut in quarto li- 4. *Reg.* 6. bro Regum legimus: quoniam in tota natura ſenſibili nihil activius, nihil eſt potentius igne. Ad explicandum vero eorum obedientiam, & ſubjectionem, qua Deo præſidenti in omnibus, & per omnia ſine ulla contradictione obediunt, apud Zachariam in ſimi- *Zach.* 6. litu-

(*a*) Difficultatem nonnihil exaggerare videtur S. Oratoris humilitas, nam certum eſt eum plurimum ingenio valuiſſe nedum in ſcholaſticis, ſed in oratoriis quoque exercitationibus, licet memoriam nactus non eſſet ingenio parem.

(*b*) Verba ſunt S. P. Auguſtini lib. 15. de Trinit. cap. 16. quæ expendit S. Bonaventura in 3. Sent. diſt. 14. art. 2. quæſt. 2. in reſp. ad 1., ut notavimus ad Conc. 6. in Feſto Aſſumpt. B. V. M., & ad Conc. in Feſto S. Thomæ Apoſt.

(*c*) Vide cap. 2. de Cœleſt. Hierarch.

litudinem grandis exercitus equorum alborum, & variorum, uno ſolo ſeſſore viſi ſunt. Sunt etenim,& potentiſſimi,& obedientiſſimi, *Pſ.* 102. juxta illud: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus;* & illud: *Job* 9. *Sub quo curvantur qui portant orbem.* Ad inſinuandam quoque intellectus eorum altitu- *Iſaiæ* 6. dinem, & ſublimitatem ab Iſaia ſex alis alati conſpiciuntur, quorum præpeti volatu creata cuncta tranſcendunt. Ad oſtendendam etiam eorum fortitudinem, & impermutabilem ordinem, in ſpecie caſtrorum a Patriarcha profugo viſi ſunt. Unde cum vidiſſet eos proti- *Gen.* 32. nus ait: *Caſtra Dei ſunt hæc.*

VI. His & aliis multis, per ſenſibilium formas, cœleſtium illarum poteſtatum pulchritudo, virtus, & excellentia, nobis a Spiritu ſancto in ſacris eloquiis, prout capere poteramus, varie deſcripta eſt: quæ etiam ex geſtis eorum, & operibus mirificis, in Scriptura ſacra relatis, evidentius, & apertius poterunt innoteſcere. Quantæ enim virtu- *Exod.* 11. tis, & poteſtatis fuit, omnes Ægyptiorum primogenitos una nocte occidere; maris fluctus ſiccare; currus, & exercitum Pharaonis ſubmergere; tot gentes, & tam robuſtas evertere; & populum Iſrael in terram eo- *Ibid.* 17. rum introducere! Quæ tamen omnia unus Angelus, cui populus a Deo commiſſus eſt, *Joſue* 4. qui eundem populum in deſerto in columna *& infra* nubis per diem, & in columna ignis per no- *Exod.* 13. ctem præcedebat, operatus eſt: cujus tanta fuit potentia, & majeſtas in datione legis, toto illo monte, in quem deſcenderat, to- *Exod.* 19. nante atque coruſcante, ut non ſolum ille populus, & ſeniores populi, ſed etiam ipſe *Ibid.* 33. Moyſes, qui facie ad faciem cum Domino loquebatur, perterritus accedere pertimeſceret. Neque minus admiranda illorum trium *Gen.* 19. Angelorum potentia, qui Sodomam, & Gomorrham cum confinibus civitatibus, ſulphureis ignibus incenderunt, totamque illam regionem incendiis, & fulminibus abſorptam, *Iſaiæ* 37. in lacum bituminis redegerunt. Quid etiam dicam de illo Angelo, qui una nocte in exercitu Sennacherib, pluſquam octoginta millia *2. Reg.* 24. hominum ſuffocavit? Et de illo, qui in area Jebuſæi, ſtricto gladio apparens, tot hominum millia, non gladio ſed peſte conſumpſit? Non valde mirabimur hæc, ſi orbes illos cœleſtes, tam vaſtos, & amplos, ſingulos a ſingulis ſpiritibus, tanta velocitate, & uniformitate, tot ſæculis ſine ullo velocitatis, aut tarditatis augmento, vel decremento, moveri conſideraverimus. Bone Deus, quanta eſt virtus, quæ talem molem tali velocitate, *1. Theſ.* 4. ſine fatigatione ulla tanto tempore circumgirat, & volvit! Denique ad vocem Archangeli, cum terribili tuba inſonuerit, totus ſuſcitabitur mundus: totum terrarum orbem, a ſummo uſque deorſum, a convexo cœli uſque ad infimum abyſſi, penetrabit illa vox,

VII. Quanta virtus, quanta poteſtas! ſed neque minor eſt eorum decor, & pulchritudo. Abunde nobis ſufficeret ad hoc probandum, decor ille domus cœleſtis, quam inhabitant, pulchrum certe domicilium hujuſmodi habitatoribus dignum, ut ex habitaculi ſpecie, quales ſint qui intus lateant, liceat conjectari. Veluti ſi quis ex papilione holoſerico & purpureo, latentem intus intelligat regiam & imperatoriam majeſtatem. Quid in rebus corporalibus pulchrius cœlo, tot aſtris, tot luminaribus inſignito, ac veluti ſeminato? Sed neque omnimodam ejus pulchritudinem videmus, multo certe pulchrius eſt, quam apparet. Nam ſi aſtronomiæ creditur, omnis ſtella quæ viſu diſcerni poteſt, major eſt tota terra, ſed propter diſtantiam incredibilem modicæ lucernæ ſimilis apparet. Cogita nunc quanta eſt magnitudo orbis, in quo tam innumera multitudo luminarium tam ingentium ſparguntur, quorum tam immenſa vaſtitas, ad tam exiguam propter nimiam altitudinem in aſpectu videntium redigitur parvitatem. O potentiam conditoris, o artificis majeſtatem! Quomodo lætabimur, quomodo oblectabimur, Fratres,cum hanc fulgidam & ſplendentem aulam beatis oculis luſtrabimus, & felicibus greſſibus inambulabimus! Hanc modo incolunt cœleſtes illi ſpiritus beati, qui ſummo deſiderio noſtrum præſtolantur adventum. Qualis aula, tales aulici, imo multo pulchriores & ſpecioſiores; omnis enim corporalis pulchritudo, ad illam immaterialem eorum ſpeciem comparata, deformitas quædam & turpitudo eſt. Quid enim? artifex ille qui ex deformi terra, & viliſſimo fimo, pulcherrimas & odoriferas educit roſas, ardentes gemmas, & ſpecioſiſſimas plantas producit; ex tam nobili & excelſa natura quales depinget flores! quas pulchritudines effigiabit! Videamus nunc ſi conſonat his rationibus Scriptura. Loquebatur Moyſes cum Angelo in monte Sinai diebus quadraginta, ut ſuſciperet legem: deſcen- *2. Cor.* 3. dens de monte, ex illius colloquio tam im- *Exod.* 34. menſo fulgore facies ejus reſplenduit, ut non poſſent intendere in eum filii Iſrael, ſed impoſito velamine ſuper oculos cum eis loqueretur. Admirandum certe ſtupendumque miraculum! penſate, Fratres, quantus erat fulgor in Angelo, qui talem impreſſit ſplendorem in vultu. Virgo etiam illa ſacra ſuper omnes fœminas benedicta, dum Archangelum *Lucæ* 1. Gabrielem cœleſtia ſecreta nuntiantem ſubito aſpexit intuitu, turbata eſt in ſermone ejus: ſed non de ſermone tantum, ſed etiam de aſpectu. Erat enim, ſicut ait Auguſtinus (*a*), facie rutilans, veſte coruſcans, in- (*a*) greſſu mirabilis, aſpectu terribilis. Quem, obſecro, non turbaret, quem non dejiceret inſpectus ille fulgor, ſi ex viſu ejus Virgo deifera perterrita eſt? Angelus qui ad Redemptoris ſepulchrum in die reſurrectionis *Matt.* 28. appa-

(*a*) Serm. 195. in Append. num. 2. noviſſ. edit., olim de Sanctis 18., & poſt in Append. 25. qui ſermo ineruditi eſt hominis, judicio Lovanienſium.

apparuit, solo aspectu feroces custodes non solum perteruit, sed solo prostravit, ac propemodum exanimavit: *Erat enim aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix.* Joannes ille dilectus Domini, qui supra pectus ejus in cœna recubuit, & ex sacro Dominici pectoris fonte Euangelii fluenta potavit, qui velut aquila grandis sublimi volatu cœlestia secreta rimatus, mundo redditus, sublime illud Euangelii exordium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, plenis faucibus eructavit, & potentissimo eloquio pertonuit, viso Angelo cum illo loquebatur, & pulchritudinem ejus admiratus, sic vehementer expavit, ut nisi prohiberetur, solo prostratus illum adorasset, Deum proculdubio suspicatus, quia nihil in orbe illa pulchritudine quam videbat, majus aut speciosius reperiri posse putabat: sed prohibuit eum Angelus dicens: *Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu:* non sum ego Deus tuus o Joannes. O quanto pulchrior & speciosior est illa majestas quam diligis! quasi fœnum aridum, sic est hæc pulchritudo quam miraris ad illam: opus ejus, & factura ejus sum, sicut & tu: *Deum adora.* Et ille quidem ex inferioribus Angelis erat. Quid si unum ex principibus gloriæ, quid si aliquem Cherubim, aut Seraphim vidisset? Quanto amplius stuperet?

Joan. 18. *Matt.*28. *Ezech.* 17. *Joan.* 1. *Apoc.*19.

VIII. Libet nunc modicum speculari, quanta erit illa ecstasis, & admiratio animæ sanctæ, quando ex hoc ergastulo carnis egressa, subito omnem illam cœlestem militiam intuebitur: quando in tabernaculum illud admirabile intra sancta sanctorum ingressa, tam innumeram multitudinem, & tam variam potentissimarum, & pulcherrimarum creaturarum, coram Deo lætantium, & ovantium, beatis oculis inspexerit. O quam immensa jucunditas, cum tali societati seipsam perpetuo associandam agnoverit! O quomodo admirabitur, quomodo expavescet, quomodo affluet, & dilatabitur cor ejus, & tota penitus deficiet præ lætitia! Regina Saba venit olim a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ingressa Jerusalem, cum vidisset domum ampliſſimam, divitias, & potentiam, & ordinem, & ornatum ministrorum, pulchritudinem pincernarum, & Principum assistentium, expavit, & non remansit in ea spiritus præ stupore. Sic admirata est mortalis mortalem. Quid putas faciet anima, quæ ex captivitate Babylonis subito in cœlestis Jerusalem opulentiam rapitur, non Principis cujuspiam terreni, sed omnipotentiam Dei domum, potentiam, ministerium, divitias, delicias, ornatum, & Principum ministrantium pulchritudinem, multitudinem, gloriam intuitura? Clamat Propheta hujus contemplationis admiratione commotus: *O Israel, quam magna est domus Dei, & quam ingens locus possessionis ejus!* Vere magna, quia *magnus* est *Dominus* Deus *noster:* denique talis qualem decet omnipotentiam majestatis. Quis hujus domus amplitudinem, ministrorumque multitudinem cogitare sufficiet? *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Imo sicut ait Job: *Numquid est numerus militum ejus?* Transcendit namque, sicut ait Dionysius (*a*), supernarum mentium multitudo, infirmam atque constrictam materialium numerorum commensurationem. Unde Propheta: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis.* Et cum sit tam innumera multitudo, nulla ibi confusio, nulla dissensio, nulla inquietudo, sed summa pax, & tranquillitas, & mirificus ordo. Job: *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Pulchritudo vero, & ornatus eorum, qualis decet domesticos Dei, tantæ celsitudinis servitores. Unde Propheta invitans peregrinantem Ecclesiam ad supernæ illius civitatis amplitudinem contemplandam: *Respice*, inquit, *Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur: quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster. Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia.* Quam pulchre, quam diserte, amplissimam illius cœlestis reipublicæ felicitatem descripsit. *Oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam*, id est, omnibus divitiis, & deliciis refertam, omnibus gaudiis, & suavitatibus plenam, omnibus denique bonis, quæ desiderari possunt, abundantissime supereffluentem: tali utique affluentia, qualem suspicari, vel intelligere possumus in tali Principis cellario, cui præsto est omne quod placet. O quam saturos, quam pingues, & refertos, domesticos suos habet illa domus; quam multa, & quam varia ferculorum opiparorum abundantia, voraces illos spiritus tam innumeros replet, & satiat illa mensa! *Inebriabuntur*, inquit alius Propheta, *ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos:* ita ut extendantur, æstuent, & eructent a nimia satietate. Mira affluentia, quæ tantum exercitum tantorum Principum, tot sæculis, imo in sæculorum sæcula affluentissime pascit, & reficit, neque unquam deficit, sed semper abundat, & superabundat.

Pſ. 146. *Dan.* 7. *Job* 25. (*a*) *Pſal.* 67. *Job* 25. *Iſaiæ* 33. *Ibidem.* *Pſal.* 35.

IX. Et non mirum, quia ibi potissimum magnificus ostenditur Dominus Deus noster. In terra enim misericordia ejus, in inferno justitia, in cœlo magnificentia monstrantur. Ibi divitiarum ejus inexhauribilis thesaurus, infinita majestas, & imperialis munificentia palam fit: quis sit Deus, quid possit & valeat, & quam ample retribuat his qui diligunt

Pſal. 8.

*Exod.*26. *Iſaiæ* 60. 3. *Reg.* 10. *Baruch* 3.

(*a*) De Cœlesti Hierarch. cap. 14. initio.

gunt illum. Sed qualis est ille populus, quod idioma tam elegans & sublime, ut non possimus intelligere disertitudinem linguæ ejus? Quis inter eos velut hebes, & nullius sapientiæ judicatur? Nunquid loquuntur Græce, Latine, vel Hebraice? Non certe, non tale est idioma cœli, sed unusquisque alteri viscera sua pandit, & quicquid intus latet, oculis inspectoris objicit. Non ibi fraus, non hypocrisis, non dolus, & simulata dilectio, ut decipiant de vanitate in idipsum; sicut hic: sed ibi intima cordis patent, ut sunt. Propter quod civitas illa auro mundo, similis vitro mundo describitur a Joanne, quia civium cœlestium corda & claritate fulgent, & puritate translucent. Sed quam velox & diserta lingua, quæ non temporis intervallo syllabatim loquitur, sed longissimam orationem mente conscriptam, simul totam objicit intuenti, ut subito intuitu videat, quod multis horis non possunt ore proferri! Neque in tota illa civitate aliud officium reperitur, nisi laus & benedictio Creatoris. Omne opus ejus jucunditas & lætitia: huic operi omnes intendunt. Vident & mirantur, mirantur & exultant, exultant & laudant, & quia laudare non sufficiunt, semper laudant: nunquam deest materia laudis, quia nunquam sufficit copia laudatoris. *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini:* non certe ad aliud, nisi *ad confitendum nomini Domini*. O qualis musica, o quam dulcis & suavis harmonia, quis tantorum cantorum modulatas cantilenas valeat explicare? Si nos in hac vita vocum humanarum, aut chordarum, aut organorum concentus ab hominibus inventus, & exquisitus, sic delectat & rapit, quid faciet illa musica, quam non humana peritia, sed Angelica format industria? Quæ non corporeis vocibus foris perstrepit, sed interioribus affectibus interius dulcescit, tanto utique suavius, quanto intimius? Talis est, Fratres, cœlestis illa Jerusalem, talis est Angelorum patria, ad quam properamus: imo multo pulchrior & perfectior est populus ille beatus, cui convivemus. Non lætamini: non oblectamini: non rumpini præ gaudio, quia tam cito hujusmodi civibus annumerandi estis, perpetuo cum eis & cum Domino regnaturi?

Psal. 61. *Apoc.* 21. *Ps.* 121.

X. O infelix nimium & misera anima, ut quid terrenis consolationibus inhias; cur vilissimis hujus carnis voluptatibus oblectaris; cur mundialibus curis & perituris solicitudinibus distenderis, civis Jerusalem, & cœlestis regni particeps mox futura? Quid vana & vacua gaudia curas, cui tanta jucunditas & lætitia post modicum præstanda est? Quid tibi & mundo; quid ad te de sæculi divitiis, & deliciis, cui tantum dignitatis & gloriæ fastigium reservatur? Credimus ista, Fratres? Certe credimus: at si credimus & speramus, cur non insequimur? Nam si vera in nobis fides, & certa spes; unde tam lethalis oblivio, tanta segnities, rerum temporalium tam anxia sitis, & æternorum bonorum tam lenta cupido? O si vel tenuissimo lucis suæ radio, mentis nostræ oculos, illius cœlestis gloriæ, quo tendimus, immarcessibilis claritas, vel quasi subitum fulgur raptim perstringeret, quomodo raperet ad se animas nostras! Quanto illius desiderio flagraremus! Quibus vocibus & affectibus cum Propheta clamaremus: *Quis deducet me in civitatem munitam? Quis deducet me usque in Idumæam?* Sic æstuabat ille, qui illius desiderio totus absorptus dicebat: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subtus me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum:* populum fulgidum, decorum, nobilem, beatum, & glorioſum: populum hilarem, festivum & jucundum: *cujus est Dominus Deus ejus.* Sic quoque alius ardebat, qui profusis lacrymis, & gemitibus inenarrabilibus, jucundam illam societatem sitientibus, attenuatis oculis suspicientibus in excelsum & quotidie cœlestes illas mansiones a longe salutantibus, & gliscentibus, sicut pullus hirundinis sic clamabat: *Educ de* carcere *Deus animam meam, ad confitendum nomini tuo. Ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ:* ad laudandum *cum hæreditate tua. A te* enim *quid* aliud *volui super terram? Unam* solam *petii* a te, *banc requiram, ut inhabitem in domo tua, omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem* tuam, & faciem tuam, *& visitem templum* tuum. *Ut placeam coram te in lumine viventium*, ut hac felici & jucunda societate fruar tecum in æternum, in tua perpetua & immarcessibili gloria. Erat filius legitimus & civis verus Jerusalem, & ideo sitit venire ad eam. Bernardus (*a*): Filios Babylonis non delectant cantica Sion: qui plantati in terra, ex exilio patriam, & civitates fecerunt, non noverunt ista suspiria. O quam rarus hodie, qui optet dissolvi & esse cum Christo; qui dicat: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est:* imo qui vocatus ad cœlum non exeat cum tristitia! Unde tanta tepiditas in orando, tanta negligentia in operando, tam modica resistentia in resistendo, nisi ex hac oblivione? Psal. 136. *Si oblitus fuero tui Jerusalem, &c.* Ita est, & lingua adhæret in orando, & manus torpet in operando, si adest oblivio præmii ad excitandum desiderium, & torpentes affectus. Sed quis de hac superna civitate, & de ejus civibus idoneus concionator? Si Paulus qui vidit & lustravit, audivit arcana, quid nos qui neque vidimus, neque lustravimus? Novo lumine & gratia opus est: petamus eam, ut ad illam civitatem nos perducat Jesus Christus Dominus noster. Amen.

Psal. 59. *Habac.* 3. *Ps.* 141. *Ps.* 105. *Psal.* 72. *Psal.* 26. *Psal.* 55. (*a*) *Ps.* 136. *Philip.* 1. *Ps.* 119. 2. *Cor.* 12.

IN

(*a*) Lege Serm. 59. in Cant. num. 4., ubi de hoc elegantissime pro more suo agit S. Bernardus.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI

CONCIO SECUNDA.

EXPOSITIO EUANGELII: ET DE AMORE QUO ANGELI HOMINES PROSEQUUNTUR.

Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Matth. 18. v. 10.

§. CONCIO CXCI.

I. *Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne scrutatus fueris*, ait Sapiens. Quid enim opus est homini, majora se quærere; cum sint tot communia, & utilia, quæ scire magis expediat, & minore acquirantur labore? Sapiens mercator ubi pretiosiores invenerit merces, ibi abundantiores sumptus expendit: ita est omnis scriba doctus in regno cœlorum. Hæc ideo dixi, quia natura Angelica, quo perfectior est, eo a nostra cognitione amplius aufertur, est enim valde a sensibus nostris remota, unde omnis cognitio nostra originem ducit. Quid ergo de Angelis differere possumus, quos nunquam vidimus, & quorum nullam experientiam habemus? Sed neque Scriptura de eis nisi succincte loquitur. Scio plurimos de illis longum ordiri tractatum, sermonemque protrahere: sed ubi de Scriptura non habetur testimonium, divinare mihi magis videntur, quam demonstrata tradere. Supervacuum igitur, ne dicam temerarium, modo videbitur, coram populo de Angelis disputare, quomodo sunt, quomodo operantur, quomodo distinguuntur, quomodo intelligunt, quomodo loquuntur ad invicem, quomodo mittuntur ad nos, quomodo nos instruunt, & similia quæ in scholis dubie & varie tractari solent, omniaque opinionibus plena sunt. Satius judico ad nostram eruditionem Euangelicam lectionem exponere, in qua plurimum est doctrinæ: & ne de Angelis omnino taceamus, eorum solicitudinem erga nos, & quo erga eos debito teneamur, brevi sermone percurremus, Angelorum Reginæ & auxilio, & favore, prius more solito implorato mente pia dicentes:

Eccli. 3.

Matt. 13.

AVE MARIA.

II. Quærunt discipuli a Magistro veritatis in veritate quæstionem satis curiosam, sed minus utilem. *Quis putas major est in regno cœlorum?* Ex tot Patribus sanctis, qui nos præcesserunt, dic nobis Magister optime, qui omnia nosti, quis meritis & sanctitate præcedit? Abraham, David, Moyses, Job, vel alius ex Prophetis? Talis modo curiositas nonnullos ex Christianis solet exercere, usque ad rixam & contentionem, videlicet quis inter discipulos major? Baptista, an Euangelista? & inter Prophetas quis doctior, Moyses, an David? quorum dicta scire melius esset, quam de eorum meritis disputare. Habuit tamen ortum hæc quæstio ex quadam prævia contentione, ut narrat Mathæus: nam iter agente Domino, Apostoli inter se conferebant, *quis eorum videretur esse major;* postea vero cum domi essent, qui præsens ad omnia semper est, quæsivit ab eis, de quo in via contenderent, quid inter se tractassent. Illi autem deprehensi a Domino in sermone ambitionis, erubescentes primo tacuerunt, deinde respondere compulsi, mutato eloquio, quasi de aliis quærunt: *Quis putas major est in regno cœlorum?* Quia vero ideo quæsierat ab eis disceptationem, ut curaret ambitionem, ita quæstionem solvit, ut morbum magis curet. Advocato igitur parvulo, cui Martialis, ut fertur, nomen erat (*a*), statuit illum in medio eorum, & ait: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Acsi diceret, disceptatis inter vos, quis vestrum major sit futurus in regno cœlorum; ego dico vobis, ut videatis an illuc ingrediemini: hæc enim disputatio vestra longe est ab ingressu regni cœlorum, quo per humilitatem tenditur. Excluſa igitur ambitione, solvit quæstionem dicens: *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.* Ut dicunt quidam, more suo dum unum innuit, aliud loquitur Dominus: sicut quando de templo corporis sui locutus est: ita nunc non de parvulo illo, sed de seipso loquitur (*b*): qui cum esset Dominus omnium, pro nobis parvulus factus est: cui conformari oportet quicunque regnum cœlorum ingressurus est: & qui similior est illi, hic major est in regno cœlorum. Cui, quia præ omnibus similior Virgo fuit, ideo proculdubio ipsa major est in regno cœlorum: illa enim humiliavit se sicut parvulus iste. Nam ille *cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens:* illa cum mater Dei esset, semetipsam humiliavit, fabro sancto deserviens. Inde de se-

Matt. 18.

Luc. 22.

Matt. 18.

(*a*) *Ibidem.*

Ibidem.

Joan. 2. (*b*)

Isaiæ 9.

Philip. 2.

(*a*) Ita Glossa in cap. unic. *de Sacra unctione*, & Lyran. in cap. 18. Matth. v. 2. Verum alii S. Martialem non hunc fuisse, sed puerum illum censent, de quo Andreas ait ad Christum: *Ecce puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, &c.* ut habetur Joann. 6. v. 9. Cum enim S. Martialis unus ex 72. Discipulis dicatur, qui deinde a B. Petro prædicandi Euangelii causa in Gallias missus, Lemovicensem fundavit Ecclesiam, ac proinde jam tum natu grandis, non potuit tunc uti parvulus a Christo advocari; potuit vero nominari puer, tametsi juvenis, juxta Hebræorum morem, a quibus homines etiam grandioris ætatis, pueri dicebantur nonnunquam.

(*b*) Glossa in cap. 18. Matth. v. 2. *Vel se statuit in medio, qui non venit ministrari, sed ministrare.*

Lucæ 1. ipsa ait: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes:* generationes, inquam, cœli & terræ: & si omnes beatam dicent, super omnes utique erit.

III. Sed quamvis hæc ita sint, quod ad propositum spectat, ex Domini responso hoc aperte colligitur, quod quanto quisque apud seipsum humilior extiterit, eo apud Deum major erit: & ille in regno cœlorum erit maximus, qui in exilio terreno fuerit humillimus: & quo in oculis propriis quisque magis vilescit, eo amplius in oculis Dei magis splendet. O præclarissima virtus humilitas, quæ tuum ita possessorem exaltas! Noverant hoc sancti Dei homines, qui ferventiori studio seipsos humiliare studuerunt, quam soleant mundani homines ad gloriam anhelare; amplius in despectu sui, quam sæculares in honore gloriantur. Unde & de
(a) beato Francisco legitur (*a*), nimis zelare, & speciali invidia invidere, si quem despectiorem, contemptibilioremque seipso, pannosioremque videret, statimque, quo ad ejus fieri poterat, conari ne in hoc ab aliquo vin-
Aggæi 2. ceretur. Qui enim seipsum per omnia dejecit, secum quoque omnia permutabat; sicut scriptum est: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis Gentibus,* quo ex fastigio Deitatis humiliato, permutata sunt omnia cum illo; paupertas in divitias, fletus in gaudium, abjectio in honorem, labor in quietem, tribulatio in prosperitatem, dolor in delicias, ac proinde humilitas in altitudinem commutata est; ipseque descensus permutatus est in ascensum. Nulla ergo major altitudo est, quam propter Deum profunda humiliatio. Unde sicut jure optimo paupertati cœlestes divitiæ, & fletui lætitia, & esuriei saturitas, & labori quies, & persecutioni gloria promittitur: ita quoque contraponendo, infimæ humilitati suprema debebitur altitudo: ac proinde qui se amplius humiliaverit, am-
Lucæ 14. & 18. plius exaltabitur. O via Domini quam abscondita es, & quam a mortalium sensibus abstracta! Quomodo ad Deum miseri mortales pertingetis, qui per viam superbiæ semper inceditis? Quorum omne studium est, ut in hoc mundo semper sublimiores appareatis, honoribus fulgeatis, & cæteris omnibus imperio & dignitate superiores efficiamini. Si enim qui despectior fuerit, major erit in regno cœlorum: qui glorioſior fuerit in hoc mundo, despectior erit, non in regno cœlorum, sed in baratro tartarorum.

IV. Sed ponderandum est verbum Domini: *Qui se humiliaverit sicut parvulus iste.* Matt. 18. Non inquit, qui humiliatus fuerit, sed qui seipsum humiliaverit: neque quolibet modo, sed sicut parvulus iste: sunt enim quos propria facinora humiliant etiam invitos: de quibus Psal. 118. *In veritate tua humiliasti me:* sunt etiam quos inopia rerum abjectos hominibus facit, non voluntate sed vi: hos ego humiliatos dixerim, non humiles, quos peccatorum sarcina premit, inopia dejicit: non exaltabuntur isti, quia non se humiliant, sed humiliantur. Si quid enim de se humile
B sentire videtur, aut dicere, teste Chrysostomo (*b*), non illud humilitas, sed veritas est: (*b*)
sicut fuit illa oratio Publicani accusantis se. Luc. 18. Vera enim humilitas est (*c*) de culmine se (*c*)
dejicere, & in suprema gloria inglorium se præbere. Sunt etiam, ut ait Sapiens, qui Eccli. 19.
nequiter se humiliant in hypocrisi & dolo, ut humiles videantur, quorum ironia despicabilis est. Isti etiam si operibus polleant, quia pro eis temporalem gloriam quærunt, non exaltabuntur in regno cœlorum: non enim se humiliant ut parvulus iste, vere & simpliciter, sed falso, ficte, & malitiose.
C Non ergo illis promittitur exaltatio, sed veris humilibus: qui cum magni sint, in veritate tamen exinaniunt semetipsos, in veritate & simplicitate cordis omnium se servos exhibentes, omnium se ultimos reputantes, & crucem Domini in suo corpore jugiter cir- 2. Cor. 4.
cumferentes. Propter quod & Deus exalta- Philip. 2.
bit illos, sicut exaltavit parvulum istum, & donabit eis nomen super omne nomen sæculi hujus, ut videlicet filii Dei nominentur, & 1. Joan. 3.
sint, qui inter filios Adæ ultimos se locaverunt. Sed valde terribile est quod dicitur: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis* Matt. 18.
D *in regnum cœlorum. Durus est sermo iste, &* Joan. 6.
quis potest eum audire? Nostis, Fratres, puerorum mores, nostis parvulorum conditiones & ingenium, quanta in eis innocentia, quanta simplicitas, quanta puritas, quanta sit & veritas, & humilitas: non sunt in eis concupiscentiæ turpes, non ambitiones, non cupiditates, non temporalium divitiarum curæ, non anxiæ solicitudines, non malitiæ, non fraudes, non suspiciones, non odia, non jurgia, non omnia denique vitia, quæ cum adultis adolescunt. Filius Imperatoris ludit cum filio pastoris, non est ibi dedignatio,
E non ambitio, non apud eos quis sum ego, & quis tu? non aliud corde aliud ore monstrant, omnia vera, omnia sancta, omnia pura, qua de re & ipsi pueri nominantur (*d*). (*d*)

O fe-

(*a*) S. Bonaventura in Legenda S. Francisci cap. 7. circa med. *Si quando pauperiorem se quempiam, secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum, protinus arguens excitabat ad simile, tamquam si æmula paupertate concertans, vinci se timeret in illo.*

(*b*) Homil. 39. ad popul., ante med. *Humiliavit se Publicanus, licet nec humilitatis factum id erat, sed juste, quodammodo se dijudicavit.*

(*c*) S. Bernardus Serm. 13. in Cant. num. 3. *Magna, & rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.*

(*d*) Quamvis alias huic voci *puer* etymologias Latini Scriptores assignent, ut apud Vossium videre est; inepta tamen ea non videtur, quam hoc loco innuit S. Orator, cujus auctor extitit Dionysius Cartusianus, ut notat Bisciola Horar. subseciv. lib. 2. cap. 17.

O felicem ſtatum puerorum, o ætatem auream infantilem! Adde intellectum pueris, & quid erunt pueri, niſi humanati Angeli? Vigent namque in eis ſenſus, nitet color, ſplendet vultus, nativaque hilaritas arridet, puritas redolet. Adde, inquam, illis intellectum, & quid erit puerulus, niſi effigiatus Angelus? O quoties dum eos video, acclamare ſoleo, & imprecari, non ut eorum corpus creſcat, ſed ut ipſorum creſcat intellectus. Vere bonum erat eis ſic eſſe, donec veniat Chriſtus.

V. Hunc igitur puerorum ſtatum poſt canitiem quis imitabitur? O quam difficile, ne dicam impoſſibile eſt, ut ad pueri innocentiam iterum redeat homo, cum jam in malis ſenuerit, & in vitiis ſuis conſenuerit, (a) & cor amurca (a) peccatorum tabidum in priſtinam reduci puritatem difficile eſt, facilius utique refici poterit quam reduci! Unde Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus*. Crea, inquam, nam creare facilius eſt, quam mundare: reficere quam reſtituere. Facilius dixerim profecto in illa puerorum ſimplicitate & puritate permanere, quam poſt corruptam & inveteratam naturam, in illam redire; & citius invenies qui in ea a principio permanſerint, quam qui ad illam poſt malitiam *Matt.*18. redierunt. Et tamen clamat Dominus: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*. O tremendam ſententiam, o dictum formidandum! Reduc me Domine in virtute tua, & in potentia tua redige me in priſtinam illam pueritiam: nam hæc muta- *Pſal.*76. tio vere non meæ virtutis eſt, ſed dexteræ excelſi. Unde non ait: niſi efficiatis vos, ſed: *niſi efficiamini ſicut parvuli*: quia ab alio, videlicet non a nobis, hæc repueratio in nobis implenda eſt: non enim noſtri arbitrii ſolius opus eſt, ſed etiam divinæ gratiæ munus. Et propterea licet impoſſibile videatur, non tamen de illo diffidendum, apud *Lucæ* 1. quem non erit impoſſibile omne verbum. *Matt.*18. Sequitur in littera: *Et qui ſuſcipit unum parvulum talem*, ſcilicet qui propter me ſeipſum parvulum fecit, *me ſuſcipit*: qui *autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Terribilis comminatio! Omitto (b) nunc ſpiritualem beati Gregorii ſenſum (b), quo litteram iſtam ad religioſos devolvit, dicens: melius illis fuiſſe in ſæculo curarum mola comminui, & ſolicitudinum anxietate premi, quam poſt aſſumptum religionis habitum, taliter vivere, ut ſimplicibus diſſolutionis & turpitudinis ſcandalum præbeant. In ſæculo namque non ita eorum diſſolutio notaretur, nec in aliorum vergeret detrimentum, ſicut cum ex habitu & religione auctoritatem habet & honorem: ſimplex enim malum eſſet, quod male viverent, nunc autem dupliciter rei ſunt, & quia ſub ſpecie ſanctitatis mali ſunt, & quia eorum exemplo alii mutantur ad malum.

VI. Omiſſo igitur iſto ſenſu, ad litteram verbum Domini exponamus. Vere etenim cuilibet ſcandalizanti melius eſſet, quamlibet, & quantumcunque duram & atrocem mortem oppetere, quam proximum ſcandalizare, id eſt, quam peccati mortalis & æternæ damnationis proximo cauſam exiſtere. Si enim arripere pallium vel tunicam alicujus malum eſt, uxorem vero pejus, & vitam deterius; quanto omnium horum peſſimum eſt ejus animam interficere, eam æternis ignibus perpetuo torrendam adigere? Quis enim damnationis alterius reus eſſe ſuſtineat? Væ igitur qui devorat plebem Domini ſicut *Pſal.*13. eſcam panis: quibus pro bucella eſt ſimplices quoſque offendere, & in odium & ſcandalum mittere. Væ qui ſeminant doctrinas falſas, & in errorem mittunt ſimplices, & a fide eos faciunt aberrare. Væ mulieribus ſe fucantibus, ut ſua pulchritudine alliciant oculos ad peccatum. Væ aleatoribus, qui *Sap.*14. domos ſuas quaſi muſcipulas inſipientium pedibus parant. Væ prælatis, quorum vita ſubditis exemplum peccandi eſt, quibus deberent eſſe forma virtutis. De quibus beatus Gregorius (c) ita ait: Scire prælati de- (c) bent, quod ſi perverſa perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Væ diſcolis religioſis, quorum exemplo vivificandi erant ſimplices; & perduntur. Unde hodie in Eccleſia tanta tepiditas & iniquitas, unde tanta in omnibus avaritia & cupiditas, niſi quia in majoribus & proceribus illius, unde fulgere debuit ſanctitas, viget iniquitas: minores vero majorum veſtigia ſequuntur? Un- *1.Petr.*3. de cum paſtorum venerit Paſtor, ovium ſuarum ſanguinem de manu eorum ſeveriſſime requiret. Væ demum omnibus iſtis & ſimi- *Ezech.*3. libus, qui infernum animabus ſimplicibus repleverunt, & portæ inferi ſunt; per quos multi in perditionem eunt. Nunquid non melius illis fuiſſet mille mortes ſubiiſſe, quam tanti reos criminis eſſe? O quam horrendum *Matt.*16. tibi eſſe deberet, ut propter te aliquis perpetuo ardeat in inferno! Mallem utique, Fratres, centum homines corporaliter peremiſſe, quam unam animam perpetuo incendio tradidiſſe: ſi ex ſolo damno culpa penſanda eſſet, & non ex arbitrio. Si enim ſanguis Abel ſic clamat ad Dominum in fra- *Geneſ.*4. trem occiſorem, quanto fortius clamabit ſanguis animæ perpetuo damnatæ, in ſuum interfectorem! O quomodo conqueruntur, quomodo vociferantur, o quomodo maledicunt, & im-

(a) Juxta vim nominis *amurca* ſordes olei ſunt, non quæ in fundo vaſis jacent, & fæces appellantur, ſed quæ ad ſuperficiem feruntur.

(b) Moral. lib. 6. cap. 37. num. 57. *Quia nimirum, perverſæ menti expeditius eſſe potuiſſet, ut occupata mundo terrena negotia ageret, quam per contemplationis ſtudia, ad multorum perniciem vacaret.*

(c) Regul. Paſtoral. part. 3. cap. 4., & refertur a Gratiano 11. q. 3. c. *præcipue*.

& imprecantur omne malum apud Dei juſtitiam in eos, qui eis tanti mali & miſeriæ cauſa fuerunt, & offendiculum poſuerunt, ut in tale præcipitium ruerent!

VII. Et quantum hic clamor apud Deum valeat, audi Jeremiam Prophetam, imo Dominum per Jeremiam terribiliter perſonantem: *Quid niteris*, inquit, *bonam oſtendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas, & in alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentium?* O ſanguinolenta, plena ſanguinibus, & tot mortibus rea, non erubeſcis ita impudenter te mihi poſt tantum ſanguinem exhibere familiarem, & meam quærere dilectionem? cui non ſatis fuit teipſam peccatis tuis fœdare, ſed inſuper alios docuiſti vias tuas? & in alis tuis, id eſt peſſimis operibus & exemplis, quibus veluti alis fama volat, repertus eſt ſanguis, non corporum mortalium, ſed animarum immortalium, pauperum, & innocentium, quos tuo exemplo veluti gladio jugulaſti, & perpetuis ignibus tradidiſti? Et poſt hæc omnia tu mecum glorioſus & beatus in cœlo regnabis, plenus deliciis, propter quem gemitibus ſempiternis tot animæ ululant in inferno? Audiant hæc ſcandalizatores, & contremiſcant, & non coram Deo bonam oſtendant viam ſuam, quaſi innocentes ſint & juſti, ſed accuſent & increpent vitam ſuam coram Deo, & ponant *in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes*. Neque in propoſito zelus & amor Dei quæſitus, ſed temeritas & impudentia peccatoris redarguitur: qui dum peccatum ſuum deflere debuerat, Deo amicum ſe exhibet & familiarem. Caveamus igitur, Fratres, ſcandalum præbere puſillis, & dare illis occaſionem ruinæ: ſufficiunt nobis peccata noſtra, non ſimus apud Deum etiam alienorum peccatorum rei. Nos enim poſt peccatum corrigere poterimus cum Dei auxilio, ſi volumus, ſed non ſic in noſtra erit poteſtate corrigere quos læſimus. Qui enim ſcandalo obedivit, forte non obtemperabit conſilio: & videbis fratrem in tuo exemplo labentem: nec ſuccurrere poteris pereunti. Unde in hoc quodammodo ab alienis peccatis magis formidandum eſt, quam a propriis: quia ſcilicet minus noſtræ poteſtati ſubeſt eorum remedium, & medela. In tantum vero ſcandalum vitandum eſt, ut non ſolum temporalia lucra, ſed etiam ſpiritualia ad tempus intermittenda ſint, vel penitus omittenda, ne in eis puſillus ſcandalizetur. Audi Apoſtolum: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt;* iterum: *Si ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*. Noli dicere, ego recte ambulo, bona intentione hoc facio, quid mea de alio, ſi offenditur bono meo? Eruat ſibi oculos nequam, effodiat lividos oculos aut claudat. *An oculus* ejus *nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Quare ipſe judicat diem inter diem? Quis illum inter me & Deum conſtituit judicem? Noli, inquam, dicere hoc, multum ad te attinet de fratre tuo, multum ad te ſpectat de illius ſalute, quam ſi læſeris, perdes & tuam: ſanguinem enim ejus de manu tua requiret Deus. Hæc autem omnia quæ in tuum favorem citaſti, non in parvulos, ſed in Phariſæos dicta ſunt, quorum ſcandalum formidandum non eſt, quia non ex ſimplicitate, ſed ex malitia procedit: nunc autem loquimur de ſcandalo puſillorum, nam ita Dominus ait: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis:* non inquit unum de Phariſæis iſtis: ſed de illis alibi ita dixit: *Sinite illos, quia cæci ſunt, & duces cæcorum*.

VIII. Sed ſicut activum ſcandalum timendum eſt, ita & paſſivum: cave alium ſcandalizare, cave quoque, ne & ipſe ſcandalizeris ab alio. *Si oculus tuus*, inquit, *ſcandalizat te, erue eum, &c.* Non ad litteram ſuffodiendum oculum, aut præcidendam manum intelligas, ſed ſpiritualem oculum, aut manum, aut pedem, id eſt, amicum, qui tibi pro oculo eſt in conſilio, aut pro manu in auxilio, aut pro pede in lucro: etiam ſi dexter ſit, & ad bonum te inducit, ſi alias te in peccatum trahit, *projice eum abs te*, declina ab eo, fuge illius ſocietatem: melius eſt tibi ſine amico ſalvari, quam propter amicos periclitari: melius eſt carere bono conſilio, quam perire malo conſortio. Noli dicere, ſpiritualis eſt fœmina, de oratione, & contemplatione colloquimur; ſi alioquin ab ea ſcandalizeris, fuge ſancta colloquia, ne incidas in pravam concupiſcentiæ ſentinam. Poteſt etiam de membris corporeis littera intelligi: non ut abſcindantur corporali gladio, ſed ſpirituali, non eis utendo: claude oculum, & eruiſti: quid enim tibi oberit oculus clauſus, etiam ſi ſit ſanus? Cohibe manum a rapina, & ſcidiſti: averte pedem a via mala, & projeciſti: & ita in aliis dicendum eſt. Ultimo monet Dominus, non ſolum ut non ſcandalizemus parvulos, ſed ut etiam non eos contemnamus. Duplicem autem hujus aſſignat rationem: unam, quia *venit Filius hominis ſalvare quod perierat*, id eſt quia pro eis Filius Dei de cœlo deſcendere & mori dignatus eſt: alteram, quia apud Deum tanti fiunt, ut illis ſingulos Angelos deputet ad cuſtodiam: *Angeli* namque *eorum*, ait, *ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt*. Vere magna eſt dignitas animarum, ut unaquæque anima Angelum habeat ad ſui cuſtodiam deputatum, qui eam tanta ſolicitudine & cura cuſtodit, ut pretioſam margaritam & grandem theſaurum: nempe quia pro ea Dominus ejus vitam cum ſanguine dedit. Noli igitur pauperis exteriorem habitum, vel tabernaculum caduci corporis attendere, ſed inſpice inhabitantem ſpiritum nobiliſſimum, Dei imagine inſignitum, Angelorum ſocium, & cœleſtis Jeruſalem concivem, & quod majus eſt Filii Dei, qui ad tempus in iſto tabernaculo inhabitat ad militiam, egreſſurus inde ſuo tempore ad coro-

Jerem. 2. *Ezech. 3.* *Matt. 18.* *Ibidem.* *Thren. 3.* *Rom. 14.* *1. Cor. 8.* *Matt. 20.* *Ibidem.* *2. Petr. 1.*

coronam. Si sic homines inspicias, existimo, quod nullum deinceps contemnes, nullus tibi vilis apparebit. Hæc de Euangelio.

IX. Sed jam ad Angelos convertamur, & quanto nos amore prosequantur, & quo eis debito teneamur, aperiamus. Sunt quippe nobis natura amicissimi, ardentissimoque desiderio bonum nostrum desiderant: sicut e converso pessimi dæmones omni modo nostram cupiunt perditionem, usque adeo, ut videre sanguinem humanum effusum in bellis, eorum luxuria sit: & nonnisi humano sanguine invocati a Magis respondeant ad quæsita: tanta est eis sanguinis humani sitis. Angeli autem e converso has truculentas bestias a nobis abigunt, atque pro nobis decertant adversus eos, & veluti parvulos sua protectione tuentur. Regna autem & provincias majores Angeli gubernant, minores vero toto studio singulas animas ad nutum Dei custodiunt, de quibus Propheta commemorat dicens: Super te Jerusalem adhibui custodes, tota die ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini. O solertissimos vigiles, o fidelissimos civitatis Dei custodes! Quid esset de nobis, si non vestro præsidio custodiremur? Illud autem inter alia valde mirandum est, quod cum infidelium animarum, quarum custodes sunt, aut aperte, aut per conjecturam perditionem agnoscunt, non tamen propter hoc desistunt ab earum custodia, sed eas protegunt & instruunt, quantum divino nutu eis permittitur; scientes quia potens est Deus in lapidibus illis suscitare filios non solum Abrahæ, sed Dei. Neque tamen postmodum de illorum perditione tristantur, aut operam suam perditam existimant, quoniam voluntati divinæ per omnia conformes sunt, & sufficit illis injunctum officium ad Dei nutum fideliter peregisse. Quo igitur zelo putandum est zelare veros Dei sui cultores, si filiis gehennæ, qui solummodo in combustionem & cibum ignis reservantur, taliter patrocinari non dedignantur? Quis recensere poterit a principio sæculi, quanta & quam maxima bona sanctis hominibus per Angelos provenerunt? Lege sacros libros, & miram eorum benevolentiam erga nos, & beneficentiam reperies. De his tamen longum esset sigillatim exempla referre, sufficiat commemorasse celebrem illam egressionem ex Ægypto per Angelum factam, portenta innumera coram Pharaone, & in deserto patrata, siccatum mare, submersum Ægyptiorum exercitum, ducatum populi nube opaca per diem, & in columna ignis per noctem, assistentiam in periculo, adjutorium in bello, & innumera alia quæ omnibus notissima sunt. Similiter apud Ezechiam, nocte una per Angelum centum octoginta quinque millia Assyriorum occisa sunt, Eliseum vero Prophetam quantus ignitorum curruum exercitus per circuitum protegebat, quam secu-

Isaiæ 62. *Matt. 3.* *Isaiæ 9.* *Exod.* *Ibid. 14.* *Ibid. 13.* *Ibid. 17.* *4. Reg. 19.* *Ibid. 6.*

A rus erat vir Dei tali tantoque præsidio! Quid dicam de Abraham, Loth, Gedeone, Tobia, & Prophetis? quibus cum Angelis assidua conversatio fuit, quorum favore & auxilio mira inter homines facta gesserunt. *Gen. 18.* *Ibid. 19.* *Jud. 6.* *Tob 5.*

X. Sed unde, obsecro, Angelis tanta cum hominibus amicitia, unde pro eis tanta solicitudo? Ex tribus nempe (*a*), ut opinor; libenter enim nostri curam agunt, propter Deum, propter seipsos, propter nos. Propter Deum, qui eis hoc custodiæ officium injungit, & eos mittit *in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. Non igitur B dedignantur servire illis, quibus Dominus eorum e cœlo ministrare descendit: & sufficit eis, quod in hoc Domino suo placent: ad quod etiam valde eos invitat benedicta illa hominis forma, quam in Domino suo nimis amant, & venerantur. Non despiciunt homines, maxime ex quo Dominus eorum factus est homo. Norunt etiam, quia animæ justorum sedes Dei sunt, & equi potentissimi, quibus Dominus eorum insidet, in quibus etiam terribilia, & fortia operatur adversus phalanges dæmoniorum. Sicut igitur vernaculus equum Domini sui omni solicitudine C curat & mundat, quo non ignorat se multo præstantiorem esse, sed propter Dominum suum libenter servit jumento, cum sit ipse rationalis; ita Angelus licet natura nobilior sit homine, tamen propter Deum sessorem ejus, illi servire non dedignatur, sed omnia agit, quatenus Deo suo libeat insidere animæ, quam tam miro studio ornat & præparat: in qua cum assidere Deum viderit, ipse animo exultat. De hoc apud Zachariam ita legimus: *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & D post eum equi rufi, varii, & albi:* quorum etiam equorum infra quadruplicem quadrigam vidit. Hic vir Christus est: equus rufus ejus benedicta humanitas, purpureo sanguine rubricata: myrteta profundi, animæ sunt fidelium, inter quæ & pro quibus passus est, ut videlicet sui sanguinis pretioso imbre irrigata, miro fidei & sanctitatis virore reniteant. Exercitus autem equorum circunstans eum, animæ sanctorum sunt, quorum nullus sessor inspicitur alius. Sed tantum equos vidit, quia eorum sessor solus Dominus est, qui super equum rufum ascen- E dere visus est. Horum autem triplex erat differentia, nam quidam eorum rufi erant propter martyrium, quidam candidi propter virginitatem, quidam varii propter gratiarum & virtutum varietatem. Hujusmodi igitur equos Angeli libenter curant, & ornant Domino suo, ut super eos cum illi placuerit in prælium ascendat.

Hob. 1. *Sap. 7.* *Zach. 1.* (*a*)

XI. Deinde etiam hoc custodiæ munus propter seipsos exequuntur, nempe quia sicut civitatis suæ ruinas, non aliter quam per

(*a*) Similia habet S. Bernardus Serm. 1. in Festo S. Michaelis Archang. num. 4., sed fusius hæc tria expendit Sanctus noster.

homines reparandas, neque aliter antiquam illam civium ſuorum plenitudinem civitatem eorum recuperaturam eſſe, quam hominibus ad Angelicæ dignitatis gradum aſſumptis, ſicut ſcriptum eſt: *Judicabit in nationibus, implevit ruinas*. Lapides ergo vivos ut boni artifices ad ſtructuram ſuæ civitatis expoliunt, neque tamen dixerim homines ad hoc fuiſſe creatos, ut per illos Angelorum ruina reparetur: non enim propter Angelum, ſed propter Deum creatus eſt homo ſicut Angelus: quamvis enim nunquam cecidiſſet Angelus: nihilominus tamen homo conditus eſſet ad ſui conditoris gloriam, ad quam & nunc conditus eſt. Abſit abſit ut noſtræ naturæ, quam Deus ſic honorificavit, ut eam Angelis ſuperponeret, ita detrahamus, ut eam propter Angelum factam aſſeramus. Angelus namque ad Joannem non dominum, ſed conſervum ejus ſe nominat, & fratrem habentium teſtimonium Jeſu, id eſt fidelium. Sed tamen cadente Angelo, dum homo ad cœleſtia ſublevatur, in priſtinum decorem, & primam Angelorum plenitudinem ſublimis illa civitas reparatur. Tertio propter nos inſerviunt nobis: miſerantur enim ſortem noſtram, videntes periculum noſtrum, & laborem vitæ noſtræ, quia conſpiciunt nos in magno diſcrimine poſitos, in medio ſcilicet inter gloriam, & gehennam: quibus aut perpetuo regnandum eſt, aut ardendum, & tanto diſcrimine obnoxios omni ſolicitudine curant in bonam partem deflectere. O variam & dubiam mortalium ſortem! Quis eorum non miſereatur, & ſi valeat, non ſuccurrat?

Pſ. 109.

Apoc. 19. & 22.

XII. Accedit ad hoc dæmonum inſidiantium innumera multitudo, quorum omne ſtudium eſt laqueos parare, ſuffodere foveam, offendiculum ponere, ut illaqueentur & ruant, capiantur demum, & internecioni dedantur. *Pſal.* 63. *Narraverunt* enim *ut abſconderent laqueos*, & *dixerunt: Quis videbit eos?* Ita namque abſconditos & ſecretos parant, ut humana induſtria eos neque cognoſcere neque evadere poſſet, ſi non Angelorum lumine & magiſterio panderentur. Exhibent igitur ſe nobis veluti parvulis pædagogos in via periculoſa, præcedentes nos ac dirigentes: & dum deficimus bajulantes & portantes in manibus, ſicut ſcriptum eſt, ne forte offendant ad lapidem pedes noſtri. Propter quod in ſacris litteris ſatis apte animarum arietes nuncupantur, quia videlicet animas juſtorum ſanctis cogitationibus & affectibus intus fœcundant, & ad uberrima ſupernorum montium paſcua, ſicut ovium ſimplicem gregem, dirigunt & deducunt: ac propterea ita eas, ut legitimas ac proprias uxores, diligunt ac cuſtodiunt. Sicut enim vir zelat uxorem, ita Angelus animam, cui datus eſt in cuſtodiam, ne videlicet cum peſſimo dæmone committat adulterium: non tam ſibi quam Domino ſuo, qui ejus vere maritus & ſponſus eſt (nam Angelus paranymphi magno officio utitur) ſponſum & ſponſam in unum ſocians & maritans. Diſcurrit itaque medius inter Deum & animam, vota offerens, referens dona, ut inquit Bernardus (*a*). Illam ad amorem excitat, illum ab offenſa placat: illam ita hortatur: Quid miſera turbaris, quid dejiceris? *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: Expecta Dominum, viriliter age*, expecta eum ne deficias: *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit*. Illum autem ita deprecatur: *Convertere Domine, uſquequo? & deprecabilis eſto ſuper* ancillam tuam: *Dimitte eam, quia clamat poſt te*. Sicut enim *cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita anima* hæc *deſiderat ad te Deus*. Per hunc itaque modum cœleſti ſponſo providus paranymphus animam ſociat, & adjungit, incredibilique gaudio exultat, cum in ſecretiori cordis cubiculo ſponſam dulcibus oſculis, & amplexibus fruentem conſpicit, illius maxime opera atque induſtria.

(*a*)

Pſal. 36. *Pſal.* 26. *Habac.* 2. *Pſal.* 89. *Matt.* 15. *Pſal.* 41.

XIII. Quo igitur amore, quo honore, quo cultu, tales ac tantos patronos venerari, diligere, ac revereri debemus, quorum favore tanta nobis bona proveniunt? Pudeat nos ingratitudinis erga tam amicos, & tam venerabiles ſocios, qui cum jam beati ſint, tamen noſtræ peregrinationis comites ſe exhibent & viatoribus adeſſe non dedignantur. O quot & quantis nos favoribus proſequuntur! Exhibent enim ſe nobis, ut diximus, patronos, magiſtros, pædagogos, paranymphos, bajulos, amicos, duces, ac ſodales, & omni nos officio quo poſſunt juvant; lætis applaudunt, pſallentibus concinunt, pœnitentibus aſſiſtunt, ſolantur mœſtos, relevant afflictos, ſublevant lapſos, reficiunt famelicos, erigunt puſillanimes, roborant prælientes, coronant vincentes. Ad omnia igitur quæ nobis occurrunt amiciſſimos ſe nobis exhibent & familiares: denique *conjuncti* ſunt *principes pſallentibus in medio juvenculavum tympaniſtriarum*; & grande *gaudium* fit *in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*; & cum oramus, ipſi orationes noſtras coram Deo præſentant: & tandem in exitu morientibus aſtant, ut egreſſas e corporibus animas ab infeſtationibus dæmonum liberent, & eas tandem ſuperno Judici repræſentent: quas ovantes nimio gaudio inter Angelorum choros dignis ſedibus collocant in æternum manſuras. O quanto gaudio afficitur Angelus cum pupillum ſuum jam omni periculo ſecurum in tuto videt ſecum perpetuo regnaturum! O quomodo congratulatur ei, & ſicut in vincente vicit, ita & in triumphante ipſe triumphat! Similiter quo amore exiſtimandum eſt animam illam beatum Angelum amplecti, cujus patrocinio a tantis periculis liberata tanto bono fruitur in perpetuum, & ad tantam gloriam ſe perveniſſe non ignorat! Crediderim ego, neque fallor, præ cæteris Angelo

Pſal. 67. *Luc.* 15. *Tob.* 12. *Act.* 10.

(*a*) Loco nuper citato num. 2.

lo & animæ hujuſmodi ſpecialem quandam neceſſitudinem & amicitiam familiariorem perpetuo eſſe; neque fieri poſſe, ut tantam gratiam & exhibitum obſequium animæ ſanctorum obliviſcantur in perpetuum. Neque enim locus eſt ingratitudini, ubi ſumma benevolentia & charitas. Diligunt ergo ſe mutuo, & congratulantur, felicique gaudent contubernio in unum agentes gratias Deo A ſuo, cujus nutu & gratia habent quicquid habent, cujus munere ille induſtriæ ac cuſtodiæ optatum adeptus eſt finem: & illa curſus ſui & laborioſi certaminis bravium conſecuta eſt, & immarceſcibilem coronam, quam nobis idem concedat Deus trinus & unus per omnia benedictus: cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN FESTO
S. JOANNIS BAPTISTÆ
CONCIO PRIMA.
DE EJUSDEM MUNERE, ET DIGNITATE.

Erit magnus coram Domino. Lucæ 1. v. 15.

§ Concio cxcii.

I. APUD ſæculares viros quiſquis præclarus, & illuſtris habetur ob res bene geſtas, magnus cognomento nuncupari conſuevit; ſic Alexander, Pompejus, Carolus, & alii apud homines magni dicti ſunt, quaſi magnorum operum patratores. Joannes etiam Baptiſta ante nativitatem ſuam a prænuntiatore Angelo magnus cognominatus eſt. Inter alia enim nativitatis ejus prognoſtica, quæ velut ſapiens aſtrologus, ex his quæ in illo ſupremo Divinitatis cœlo didicerat Zachariæ patri ejus Gabriel Archangelus prædixerat, hoc unum fuit: Erit magnus, neque qualitercumque magnus, ſed magnus coram Domino. Non magnum eſt, quod aliquis coram mundo magnus ſit, ſed coram infinito Domino magnus dici quis poterit? *Iſaiæ 40.* Ecce gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo; & quiſpiam hominum coram eo poterit magnus haberi? Advertite, obſecro, quantus ſit iſte puer, qui tali cognomento in ſuo ortu decoratus eſt. Quid de illo grandius dici potuit, quam erit magnus coram Domino, cui nihil eſt magnum, niſi quod ipſe magnum voluerit reputare? Non enim natura, ſed gratia magnus eſt, quiſquis coram eo magnus eſt. De hoc igitur hodie magno Baptiſta & ejus magnitudine tractaturi, inquiramus prius, propter quid magnus dictus eſt, & quibus geſtis merito ſic fuerit nuncupandus. Sed unde commodius illius magnitudo poterit deprehendi quam ex officio? Univerſaliter namque verum eſt, quod quanto aliqua creatura a primo omnium conditore ad majorem dignitatem aut officium præordinatur, tanto in naturalibus perfectior condita eſt; exemplari teſtimonio in utraque tam corporum, quam ſpirituum hierarchia id poterit comprobari. Cœleſtia enim corpora, quia inferiorum viribus principantur, quo B regimine & gubernatione majora, eo naturali decore, perpetuitate, claritate, perfectiora ſunt. Ita quoque in Angelis quo quiſque alios dignitate, eo naturali pulchritudine antecellit: ſecundum enim ſuorum naturalium proportionem prælaturam & gratiam conſecuti ſunt.

II. Conſonat etiam hoc rationi quam maxime; minora enim & imperfectiora a majoribus & perfectioribus regi convenit, & non e converſo. Quæ namque major in rebus perverſitas, quam cum majora ſubſunt, & minora principantur? ſicut in noſtra polC litia contingere plerumque ſolet, quæ (quia humano potius quam divino inſtinctu diſponitur) exorbitantias maximas aſſidue patitur. Videas in populis maximos quoſque viros & nobiles, ingenio, ſapientia, & virtute præclaros, turpibus homunculis & ignobilibus ſubjici, regique per eos, quorum maxime oportuerat eſſe rectores. E contra vero turpiſſimos idiotas ſuper cathedras principari: & cum ſuperbia dominari eis, quorum de- *Eccle.10.* buerant fuiſſe mancipia. Quid hac gubernatione perverſius? Heu heu in domo Dei horrendum vidi, ſervos in equis, & Dominos pedibus ambulantes: ſtultiſſimos in cathedris, & optimos viros in obſcuro privatam vitam degentes! Debuerant enim e converſo ſapientes & boni, mundanis & inſipientibus dominari: ſapiens enim natura Dominus, & idiota naturalis eſt ſervus. Dominari namque regere eſt, & ad ſapientiam pertinet gubernare, ſicut ad oculum dirigere. Sicut ſi quiſpiam videns cæcum habeat ducem, ita cum ſapienti ſtolidus dominatur. Quid autem abſurdius & ſtultius, quam ſi videns intuitu claro, cæcum in via habeat directorem? Quis non illuderet, quis non E rideret? Et in civili regimine quotidie ſit hoc, & nemo miratur. In his ergo quæ noſtro arbitrio diſponuntur hujuſmodi perverſiones quandoque contingunt: in his autem

quæ

quæ divino moderamine solummodo gubernantur, quia ordinatissima sunt, semper, ut diximus, perfectiora & meliora imperfectioribus principantur. Unde fit, ut quo quisque altior est dignitate, eo etiam melior sit conditione. Oportebat ergo eum, qui cunctos mortales officio & dignitate præerat, virtutis etiam merito, gratia, & sanctitate omnes homines superare.

Rom. 13.

III. Qualis enim sit Joannis Baptistæ dignitas, quod officium, & ad quid natus & conditus sit, Euangelistam audi: *Fuit homo missus a Deo*. Quanta gloria, de quo alio unquam dictum est hoc, quam de Christo? *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*. Ecce officium: in lucis testimonium natus est Joannes. Sed quis luci perhibeat testimonium? Luce omnia monstrantur: quomodo ipsa lux poterit demonstrari? *Non*, inquit, *erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Si non erat ille lux, lucem quomodo potuit demonstrare? Quod enim non est lux, lucem potius obscurat, quam monstrat. Attendite quomodo: *Lux*, inquit, *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt:* ac propterea ad ipsam mundo inaccessibilem lucem, per mediam quandam & temperatam claritatem tenebræ directæ sunt. More eorum qui de tenebroso & obscuro carcere traducti, lucem solis statim videre non possunt, nisi prius candelæ cujusdam temperato lumini, eorum oculi assuescant: sic Joannes, teste Domino, candela *erat ardens, & lucens*, quæ cæcutientibus oculis mundanorum solem justitiæ revelavit. *In mundo* quippe *erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit*. Missus est ergo Joannes veluti media quædam lux, quæ cæcutienti mundo suum ostenderet conditorem. Mira res: triginta annis inter homines Deus erat, & factus homo cum hominibus conversabatur, edebat, bibebat, & ambulabat inter eos, & cum illis loquebatur; neque agnoscebatur. Tantum, inquam, mysterium, tam sublime beneficium, tam inæstimabile charitatis & misericordiæ pondus in mundo erat, & mundo latebat. Missus est Joannes, ut super hoc homines commoneret, ut ad tanti sacramenti advertentiam mortalium oculos excitaret, & tantam Dei dignationem in populis proclamaret: latentemque in homine majestatem, quam ipse spiritu monstrante etiam in utero cognoverat, cæteris hominibus indicaret.

Joan. 1. *Ibidem.* *Ibid.* 5. *Ibid.* 1. *Bar.* 3.

IV. Apostolus ergo mundi universalis Joannes natus est, non promotus. Apostolus conditus, non electus: non in unam provinciam ut cæteri, sed in orbem maximum destinatus, qui inter ipsum mediatorem Christum & homines ipse quodammodo mediaret, & universo mundo natum panderet redemptorem: ut quem tot retro sæculis ab initio creationis venturum, tot Prophetarum chorus præcinuerat, hunc ipse non tam vaticinio quam digito demonstraret. Quam officiosum, quam necessarium mortalibus officium, quam expediens opus Ecclesiæ! Quid enim profuisset venisse, si non contigisset agnosci? Quid mundo sine fide redemptio contulisset? Paganis, Judæis, & Turcis, mors Christi quid confert? Infidelibus & barbaris Christi sanguis effusus quid præstat? Filius ergo Dei missus est, ut mundum redimat, & pretium Deo redemptionis exolvat; Joannes missus est ut hæc ipsa redemptio mundo innotescat. Christus in redemptionem mittitur, Joannes in fidem, id est, *ut omnes crederent per illum*, sicut Euangelista ait. Sine fide autem, ut diximus, neque ipsa redemptio profuisset. Proximus ergo Redemptori Joannes factus est, & ad officium redemptionis proximum destinatus. O magnum veritatis præconem: o mirabilem inter homines dignitatem! Ac propterea post sacrum Domini natalis diem, ut Augustinus ait (*a*), solius Joannis Baptistæ nativitas in Ecclesia catholica celebratur: non solum quia in utero sanctificatus est, sed pro hac absque dubio causa, quia per hunc Dominus adventum suum, ne subito insperatum homines non agnoscerent, voluit esset testatum. Merito namque illius nativitas in orbe colitur, qui tantum contulit orbi: merito, ut Angelus prædixit, in ejus natali totus mundus exultat, qui se de illo tam benemeritum recognoscit. Juste natalitia illius universalis honorat Ecclesia, cui post Christum se plurimum debere non ignorat.

Lucæ 1. *Joan.* 1. (*a*) *Ibidem.*

V. Ecce qualis & quantus sit hic Baptista, qui velut altera lux in mundum a Deo missus est, ut omnes sæculi hujus viatores claritatis suæ radio illustraret, & velut alter mediator inter mediatorem ipsum & homines mediaret. Quis unquam sanctorum talem in Ecclesia Dei sortitus est locum? Quis ad tanti fastigii & dignatis gradum aliquando pervenit? Sed neque solum Christi annuntiator factus est, sed & præcursor: neque ut doceret solum homines, sed ut etiam disponeret, præmissus est. Sic enim de illo Angelus patri ejus prædixerat: *Ipse* præibit *in spiritu & virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam*. Sic, & ipse pater in ejus natalitio prophetarat: *Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante Dominum parare vias ejus*. Non solum ergo veritatis demonstrator, sed & dispositor natus est, ut squalentem hujus sæculi desertum & rudem campum, acuto verbi sarculo ad Euangelicæ doctrinæ semen prius proscinderet & excoleret, carnalemque mundum & voluptatibus mancipatum, ad spiritualem & cœlestem vitam, & vitæ suæ exemplo, & prædicationis verbo ante Dominum prædisponeret: ne videlicet futuram Domini disciplinam

Ibidem.

(*a*) Serm. 196. num. 1., & 197. num. 1., & 198. num. 1. ex rejectis in Append., alias Serm. 20., 21., & 36. de Sanctis. Verba hic allegata spectant ad Serm. 196. usque ad illa: *voluit esse testatum*.

nam quasi novam & insuetam homines perhorrescerent. Unde ante Euangelium, Euangelicam vitam agens Euangelicus homo viam præbuit Euangelio. Novus enim homo in mundo apparens omnium oculos ad se traxit, & formam vitæ, quam a Domino audituri erant, hominum aspectui in seipso præsentavit: atque ita factum est, ut dum cœlibatum, abstinentiam, pœnitentiam, vitæ rigorem, sanctimoniam, humilitatem, dejectionem, & verum omnium bonorum, deliciarum, mundi contemptum in Joanne homines prospiciunt, non eis nova fiat vita, quæ per Euangelium mundo postea indicitur: & dum baptismo Joannis assuescunt, verus Christi baptismus inter homines locum habeat. Director ergo factus est luminis quod monstrabat, & dispositor veritatis, cui testimonium perhibebat; hoc Joannis opus, hoc officium, hæc dignitas, hoc munus, ad hoc conditus, & propter hoc in hunc mundum a Deo missus est; sicut & de Pharaone olim dictum fuerat: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra.

Rom. 9. *Exod. 9.*

VI. Ad tantum vero testimonium qualis in teste ipso exigebatur authoritas res nova erat super omnem facultatem ardua & sæculis inaudita. Mysterium absconditum a sæculo, quod nemo principum hujus mundi cognovit. Deus homo, Verbum caro, hæc mundo rationibus persuaderi non poterant, neque authoritatibus convinci, neque experimento monstrari. Sola personæ dicentis authoritate suadenda erant, a viro sancto velut oraculum suscipienda: alius namque in re tam mirabili aut testificandi locus, aut persuadendi modus non apparebat. Majestate sola & authoritate dicentis incredulitas superanda. Propter hoc (o mirum sapientiæ ordinem!) ab initio conceptionis suæ miraculis & prodigiis multis puer a Deo clarificatus est, & novo inusitatoque oriendi ordine commendatus. Bone Deus quanta in ejus ortu miracula facta sunt! Angelus nunciat, pater obmutescit, sterilis concipit, imprægnatur anus, Virgo salutat, puer exultat, mater prophetat, nomen de cœlo mittitur, a matre per spiritum agnoscitur, a patre conscribitur, vinculum linguæ solvitur, ex muto Propheta pater efficitur, & grandia de filio præconia dicit. Quid hoc puero mirabilius? Quid hoc natalitio prodigiosius? Ad cujus ortum omnis jam vicinorum orbis stupet, & terrore concutitur. Euangelistam super hoc audiamus. *Et mirati sunt*, inquit, *universi, & factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Judeæ divulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierunt in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit?*

1.Cor. 2.

Lucæ 1. & infra.

Ibidem.

VII. Quid si ipsam ejus in utero exultationem & sanctificationem agnoscerent, quanto amplius stupuissent, quanto fortius trepidassent? Neque ab hoc discordat initio pueri vita sequens, patris namque domo relicta septennis vastam ingreditur solitudinem, ubi die noctuque contemplationi & orationibus vacans, vilibus locustis cum melle silvestri pastus, asperrimoque de pilis camelorum cilicio vestitus, terreno solo indormiens, antro inhabitans, leonum & pardorum socius supra ætatem & supra vires rigori & asperitati deditus Angelicam in carne vitam degebat: ita ut nescias Angelicus homo an humanus Angelus quid horum potius vocandus veniat: illo namque tempore quo solent alii crepundiis oblectari, puerilibus vacare ludis, & neniis infantilibus deliniri, pulcherrimus hic eremicola barbatos viros & senes canos vitæ ordine, morum compositione, pœnitentiæ austeritate, & omnium actuum disciplina eo beatius, quo divinius superabat, suam inde inchoans vitam, ubi perfectus quisque desinere solet. O puerum mirabilem, o prodigiosum septennium, o eremitam ipsis etiam Angelicis cuneis stupendum! Quis enim dubitat Angelicos spiritus ad hujusmodi spectaculum e cœlo sæpius descendisse, ipsisque Cœlicolis sæpius vitam ejus stupori fuisse? Sanctitatis prodigium, & totius perfectionis monstrum, & admirandum sæculis virtutum omnium spectaculum Joannes a Deo factus est. Neque enim tantæ perfectionis capax erat humana fragilitas, ea maxime ætate, nisi Deus cunctis sæculis sanctitatis miraculum in Joanne pro libito facere decrevisset. Neque tamen abs re, ut statim ostendemus. O si contingeret ad Jordanis ripas, vel alibi squalenti deserto huic obviare septenni puero, & cum eo habere sermonem! O quis videret, o quis ei dicere posset! Dic mihi puer sancte, quænam est hæc regula vitæ; quid hic agis solus? Quis te huc hominum traxit; quis victus hic, quis modus vivendi, quæ ratio vitæ; quo pasceris cibo; quo dormis in lecto; quo habitas domicilio? Ubi pater, ubi mater, ubi domus, ubi lectus, ubi cibus, ubi necessaria vitæ? Rigido cur tenera operis cilicio membra; pelliceo tenerrimus cur indumento vestiris? Dic, inquam, puer lepide, quod feciti crimen; quod facinus commisisti, ut tanto rigore te punias, tantæ te addixeris disciplinæ? Sed non crimen in causa erat, non est hæc pœnitentia culpæ. Quid enim committere poterat septennis puer sanctificatus antequam natus tali pœnitentia dignum? Majus hic latet secretum, altiori plena mysterio res est: non facinoris expiandi gratia, hæc omnia sustinet Joannes. Zelus officii, & Salvatoris amor illa portare compellunt, operis onus injuncti illius erat causa rigoris, non crimen expiat, sed fidem astruit; & quia natum se in testimonium noverat, sanctimonia vitæ robur adhibet testimonio, hoc est quod quærit, ut ab omnibus credatur ei; & quia Verbi incarnati mysterium argumento probare nequibat, singularis vitæ roborat testimonio.

Matt. 3.

VIII.

VIII. Neque enim fefellit opinio, tantam enim ex hoc vitæ merito apud omnes Hebræos auctoritatem, & gloriam consequutus est, ut ab initio sæculi, nullus unquam hominum visus sit habuisse majorem. Ex omni namque Judæa, & Samaria, & regione cir-
Matt. 3. ca Jordanem, Euangelista teste, ad eum videndum populi convolabant, omnis status, omnis conditio, & sexus, nobiles & ignobiles, divites & pauperes, pueri & senes, plebei & sacerdotes, viri & fœminæ, virgines & uxoratæ, omnes mira ad eum aviditate veluti ad quoddam numinis oraculum quotidie confluebant. Præsentem nosse, audire loquentem, baptizari ab eo, & facere quæ jussisset, omnes docebat, omnes commonebat, decentia singulis consilia dabat, & visus quam agnitus grandior apparebat: succumbebat rumor operi, & fama veritati cedebat: denique tanta erat potestas in viro, ut Pharisæos ipsos omnium hominum superbissimos sua authoritate cogeret ad baptismum, & qui se omnibus sanctiores putabant ad Joannis pedes fateri se peccatores, & velut peccatores ablui in præsentia populi non dedignarentur. Unde hanc eorum tam novam
Luc. 3. & insuetam humilitatem ipsemet Baptista miratus, cogitur exclamare: *O genimina viperarum, quis docuit vos fugere a ventura ira?* Quos non igitur ad se traheret, qui etiam viperas traxit? Ipse quoque Herodes, qui crudelitate & nequitia omnes etiam nequis-
Mar. 6. simos superabat, *eum libenter audiebat: & eo audito multa faciebat*, cedebat omnis nequitia Joanni, & tanti hominis authoritati nulla poterat obviare duritia. Talem etiam
Lucæ 9. de illo Herodes conceperat opinionem, ut
Matt. 14. postquam eum in carcere decollaverat, surrexisse a mortuis crederet: & quæ non fecerat dum viveret, post mortem miracula faceret. Prætereo nunc solemnem illam totius populi legationem, qua ab illo requiritur, tu quis es? Es ne Christus? *Elias es*
Joan. 1. *tu? Propheta es tu?* Acceptaturi scilicet quicquid solo verbo dixisset, neque aliud ab eo de se testimonium exigentes, quam merum dictum. Tanta erat authoritas viri, ut sibi liceret de se dicere quicquid vellet. Feli-
Ibid. 8. cemque se tanto Messia synagoga putasset, misera quæ de alio asserenti non credidit, crederet de seipso: cum secundum illorum sententiam testimonium de alio, quam de seipso firmius sit. O miram populi legationem! apud eos natus & nutritus fuerat, patre sacerdote notissimo generatus, & quærunt ab eo, tu quis es? Tantus namque omnibus videbatur, ut vix crederetur esse qui erat: sed vel Christus, vel Elias, vel quispiam alius ex Prophetis ignotus: vel forsitan cœlestis Angelus tegmine carnis velatus.

IX. Unde tanta Joanni authoritas in populo? Ex moribus utique: nihil enim ita in oculis omnium commendat hominem, ut immaculata vita: sive sapientia, sive eloquentia, sive prophetia, sive ingenium, sive miracula, aut quævis alia gratuita vel naturalia dona, non ita in cœlum efferunt hominem, ut probata virtus & ingenua opera. Joannes quidem, ut Euangelista inquit, *Joan.* 10. nullum fecit signum, sed neque signis quidem indiguit, qui enim ex operibus ita in populo clarus erat, non indigebat signo exterius commendari; quinimo quicquid in eo erat, si recte inspicis, signum est. Quid enim in illo vacat a miraculo? Conceptio, sanctificatio, ortus, pueritia, sermo, victus, habitus, & omnis vita ejus, reliqua institutio, miracula erant non modica, si notentur. Quid ergo a Joanne signum requiris? totus ipse signum est; sed neque illius testimonio miracula profuissent, sed obfuissent, maxime. Qui enim vel sic absque signis & miraculis gentem illam sui æmulatricem ab opinione, qua ipsum ut Christum habebant, arcere vix poterat; quid prodigiorum illustraretur insignibus? invitum utique promovissent in Christum, & qui verus Christi testis advenerat, falso Christus haberetur in populo atque ita ejus miraculis populus ille non doceretur, sed deluderetur. Miro itaque sapientiæ Dei artificio factum est, ut Joannes sine signo Christum signis innumeris coruscantem populo testificaretur: ut & signorum claritate Joannis de Christo testimonium fulciretur, & falsa de Joanne populi opinio tolleretur: ne inde scilicet Christi fides detrimentum pateretur, unde debuit in sui exordio coalescere. De magnitudine ergo & dignitate Joannis, & magnitudinis ejus causa, & ratione hactenus diximus: nunc ejus de Christo testimonium referamus. Quærentibus enim quis esset, nihil aliud de seipso respondit, quam *vox* sum *clamantis* *Isaiæ* 40. *in deserto, parate viam Domini*. Voce Ver- *Lucæ* 3. bum proditur: quia ergo Verbum Dei gentibus prodere venerat, vocem se esse rationabiliter asserebat: quantus hic est qui illius est vox, cujus verbum Christus est!

X. Ad ripam ergo Jordanis positus vitæ omnibus consilia dabat, properantibus vero ad se populis & summa eum attentione & veneratione audientibus, & supra modum ejus vitam doctrinamque admirantibus, inter documenta salutis natum nuntiat Redemptorem. Quid, inquit, o gentes ad me in desertum tam avide properatis? quid hunc miramini homuncionem? *Medius vestrum stetit* *Joan.* 1. *quem vos nescitis. Ipse in Spiritu sancto &* & *igni baptizabit vos, qui post me veniet, &* *Matt.* 3. *ante me factus est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili*. O si sciretis eum, o si agnosceretis quantus est hic qui latet inter vos! Hæc & similia Joanne coram omnibus proclamante populus stupebat; mussitantes ad invicem, quis inter eos lateret, cui tantus vir tale testimonium perhiberet? De Domino enim Jesu tunc nulla

erat

erat in populo suspicio magnitudinis, sed vir simplex habebatur & rectus, & hoc a paucis de facie cognoscentibus eum. Sic ergo hujusmodi præconio suspensos eorum animos detinebat Baptista egregius, donec mysterium proderetur. Sed nunc te quæso Baptista, si tantus in populo vir est, cur tu habitas in deserto? Cur ejus consortia fugis? Cur non te illius ministerio tradis? O miram Dei dispensationem, quanta vi Joannes in solitudine detinetur! Quam valida catena ligatur, ne Christi Domini colloquio & consortio frueretur! Spiritus eum in solitudine detinebat, ne videlicet non tam veritatis zelo, quam amore personæ testimonium præstare videretur. Sumus enim natura cuncti propensiores in eos, quos diligimus, laudatores, & amor nimius sæpe non sinit cernere rectum. Ne hoc igitur quispiam de Joanne præsumeret, a Christi consortio, Spiritus mandato separatur. Gravior hæc erat obedientia cilicio, gravior inedia, gravior omni asperitate, quam sustinet in deserto: gravissima pœnitentia etiam pro Christo carere Christo. Hanc tamen a Spiritu sancto consolationem acceperat, quod ad se in desertum opportuno tempore traheret Christum, perspicuoque mostraret signo, ut super quem videret Spiritum descendentem & in eo manentem, illum esse Agnum Dei Christum agnosceret. Nam *Matt. 3.* Joannes de facie non agnoscebat eum: quia licet in utero matris ad illius præsentiam exultaverit, postmodum autem jam eum de *Lucæ 1.* facie nesciebat, quem ab infantia non viderat. Itaque, ut inter alios eum dignosceret, Spiritus egebat indicio: hac spe longo tempore in solitudine detinetur, velut alter Si- *Ibid. 2.* meon expectans quando Christum Spiritus proderet illi.

XI. Aderat ergo dies illa cum Divino placuit Numini orbi manifestare seipsum, & grandi multitudinis theatro concionante Joanne. Ecce procul per deserta *venit cunctis* *Aggæ. 2.* *Gentibus desideratus, præ filiis hominum spe-* *Psal. 44.* *ciosus*, qualis sponsus cum videndus obviam *Matt. 25.* procedit sponsæ, inspectum procul Spiritu monstrante Joannes agnoscit, exclamat hilaris, subitoque gaudio perfusus indice pro- *Joan. 1.* tenso voce sonora. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ecce vitam nostram, ecce quem quærimus Redemptorem. Hic est de quo sæpius dicebam vobis, quia *post me venit, & ante me factus est*. Hæc clamans Domini vestigia tenet, humilisque prostratur ad pedes, & lacrymis præ gaudio fusis summa cum veneratione salutat. Quid tunc dixerit, quid etiam fecerit, quia Scriptura non loquitur: ego dicere non præsumo. Quo tamen putatis solvitur gaudio? quo intus amore liquescit ad Christi præsentiam, tam longo videndi eum desiderio pressus? Stupet caterva simul, supramodumque miratur attonita ad ignoti pauperis pedes tantum jacere Prophetam, quis, inquiunt, hic est, tanto quis dignus honore? Ejusque solliciti nomen scisitantur & genus; innata etiam vultus Christi gravitas & grata venustas, fidem oraculo faciebat. Sed humilitatis magister tanto sublevatus honore supplicis sui non dedignatur baptismate ablui: non quod baptismate indigeat, sed ut ipse magis abluat aquas, sacretque eas, & vim generandi tribuat ipsis. Tunc voce patenti Pater in- *Matt. 3.* tonuit, columbina quoque Spiritus effigie insidet illi: quo signo discernere Christum idem Spiritus promiserat ante. Sed signum suum præveniens Spiritus, interiori mentis radio Joanni præmonstravit quem postmodum sensibili signo ostensurus erat.

XII. Hoc testimonium Christo ad Jordanis ripas Joannes exhibuit: quod quanti momenti fuerit ad fundandam fidem, res ipsa demonstrat: siquidem hujusmodi testimonio populus ille præventus, dum sequentibus signis de Christo firmatur opinio, relicto Joanne catervatim glomerantur ad Christum. Miraculum enim oraculo, & oraculum miraculo fidem fecerat: tantaque populi concurrentis ad Christum frequentia fuit, ut sæpius neque cibum sumere sineretur. Discipulis au- *Joan. 3.* tem Joannis zelantibus pro magistro, quia eo relicto populus ad alterum festinaret, quasi proprio seipse testimonio defuscasset: Quid, inquit, pro me zelatis amici? Quid meam sic gloriam æmulamini? O quam aliter a me sentitis, quantum a meo sensu distatis. *Qui de terra est de terra loquitur, qui de cœlo venit super omnes est: illum oportet crescere, me autem minui*. Qui enim sponsam habet spon- *Ibidem.* sus est, amicus de sponsi gloria gaudet: amicus sum non sponsus, paranymphus ego sum: & quid nisi connubia quæro? Nunc gaudium meum impletum est, nunc præ lætitia totus exulto, quia sponsa novit sponsum, quia jungitur illi: hoc semper volui, hoc semper egi, *Phil. 5.* hoc semper optavi; hæc mea gloria, hæc corona mea, hæc mea magna lætitia sola: nunc me feliciter ortum æstimo, nunc non incassum me vivere puto, quia destinatum opus perfeci, quia injunctum mihi munus implevi; quod optabam video, quod quærebam consequutus suum; lætus nunc a vita discedo, liceat nunc Domine, liceat deserere vitam, ut præcursor tuus fiam limbo, sicut extiti mundo. Sed neque solum in illo populo, sed toto terrarum orbe Joannis testimonium fidem firmat: nam ubique per Euangelium divulgatum est. Quis enim *Matt. 3.* Euangelistarum hoc prætermisit? Quis non *Marc. 1.* statim in Euangelicæ narrationis exordio *Lucæ 3.* de Joannis testimonio meminit? Inter alia *Joan. 1.* enim de Christo testimonia hoc non modi- *& 5.* cum est; non quod Christus ab homine, aut per hominem indiguit commendari: *Ego*, inquit, *ab homine claritatem non accipio*, sed potius præsto: habeo testimonium majus Joanne, lux clarificari non indiget, imo potius omnia in luce clarescunt. Sed propter tenebras, ut diximus, hic in lucis testimonium missus est. Majus autem ipse a luce testimo-

ſtimonium accepit, quam dedit. Quæ namque major Joanni gloria, quam quod a Chriſto Domino laudatus eſt, non carptim & in tranſcurſu, ſed a propoſito & ſermone protento? *Quid*, inquit, *exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam, hominem mollibus veſtitum?* Nonne Prophetam? imo dico vobis *pluſquam Prophetam*, hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam*. Angelus a Chriſto ex Prophetæ vaticinio nuncupatus eſt. Quid amplius ad ejus gloriam addi potuit? Sed adjecit adhuc cum aſſeverationis nota conteſtans: *Amen dico vobis non ſurrexit major inter natos mulierum Joanne Baptiſta*.

Matt.11. Malac.3. Matt.11. Marc. 1. & Luc.7. Ibidem.

XIII. O magnum virum qui tantum & a tanto præconium promeruit laudatore! cui Deo teſte, nullus in orbe ab initio præferendus. *Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*. Meo judicio hæc maxima Joannis magnitudo cenſenda, quod a Deo ſic laudari promeruit. Plus multo Joannes accepit quam dedit, teſtimonii pondere victus ſuccumbit; in lucis teſtimonium venit, ſed magis ipſe a luce clarificatus eſt. Simile quoque Petro Apoſtolo quandoque contigit, qui dum dixiſſet Domino, *Tu es Chriſtus*; ſtatim audivit, *& ego dico tibi quia tu es Petrus*. Teſti ſuo vicem reddidit Dominus non parem, ſed incomparabiliter majorem: non quod majus ſit eſſe Petrum, quam eſſe Chriſtum, ſed quia longe præſtantius eſt a Chriſto, quam a Petro commendari. Sed poſt tantum præconium de Joanne, quid ſequatur attendite. *Qui minor eſt*, inquit, *in regno* cœlorum *major eſt illo*. Quanta eſt illa gloria, Fratres, quo tendimus: ubi omnium minimus, Joannne omnium maximo ſapientia, puritate, virtute, perfectione, major eſt! ſtatus ad ſtatum, decoris ad decorem, puritatis ad puritatem nulla eſt comparatio in vita præſenti. Quiſquis maximus habetur, ad illam felicitatem comparatus, velut infantulus reputatur. Quis Paulo major? Sed quid ait de ſeipſo? *Cum eſſem*, inquit, *parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus:* ubi Paulus parvulus eſt, quis dicere audebit: vir ſum ego? Quæ hic per fidem ſcrutamur, claro intuitu videbimus ibi. Quæ hic addiſcimus cum labore, ibi revelata facie contemplabimur. Non enim erunt volubiles (*a*) cogitationes noſtræ ex alio in aliud redeuntes, ſed unico intuitu omnia videbimus. *Feſtinemus ergo fratres ingredi illam requiem*, ubi vere magnus eſt quiſquis etiam in ea minimus eſt. Non mihi curæ eſt Deus meus quantus futurus ſim apud te in regno tuo, ſed hoc magis curo & exopto, ut de regno tuo ſim. Quia ſi ad domum tuam pertineo qualiſcunque fuero, magnus ero. *In manibus tuis ſortes meæ:* ſicut volueris ita fac. Unam tantum petii a te, & hanc requiram, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ; *ut videam voluntatem tuam*, & fruar ſuaviſſima præſentia claritatis & gloriæ tuæ: in qua cum Patre, & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus benedictus in ſæcula. Amen.

Luc. 7. Hebr. 4. Pſal. 30. Pſal. 26.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ

CONCIO SECUNDA.

DE EJUSDEM IMITATIONE.

Ille erat lucerna ardens, & lucens.
Joann. 5. v. 35.

§. CONCIO CXCIII.

I. NOn eſt mihi conſilium hodierna die laudare Joannem, ille per ſe ſatis laudatus eſt, & ex noſtra laude nihil illi accreſcit gloriæ; poſt illum talem ac tantum Baptiſtæ prædicatorem quis audeat de Joanne facere ſermonem? Si Tullius vel Demoſthenes in laudem Cæſaris panegyricum feciſſet, poſt illos quis de eodem ſermonem facere præſumeret? Joannes laudatus non a Tullio, ſed a Domino redemptore; non breviter & in tranſcurſu, ut Petrus & Nathanael, ut Centurio & Cananæa, ſed ex propoſito ad hoc facto ſermone: *Quid exiſtis videre in deſertum?* Ecce *pluſquam Prophetam*, Angelum, & ſuper omnes homines præfert. Quid amplius poteſt dici de Joanne? Etiam ſi totum cœlum & tota terra ſimul voluiſſent laudare Joannem, non eſſet ei tanta gloria. Quanto majus eſt laudari a Deo, quam ab Angelo: *Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*. Sufficit Joanni ad omnem gloriam, quod talem habuit laudatorem; non itaque intendo laudare Joannem, ſed ponere eum vobis ad imitationem; hoc enim utilius eſt, quam laudare ſanctos, monſtrare eorum vitam & virtutes, ut eos imitemur; vel ſi non, ſaltem humiliemur & confundamur. Unde Dominus ad Ezechielem: *Fili hominis oſtende domui Iſrael templum, ut confundantur* ab omnibus *iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam, & erubeſcant ex omnibus quæ* geſſerunt. Non hoc de templo materiali dictum eſt; nam quæ conſequentia, aut conſonantia eſt, ut videntes templum confundantur & metientes erubeſcant? Non de templo illo Salomonis materiali, ſed de templo ſpirituali loquitur. De quo Apoſtolus: Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Matt. 6. Joan. 1. Matt. 11. Ibid. 15. 2. Cor. 10. Ezech. 43. 2. Cor. 6.

II. Præcipit itaque Dominus Ezechieli, & prædicatoribus proponere, & oſtendere populo Dei templa illa magnifica ſanctorum, ut videant eorum vitam & converſationem, ardorem & fidem, metiantur fabricæ longitudinem, altitudinem, latitudinem cordis eo-

(*a*) Ita S. P. Auguſtinus de Trinit. lib. 15. cap. 16. Vide notas ad Concionem 1. de S. Michael. Archang.

eorum: menſuras illas gratiarum, donorum, virtutum, bonorum operum & meritorum eorum, & confundantur & erubeſcant a talibus parentibus degeneraſſe, quod tam longe ſunt ab illis. O quanta confuſio noſtra eſt præcedentium ſanctorum conſiderare ſanctitatem, quales pontifices illi, quales ſacerdotes, quales religioſi, quales Chriſtiani; & quales nos quaſi formicæ, & quaſi locuſtæ ſumus illis comparati! Unde ſicut legitur, quando populus appropinquaret terræ promiſſionis, miſit Moyſes duodecim exploratores, qui explorarent terram illam; qui revertentes terruerunt populum dicentes: *Vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur*. Populus peregrinus in deſerto hic eſt populus Chriſtianus exul a patria tendens per deſertum ſæculi ad terram promiſſionis: exploratores, prædicatores, qui per contemplationem debent aſcendere in ſupernam illam gloriam, & inde magna nuntia deferre populo; hoc eorum officium, hæc vita, Apoſtolus ait: *Noſtra converſatio in cœlis eſt*: qui ergo aſcenderit, & merita Sanctorum qui ibi morantur vobis narraverit; quid aliud poteſt dicere, niſi vidimus monſtra quædam bonitatis & ſanctitatis, gigantes potentiſſimos opere & ſermone? Quibus comparati, nos qui aliquid eſſe videmur in populo, quaſi locuſtæ videbamur. Compara doctores, prædicatores noſtri temporis ad Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, quid ſunt niſi locuſtæ? Compara religioſos ad ſanctum Benedictum, Franciſcum, Bernardum, Dominicum, quid ſunt niſi locuſtæ? Compara Chriſtianum populum ad illum populum, locuſtæ videbuntur. Unde audita eorum magnitudine, merito populus turbatur, & confunditur.

Num. 13.

Phil. 3.

III. Quod ſi hoc fecit conſideratio vitæ Sanctorum etiam minimorum, qui ſunt in cœlo, quanto magis vita Joannis Baptiſtæ, qui inter eos fuit quaſi Lucifer inter ſtellas, qui ex Domini teſtimonio, omnes Sanctos vita, & meritis & ſanctitate præcellit? Oſtendam ergo vobis hodie templum illud magnificum ſacratiſſimum Spiritus ſancti, quod fabricavit ſibi in utero matris ſuæ: ex utero cœpit habitare in eo, & numquam per totam vitam receſſit ab eo, numquam peccato aliquo expulſus eſt ab eo: hoc oſtendam, vos, Fratres, metimini fabricam, & erubeſcite, & confundimini. Veniant ſuperbi, qui tam anxie quærunt honores ſæculi & favores, qui inani hac gloria & vento delectantur: metiantur fabricam, videant templum, videant hominem ſolitarium in eremo inter bruta, inter feras, inter tigres & ſcorpiones commorantem, ſeparatum ab omni hominis conſortio: videant & confundantur favorem hominum perquirere. O quam longe erat a perquirendo favore & gloria hominum, qui neque eorum conſortio dignabatur! Veniant avari qui tam ſolicite & cum tanto labore vanas ſæculi divitias quærunt, videant templum, metiantur fabricam, videant hominem ſine domo, ſine lecto, ſine foco, ſine vinea, ſine hæreditate, ſine ſupellectili, ſine ſervitio, nudum ab omnibus quæ mundus iſte habet, & confundantur ridiculas has divitias ſic anxie deſiderantes. Veniant quoque guloſi, qui tot dapibus ſaginant ſua corpora eſcas vermium futura; videant templum metiantur fabricam, videant hominem non comedentem, nec bibentem. Sic ait de illo Chriſtus: nam locuſta non eſt cibus humanus, ut ait Bernardus (*a*): quænam comeſtio, comeſtio locuſtarum? & erubeſcant tam amplas habere menſas, tot ferculis refertas corpori cui locuſtæ ſufficiunt. Veniant delicioſi, qui ſplendidis veſtibus utuntur, qui mollibus veſtiuntur, qui totum fere patrimonium in veſtibus & ornatu ſuo & uxorum expendunt: videant templum, metiantur fabricam, videant hominem veſtitum pallio cilicino aſperrimo, ex pilis camelorum confecto, cujus geſtatio tormentum maximum erat; hominem inquam tenerrimum, nobiliſſimum filium Pontificis, continue geſtantem ſuper ſe cruciatum, nam quocumque ſe vertebat veſtis illa corpus exaſperabat: videant & confundantur ſic molliter tractare corpora ſua. Denique veniant carnales qui voluptates carnis & ſæculi delicias quærunt, videant templum, metiantur fabricam, videant hominem antro morantem, terra nuda cubantem, frigoribus, nivibus, pluviis, & tempeſtatibus, & ſolis caloribus expoſitum: omni ſolatio converſationis, omni oblectamento vitæ nudatum, die ac nocte in Dei laudibus laborantem. Videant & confundantur fæces has fœtidas terrenæ voluptatis perquirere, & delicias porcorum tam perdite amare. *Fili hominis oſtende domui Iſrael templum, metiantur fabricam & confundantur ex omnibus quæ fecerunt*.

Matt. 11.

(*a*)

Ezech. 43.

IV. O hominem natum in gloriam, & in humiliationem & confuſionem omnium hominum! Quæ bonitas, quæ ſanctitas, quæ virtus, quæ puritas, quæ juſtitia vitæ Joannis comparata non perdit fulgorem & amittit nitorem? Omnis ſanctitas prophanitas, omnis puritas immunditia, omnis pœnitentia indulgentia, omnis religio diſſolutio videbitur, ſi Joannis perfectioni comparetur. Et ſicut diei claritas ſidera, ſic Joannis vita aliorum Sanctorum merita obſcurat. Vita ejus non erat humana, ſed Angelica: erat quidem homo ſicut & nos, ſed mihi videbatur hominis niſi effigiem & colorem habere: totum quod cogitabat, quod volebat, quod deſiderabat, quod agebat, totum erat Angelicum. Unde merito a Domino Salvatore, juxta prophetiam de ipſo factam, non homo, ſed Angelus nuncupatus

(*a*) Serm. in Nativit. S. Joann. Baptiſtæ num. 6. *Sicut enim non eſt locuſta cibus, niſi aliquorum forte irrationabilium animalium: ſic nec pilus cameli humanum eſt indumentum*.

Malac.3. est: *Ecce ego mitto Angelum*, nam Angelus vita, Angelus conversatione, Angelus oratione, Angelus contemplatione, Angelus puritate; monstrum quoddam, prodigium sanctitatis: sic factus ex deliberatione Dei & consulto ad hominum humiliationem, ad ostendendam Dei potentiam: ut monstraret quid posset puro homini conferre. Ad ostendendam hominis capacitatem, quid homo capiat, si ei a Domino conferatur: cui videtur collatum & infusum quicquid capax est genus humanum, citra Dominum & Matrem ejus, qui cum Deitate consortium habuerunt: nam ille Deus est, illa genuit Deum. Sed hæc omnis ejus sanctitas necessaria ei fuit ad implendum locum suum, officium suum, & dignitatem suam; dignitas enim ejus talem sanctitatem exigebat; neque enim minus erat officium quam persona, quod officium attendite.

Joan. 1. V. *Fuit homo missus a Deo*. Quanta excellentia! de quo alio dicitur homine, nisi de Filio Dei? *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*. Grande miraculum, ut monstraret lucem mundo! & nonne lux per se nota est, & omnia in luce clarescunt? Quis potest lucem manifestare? Erat ne ille major lux? Non; inquit enim: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Si non erat ille lux, quomodo lucem prodebat mundo? *Erat*, inquit, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & ipsummet Joannem; hanc lucem missus est Joannes manifestare; quomodo hoc? *Lux*, inquit, *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, non erant capaces tanti luminis. Incensa est candela ardens & lucens, cui assuefierent, ut possent inspicere veram lucem. Sic enim homines diutissime occlusi in carcere obscuro solent ad lucem solis cæcutire, donec assuefiant ad lucem candelæ. Quomodo enim homines illius sæculi tenebrosi, obscuri, idololatræ, pleni vitiis & erroribus possent ad veritatis Angelicæ lucem aspicere, nisi prius assuefierent ad doctrinam Joannis tolerabiliorem? Tota quippe Joannis doctrina, prædicatio & baptismus præparatio quædam fuit, & præludium ad legem Euangelicam, nec solum præparare hominem venit, sed & dare testimonium de lumine, & aperire mundo magnum illud & ineffabile incarnationis sacramentum, & digito demonstrare Messiam:
Ibid. 5. *Ut omnes*, inquit, *crederent per illum*, missus
Lucæ 1. est Apostolus universalis & doctor mundi: non ad dandam salutem: sed ad dandam scientiam, id est, notitiam salutis plebi ejus, & parare Domino plebem perfectam. Christus venit ad operandam salutem, Joannes ad dandam scientiam salutis, ut omnes credant per illum. O magnum officium & mundo valde necessarium! Quid enim profuisset ipsa redemptio, si non crederetur? quid prodest Judæis, Paganis, Gentilibus passio Christi? Christus, inquam, missus est redimere, Joannes dare notitiam, & ostendere fidem redemptionis, & Redemptoris: post Christum Joannes mundo utilissimus & necessarius. Unde propter hoc, ut inquit Augustinus (*a*), solius solemnis Joannis natalis dies celebratur post Christi natale: at nullius alterius Sancti, non solum quia inter Sanctos solus natus est sanctus, & sine peccato, sed quia ejus nativitas plus mundo conducit, quam omnium Sanctorum natalitia. Venit ergo dare testimonium de lumine. (*a*)

VI. Sed quid facies o Joannes? quomodo pandes mundo admirabile illud sacramentum absconditum a sæculo Verbi incarnati? Si rationibus, supra omnem rationem est: si exemplis, nullum est, neque erit simile super terram: si Scripturis, non adeo apertæ sunt, ut per eas possit constare. Quid ergo facies? Supra captum hominum admirabile est sacramentum Deus homo. Quomodo implebis officium tuum? Videns ergo quia non erat unde faceret fidem hominibus, fugit ad eremum, elegit vitam asperrimam, vitam altissimam, ut vitæ excellentia fidem faceret testimonio; ut quod persuadere hominibus non poterat ratione, persuaderet authoritate: cui dedit Deus inter homines tantam authoritatem, quantam nullus hominum unquam habuit in mundo ex sola vitæ sanctimonia. Denique populus ille Judæorum illum pro Messia voluit habere, facta super hoc ad eum solemni legatione, & gloriatus fuisset de tanto Messia, si ille acquievisset. Unde Dominus post verba thematis ait: Et *Joan.* 5.
vos ad horam voluistis exultare in lumine illius. Sed quid ille ait? O stulti, o insipientes, me vultis pro Messia? O quantum distat inter me & vestrum Messiam: magnus vobis *Ibid.* 1.
videor; *medius vestrum stetit, quem vos nescitis, cujus non sum dignus* solvere *corrigiam calceamenti*. Joannis ergo testimonium mundo nuntiatum in sola vitæ illius sanctitate innitebatur, non in ratione, non in Scriptura, non in aliquo miraculo: Joannes enim nul- *Ibid.* 10.
lum signum fecit. Petrus asserebat Christum, si non credebatur, suscitabat mortuum: Paulus similiter prædicabat *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis:* Joannes nullum signum fecit, quia non in signo, sed in virtutis ejus magnitudine testimonium ejus constitebat: credendum ei erat, quia ipse dicebat, ejus authoritas sufficiebat. Qualis ergo vita requiritur ad rei tam admirandæ & incredibilis faciendam fidem, quod Deus homo est, quæ omnem hominum superat intellectum! Grandis authoritas requiritur, quia, quod dicitur, admirabile est, & super omnem fidem, sicut ait Dominus per Prophetam: Ecce ego facio opus, quod nullus credet, cum narrabitur: & ad grandem au- *Hab.* 1.
thoritatem habendam grandis vitæ sanctimonia

(*a*) Vide allegationem in Concion. præced. ex Serm. 196. in Append.

nia habenda est. Videtis certe, quod officium ejus vita non erat inferius, sed bene implevit: unde propter hoc Joannes nullum
Joan. 10. signum fecit, quia non indiguit, vita sufficiebat. Totus ipse miraculum, non opus erat Joanni aliquo pignore, aliqua ratione, aliqua probatione, sufficit ad omnem fidem quod Joannes dixit.

VII. Sed unde, obsecro, tanta sublimitas
Ibid. 5. in Joanne? unde? Quia *erat lucerna ardens & lucens*, ex ardore charitatis, ex lumine cognitionis; hæc duo ad tantam sanctitatis excellentiam illum sublevaverunt. Habebat mentem illuminatissimam & fulgidissimam, habebat oculos claros, & videbat aperte futuram æternitatem, vitæ futuræ divitias & sublimitatem, videbat vitæ præsentis brevitatem & vanitatem, & quod sub sole non est,
Eccle. 12. nisi *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Nihil videbat sub sole dignum amari, aut desi-
Hebr. 11. derari, considerabat quia hospes & peregrinus erat in mundo, cito transiturus: & ideo, quasi non videns, neque aspiciens transibat per mundum: omnia sæculi blandimenta ut
Phil. 3. stercora reputabat, neque dignabatur ea videre. O si videremus, o si hæc aspiceremus, quomodo contemneremus omnia! Neque solum habebat lucem cognitionis, sed etiam habebat ardorem charitatis, totus flagrabat amore divino, totus ardebat ut Seraphim. Considerate, Fratres, quantus erat ardor in pectore hujus Sancti, qui neque eum vel ad momentum alicui rei intendere sinebat, neque loqui, neque legere, neque comedere: nullum ei officium, nulla occupatio in deserto, vespere, mane, nocte, meridie, indesinenter laudabat Dominum, gratias agebat, contemplabatur, ardebat: & dum magis contemplabatur, magis ardebat: totus fixus oculis in cœlum, totus absorptus in Deum semper intendit, nunquam fastidit, non lassatur, non quiescit, & cum semper hoc facit, semper incipit, semper sitit, semper esurit. O ardorem seraphicum, o vitam cœlestem! qualis est illa beatorum: non uno,
(*a*) aut duobus annis, sed 23. annis (*a*) in hac continua contemplatione & ardore mentis perseveravit, donec necessitas charitatis, & implendi officium ad quod venerat, eum de eremo eduxit ad Jordanem, & mundo manifestavit. Videbat enim se tam Deo obligatum, quod totum illud tempus, & quicquid agebat, & modicum videbatur, & quasi pro nihilo reputabat.

VIII. O si unam scintillam hujus ignis haberemus! Unde nobis, Fratres, tanta miseria, tanta tepiditas? utique ex cæcitate & frigiditate. Non est jam ardor charitatis in
Act. 2. mundo; ille ignis, qui super Apostolos e cœlo descendit jam extinctus est, in cordibus hominum totus refrixit, congelata sunt corda, non reperies, neque in sacerdotibus, neque in religiosis tantillum ardoris: spiritus ignis ille versus est in aquam crassam concupiscentiæ & cupiditatis, sicut in libro Machabæorum legitur. Apostoli transmigran- 2. *Mac.* 1.
tes in cœlum, ignem in Ecclesia reliquerunt, & revertentes aquam crassam invenient. Non est qui accendat hunc ignem, & si in aliquo est scintilla spiritus, non est qui eam sufflet, ut crescat. In lege veteri præceptum est sa- *Levit.* 6.
cerdotibus, ut ignem sanctum foveant in altari perpetuum lignis de sylva; in figura hoc dictum est, officium nostrum est fovere documentis, exemplis ignem istum, in cordibus fidelium excitare calorem. Grandis sylva relinquitur nobis a Christo, sylva creaturarum, sylva Scripturarum, sylva exemplorum sanctorum, sylva beneficiorum inexhauribilis, ex quibus scinderemus ligna ad istum focum. Hic est enim ille ignis, de quo Dominus ait: *Ignem veni mittere* Lucæ 12.
in terram, & quid volo nisi, ut ardeat? Hoc volo, hoc jubeo, hoc commendo vobis sacerdotibus, ut semper ardeat hic ignis in altari meo, corde scilicet fidelium. Sed o quanta desidia, quanta negligentia! Quomodo, obsecro, accendet ignem in altero, qui in seipso friget? quomodo exibunt de pectore frigido verba flammantia? quomodo inflammabit qui non ardet? *Joannes erat* candela *ar-* *Joan.* 5.
dens & lucens, lucebat aliis quia ardebat. (*b*) Bernardus (*b*): Non ait lucens & ardens, sed ardens & lucens, non ardor ex luce, sed lux ab ardore. Qui vult proximo lucere prius ardeat in seipso necesse est: sunt tamen qui lucere cupiunt potius quam ardere, sed non facient, non est vera lux, quæ non nascitur ex ardore.

IX. Tripliciter enim sunt genera hominum, quidam lucent, & non ardent, quidam ardent, sed non lucent, quidam lucent & ardent. Primi sunt hypocritæ, qui solam exteriorem gloriam quærunt, lucere volunt coram Deo: similes sepulchris dealbatis, quæ
exterius apparent, & intus plena sunt ossi- *Matt.* 23.
bus mortuorum. Hi aperte demonstrant quod filii sunt Luciferi, qui ideo Lucifer dictus est, quia lucere elegit potius quam ardere. Alii ardent & non lucent, hi sunt justi, devoti, simplices, quorum non est memoria in mundo, neque notitia: ut sunt quædam pauperculæ mulieres, & alii in angulis Ecclesiæ, sancta quippe simplicitas, sibi soli prodest. Alii sunt qui ardent, & lucent, ut Sancti, perfecti, exemplares, vel Doctores, qui suo exemplo & doctrina Ecclesiam totam illustrarunt, ut Franciscus, Benedictus, Augustinus, Hieronymus; de quibus Dominus:

(*a*) Ultra annos 23. in deserto Joannes delituit, si Nicephorum audiamus. Is enim lib. 1. cap. 14. asserit Joannem alterum cum dimidio annum agentem in desertum fuisse a Matre ductum. Propterea cum anno ætatis trigesimo prædicationem inchoaverit, scilicet paulo ante Christum, sequitur Joannem annis 27. circiter in deserto permansisse. Nicephoro addendi ii sunt quos adducit Canisius lib. 1. de Corrup. verb. Dei cap. 2., nimirum Metaphrastes, Eutymius, Chrysostomus, Bernardus, qui Joannem ab infantia desertum incoluisse testantur.

(*b*) Serm. de Nativ. S. Jo. Bapt. num. 5. *Non ait lucens, & ardens, quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore.*

Matt. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur*, sive exemplo doceat, sive verbo. Unde Ezechiel in visione sanctorum animalium dicebat: Et similitudo illorum & aspectus eorum, sicut ignis carbonum ardentium, & sicut aspectus lampadarum: quia istos sanctos viros si intus aspicias, carbones igniti sunt, si foris, lampades claræ totam Ecclesiam illuminantes. Joannes erat lucerna ardens, & lucens in utroque super omnes Sanctos. Bernardus (*a*): De illo ardebat amore, & zelo lucebat, verbo & exemplo. Hæc si placet latius exponamus.

Ezech. 1. Joan. 5. (*a*)

X. Quomodo Joannes amore Dei arserit diximus: dicamus quomodo arserit charitate proximi. Audistis, Fratres, Joannis pœnitentiam, rigorem, austeritatem: quare, obsecro, tanta austeritas in Joanne? quæ peccata fecerat, sanctificatus in utero, in eremo vivens, ut talem ageret pœnitentiam? Profecto nec propter peccata mundi hanc agebat pœnitentiam, nam ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: noverat quippe peccata mundi morte Domini, non sua pœnitentia expianda. Quæ causa ergo tantæ pœnitentiæ? utique sola mundi charitas, solus amor proximorum: noverat enim illud magnum sacramentum, quod erat absconditum inter homines Deus homo; noverat, quod omnis salus & vita mundi consistebat in illo cognoscendo; noverat se ad hoc natum & missum, ut ipsum manifestaret mundo; noverat quam difficile erat hoc credere, & quod illud rationibus non poterat persuadere, & ideo elegit vitam illam asperrimam, ut sic persuaderet sua authoritate & crederent ei, & mundus notitiam salutis acciperet. Hic amor mundi hic faciebat illum omnia tolerare libenter pro hominum salute: neque solum hoc, sed quod erat omnium difficillimum, cum sciret Christum inter homines habitare, privavit se consortio Christi & familiaritate, & mansit in deserto, quod fuit illi magnum martyrium acerbius omni illo rigore pœnitentiæ. O quomodo sitiebat videre Christum, alloqui, gaudere, & frui ejus præsentia & colloquio, quem Deum sciebat esse in carne: & tamen pro hominum utilitate abstinebat, optans cum Apostolo anathema esse a Christo pro fratribus suis; abstinebat autem propter hoc, ne ejus testimonium quassaretur, ne putarent homines, quod amicitia & familiaritate Christi de ipso reddebat testimonium, non veritate. O quantus amor!

Ibid. 1. Rom. 7.

XI. Secundo ardebat zelo, erat enim alter Elias: sicut Dominus de ipso dixit: Et Angelus veniet in virtute & spiritu Eliæ. Et ita quod dictum est de Elia potest de illo dici. Surrexit Joannes quasi ignis, & sermo ejus sicut facula ardebat: verba enim ejus sicut scintillæ quædam & fulmina & fulgura, omnem duritiam cordium mollientia. Quæ namque corda duriora, quam Pharisæorum & sacerdotum & illius Regis sacrilegi Herodis? & tamen hæc penetrabat ardore suæ doctrinæ. Et tanta erat ejus sanctitas & excellentia, quod etiam istos convincebat, & trahebat ad se. Unde de Herode ait Euangelista, *quod ipsum libenter audiebat, & audito illo multa faciebat*. Sed jam audiamus verba ejus, quomodo eos tractabat: vidit venientes ad se Pharisæos, & ait: Genimina *viperarum, quis* docuit vos *fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & ne* ceperitis *dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis*, quod *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est*, omne lignum non faciens fructum, scindetur, & *in ignem mittetur. Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam*, & triticum congregabit in horreum suum, *paleas autem comburet igni inextinguibili*. Bernardus (*b*): De quo mentis fervore procedere putas scintillas istas, imo carbones desolatorios? Sed & Regem illum atrocem quomodo alloquitur: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Bone Deus, quanta authoritate, quasi judex de tribunali servum alloquitur, non curabat sceptrum, neque coronam, neque purpuram, neque multitudinem servientium: quasi servum alloquitur, quasi servum agnoverat vitiorum & peccatorum: non blanditur, non palpatur, non per ambages admonet: Domine, potentissime Rex provide conscientiæ tuæ; sed publicum vitium publice redarguit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. O ferventissimum justitiæ zelatorem, o prædicatorem veritatis insignem! O si hodie tales haberemus prædicatores, qui sic vitia redarguerent, sic zelarent humanam salutem! Heu, heu, facti sumus sicut *canes muti non valentes latrare:* timeo ne sanguis animarum vestrarum de manibus nostris in die judicii requiratur; speculatores positi sumus in domo Domini, in castris Dei nostri, & videmus gladium venientem, imo inimicos jam intra castra omnia vastantes & non solum non excitamus dormientes, ut evigilent, sed & sub cubitis ponimus pulvillos, juxta prophetiam Ezechielis, ut securius, & profundius dormiatis: & vos sic dormientes in infernum præcipitemini pro peccatis vestris, & nos quia non admonuimus, etiam post in tartara detrudamur.

Luc. 1. Matt. 11. Eccli. 48. Matt. 3. Marc. 6. (*b*) Psal. 19. Marc. 6. Isaiæ 56. Ezech. 33. Ibid. 13.

XII. Omitto nunc mille alia vitia publica: certe quis toleret bestialem illam & diabolicam consuetudinem (*c*) Hispaniæ nostræ de tauris exagitandis? Quid bestialius, quam stimulare brutum, ut homines laniet? O dirum spec-

(*c*)

(*a*) Serm. nuper alleg. num. 5. *Luxit nihilominus, ut paucis dixerim, exemplo, digito, verbo.*

(*b*) Serm. nuper alleg. num. 9.

(*c*) Pravam hujusmodi consuetudinem subinde abstulit Pius V. Constitutione incip. *De salute gregis*, edita an. 1567. Calend. Novembris, agitationes taurorum, aliarumque ferarum prohibens sub excommunicationes, & anathematis pœnis ipso facto incur-

ctaculum, o ludum crudeliſſimum! Vides fratrem Chriſtianum ſubito a beſtia laniari, & non ſolum vita corporis, ſed & vita animæ privari (nam communiter in peccato moriuntur) & delectaris & voluptatem capis? Quanto ſtudio laboraverunt ſancti Doctores antiqui, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, ut hæc ſpectacula atrocia, & obſcœna & gentilica ab Eccleſia removerent! Factum eſt hoc, exploſa ſunt e tota Eccleſia: ſola Hiſpania ritum hunc gentilicum obſervavit in diſpendium animarum, & non eſt qui redarguat & prohibeat. Ego autem, etſi ſcio quod non proderit, faciam quod debeo, ut animam meam liberem: non tacebo in animæ meæ & veſtrarum periculum. Itaque denuntio vobis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod omnes qui hoc agitis, vel conſentitis, vel non prohibetis cum poſſitis, non ſolum mortaliter peccatis, ſed eſtis homicidæ, & rationem reddetis coram Deo in die judicii de
Ezech.3. hoc, & a vobis exigetur ſanguis omnium, qui ab illa beſtia, ſive in arena, ſive in itinere trucidantur: nec ſolum vos, ſed & ſpectatores non ſunt omnino tuti a mortali, quamvis eos non audeam condemnare: tamen mihi facit de hoc magnam perſuaſionem decretum illud Auguſtini in cap. *Vident homines*. 86. diſt. ubi ſic ait: Vident homines venatores & delectantur: væ miſeris ſi non ſe correxerint: videbunt enim Salvatorem, & triſtabuntur. Hæc verba non videntur veniale peccatum, ſed mortale redarguere, ut liquet. O Sancte Baptiſta, his profanis ludis tuam ſe putant celebrare feſtivitatem, & non celebrant, ſed profanant. Nam quale
Matt. 3. eſt ſanctum Virum in eremo commorantem, cilicio camelorum veſtitum, non comedentem, nec bibentem, talibus ludis, & choreis, & cibis, & potibus honorare? Scrip-
Lucæ 1. tum eſt, quod *multi in nativitate ejus gaudebunt*, ut ait Bernardus (*a*), ſed iſti gaudent,
(*a*) non de nativitate, ſed de vanitate. Quanto melius celebrat, qui retruſus in Eccleſia vitam illius ruminat, & gratias Deo agit pro tanto beneficio; quia miſſus eſt a Deo qui nobis Dominicæ incarnationis ſacramentum notum faceret & aperiret. Nam, bone Deus, quid eſſet ſi veniens in mundum tranſiſſet, & rediiſſet incognitus? quid profuiſſet naſci, ſi non contigiſſet agnoſci.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ

CONCIO TERTIA.

IN LAUDEM EJUSDEM.

Secundum nomen tuum, ſic & laus tua in fines terræ. Pſalm. 47. v. 11.

§. Concio cxciv.

I. VUlgare & conſuetum eſt apud ſcriptores, tam ſæculares quam Eccleſiaſticos, cum aliquem laudant, a nominis interpretatione, & etymologia inchoare præconium. Et in hoc argumento inter cæteros maxime Hieronymus commendatur; ſed unde hæc conſuetudo ortum habeat, neſcio. Nam commendare quempiam de propriis actibus & virtutibus vera eſt: laudare a parentibus & progenitoribus & genere nonnulla laus eſt: laudare a patria, & natione, licet remotior, tamen laus eſt: laudare autem a nomine, adeo impertinens videtur, ut omnino non ſit laus, aut ridicula videatur. Non enim video, quod habeat fundamentum, cum nomina cuique pro libito imponantur. Exigua ergo laus, tenuis locus, & debile argumentum ſumptum a nomine, cum malos, & bonos eodem nomine nuncupari frequentiſſime videamus. Videtur autem hæc communis hominum opinio innuere aliquid myſterii latere in nomine, & nonniſi quadam Divina providentia nomina hominibus imponi, & in ipſo hominis vocabulo futuræ vitæ prænoſticum quoddam & præſagium contineri; Deo ſecrete & occulte ſic ordinante, ut ſit hominis veluti quædam tacita prophetia ipſa vocatio: quod etiam frequenter videmus accidere. Unde in Geneſi, cum Eſau de fratris ſui fraude conquereretur, *juſte*, inquit, *vocatum eſt nomen* *Gen. 27.* *ejus Jacob, ſupplantavit enim me altera vice*. Et nunc quoque ſæpiſſime contingit, eos, qui relicta pietate Chriſtiana filios ſuos nominibus gentilium nuncupant, tales invenire filios, quales fuerunt illi, quos æmulantur, id eſt, impios & prophanos. Neque putandum eſt antiquos illos patres in imponendis filiorum nominibus ſic ſolicitari, niſi ad hominem aliquid ipſa nuncupatio pertineret.

II. Sed quicquid ſit de nominibus, quæ paſſim parvulis imponuntnr (nam videtur quodammodo ad ſuperſtitionem & augurium declinare, vitam auſpicari ex nomine) certe appellationes, quæ non humano beneplacito, ſed divino nutu & revelatione hominibus imponuntur, magnam cum re ipſa habere ſympathiam, & convenientiam non eſt ambigendum. Sunt enim hujuſmodi nomina pro-

currendis. Prohibuit inſuper, ne Clerici regulares, vel ſeculares beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, vel in ſacris Ordinibus conſtituti, ſub excommunic. pœna, hujuſmodi ſpectaculis intereſſent. Demum ſtatuit, ut ſi quis in taurorum agitatione mortuus fuiſſet, Eccleſiaſtica ſepultura careret.

(*a*) Serm. pluries jam allegato num. 7.

priſſima & maxime conſona hominibus, quibus imponuntur: uſque adeo, ut hominem
Gen. 2. liceat conjectari ex nomine. Si enim Adam ante peccatum cunctis rebus ſenſibilibus nomen impoſuit, & nomen quod ille impoſuit, hoc eſt proprium & verum nomen illorum, ſicut ait Scriptura; in tantum ut non modica ſcientia ſit rerum nomina noſſe, ſicut editis libris Doctores de etymologia demonſtrarunt: quanto magis Divina ſapientia, quæ omnium rerum principia & fines novit, & omnium hominum exitus, & ſucceſſus non
Pſ. 138. ignorat, ſicut Propheta ait: *Semitam meam & funiculum meum inveſtigaſti, & omnes vias meas prævidiſti*, proprio & nativo vo-
Gen. 17. cabulo quem voluerit, nuncupavit. Sic in
Ibid. 32. Abraham Patriarcha, & in uxore Sara, &
Joan. 1. nepote ejus Iſrael, & in Petro Apoſtolo: &
Marc. 3. generaliter in omnibus, quibus Deus nomina, vel addidit, vel mutavit, eveniſſe cognoſcimus. Quod ſi rem perſcrutari diligentius libet a principio creaturæ uſque nunc, nulli hominum tam ſolemniter, & tam celebriter nomen impoſitum eſt, ſicut Joanni Baptiſtæ: hoc enim nomen, non a patre, non a matre accepit, ſed a Deo impoſitum eſt, ab Angelo promulgatum, de cœlo allatum, a patre auditum, a matre prophetatum eſt. Unde Angelus ad Zachariam: *Uxor tua pariet filium, & vocabis nomen ejus Joannem*. Ac ſi dicat: non tibi licet jure patris pro libito nominare filium naſciturum: ſed a quo accepiſti filium, ab illo nomen ejus accipito. Nato ergo filio itur ad matrem, & multi quidem cenſebant eum nomine paterno nuncupandum, quibus mater: *Nequa-*
Lucæ 1. *quam*, inquit, *ſed vocabitur Joannes*. Unde noſti mulier ſancta, quis tibi dixit, quis tibi revelavit? nam Angelum non vidiſti, a conjuge muto non audiſti; ſed a Spiritu ſancto didicit, quod non didicerat a marito. Et quia novum hoc & inſolitum videbatur,
Ibidem. itur ad patrem, qui *poſtulans pugillarem ſcripſit dicens: Joannes eſt nomen ejus:* non ait vocetur Joannes, ſed Joannes eſt nomen ejus, id eſt, hoc ejus proprium & peculiare vocabulum eſt; non ei nos nomen imponimus, quia jam a Deo accepit, habet vocabulum ſuum quod agnovimus, non quod elegimus. Bone Deus, quanta majeſtas, quanta authoritas in nominando parvulo! Qui ergo tam celebriter, tot miraculis & cæremoniis a Deo Joannes eſt nominatus, quis de cætero dubitet illum Joannem, & maximum Joannem, & ſi fas eſt dicere, Joanniſſimum eſſe, quem Joannem Dei ſapientia nuncupavit. Unde ei verba thematis adaptamus: *Secundum nomen ſuum ſic, & laus tua in fines terræ*, eo quod nemini dubitandum ſit, omnem ejus vitam, ingenium, fortunam, virtutes, mores, unico hoc vocabulo ſibi a Deo impoſito comprehendi. Joannes autem, ſicut Divus Hie-
(a) ronymus ait (a), Domini gratia, vel in quo

A eſt gratia, interpretatur. Nihil ergo aliud eſt eſſe Joannem, niſi eſſe Deo gratum, vel acceptum, vel gratioſum, id eſt, multiplici gratia decoratum. Illuſtris profecto titulus & celebre cognomen, nulla quippe major dignitas creaturæ, quam ſuo placere Creatori. Hoc ergo nobis reſtat differendum, ut ex ejus vita & moribus probemus, hunc infantem vere fuiſſe Joannem, id eſt, Deo gratiſſimum, & multiplici gratia inſignitum, quod ex ſequentibus apparebit.

III. Omnium donorum & gratiarum, quæ homini præſtantur, aut præſtari poſſunt,
B electio illa, ſive prædeſtinatio ab æterno, qua fit Deo gratus & acceptus, & ad vitam æternam deſtinatur, ſicut prima, ita & maxima eſt. Eſt quidem prima, quia ab æterno: eſt pura, quia non ex meritis: eſt maxima, quia immutabilis & certa, & omnium aliarum cauſa. Varia namque ſunt genera gratiarum; quædam vocantur gratis datæ: de quibus Apoſtolus ad Corinthios: *Diviſiones* *1.Cor.12.*
gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſa-
C *nitatum in uno ſpiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum, &c.* Et hæc licet dona & maxima Dei dona ſunt, tamen infimum locum inter gratias tenent, pro eo quod ad Eccleſiæ utilitatem, amicis & inimicis, juſtis & peccatoribus, pro Dei beneplacito ſunt diſtributæ. Multi enim in judicio dicent: *Nonne in nomine tuo*
prophetavimus, & dæmonia ejecimus, & mi- *Matt. 7.*
racula fecimus? Quibus dicet: Amen dico vobis, neſcio vos. His omnibus multo pretioſior, & melior gratia gratum faciens, quæ nos
D Deo amicos facit, & vita æterna dignos. Sed hæc facile amittitur, & expellitur a corde, ſuperveniente iniquitate: ſed gratia electionis, optima omnium & maxima, pro eo quod invariabilis, & immutabilis perſeverat, neceſſe eſt enim Dei decretum adimpleri; ſicut ipſe per Prophetam ait: Vivo ego dicit Dominus, quia *conſilium meum ſta-* *Iſaiæ 46.*
bit, & omnis voluntas mea fiet: hæc quoque prima origo, & fons eſt omnium aliarum: ſicut ait Apoſtolus ad Romanos: *Quos præ-* *Rom. 8.*
deſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos &
E *glorificavit*. Catena hæc indiſſolubilis eſt, quam totus infernus non poſſit infringere, ex electione vocatio, juſtificatio, magnificatio, & glorificatio, & quicquid bonum, ſive in præſenti, ſive in futura vita electis confertur, ex prima illa origine gratuita emanavit. Non enim propterea Deus elegit nos, quia merita noſtra futura prævidit, ſed e converſo, ideo ad cumulum meritorum pervenimus, quia ab ipſo electi fuimus: ut non ex nobis, ſed ex ipſo ſit noſtræ ſalutis origo.

(a) Lib. de Interpretatione nominum Hebraicorum.

origo. *Qui ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*, pure gratis, quia ſic voluit, & ſic fuit placitum coram eo, ſine operum, aut meritorum reſpectu *elegit nos ante mundi conſtitutionem: ut eſſemus ſancti & immaculati* coram eo. Non in laudem noſtram, ſed *in laudem gloriæ gratiæ* & donationis *ſuæ*, ut ejus gratia & donatio gratuita, in terra & in cœlo glorificetur, laudetur, & exaltetur. Ut qui gloriatur non in ſe, aut in merito ſuo tantum, ſed in Domino glorietur. Ut eſſemus, inquit, ſancti: non quia futuri eramus ſancti elegit nos, ſicut ait Auguſtinus (*a*); ut non ſanctitas præviſa electionis, ſed e contra, electio ſanctitatis cauſa ſit: ut non in merito noſtræ naturæ: ſed in gratia Dei ſit totius noſtræ gloriæ fundamentum. Hæc autem gratia electionis, licet omnibus electis communis ſit, non tamen omnibus eſt æqualis. Quia non omnes ad parem dignitatis, & gloriæ gradum eliguntur; ſed ſecundum Dei beneplacitum, varium in domo ejus ſtatum & officium ſortiuntur, ultra & citra quem a Deo præfixum & præfinitum terminum, progredi aut egredi nemo poteſt; ſicut ait: *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum in loco quem poſuit*; id eſt, uſque ad locum a Deo ſibi præfixum, & deſtinatum: quem ſicut neque tranſgreditur, ita neque ab eo deficit. Quos Deus ad ſublimiorem, & celſiorem gloriæ ſtatum præordinavit, amplioribus etiam donis, & gratiis adjuvat, ut poſſint pervenire quo tendunt. Nam ſecundum ſtatutum finem cætera media diſponuntur: non enim deficit Deus in neceſſariis, neque abundat in ſuperfluis.

Epheſ. 1. *Ibidem.* (*a*) *Pſal.* 83.

IV. Ad quantum vero celſitudinis, & dignitatis faſtigium Joannes a Deo fuerit deſtinatus, & quantum in Eccleſia officii & præeminentiæ gradum obtinuerit aquila illa ſublimis, quæ de ſacro Dominici pectoris fonte Euangelii fluenta potavit, ſatis in exordio Euangelii ſui demonſtrat, quæ poſtquam volatu celeri ineffabilis Deitatis faſtigia prævolavit, ad humana deſcendens in Joanne Baptiſta, veluti in ſublimiore culmine primo pedem ſtatuit, dicens: *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* O inæſtimabilem dignitatem! Purus homo eſt, & miſſus a Deo dicitur. Et non ut alii jam provectæ ætatis, ſed ad hoc creatus, ad hoc natus, ut teſtimonium perhiberet de lumine, id eſt, ut magnum illud, & abſconditum Divinæ incarnationis myſterium hominibus demonſtraret. Non in Græcia, vel Judæa, vel Italia, vel Hiſpania, ſed toto mundo, totius orbis magiſter & Apoſtolus univerſalis, a Deo non ſolum factus, ſed & natus eſt in mundo, ut ſicut lucerna ſplendens illuminaret mundum, & ſicut lucifer fulgidus ortu ſuo adventantis ſolis gloriam nuntiaret. Sic de illo Dominus in Euangelio. *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens, & lucens*. Non enim poterant tenebroſæ mentes irradiantis ſolis fulgorem ſuſtinere: niſi prius fuſcatam oculorum aciem lux media temperaret. Cogita nunc ſi potes hujus hominis dignitatem. Filius Dei mittitur ad ſalutem, Joannes ad fidem; Filius Dei ut operetur ſalutem in medio terræ, Joannes ut illa ſalus a tota terra credatur; Filius Dei ad mundi vitam, Joannes ad mundi ſapientiam; Filius Dei ut vivificet, Joannes ut illuminet, *ut omnes*, inquit, *crederent per illum*. Fides utique omnibus neceſſaria eſt ad ſalutem, ſine qua *impoſſibile eſt placere Deo*. Vide quid mundo importet Joannis nativitas; attende quantum conferat ſæculo miniſterium ejus, qui ad fidem mundi natus eſt, ſine qua non eſt ſalus. Unde merito ex omnibus Sanctis, ſola ejus nativitas recolitur. Pro eo abſque dubio quia alii fiunt, ſed non naſcuntur ſancti: Joannes ſanctus natus eſt, & quia præ cæteris omnibus ad totius mundi communem utilitatem natus eſt. Unde merito ab omnibus illa nativitas celebratur, quæ ad omnium generale commodum ordinatur. Qui ergo ad tantum dignitatis culmen præ cæteris electus eſt, quomodo debuit a Deo decorari, & honeſtari, ut officio perſona conveniret? Uſque ad trigeſimum ætatis ſuæ annum vixit ab hominibus ſequeſtratus, ſoli Deo notus, brutis & Angelis aſſociatus, vitam cœleſtem in terris degens, in carne, ut extra carnem vivens, homo Angelicus, vel Angelus humanatus. Quo tempore quales habuerit a Deo conſolationes, quæ ſolatia, quæ gaudia, quos fervores, quas ecſtaſes, quos exceſſus: quia remotus ab hominibus vixit, penitus ignoramus.

Joan. 5. *Ibid.* 1. *Hebr.* 11. *Matt.* 11.

Ezech. 17. *Joan.* 13. & 21. *Ibid.* 1.

V. Trigeſimo anno ætatis ſuæ factus vir pro ſuo ſolicitus officio, ſpiritu duce, ad ripas Jordanis baptizans, & regnum cœlorum annuntians publicavit ſe mundo: viderunt eum homines, & obſtupuerunt. Curritur undique ab hominibus Judeæ populis & civitatibus ad ripas Jordanis videre mundi ſpectaculum, & audire. Erat enim homo gravis, ſeverus, conſtans, manſuetus, pius, prudens, quietus, ingenioſus, ſapientiſſimus, eloquentiſſimus, reverendiſſimus, aſpectu pulcher, converſatione gratus, moribus ſuavis, acer ingenio, potens eloquio; tantæ gravitatis, & authoritatis, ut vel ſolo aſpectu cunctos mortales ad ſui obſervantiam, & reverentiam, non modo invitaret, ſed etiam cogeret ſola ejus viſio. Acris erat iniquorum omnium reprehenſor. Lingua ejus gladius acutus, ſermo ejus ignis accenſus, verba ejus ſagittæ acutæ, & carbones vaſtatores: ut de illo dici poſſit quod de Elia, in

Pſal. 56. *Eccli.* 48.

(*a*) Lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 18. *Non ergo, quia futuri eramus, ſed ut eſſemus. Nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe, prædeſtinans, ut tales per gratiam ejus eſſemus.*

*Eccli.*48. in cujus ſpiritu venit, olim dictum eſt: quia ſurrexit Joannes ut ignis, & ſermo ejus *quaſi facula ardebat*; erat enim, ut Salvator ait, *Joan.* 5. *lucerna ardens & lucens*; unde potentiam & efficaciam ſermonis illius, ſatis liquido oſtendunt paucula quædam verba ejus, quæ referentibus Euangeliſtis accepimus adeo viva & flammantia, ut quamvis dura & emor- *Matt.* 3. tua corda valeant ſuſcitare: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Cujus ventilabrum in manu ſua: & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Denique tanta erat vis, & potentia ſermonis illius, quod Herodes, qui erat omnium hominum iniquiſſimus, & truculentiſſimus, eum libenter audiebat, & *eo* *Marc.* 6. *audito, multa faciebat:* ut etiam Phariſæi illi hypocritæ, invidi, ſuperbi, elati, qui ſe *Matt.* 3. cunctis hominibus ſanctiores & meliores putabant, acrimonia ſermonis ejus convicti, & eloquii fortitudine ſuperati, ſuccumberent: & confeſſi ſe peccatores ab eo baptiſmum pœnitentiæ flagitarent. Super quo & ipſe Joannes, quaſi admirans rei novitatem, cum videret eos mœſtos, timidos, & humiliatos ad ſuſcipiendum ab eo ablutionem pœnitentiæ convenire coram omni populo, ex- *Lucæ* 3. clamans ait: *Genimina viperarum*, quis vos docuit *fugere a ventura ira?* Si ergo vere, ſi pure, ſi ſancte, & non ficte venitis, agite *fructus dignos pœnitentiæ: &* nolite *dicere: Patrem habemus Abraham. Potens* enim *eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Nota dignos pœnitentiæ, ut ſcilicet pœnitentia flagitiis reſpondeat: & talis ſit pœnitentiæ fructus, qualis eſt iniquitatis reatus.

VI. O prædicatorem egregium, o verum & fidelem concionatorem! Non palpabatur vitia, non diſſimulabat peccata, non tolerabat flagitia, non aſſentabatur potentibus, ſed regem veluti mancipium mira quadam au- *Marc.* 6. thoritate objurgabat, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Non ait, videat ſerenitas veſtra, attendat majeſtas veſtra, quia non videtur juſtum, non videtur rectum quod facit; ſed quaſi ſervum, quia vere peccati ſervus erat, cum poteſtate alloquitur: *Non licet tibi, &c.* Phariſæis quoque ad ſe venientibus non blanditur, non ait: placet quod agitis, juvat quod venitis. Sed quid *Lucæ* 3. ait? *Genimina viperarum, &c.* O ſi hoc noſtrum miſerum, & deplorandum ſæculum, vel unum talem haberet concionatorem, qui ſimili fiducia & libertate, potentum & pontificum vitia: non iniquo animo, ut Lutherus, ſed ſincere & pure, ex compaſſione, ex zelo, ex charitate, corde vero, & puro corriperet & argueret! Væ nobis, quia facti *Iſaiæ* 56. ſumus hodie in Dominico grege, velut *canes muti, non valentes latrare*; atque ideo flagitia, ſcelera, & peccata in Eccleſia Chriſti inundaverunt. Talis erat ſermo Joannis *vivus, efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad* interiora mentis, *convertens animas*, concutiens corda, lætificans juſtos, *humilians autem peccatores uſque ad terram*, & non mirum, quoniam talem habuerat magiſtrum, & talem per triginta annos ſequutus fuerat ſcholam: diebus ac noctibus contemplationi & meditationi incumbens, non in exteriori aliquo libro legens, ſed ſine intermiſſione audiens quid loqueretur in ſeipſo Dominus Deus; & continue cum Propheta erigens cordis ſui aurem, ut audiat Deum quaſi magiſtrum. Factus, ſicut ſcriptum eſt, *docibilis Dei*. O ſi hujuſmodi nunc ſequeremur ſcholam, qui populum inſtruimus, o ſi ſolicite curaremus audire in aure quod prædicaremus ſuper tecta! Ut *dies diei eructat verbum*, & non nox, id eſt, littera mortua, nocti, id eſt, animo terrenis curis obſcurato indicaret ſolam ſcientiam; quæ potius inflat, quam ædificat: non in populi frequentia, ſed in ſecreto eremi habitantes, & inde ad publicum, quaſi ſcintillæ in arundineto prodeuntes: quanto efficacior & potentior eſſet doctrina, quanto plenior & copioſior eſſet fructus in populo! Si enim eſſent *exaltationes Dei in gutture* noſtro, in contemplationis otio, eſſent quoque utique *gladii ancipites in manibus noſtris*, in publico ſuggeſtu *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*, ad faciendum *in eis judicium conſcriptum:* & non ſermo lentus ex pectore frigido, ſine fructu aliquo laſſaretur. *Omnis namque* doctrina *divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.*

Hebr. 4. *Pſ.* 18. *Pſ.* 146. *Pſal.*84. *Iſaiæ* 50. *Joan.* 6. *Lucæ* 12. *Pſal.* 18. 1. *Cor.* 8. *Sap.* 3. *Pſ.* 149 2. *Tim.* 3.

VII. Sed ad Joannem revertamur: quem, ſicut diximus, & vita cœleſtis, & doctrina potens, & aſpectus venerabilis, & rigida veſtis, & inuſitatus cibus, & oratio frequens, & terrenorum omnium contemptus, adeo celebrem, & mirabilem fecit in populo: ut non modo ipſum eſſe Chriſtum in lege & Prophetis promiſſum ſuſpicarentur, ſed etiam hoc vehementer omnes cuperent, & optarent, in tanti hominis bonitate, & ſanctimonia gloriantes; honorabilem ſatis, & plurimum venerabilem toti orbi ſynagogam exiſtimantes, ſi hujuſmodi eam contingeret habere Meſſiam. Unde inito concilio, miſſiſque legatis inquirunt ab eo: *Tu quis es?* *Joan.* 1. nunquid Chriſtus, nunquid Elias, nunquid Propheta? quid dicis de te ipſo? Dic quod libet, nullum a te de te petimus teſtimonium, quicquid dixeris credimus tibi: tua vita, tibi ſufficit ad teſtimonium. O quomodo exultarent, o quantum lætarentur, ſi reſpondiſſet: ego ſum veſter Chriſtus; quam libenter eum totus ille populus ſuſciperet; quam ſuperbe de tanto Meſſia gloriaretur!

Vo-

Joan. 5. Voluerunt quippe in lumine ejus exultare, & in decore ejus venuſtari, ſicut Dominus
Ibid. 1. ait, ſed *confeſſus eſt, & non negavit, quia non ſum ego Chriſtus*, veritatem non negavit, veritatis amicus alienum non ſurripuit honorem, ut proprium conſervaret. Non
Matt. 11. erat arundo vento agitata, quem enim tantus honor libenter oblatus non agitaret, niſi eum Spiritus ſancti gratia ſolidaſſet. Sed quid reſponderit audiamus: *Medius*, inquit,
Joan. 1. *veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Venit poſt*
Marc. 1. *me fortior me; cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum. Ego baptizo vos aqua, ille vos baptizabit Spiritui ſancto & igni.* Ac ſi diceret, quid miſeri & cæci meo vultis ſplendore illuſtrari, quia homo ſum terrenus ſimilis vobis? O quanto ſublimior & potentior eſt veſter Meſſias, qui in medio veſtrum latet: o ſi ejus celſitudinem, & magnitudinem noſceretis! Magnus vobis videor, certe ipſum quaſi vernaculus excalceare dignus
Joan. 3. non ſum: nam qui de terra eſt, de terra loquitur: qui de cœlo venit, ſuper omnes
Ibid. 1. eſt. Mirabantur illi, & inter ſe muſſitabant, quiſnam eſſet ille tam magnus & tam excelſus, cui Joannes a calceis ſervire indignum ſe fateretur: donec quadam die, ipſo ad Jordanem coram populo prædicante, Dominus Jeſus ſolus, ut creditur, per deſertum, pauper & humilis ad ipſum veniebat, quem intuens Joannes ad ſe venientem, Spiritu ſancto recognovit, & cum ingenti gaudio exultans,
Ibid. 1. extenſo digito proclamavit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi;* & ad pedes ejus proſtratus, profuſis præ gaudio lacrymis adoravit. O qua ſiti, quo deſiderio a ſua infantia cupiebat videre eum! ſed detinebatur a Deo in eremo uſque ad tempus deſtinatum, ne amicitia & familiaritate potius, quam veritate de ipſo teſtificari videretur. Vadunt
Matt. 3. ſimul ad Jordanem, & baptizato Domino,
Luca 3. *cœli aperti ſunt ſuper eum & vox Patris intonuit. Hic eſt Filius meus dilectus.* Columba quoque ſuper ipſum deſcendere viſa eſt; ut non ab hominibus, ſed a Deo Joannis teſtimonium acciperet firmamentum. Quanta gloria digito monſtrare, quem ſignis & indiciis cæteri præſignaverunt! Propter quod merito Dominus Jeſus in illo ſermone, quem in honorem ejus coram populo fecit, eum Prophetam & pluſquam Prophetam nuncupavit, ut jam nihil deeſſet ad plenam & conſummatam laudem ejus, ut qui prius ab Angelo, deinde a parente fuerat in ſuo ortu commendatus, ultimo ab ipſa quoque veritate commendaretur & laudaretur, & non communi laude & conſueta, ſed qua cunctis
Matt. 11. mortalibus antefertur: *Inter natos*, inquit, *mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta.* Poſt tam egregios oratores, quis audeat laudare Joannem?

VIII. Sileamus interim de Joanne, ad nos noſtra convertatur oratio. Evenit nobis videre in eo, quod ſolet illis, qui cum ſint degeneres & turpes, parentum, & progenitorum ſuorum nobilitatem, virtutes & præclara geſta commemorant: qui, quo ſuos prædeceſſores amplius efferunt, eo ſeipſos magis vituperant, & confundunt. Fuit namque Joannes vitæ monaſticæ primus parens, primus inſtitutor & inventor, qui vitam hanc cælibem hominibus non ſcripto codice, ſed exemplo, & opere demonſtravit. Pudeat, pudeat laudare quem non ſequimur. O quantum degeneramus ab illo! ubi nunc in religionibus illa puritas, illa innocentia, illa ſanctitas? ubi ille devotionis fervor, ille pœnitentiæ rigor, ille continentiæ vigor? ubi ſolitudo illa, abſtinentia illa, modeſtia illa? ubi veſtis neglectus, mundi contemptus, juſtitiæ zelus? Væ nobis, quia ſolum nomen vacuum religionis, tonſuram, & habitum geſtamus, delicioſi, delicati, ſuperbi, voluptuoſi, inquieti, vagi, tepidi, ſine ſpiritu, ſine devotione, negotiatores, detractores, deambulatores, facti ſumus ſicut populus; non tamen ſicut populus judicandi; *Oſeæ* 4. neque ſolos nos, ſed etiam cunctos Chriſticolas Joannis vita redarguit. Quid feceras o Joannes? quæ peccata commiſeras? quæ flagitia perpetraveras, ut talem ageres pœnitentiam? Sanctificatus in utero, confirmatus in gratia, plenus Spiritu ſancto, mortaliter peccare non noveras. Ad quid ergo pœnitentiæ tantus rigor? nempe quia prædicaturus erat peccatoribus pœnitentiam prius illam in ſeipſo operibus oſtendit, quam ſermonibus docuit: ac ſi diceret: Attendite *Lucæ* 23. homines, & videte, *ſi in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Si ſic maceratur innocentia, ut perveniat ad vitam, quomodo iniquitas corripienda eſt? Si cum his omnibus *juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* 1. *Petr.* 4. Quid fiet de nobis, Fratres, qui quotidie peccata peccatis addimus, & ponderi noſtro pondus adjicimus, quibus nulla eſt cura ſatisfaciendi pro eis, ſed omnem ſatisfactionem futuro ſæculo reſervamus? Timeo ne tanti ponderis immenſitate gravati in baratrum decidamus. Non pro ſuis culpis, ſed pro noſtris Joannes hunc rigorem pœnitentiæ ſuſtinebat: ut nos ad pœnitentiam ſuo hortaretur exemplo, & ad ſatisfactionem ſuo adjuvaret merito: ut illius abundantia noſtram indigentiam compenſaret. Ex hac ſanctorum ſuperexcreſcente opulentia, grandis Eccleſiæ theſaurus conficitur, qui quotidie a ſummis Pontificibus in peccatorum noſtrorum indulgentiis erogatur: ut quod per nos non ſufficimus, eorum juvamine ſuppleamus. Unde Apoſtolus: *Adimpleo*, inquit, *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* *Coloſ.* 1. Quantum debemus Sanctis! ſuis meritis adjuverunt, ſuis ſermonibus docuerunt, ſuis exhortationibus excitaverunt, ſuis precibus modo tuentur & fovent: ut feliciſſimum eorum conſortium in cœleſti gloria conſequamur: ad quam nos perducat Jeſus Chriſtus filius Dei. Amen.

IN

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI CONCIO.

DE EUANGELIO: ET AD EQUITES COMMENDATARIOS.

Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram, in regno tuo. Matth. 20. v. 21.

§. CONCIO CXCV.

I. MATER Joannis, & Jacobi acceſſit ad Dominum petitura pro filiis, & flexis genibus coram eo tacebat, erubeſcebat petere, quia arrogantem & ambitioſam ſupplicationem afferebat. Videns illam Dominus ſic hærentem, erubeſcentem, ait illi: *Quid vis?* Et illa. Domine, *dic ut hi duo filii mei, &c.* Sed unde iſta ſancta mulier habere potuit regni ſuſpicionem? Dominus pauper, humilis in laboribus & ærumnis, nullus faſtus, nulla pompa, nulla erat regni apparentia. Forſan ex hoc quod prædixerat Chriſtus ſe tertia die reſurrecturum? Sed non videtur hoc, quia Lucas ait: *Et ipſi nihil horum intellexerunt*, ideo aliter dicendum, quod cognovit ex hoc, quia licet apud populum varia eſſet opinio de Domino, an eſſet Chriſtus: tamen in ſchola ejus, & apud domeſticos hoc credebatur pro certo. Unde quidam illorum poſt reſurrectionem dixerunt: *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael.* Et hoc apud omnes Judæos erat receptum, & notiſſimum, quod Chriſtus futurus erat Rex; ſicut ſcriptum eſt in Pſalmo: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus;* & iterum: *Dominabitur a mari uſque ad mare.* Et ſic quamvis tunc eſſet humillimus & pauperrimus, exiſtimavit mulier, quod quandoque mutato ſtatu eſſet regnaturus. Et ſic habito cum filiis conſilio, decrevit petere ſupplicationem illam: Quoniam, ſicut ait Chryſoſtomus (*a*), petentis negligentia reprehenditur, quando de dantis miſericordia non dubitatur. Unde inter ſe, ut creditur, cogitaverunt, & conſiliati ſunt, dicentes: Hoc quod petimus juſtiſſimum eſt, nam inter fratres noſtros condiſcipulos, nullus nobis debet præferri. Hæc enim prærogativa præeminentiæ, quam petimus, ſi jure propinquitatis dari debet alicui, nullus propinquior: ſi ex amicitia, & gratia, nullus familiarior: ſi ex ſervitiis, nullus ſuperior: ſi ex merito, nullus nos præcedit. Non eſt ergo, unde nobis negetur tam juſta petitio. Præveniamus, ne forte alius præveniat nos.

II. Dominus audita petitione converſus ad filios, noverat enim, quod mater a filiis eſſet ſubmiſſa, ait: *Neſcitis quid petatis*, temporalis regni præeminentiam quæritis? non ſum temporaliter regnaturus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Neſcitis quid petatis*, in regno meo nullus ſedet. Scriptum eſt: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Nullus ſedet, qui ſedere voluit, dicens: *Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis*, præcipitatus eſt in æternum. *Neſcitis quid petatis* a me, qui cum in forma Dei eſſem exinanivi memetipſum, formam ſervi accipiens, factus mundo magiſter humilitatis, & paupertatis exemplum; qui inter latrones in cruce cum ſummo opprobrio ſum moriturus; ut ſtatim ante prædixeram. A me, inquam, omnium hominum infimo & noviſſimo temporalem gloriam quæritis? *Neſcitis quid petatis.* Stulta nimis & inconſiderata eſt iſta veſtra poſtulatio, & ambitionis plena: erratis, erratis. Quicunque a Deo temporalem gloriam, favores, & divitias, & opulentiam anxie quærunt, neſciunt quid petant. Venit Chriſtus in mundum, ut doceret contemnere, & tu inſtanter petis? O cum quanto fervore iſta petuntur, & quam tepide ſpiritualia! Sed, inquit, ex quo mecum regnare vultis, *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*, & ſicut vultis conſortes eſſe gloriæ, poteritis ne participes eſſe ignominiæ? Dicunt ei: *Poſſumus.* Laudandus certe animi generoſi impetus: ſed non minus ignorans, & inconſiderata reſponſio, quam fuerat ipſa petitio. O ſi ſcires quid & quantum poteſt humana fragilitas! *Non* ſumus, inquit Apoſtolus, *ſufficientes cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt;* & iſti interrogati de morte, ſtatim reſpondent poſſumus. Chryſoſtomus (*b*): Chriſtus bibiturus calicem trepidat, & angitur uſque ad mortem, & vos tam facile poteritis bibere calicem? Jam non miremur, ſi illi qui habitant in curia regia deſi-

Matt. 20. *Ibid.* 24. *Pſal.* 2. *Pſal.* 71. (*a*) *Matt.* 20. *Joan.* 18. *Dan.* 7. *Iſaiæ* 14. *Philip.* 2. 2. *Cor.* 3. (*b*) *Lucæ* 2.

(*a*) Seu Auctor imperfecti in Matth. Homil. 35. ante med.

(*b*) Seu Auctor imperfecti in Matth. Homil. 35. poſt medium. *Si enim Dominus, cum in tentationem paſſionis veniſſet, dicebat: Pater, ſi poteſt fieri, tranſeat a me calix iſte, quanto magis Diſcipuli non fuerunt dicturi, quia poſſumus, ſi ſciſſent qualis eſt tentatio mortis?*

desiderent favorem & principatum; ecce isti Apostoli, & inter Apostolos primi optarunt, & petierunt. Quis tam sanctus & justus, ut (a) hac macula non tangatur? Chrysostomus (a) in homilia: Multos invenies divitias contempsisse, & delicias non curasse: sed qui honorem & gloriam refutant, pauciſſimos. Ecce isti mundum reliquerunt, & omnia quæ habebant: longe erant ab omnibus voluptatibus & divitiis, & tamen quærebant gloriæ principatum.

III. Ultima omnium congressio cum ambitione est, postquam omnia viceris, postquam omnia superaveris, de ipsa vitiorum victoria, novum tibi nascitur bellum cum 2.Cor.12. vanagloria. Paulus in cœlum conscenderat, & paradisum deambulaverat, & tamen cum hac bellum gerit; unde ait: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi* Ibidem. *stimulus*, *&c.* Et quid de hominibus miramur caducis? *Ecce qui serviunt ei non sunt* Job 4. *stabiles*, *& in Angelis suis reperit pravitatem*. Quid enim præcipitavit Luciferum de cœlo, nisi ambitio? Ascendam, inquit, *super astra Dei exaltabo solium meum*, *&c.* Isaiæ 14. Et hominem quid dejecit de paradiso? non sola gula, sed magis ambitio. Nam licet Gen. 3. Eva viderit pomum quod esset pulchrum, non tamen hoc sic movit, quam illud quod dixerat ei serpens: *Eritis sicut dii*, *&c.* Ex illo tunc hæreditarium nobis hoc vitium ambitionis relictum est. Proh mundi lethalis honos, quomodo fascinas homines, quam Eccle.12. male decipis mortales! Quid est enim gloria hæc nisi ventus, *vanitas vanitatum*, *& omnia vanitas?* Quod homines quærant divitias & delicias, nihil mirum: sed ad quid ventus iste gloriæ & opinionis? Si totus mundus te supra cœlum laudet & admiretur, quid inde? quæ utilitas? Si tu miser es in carcere, quid tibi proderit illa laudatio? & tamen bone Deus, quid non sustinent homines pro ista gloria? quos labores, quos sudores, ut acquirant dignitates & favores? Non aliud quæramus exemplum. Ecce cum Dominus dixisset, *potestis bibere calicem?* statim sine hæsitatione responderunt: *Possumus*; omnes labores, omnes sudores, tormenta, & mortem sustinebimus, dummodo tecum regnemus. Divitias quas cum tanto sudore acquirunt & tam dilectas, & salutem, & vitam, si casus honoris se offerat, omnia libenter exponunt pro modico vento. O mirabilis, imo miserabilis fascinatio! Quantum Deo displiceat ambitio, in casu Angeli, & hominis punitione satis liquet. Unde cum Dominus videret suam scholam isto vitio infectam, quid putatis sentiebat? Nam non solum nunc, sed & sæpius legimus eos in Euangelio de hoc vitio notatos: nam ecce Dominus propinquus erat passioni & obliti passionis Domini sui de principatu litigabant; *facta est* enim *contentio inter illos*, *quis eorum videretur esse major*, & quis Lucæ 22. relinqueretur ut major. O quanta imbecillitas! Quid sentiebat Dominus moriturus pro illis de hac contentione?

IV. Audiamus igitur quomodo curavit, quomodo respondit. Primo namque reprobavit petitionem eorum, dicens: *Nescitis quid petatis*, stulta est hæc vestra postulatio. O stulti! a me, qui cum essem Filius Dei, in tanta gloria humiliavi meipsum, formam ser- Philip.2. vi accipiens in paupertate, & labore, & sudore, vivens inter labores, in cruce moriturus, a me gloriam mundi petitis, a me dignitates mundi requiritis? O gentem stultissimam! Apostolus: *Si in hac vita tantum* 1.Cor.15. *sperantes sumus in Christo*, *miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Videant nunc qui ad Ecclesiam pro honoribus, pro redditibus, pro negotiis & divitiis currunt: ne sibi similiter respondeatur: *Nescitis quid petatis*. O quam anxie ista vana quæruntur & petuntur, cum quibus lacrymis & instantia! & quæ vera & spiritualia bona sunt quam frigide, quam tepide! An non stultitia, a Christo crucifixo pendente inter latrones, tam anxie honores & gloriam petere? Jacobus ait: *Petitis & non accipitis*, *eo quod* Jacob. 4. *male petatis; adulteri*, *an nescitis quia amicitia hujus mundi*, *&c.* Hæc omnia cum moderamine petenda sunt, si ad nostram salutem & Dei servitium profutura sunt, & ju- Rom. 8. dicio Dei relinquenda; nos enim quid nos oporteat orare nescimus, & sæpius petimus cum instantia, multa ad nostram condemnationem. Dixit Dominus olim Salomoni, 3. Reg.3. cum esset puer, ut peteret quod vellet: grandis misericordia a tanto Domino, qui tanta poterat præstare! ille petiit sapientiam, videns quod regni gubernacula possideret. Placuit Deo petitio, quia vere grandi sapientia opus est ad regimen tantorum populorum. Sed vere, si omnino sapienter petiisset, melius petiisset. O Domine, ex quo datur optio, peto te ipsum, a te nihil aliud volo præter te. Quanto sapientius pater ejus petebat: *Unam petii a Domino & hanc requi-* Psal.26. *ram*, *&c.* Primo itaque petitio reprehensa est, quod non sapienter peterent. Secundo, proposuit illis difficultatem suæ petitionis, dicens: *Potestis bibere calicem*, *&c.* Mecum regnare vultis, poteritis mecum quoque calicem passionis bibere? Si vultis participes esse gloriæ, oportet ut sitis & participes pœnæ, nam regnum sine calice non dabitur. *Ego*, inquit, *dispono vobis regnum*, *sicut dis-* Lucæ 22. *posuit mihi pater*: non facio vobis injuriam, nec enim plus vos amo, quam me diligit pater. Et quomodo Domine disposuit tibi pater? Oportet, inquit, *pati Christum*: *& ita* Ibid. 24. *intrare*

(a) Homil. 43. ad popul. *De vana gloria*, *& ambitione* sub initium. *Non est enim*, *non est*, *inquam*, *vitium ita tyrannicum*, *& ubique dominans ex majori quidem*, *vel ex minori parte*, *attamen ubique*. Et Homil. 28. in Joann. prope fin. *Nam qui sæpenumero pecunias*, *& mundi illecebras*, *& violentiores corporis voluptates valere jubent*, *hi nonnunquam inani gloria capti omnia perdiderunt*.

intrare in gloriam ſuam per mortem, per crucem, per paſſionem. Bernardus: Chriſtus non intrat in gloriam ſuam, niſi per paſſionem, & tu intrabis in gloriam alienam ſine cruce? Non fiet. Clamat Apoſtolus: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus;* quia ſi compatimur, & conregnabimus. 1.*Tim.*1.

V. Jam ex hoc, Fratres, agnoſcite noſtrum errorem, qui per delicias & divitias ad regnum cœleſte ire putamus. Quid enim minus hoc quærit Chriſtianus, quam paganus; ut abundet omnibus ſæculi deliciis & gaudiis? O ſtulte! Dilectiſſimis diſcipulis, & cognatis Chriſtus non dat regnum ſine calice, imo petentibus, de calice interrogat; & dabitur tibi? Quis unquam Sanctorum ſine calice tribulationis venit ad regnum? Vide Apoſtolos, vide Martyres, vide Virgines, vide Anachoritas, omnes per magnas tribulationes introierunt in regnum Dei. Unde cum Joannes Apoſtolus vidiſſet eos in gloria, & interrogaſſet Angelum: *Qui ſunt* iſti, *& unde venerunt?* Dictum eſt ei: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna.* Et tu putas quod tibi ſoli dabitur privilegium, ut in deliciis vivens regnum cœlorum poſſideas? non credas, erras, erras, non fiet iſtud. Non potes hic, & illic gaudia poſſidere, non potes duplicem paradiſum obtinere. Audi quid Dominus dicat divitibus: *Væ vobis divitibus, qui habetis* hic *conſolationem veſtram*, quia non habebitis ibi. Unde & alteri diviti dictum eſt: *Recordare fili, quia recepiſti, &c.* O quanta deceptio filiorum hominum, & heu non ſentitur! Uſque in finem omnes quærimus proſperitates, & favores, & gaudia ſæculi ad noſtram perniciem. Attende quid dicat Gregorius (*a*): Continuus ſucceſſus rerum temporalium æternæ damnationis indicium eſt. Unde Pſal. *Ab altitudine diei timebo*, & e contrario tribulationes, & perſecutiones, & ægritudines pati, ſignum eſt amoris & prædeſtinationis. Unde iſtis Apoſtolis petentibus regnum, pro magna mercede reſponſum eſt: *Calicem meum bibetis?* Sic ipſi putabant, nam *ibant* Apoſtoli *gaudentes a conſpectu concilii, pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Et Apoſtolus: *Vobis*, inquit, datum *eſt, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini:* magna gratia eſt de Chriſti Regis calice bibere. Unde Job: *Quis mihi* det, *ut deſiderium meum audiat Omnipotens?* Hoc ſignum amoris, hoc indicium æternæ hæreditatis: ſi me hic fecerit conſortem ſui calicis; ecce nudus ſum, ecce plagatus, ecce in ſterquilinio, ſed majora paratus ſum ſuſtinere pro ipſo, ſi ipſe diſponat: ut particeps fiam regni cœlorum. *Apoc.* 7. *Lucæ* 6. *Ibid.* 16. (*a*) *Pſal.* 55. *Act.* 5. *Philip.*1. *Job.* 31.

VI. Notandum autem, quod Deus multos habet calices, ſcilicet gloriæ, miſericordiæ, juſtitiæ. De his Pſal. *Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto & inclinavit ex hoc, &c.* Primus vini meri, nulla eſt mixtio mali, plena ſatietas, plena felicitas, plenum gaudium, & ideo ebrietas, *& calix meus inebrians, quam præclarus eſt!* nam hic non inebriat, quia mixtus eſt, conſolationes, & tribulationes mixtæ dantur. Pſal. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, &c.* Apoſtolus. Quia ſicut abundant tribulationes pro Chriſto, ita & conſolationes in Chriſto: *Inclinavit ex hoc in hoc*, nunquam diu durat unum ſine alio; *viſitas eum, & ſubito probas: veruntamen fæx ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ* merum. O fæces amariſſimas! & quis ſufficiet explicare? Referri ſolet de quadam viſione Sancti Viri, qui vidit animam damnatam ſedentem & diabolos propinantes calicem fœtidum, quæ omnibus modis recuſabat bibere, ſed coacta eſt, & ſtatim bibit, per oculos, & per nares, & aures, prodierunt flammæ ignis ardentis. Sive vera ſit viſio, ſive non, talis eſt certe calix ille Dei, quo damnati potantur. Quicunque ergo de calice puro vult potari, prius bibat de mixto, alias non dabitur ei: imo ſi poſtea datur grandis miſeria eſt. Non attenditis quid dictum eſt iſtis Apoſtolis? *Calicem meum bibetis, ſedere autem non eſt meum dare vobis:* pro me, inquit, patiemini certe, ſed poſtquam acerrimam mortem paſſi fueritis, non eſt meum dare vobis, dabitur forte vobis regnum cœlorum. Videte quale eſt regnum quod petitis. O Domine & poſt mortem talem adhuc ponis in dubio? utique, nam multi mortui ſunt, & paſſi pro Chriſto, ut videbatur, martyrium, & non acceperunt: ſicut Auguſtinus (*b*) ait de hæreticis, mortem ſubeuntibus pro Chriſto ut putabant, ſed falſo, qui non ſunt ſalvati, quia extra Eccleſiæ unitatem non eſt ſalus, & quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo:* & adducit illud Apoſtoli ad Corinthios: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, &c.* Et quomodo habet charitatem qui non diligit, imo diffipat unitatem? O magnum & egregium medicum, quomodo reprimit petentium ambitionem! Regnare mecum vultis, poteritis mori pro me? Dicunt: *Poſſumus.* Cum ergo mortem paſſi fueritis forſitan dabitur vobis, ſi vobis paratum eſt a Patre meo. Sic iterum cum peterent ab illo: *Quis putas major eſt in regno cœlorum?* accepit parvulum, & poſuit in medio, & ait: Quæritis de majori? videte, an intretis illuc, *nam niſi converſi fueritis, &c.* O quomodo humiliabat! Et iterum, cum veniſſent gaudentes, ait: *Videbam Satanam de cœlo cadentem.* Quaſi dicat: Ecce Satanico morbo laboratis, videte ne cum illo ſimiliter pereatis. *Pſal.* 74. *Pſal.* 22. *Pſal.* 93. 2. *Cor.* 1. *Pſal.* 74. *Job.* 7. *Matt.*18. *Lucæ* 10. (*b*)

VII. Sed quamvis ad reprimendam eorum

(*a*) Vide Moral. lib. 5. cap. 1., lib. 6. cap. 12., lib. 26. cap. 28.

(*b*) Epiſt. 173., alias 204. num. 6. *Foris autem ab Eccleſia conſtitutus, & ſeparatus a compage unitatis, & vinculo charitatis, æterno ſupplicio puniveris etiamſi pro Chriſti nomine vivus incendereris.* Vide lib. 4. de Babtiſmo contra Donatiſtas cap. 17., & Serm. ad Cæſareenſis Eccleſiæ plebem num. 6. tom. 9.

rum ambitionem; & ad noſtram eruditionem taliter reſponderit; credimus eorum petitionem conceſſiſſe, & in regno cœleſti inter Sanctos eis præcipuum locum dediſſe: qui enim ſic familiares fuerunt in vita, credendum eſt eos etiam ſuperiores cæteris fuiſſe in gloria: ad minus in hoc regno cœlorum, id eſt, Eccleſia, petitionem illorum impletam videmus. Nam Joanni ſedes data eſt in Aſia, quæ eſt ad dexteram Jeruſalem: & Jacobo in Hiſpania, quæ eſt ad ſiniſtram partem. Quanta gloria noſtræ Hiſpaniæ, quantus favor a Deo talem recepiſſe patronum, unum ex tribus chariſſimis Dei! Grandis favor Domine, quod ſic æſtimaſti eam, & quod tanti eſt apud te in fine mundi poſita: non enim ſic eam æſtimaſſes, & tanto patrono dotaſſes, niſi grandis futura eſſet. Nam licet prius barbara & ruſtica, in ea tamen fides tua pura, & cultus tuus uſque in finem permanſit. Ecce Achaja, Ægyptus, India, Aſia, Græcia, omnes perditæ ſunt: & ex provinciis Chriſtianis multæ infectæ, Hiſpania maxime ſervat fidem illæſam meritis & patrocinio hujus ſanctiſſimi Apoſtoli. Nam quale eſt talem habere patronum in curia cœleſti! Etſi aliquando capta eſt ab infidelibus, tamen ejus patrocinio liberata eſt: unde legitur in hiſtoriis (*a*) Apoſtolum viſibiliter aliquando in bello apparuiſſe. O quantus honor debetur ab Hiſpania huic tanto patrono! Vere hoc feſtum cum omni gaudio & exultatione celebrandum eſſet in Hiſpania ſicut Paſcha: quia noſtrum maxime eſt: ejus meritis putamus hunc Ordinem militarem ad tantum gloriæ faſtigium perveniſſe. Quis namque Ordo in toto orbe illuſtrior, cujus Prior Carolus Quintus Imperator eſt? Quid amplius potuit aſcendere? Vere ſicut *Marc. 4.* granum ſynapis cœpit & crevit dignitate & gloria ſuper omnia olera. Sed vellem, ut ſicut illuſtriſſimus eſt omnium dignitate, ſic eſſet obſervantia & religione. In hoc enim, ut verum fatear, multum decidit a primordio: jam enim de religione modica eſt cura, ſed de ſolis redditibus cura eſt. Dicite mihi, quid plus habet commendatarius quam miles laicus? vel quam antea habuit? niſi quod recitat Pater noſter, & in tribus Paſchatibus communicat? Quæ religio? quæ modeſtia? quæ temperantia major in domo, in familia, in menſa, & in cæteris, cum tota domus ejus, ut monaſterium eſſe deberet? Imo nec recordatur, quod religioſus eſt, ſed omnino ſic vivit ut ſæcularis, cum omni faſtu & pompa & deliciis. Vere ſi ſciretis obligationem, forſitan non acciperetis redditus. Quod ſi etiam attendamus ad finem hujus Ordinis, altiſſimus eſt. Nam cum aliquæ religiones ſint inſtitutæ ad hoſpitium peregrinorum, aliæ ad redemptionem captivorum, aliæ ad eruditionem populorum, aliæ ad exemplum hominum, aliæ ad vacandum contemplationi, veſter Ordo inſtitutus eſt ad defenſionem fidei. Vitas veſtras devoviſtis Deo, ad moriendum pro fide: *Majorem hac dilectionem nemo habet quam, &c.* Non opus eſt quod vocetur commendatarius ad bellum, nam ex profeſſione tenetur: propter hoc redditus dantur. Bernardus (*b*) ad milites templi: O felix militia, quæ ſemper fuit victorioſa, omnino inſuperabilis: nam ſi vincit, quanta gloria! ſi moritur, quanta gloria! major eſt victoria. Quid enim defuit illi, ut eſſet martyr, ſi pro hoc ſolo militavit, ut fidem a paganis defenderet? Recordamini ergo, Fratres, veſtræ militiæ, zelate honorem Dei & fidei defenſionem, quam profeſſi eſtis, curantes: ut cum apparuerit Rex veſter, ſicut boni milites ab eo debitum militiæ ſtipendium recipiatis in gloria: ad quam nos perducat Jeſus Chriſtus. Amen.

Joan. 15.

1. Petr. 5.

IN FESTO UNIUS MARTYRIS

CONCIO PRIMA.

DE CRUCE FERENDA.

Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matth. 16. v. 24.

§. CONCIO CXCVI.

I. MAGNUM beneficium a Domino Deo noſtro, Fratres, quia ſalus noſtra, & vita, in noſtra poteſtate conſtituta eſt: ut ſi quis velit, tantam poſſit gloriam obtinere, ita Pſal. in- *Pſ. 118.* quit: *Anima mea in manibus meis ſemper.* *Eccli. 15.* *Reliquit* enim Deus hominem *in manu conſilii ſui*, oſtendens illi viam vitæ, & viam mortis, ut quam ex illis voluerit ſequatur: & ſua voluntate, & arbitrio, aut bene vivat, & remuneretur, aut male agat, & puniatur. Non ſic hujus mundi gloria, non ſic honores hujus ſæculi, & divitiæ in noſtra poteſtate ſitæ ſunt, quoniam vana, & inutilia bona ſunt. Quæ autem magna ſunt, in noſtra poſuit poteſtate, & ita volentibus adeſt Deus, ut nemo de ſeipſo conqueratur, ſi ami-

(*a*) Vide notas ad Conc. in Rogationibus. (*b*) Exhort. ad Milites Templi cap. 3.

amiserit illa. Quo ad illa ergo beatitudinis ingentia præmia, pares nos fecit Altissimus ac æquales: nulla est in hoc differentia potentissimi Regis, & fœdissimi Æthiopis, divitis, & pauperis, nobilis, & ignobilis; neminem excludit a sua gratia, & amicitia Deus. Sic Æthiopem acceptat sicut Regem, non dedignatur abjectissimos hominum habere amicissimos. Grandis hæc clementia, grandis benignitas Conditoris! Unde Apostolus Petrus: *In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus:* omnes animæ hominum coram eo pulchræ sunt, & decoræ, etiamsi corpora in oculis hominum vilescant, homo enim attendit quæ foris sunt, & Deus intuetur cor. Hoc est quod in themate ait: *Si quis vult post me venire*, omnes invito, neminem abjicio, cujuscunque sortis, status, vel conditionis existat, sive Judæus, sive Græcus, sive Latinus, sive Indus, sive Hispanus, sive Gallicus sit: sive senex, sive puer, sive dives, sive pauper, sive nobilis, sive ignobilis, sive pulcher, sive turpis. Quicunque voluerit esse mihi amicus: si venerit ad me, *non ejiciam foras*.

Act. 10.

1. *Reg.* 16.

Joan. 6.

II. Quanta pauperum in hoc consolatio, quanta divitum admonitio. Gaudeant pauperes, & abjecti, quia coram Domino divites sunt si volunt: audiant divites, ne contemnant servos, quos in gloria fratres esse cognoscunt, & forte habituri sunt superiores præstantioresque. *Si quis* ergo *vult post me venire*, neminem cogo, neminem abjicio, suo hoc arbitrio, & voluntati relinquo, non accepto coacta servitia, neminem patior mihi servire invitum; sed sicut scriptum est: *Voluntarie sacrificabo tibi*. Nolo ut aliquis baptizetur invitus, nolo ut quisquam cogatur ad sacra, qui voluerit gratuito spondeat, & dedicet se. Contra parentes, qui hodie invitas filias moniales faciunt. Sed quid obsecro Domine servienti promittis, qualia famulis stipendia proponis? An gratis, & sine præmio serviemus tibi? Non utique: attendite stipendia, attendite servitia: *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. O puritas Euangelicæ doctrinæ, o sinceritas legis Christi, quam longe est ab omni suspicione mendacii! Attendite quid Christus quærat a servitoribus suis, videte qualia injungat officia, mortificationem, & crucem. Non blanditiis ad te allexisti homines, o bone Jesu, non promissionibus vacuis attraxisti, promittens illis solatia, & gaudia, voluptates, & opes hujus sæculi; ad labores, ad persecutiones, ad asperitates, & mortes advocasti eos: non bello cogens, sed verbo monens. Non sic alii, non sic: quid mirum si brevi tempore, dimidium post se orbem pessimus ille Mahometus convertit, laxando fræna vitiis, & voluptatibus, perfruendi licentiam dando, non verbo, sed gladio invitos cogendo. Tu autem Domine non sic: sed quid ais? *Si quis vult post me venire:* invitas, non trahis: vocas, non cogis: allicis, non impellis: neque enim homini suam vis præripere apud te meriti dignitatem, quia gratis, & spontaneus obedierit tibi.

Pſ. 118.

Pſal. 1.

III. Sed jam quid sequentibus se injungat audiamus: *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Tria hæc in quibus omnis Euangelicæ doctrinæ summa consistit. *Abneget semetipsum*, id est, deponat id quod est, ut mereatur esse quod non est: rem in spe emat, & præsentia futuris commutet: & abjiciat id quod habet, ut possit obtinere quod cupit. Arduum hoc nimis, & supra communem hominis facultatem, nisi in illius adjutorio nostra fulciretur infirmitas. Raro enim, ut inquit Ambrosius (*a*), quamvis excelsa virtus futuris præsentia commutat: nam ut in Ecclesiaste legitur: *Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias*. Sed quid non aggredietur homo in verbo tuo bone Jesu? quid non audeat sola tua promissione firmatus? *Cœlum* quippe, *& terra transibunt, verba autem* tua *non* transibunt. Unde Psalm. *Sustinuit anima mea in verbo ejus*; & iterum: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*. Hoc solo verbo tuo Domine martyres laniati sunt, hoc solo verbo horribilia tormenta passi sunt. Propter hoc verbum tuum sponte coram populis *distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ludibria, & verberа experti* sunt, *lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*. Quanta Martyr hic glorioſus sustinuit in verbo hoc, quæ etiam audire horret auditus! O vera fides illorum temporum, quæ non solo verbo, sed tormento confirmatur! cui ad manus semper erat examen, quo verus a ficto discerneretur auditor. Hic exercebatur doctrina, ibi lucta; hic magisterium, ibi exercitium; hic instituebatur verbo fidelis, ibi probabatur tormento; tunc apertissime in oculis omnium apparebat, quis verus hujus verbi fuisset auditor: *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Non satis est tibi, o Christiane, abnegare teipsum, nisi etiam crucem tuam tollas, non sufficit abjicere quod delectat, nisi etiam amplexus fueris quod cruciat. Abjice gaudia sæculi, & omnia corporis blandimenta contemne, & abnegasti te. Sed hoc amplius a te Christus requirit, ut scilicet pro ejus amore labores sustineas, injurias toleres, famem, sitim, nuditatem, anxietates, dolores, & si opus est etiam mortem atrociſſimam patiaris. Hæc est crux, sine qua nemo militat Christo: hæc enim ejus militiæ signum est: sine hac Christi militiæ nullus ascribitur: hoc signo dux ipse signatus est, hoc etiam signatur, & miles. Qui crucem spernit, Christi mili-

(*a*)

Eccle. 6.

Matt. 24.

Pſ. 129.

Pſal. 16.

Hebr. 11.

(*a*) De Offic. lib. 1. cap. 44. *Præsentia quippe plures, quam futura præferunt.*

militiam abjicit: non ergo Christi militibus se ulterius jungat; omnes enim hoc signo signati sunt.

IV. *Tollat*, inquit, *crucem suam*, nam meam non poterit, gravissima est enim, & ponderosa, & quam nullius puri hominis humerus portare sustineat. Non meam injungo, sed tollat suam, levem, facilem, portatilem, & quæ non virili humero, sed manu sola portari queat. Sufficit mihi, ut qualemcunque crucem subeat; hoc solo contentus sum. Non peto sanguinem a te o Christiane miles, non ulcera, non tormenta, non spinas, & verbera, quæ pro te ipse passus sum: age pœnitentiam pro peccatis tuis, & sufficit mihi. Jejuna, plora, vigila, afflige modicum carnem tuam, & satis est. Levis est ista crux, & quis eam negligat? quis de ejus pondere merito conqueratur? Si meam imponerem sustinere utique debuisses: debes enim mihi vitam tuam, quoniam pro te exposui meam. Sed melius tecum ago; tolle crucem tuam & satis est mihi, non tibi durum videatur verbum crucis, non tibi videatur injustum: ego pro peccatis tuis onera crucis sustineo, o peccator, & tu qui perpetrasti, tu qui commisisti, videns ridebis, & lætaberis, neque hujus tanti oneris
Matt.27. participem fieri dignaberis? Non, inquam, te mihi bonum Cyreneum exhibebis, ut vel a tergo, exiguam crucis meæ portionem sustineas? Quænam temeritas ista, qualis im-
Psal. 68. pudentia hæc? *Et sustinui*, inquit, *qui simul* mecum *contristaretur*, *& non fuit*, consolantem me quæsivi, *& non inveni*. Esset enim mihi in hoc agone hæc non modica consolatio, si eum pro quo sustineo hæc omnia, adjutorem, & non irrisorem haberem, si vel modicum mecum pro suis sceleribus peccator contristaretur, & suas meis lacrymas dignaretur adjungere: non quod ad redemptionis opus indigeam socio, non quod mea
Isaiæ 63. crux non suffecerit mundo. *Torcular calcavi solus*, & ad omnia peccata delenda, solus superabundo: sed quia hoc rectæ justitiæ ordo deposcit, ut nemo salvetur invitus, nullus coronetur indignus, qui fieri meæ consors passionis renuerit; tollat ergo crucem suam, qui non negligit meam; fiat particeps tormenti, qui cupit particeps esse regni, ipse tollat, non expectet, ut sibi imponatur ab aliquo. Exemplum dedit nobis ipse Salvator;
Joan. 19. de quo Joannes inquit: Exivit Jesus *bajulans sibi crucem*, non enim expectavit, ut imponeretur sibi a milite: sed viso salutis ligno, ut fortis athleta lætus arripuit. Et tu miles Christi similiter facito: tolle crucem tuam libenter, apprehende salutis disciplinam, præveni iram Domini, & anticipa in humilitate vindictam: fac ipse judicium de teipso,
Ps. 118. priusquam fiat a Deo: valde enim refert ad salutem sustinere dolorem, an accipere; patienter portare inflictam a Deo pœnam, an libenter assumere pro peccatis pœnitentiam; exiguus dolor sponte susceptus gravissimo præstat tormento violenter tolerato: aliud est enim patienter tolerare quod imponitur, & aliud libenter subire quod amatur; patientia bona est, sed invito præstantior spontanea pro peccatis pœnitentia.

V. Sed forte inquies, & ubi ego hanc inveniam crucem? Imo ubi non invenies eam? quocumque te vertas, præsto tibi crux erit, si Euangelium observas: omnis enim vita Christiani, Augustino teste (*a*), si secundum Euangelium vivitur, crux est. Unde Apostolus: *Qui sunt Christi*, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis*, *& concupiscentiis*. An *Galat. 5.* non crux quæ confixam detinet carnem, ne post suas concupiscentias vadat, & ne perefluat in deliciis? Qui enim crucifixus est, quocunque vult verti non potest: sic est omnis caro Domino crucifixa. Clavi autem quibus configitur, tres sunt, amor, spes, timor. Firmissimus clavus amor, quo manus justi configitur, ne operetur iniqua. Beatus qui hoc clavo configitur, qui non tam spe gaudiorum, aut timore tormentorum, sed ne dilecto displiceat, tota vita abstinet ab illicito. Hunc qui nondum consequutus est, saltem configatur spe, inclinet cor suum ad *faciendas justificationes*, & abjiciendas in- *Ps. 118.* quinationes suas, *propter retributionem*. Quod si nec hunc habet ad manus, saltem clamet cum Propheta: *Confige timore tuo carnes meas*, *Ibidem.* & pedes meos, *ne vagari incipiam post gre-* *Cant. 1.* *ges sodalium* meorum. Quod si quis hujusmodi clavis jam mundo crucifixus est, satagat etiam, ut mundus sibi crucifigatur; ut dicere possit cum Apostolo: *Per quem mihi* *Galat. 6.* *mundus crucifixus est*, *& ego mundo*. Sed adhuc restat ei aliquid quod adimpleat, scilicet, *& sequatur me*: hic enim perfectionis est cumulus, & sine hoc, neque duo priora sufficiunt ad salutem. Quis enim nesciat philosophos illos antiquos, & gymnosophistas, amore sapientiæ, seipsos, & sua omnia abnegasse, renuntiasse sæculo, vitam in eremo duxisse, laboriosissimas cruces spontanee tolerasse, ut se totos sapientiæ manciparent, sed viam vitæ nescientes, æternam vitam non sunt consecuti. Heu miseros: *Ps. 106.* *Erraverunt in solitudine in inaquoso: viam* *civitatis habitaculi non invenerunt*, *sed errantes a via disperierunt in Endor*. *Psal. 81.*

VI. Tu solus, o bone Jesu, oriens mundo sicut sol, viam salutis hominibus demonstrasti: sicut scriptum est: *Notas mihi feci*sti vias* *Psal. 15.* *vitæ*. Quas vias, nisi puritatem, innocentiam, sanctitatem, castimoniam, humilitatem, & charitatem? his enim itineribus pervenitur ad æternam vitam, si via ipsa, quæ Christus est, non ignoratur. Sic ipse de se ipso ait: *Ego sum via*, qui autem hanc viam *Joan. 14.* ignorat frustra currit, quia sine via currit. Videte Fratres, ne quis vos seducat, ne quis *Ephes. 5.*

(*a*) Serm. 207. in Append., alias de Sanctis 32. num. ult. *Tota igitur vita Christiani hominis*, *si secundum Euangelium vivat*, *crux est*, *atque martyrium*.

per inanem prophetiam, & ſcientiam hujus mundi vos avertat a via iſta: Si quis vobis aliud Euangelizaverit, præter id quod accepiſtis, ut Apoſtolus inquit, etiam ſi Angelus de cœlo, anathema ſit. Hoc dixerim propter noſtri temporis illuſores, & pſeudomagiſtros, quibus jamdiu ſua damnatio parata eſt, quia Dominicum gregem diſpergere non verentur. Sequimini Chriſtum, o Fratres, nolite viam patrum veſtrorum deſerere ſanctorum virorum, quorum *nomina ſcripta ſunt in* libro vitæ, & quos jamdiu regnare cum Chriſto, veraciter, & fideliter agnoſcitis. Ita dico vobis hos imitamini, hos ſequimini, illorum dictis, & ſenſibus adhærete. Si quis aliter docet, tanquam a peſte declinate ab eo, quia ſubverſor eſt, & Antichriſti membrum. Fugite novitates iſtas: *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*, ſed in veritate quam ab uberibus didiciſtis, firmiter ſtate: Lucifer enim ideo cecidit, non quia veritatem non agnovit, ſed quia *in veritate non ſtetit*. Sed unde non ſtetit, niſi quia præcedere voluit, non ſequi; ducem ſe exhibere maluit, quam ſequacem? Si creatorem ſuum ſequeretur, non utique deciperetur: & ideo Dominus poſtquam crucem indixerat adjungit: *Et ſequatur me*: ſequatur, inquam, non præcedat, non fugiat. Unde & Bernardus (*a*) inquit: Quidam Chriſtum fugiunt, quidam præcedunt, quidam ſequuntur, ſed non aſſequuntur: quidam ſequuntur, & aſſequuntur. Fugiunt a Chriſto illi, de quibus Pſalm. ait: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis;* & iterum: *Ecce, qui elongant ſe a te, peribunt*. Præcedunt hi qui magiſtrorum ſententiis ſuas præferunt, quorum imaginem tenuit Petrus Chriſto inconſulte conſulens: *Abſit a te Domine*. Cui Dominus: *Vade poſt me Satana*, quid præcedis? Quo nomine ſic acriter increpatus eſt, ut noverint cujus membra ſint, qui philoſophico ſupercilio non ſequi ſpiritum Domini, ſed anteire ſuis ſenſibus in Eccleſia conantur.

VII. Sequuntur autem Chriſtum, ſed non aſſequuntur, qui poſt ipſum euntes in via claudicant: de quibus Apoſtolus: *Remiſſas manus*, inquit, *& ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, ut non claudicans quis erret*. Et Elias propheta clarius: *Uſquequo*, inquit, *claudicatis in duas partes?* Vere poſt Chriſtum claudicat fidelis, qui duplici affectu & corde, modo ſequitur Chriſtum, modo ſequitur mundum, quibus Apoſtolus clamat: *Purificate corda* veſtra *duplices animo;* hi non aſſequuntur, quia eodem Apoſtolo teſte: *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis*. Sequuntur autem & conſequuntur, qui viam humilitatis ejus devoto mentis affectu perſeveranter imitantur. Unde Dominus: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur*, id eſt, me imitetur. Quo fructu? *Ubi ſum ego*, inquit, *ibi & miniſter meus erit*. Veniat qua veni, & perveniet quo perveni; & ſequatur me inquit: non præcedere jubeo, non onera, gravia & importabilia more Phariſæorum hominibus impono, & ipſe neque digito ea tangere volo; non velut peſſimus ille Mahometus, qui bibaciſſimus ipſe, ſuos a vino abſtinere diſtricte præcepit: ſed ſi quid aſperum præcipio, ipſe præcedo. Quis enim Domine crucem ſuam tolleret, niſi tuam prius ipſe tuliſſes? Unde Auguſtinus (*b*): Parum erat, inquit, Dominum martyres monere verbo, niſi adhortaretur exemplo. Præceſſit ipſe, ſecuti ſunt multi, non modo viri, ſed & mulieres, & virgines, & pueri. Mira res, admirandumque prodigium, tenerrimæ virgines, quæ ad folium arboris pavere ſolent, crudelia & intolerabilia tormenta paſſæ ſunt, tortoribus ipſis admirantibus, & obſtupentibus ſupra ſexum, & ſupra naturam invaluiſſe fœminas ſanctas.

VIII. Unde tanta virginibus audacia? niſi quia ad tolerandas paſſiones, & vincendas injurias viam illis fecerat qui tranſierat, ſicut ſcriptum eſt: *Viam feciſti equis tuis* in aquis validis, *in luto aquarum multarum:* vere equis robuſtiſſimis, quibus inſides, & in quibus terribiliter inſultans hoſtium cuneos potentiſſime devincis. Omnis juſtus equus eſt Dei, hoc eſt juſtus ſine Deo, quod equus ſine ſeſſore, calcari, & fræno, in eis potentiſſime agis, calcar ſpiritus, & frænum continentia eſt. Unde & apud Zachariam exercitum equorum legimus, & militem nullum: quia in omnibus illis ſolus militat Deus. His ergo equis tuis fortiſſimis tu Domine viam aperuiſti in aquis multis tribulationum, & in luto aquarum multarum, multiplicium perſecutionum, ut illas tranſirent, & non infigerentur in limo profundi. Qualis equus Martyr iſte, quam potens, quam fervidus, quam audax? Quomodo *exultat audacter*, ut ait Job, quomodo *in occurſum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Fremens ſorbet terram; & ubi audierit buccinam dicit: Vah!* Unde talia auſus eſt Domine, niſi quia tu ei inſidebas? Tu regebas, tu ducebas; te gubernante devicit, te moderante ſuperavit, te ſignum ducente triumphavit, & adeptus eſt coronam gloriæ: quam etiam nobis præſtare digneris, qui ſolus omnia potes benedictus & glorioſus, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Galat. 1. *Lucæ* 10. *2. Joan.* 4. *Hebr.* 13. *Joan.* 8. *Pſ.* 118. *Pſal.* 72. *Matt.* 16. *Hebr.* 12. *3. Reg.* 18. *Jacob.* 4. *Ibid.* 1. *Joan.* 12. *Matt.* 23. *Habac.* 3. *Zach.* 1. *Pſal.* 68. *Job* 39.

(*a*) Vide Sermonem 62. de Diverſ., qui totus huc facit. (*b*) In Pſal. 63. v. 2.

IN

IN FESTO UNIUS MARTYRIS

CONCIO SECUNDA.

DE CRUCIS SUAVITATE.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.
Matth. 16. v. 24.

§. CONCIO CXCVII.

I. QUis leget hæc? Nemo hercule, nemo, vel duo, vel nemo, ut Poeta ait (*a*): asperum enim nimis & rigidum videtur esse quod sonuit: *Abneget se, tollat crucem, sequatur me*. An non ita visum est mundo, quando primo prædicatum est verbum hoc? An non tunc reges terræ, & principes cum populis convenerunt in unum, dicentes: *Pſal. 2.* *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum*, jugum ut eis videbatur grave, jugum importabile, jugum, quod neque ferrea cervix portare sufficiat? Hoc ne est Domine Jesu, quod diu ante promiseras clamans in plateis Jerusalem: *Matt. 11.* *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: jugum enim meum suave est, & onus meum leve:* nunc autem mortificationem & crucem hominibus indicis? Certe jugum suave abnegare seipsum, & onus leve tollere crucem, & exponere vitam: quis hæc hominum vel audire sustineat? quid mirum si carnalis mundus tam anxie curat tale a se abjicere jugum, & repellere pondus? Quam verum est, quod in spiritu de te prædixerat *Pſal. 2.* Psalmographus: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos!* Vere ferrea virga hæc lex tua Domine, & durissima. Non mirum si vasa testea sic ipsam a principio formidabant. Sed nunquid in dictis tuis contradictio? Absit ab homine tanta blasphemia; quomodo ergo cum suavi jugo hæc consonant verba?

(*a*) Persius Satyr. 1. *Quis leget hæc? min' tu istud ais? nemo hercule nemo: vel duo, vel nemo, &c.*

II. Audite, Fratres, quoniam magnum latet hic sacramentum. Cum Dominus de corporis sui mysterio loqueretur in populo: *Joan. 6.* *Multi* etiam *ex discipulis ejus*, scandalizati abjerunt retrorsum, dicentes: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Interrogavit Apostolos Dominus: *Nunquid & vos vultis abire?* Respondit pro omnibus Petrus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes;* nonne attenditis duritiam? Illi dixerunt: *Durus est hic sermo:* Petrus ait: *Verba vitæ æternæ habes;* quam opposita sunt (*b*) hæc! Bernardus (*b*): Ita dico vobis, Fratres, *Ibidem.* usque hodie cum loquitur Jesus, quibusdam manifestum est, quoniam verba ejus spiritus & vita sunt, & propterea sequuntur illum: aliis dura videntur, & miseram alibi quærunt consolationem: non est itaque in verbis ejus pondus, sed audientium aures aggravatæ sunt, & ideo gravia præcipere illis videtur Jesus; & tamen in veritate præcepta ejus *1. Joan. 5.* gravia non sunt. In auditoribus ergo hæc varietas est, non in verbis. Unde Apostolus: *1. Cor. 1.* *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis Dei virtus* est. Vasculis testeis lex ejus ferrea videtur, sed non sic argenteis & aureis. De hoc eundem Psalmistam audi: *Lex Domini imma- Pſal. 18.* *culata est;* sequitur, *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum*, & alibi. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua* Domine, *super mel ori meo:* unde ergo ferrea lex ejus dicatur, attende. *Virga*, inquit, æquitatis *virga Pſal. 44.* *regni tui*, æquitas ista ferrea est: non a se, sed animis curvis, quibus propter curvitatem, aspera nimis & dura æquitatis commensuratio est. Vel ideo æquitas ferrea dicitur; non quia dura, sed quia ad omnem iniquitatem inflexibilis est. Non est igitur pondus in jugo, sed in peccato: non est lex tua gravis Domine, nisi carnalibus & iniquis hominibus; justis autem & rectis, suavis supra modum, & dulcis.

III. Sed quænam, inquies, potest esse dulcedo in cruce? aut qualis suavitas in labore? Hic sapientia est, hic latet secretum, quod mundus ignorat, quod nullus nisi expertus cognoscit: *Vir enim insipiens non cognoscet, Pſal. 91.* *& stultus non intelliget hæc.* Crux blanda, crux dulcis, crux suavis & delicioſa; crux non crucians, sed oblectans; non onerans, sed sublevans; non deprimens, sed deliniens. Mira res & penitus incredibilis, nisi vivo suaderetur experimento: labor sine labore, onus sine onere, jugum sine pondere: quomodo hoc? Ignoro penitus quomodo; sed quia ita est: scio non modo non laborioſum est laborare pro te o bone Jesu, sed & suaviſſimum & delicioſiſſimum: labores namque vertuntur in panes, sicut scriptum est: *La- Pſ. 127.* *bores manuum tuarum, quia manducabis*, & cruciatus vertuntur in delicias, summa opulentia paupertas Christi, & summa gloria contumelia pro Christo. Miraris si summa sit in labore requies, in æstu temperies, in cruce solatium? ipsa causa pro qua hæc omnia tolerantur, eorum naturam in contrarium vertit, ut nihil magis sapiat, quam quod secundum se insipidum est. Hæc causa amaritudinem in dulcedinem, injuriam in laudem, laborem vertit in requiem: ut sit amaritudo dulcis, injuria honorabilis, labor suavis. Noverat hoc ipse Dominus, qui contemnentibus pro se patrem & matrem, uxo- *Matt. 19.* res & filios, & reliqua mundi hujus, centuplum promittebat cum persecutionibus in hac vita. Quid jam hæsitare potes super hoc, si veritatis ore ipsa etiam persecutio, pro præmio repromittitur operanti? Nunquid etiam in civili amicitia hoc ex parte non inveni-

(*b*) Serm. 5. de Divers. num. 1. cujus sunt verba usque ad ea: *quærunt consolationem.*

tur, ut gratum nimis sit & dulce laborare pro amico? quanto ergo amplius pro Deo? Crux uncta non cruciat, sed oblectat, & Christi jugum, si quid habet ponderis injunctum, spiritus oleo computrescit, sicut Pro-
Isaiæ 10. pheta prædixerat: *Computrescet jugum a facie olei*. Unde & in dedicatione templi, cruces in parietibus formatæ oleo liniuntur: ut noverit templum vivum Domino consecratum, non perhorrescere crucem, quam unctio sacra delinit: non enim jam de cætero gravat crux uncta, quoniam asperitas ejus unctione lenitur.

IV. Nolite ergo, Fratres, formidare, nolite terreri a facie verborum Christi, quia vere præcepta ejus & verba, spiritus & vita sunt: & sicut diximus, non modo non amara sunt; sed & jucundissima & omni suavitate plenissima. Multi ignorantes hoc secretum, ex pusillanimitate discedunt a Christo, qui si experiri sustinerent, facile hujus rei deprehenderent veritatem. Fugiebat quondam magnus ille Moyses a facie sibilantis co-
Exod. 4. lubri, sed Dominus ad eum: *Apprehende*, inquit, *caudam ejus*. Apprehendit, & statim versus est coluber in virgam. Quid fugis o Christiane? quid times a facie crucis? Non est serpens devorans, sed virga sustentans. O pusille apprehende, & videbis; quandiu enim eam non apprehenderis, experiri non poteris; serpens videbitur extra manum, sed in manu virga est. Virga devorans Magorum
Ibid. 7. virgas, virga mare rubrum exsiccans &
Ibid. 14. di-
Ibid. 17. videns, virga petram percutiens & rivos aquarum educens. Quam magnus fructus in cruce! crux ista venenatas carnis passiones devorat, ferventem concupiscentiam siccat, in mediis æstuantium cupiditatum fluctibus viam aperit, per quam exules & peregrini in optatam patriam deducantur. Hæc procellosum humani cordis mare tranquillat, hæc Ægyptios currus & equites, id est, appetitus carnis effrænes, lacrymarum aquis involvit, hæc portenta omnia Ægypto peccatorum facit: per hanc & dura peccati servitus tollitur, & vera gratiæ libertas invenitur; per hanc denique electus Dei populus Ægyptiacam oppressionem evadit, & beata potitur requie, cœlesti Jerusalem introductus. O crucem amabilem, o crucem jucundam, o crucem desiderabilem, per quam solam patet ingressus ad regnum! O potentis-
Apoc. 3. sima *clavis David*, *quæ aperis & nemo claudit*, *claudis & nemo aperit*, aperis cum ades, claudis cum abes! Quis ergo audeat de te conqueri, in qua omnis nostra salus & vita consistit, aut quæ potest esse asperitas in te, quam non deliniat tanta utilitas intellecta?

V. Sed esto, gravis sit & importabilis crux, quid ad te o homo? non tu eam portaturus es, sed gratia Dei tecum. O Domine aggrava jugum, auge dilectionem; *cha-*

A *ritas* enim *omnia suffert*, *omnia sustinet*, ni- 1.*Cor.*13.
hil amori difficile, nihil importabile, nihil grave, amor crucem levificat, laborem dulcorat. Attende super hoc in libro Regum insignem figuram. Olim cum Elisæus Pro- 4.*Reg.* 4.
pheta, filios Prophetarum hospites habuisset, puer ejus insciius amarissimas in ollam colocynthidas misit, quibus gustatis, clamant omnes: *Mors in olla vir Dei*. Venit Prophe-
ta immisit farinulam, & omnis illa amaritudo in dulcedinem versa est. O apertissimam hujus rei figuram! puer iste imperitus, Adam; olla, caro; colocynthidæ, labores
B & ærumnæ: has peccato suo puer hic insipiens misit in naturæ ollam, unde post peccatum statim dictum est ei: *In sudore vultus* *Gen.* 3.
tui vescēris pane tuo. *Mors in olla vir Dei*, 4.*Reg.*4.
non est qui eam gustare audeat, donec magnus e cœlo Propheta venit, gustavit ille amarissimas colocynthidas ollæ, & amaritudine experta, immisit e cœlo spiritus farinulam, & colocynthidas dulcoravit. Jam non est qui gustare pertimeat, omnes vineæ operarii avidissime colocynthidas devorant post farinulam. Vide Apostolos a conspectu concilii flagellis laniatos, cum gaudio pro-
C rumpere gloriantes, *quoniam digni habiti sunt* *Act.* 5.
pro nomine Jesu contumeliam pati. Vide operariorum, id est, Martyrum catervas ad colocynthidas istas veluti ad delicios epulas properantes. Vide ex omni ætate, & sexu, & conditione, viros, feminas, virgines, pueros in vinea prophetæ, id est, Ecclesia, avidissime colocynthidas glutientes. Quanta aviditate Martyr iste glorios ad has epulas properabat, quam avide glutivit injurias, dolores, tormenta! bibens subsannationem quasi aquam, non pertimuit amaritudinem, quia e cœlo receperat unctionem. Non uti-
D que sic amarissimas colocynthidas beati Martyres deglutissent, nisi e cœlo farinulam in eorum ollam, id est, mentem, magnus ille Propheta misisset.

VI. Hanc e cœlo devotionis & amoris farinulam receperant quondam operarii Clarævallis sub Bernardi regimine, qui usque adeo in laboribus, vigiliis, jejuniis, & aliis Ordinis asperitatibus lætabantur: ut hanc ipsam spiritualem delectationem suspectam haherent. Ita namque delectari in aliquo perhorrebant, ut etiam ipsas spiritus delicias declinarent. Quos Vir ille sanctus cum ab
E hoc errore compescere non valeret, convocato Episcopo sibi amicissimo (*a*) & doctissi- (*a*)
mo, illius authoritate & eruditione compescuit. Potenti enim eloquio demonstravit, inimicum esse gratiæ Dei & Spiritui sancto resistere, qui collatam sibi spiritus dulcedinem recusaverit. Quam longe erant isti ab illa querimonia, quam in principio proposuimus, quando lassarentur isti de crucis gravedine, qui sic expertas ejus delicias recusabant? Versus illis fuerat utique serpens

in

(*a*) Scilicet Catalaunensi, Episcopo, qui Cistercii tunc forte aderat. Refertur hoc ipsum a Guillelmo in Vita S. Bern. lib. 1. cap. 7. Vide Serm. 1. in Epiph. Dom. num. 1. ejusdem S. Bern.

in virgam, quoniam abjecta formidine, viriliter eum cauda tenuerant; & nos quoque, Fratres, si dominicam crucem amplecti voluerimus, ejus delicias gustare poterimus. Est autem in viro perfecto, non unica tantum, sed duplex crux, carnis scilicet, & spiritus: crux carnis, maceratio & pœnitentia est; crux spiritus, zelus animarum & compassio afflictorum. Attende in Paulo hanc
2.Cor.11. duplicem crucem. *In labore*, inquit, *& ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate*, ecce primam. Audi nunc alteram: *Præter illa*
Ibidem. *quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Hac itaque duplici cruce, corpore & spiritu crucifixus, Domino complacebat. Felix qui conversus ad
Galat. 5. Deum, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifixit; sed beatior ille qui longo pœnitentiæ usu, molestias jam carnis ignorans, zelo cum Elia zelat pro domo Israel.
3. *Reg.* 19.
Ps. 138. Qui dicere potest cum Propheta: *Super inimicos tuos tabescebam, perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Non est ascensus ad secundam crucem, nisi per primam, neque enim pro aliis zelare potest, qui sibi ipsi non sufficit, neque aliis condolere, qui habet quotidie in seipso quod doleat; nam a puritate animæ zelus nascitur animarum.
Matt. 7. Stultus zelus videntis festucam in oculo alieno, & trabem in suo non deprehendentis; non zelat iste, sed calumniatur: non proximo compatitur, sed in proximum malignatur.

VII. Est quoque altera crux non Domini, sed diaboli, qua filii hujus sæculi quotidie configuntur, crux laboriosa, crux acerba, crux intolerabilis, crux mali latronis; habet enim suos martyres diabolus, qui etiam
Psal. 43. dicere possunt illi: *Quoniam propter te mortificamur tota die.* An non martyr avarus, qui diebus ac noctibus in congregando luto laborat? An non martyr superbus, cui omnis alienus honor & gloria cruciatus est? An non martyr lubricus, qui libidinibus exæstuans, fœtidissimo pascitur cœno? Quanta isti pro lucris, pro honoribus, pro deliciis tolerant, quantas patiuntur injurias, quas sustinent pœnas! Unde Psalmographus horum bene conscius
Psal. 42. clamat: *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta;* ac si dicat: Nolo pœnam consideres, sed causam; nolo quod patior attendas, sed propter quem patior; acerbiora enim isti pro mundo sustinent, quam ego pro te sustineam. Neque enim me magnitudo laboris, sed laborandi causa commendat; Martyrem enim, ut Augustinus ait (*a*), non facit pœna, sed causa; & hæc ipsa causa, ut diximus, in Martyre labores tollit, quæ inducit. Non sic in hujus sæculi cruce, quæ sine omni refrigerio cruciat. Neque enim spes

(*a*)

A ulla salutis in ea, sed necis & inferni; crudelis labor, cujus stipendium mors, & perpetuus labor est. Nam, ut inquit Job, hu- *Job* 4.
jusmodi carnales seminant hic labores, & metent eos in futurum, non simplices quales in semine, sed auctos & multiplicatos in segete. Non potest vita ista mortalis sine cruce transigi, quocumque te vertas laborandum est. Nonne ergo melius pro Deo pati & regnare, quam pati pro mundo & ardere? Nonne glorioſius est Christi crucem portare cum stipendio vitæ, quam crucem zabuli cum mortis dispendio? Utinam hoc omnibus
B innotescceret, ut innotescit Sanctis. Uti- *Ephes.* 3.
nam, Fratres, sciretis cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum in cruce Domini: ut toto eam corde & ardore mentis amplecteremini.

VIII. Sed nolo ut quispiam, propter hæc Domini Salvatoris verba, ad eam se existimet, & sui & omnium quæ possidet abdicationem obligari, quam religiosi in sua professione facere consueverunt. Consilio hoc monetur, non præcepto indicitur, non sic abnegare teipsum & tua, necesse est ad sa-
C lutem: sed sicut Apostolus admonet, dicens:
Reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam 1. Cor. 7.
non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi, &c. Mundum enim & ea quæ mundi sunt abnegabit, qui eo ad necessitatem utitur non ad voluptatem. Cæterum si quis perfectus esse cupit, hic facto expleat, quod corde tenebat; sed grande opus abnegare seipsum; non enim valde magnum est abnegare quod
D habes, sed valde multum est abnegare quod es. Quomodo fiet hoc? non enim ex toto abnegat semetipsum, qui voluptatibus se abdicat, si sui adhuc juris manet, ut faciat quod voluerit: illud enim potius est carnem & sensum abnegare, quam se. Quid est ergo abnegare seipsum? utique, abnegare quicquid est in seipso. Sunt autem in homine tria, sensus, intellectus, voluntas: hæc omnia oportet perfecte renuntiare perfectum. Sensus & caro renuntiantur, cum eis omnis voluptas, & superfluitas interdicitur. Hoc facit continentia, abstinentia, castitas. Intellectui re-
E nuntiatur cum proprio judicio relicto, ex integro fidei obsequio mancipatur, ut Apostolus monet: Captivantes, inquit, *omnem* 2.Cor.10.
intellectum in obsequium fidei. Altissima hæc renuntiatio & acceptissima Deo obedientia, quando id quod in nobis sublimius est, illius fidei perfecte subjicitur. Restat voluntas, cui tunc abrenuntiamus, quando in omnibus & per omnia id volumus, id cupimus, quod Deum velle cognoscimus, voluntatem nostram divinæ voluntati per omnia conformanman-

(*a*) Serm. 285. num. 2. in novis. edit. Paris., alias 4.

mantes, nihil neque temporale, neque spirituale quærentes, nihil petentes, nihil optantes, nisi quod Deo nobis dare placuerit. Sic in tribulatione, sicut in prosperitate gaudentes: ita in humiliatione, sicut in exaltatione lætantes: & ex animo cum Prophe-
Isaiæ 64. ta dicentes: Domine Deus, tu fictor meus & ego lutum, quasi dicat, de me facito quod libuerit. Qui hujusmodi est, seipsum omnino expulit a seipso, ut habitet in illo Deus. Cessit Christo, & recessit a se, ut ingredia-
A tur in illo Christus, ut dicere possit cum Apostolo: *Vivo* ego, *jam non ego, vivit vero in me Christus*; angustum enim est cordis stratum, & utrunque capere non potest. Exi ergo tu, & ingredietur in te Christus: ipse te melius reget, meliusque disponet, sicut auriga currum; ipse te ducet & adducet in montem sanctum Domini, & in tabernacu- *Galat. 2.* *Psal. 42.*
la cœlestis gloriæ: quam nobis ille præstare dignetur, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN FESTO
SS. COSMÆ ET DAMIANI
MARTYRUM
CONCIO PRIMA.
DE MILITIA CHRISTIANA, ET TRIUMPHO MARTYRUM.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. Apoc. 3. v. 21.

§. CONCIO CXCVIII.

I. EX sententia beati Job, *militia est vita hominis super terram*, & vita nostra omnis status militantium est. Vallati sumus inimicis undique, & præsentem intentant omnia mortem. Noluit quippe Deus noster gloriam suam gratis donare nobis omnino, sed ut bello & Marte expugnaremus eam: ut qui fortiter vinceret, merito suo coronaretur, & qui turpiter succumberet, perpetuo servitio man-
Job 7. ciparetur. Clamat Apostolus: *Non coronabi-*
2. Tim. 2. *tur, nisi* qui *legitime certaverit*. Quocumque te vertas, & quomodocumque vivas, bellum tibi paratum est, sive juvenis, sive senex, sive pauper, sive dives, sive nobilis, sive rusticus fueris, non deerit tibi pugna continua. Infelix vita laboribus plena, in qua neque die una in pace vivitur. Et quare miseri concupiscimus te? Uno certamine superato aliud nascitur, & vix unam evasimus pugnam, cum deterior alia exoritur: itaque non diu licet sine discrimine vivere:
Job 14. propter quod idem Sanctus ajebat. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*, quando scilicet discinctus thorace corporis hujus, nemo me jam molestet, nemo infestet; sed perpetua requie & pace quiescam. Quanto agonizans certamine Psalmographus exclamabat! *Mi-*
Psal. 55. *serere mei Deus, quoniam conculcavit me homo*, id est, caro *tota die impugnans tribulavit me*, neque sola caro: nam *conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me*, neque in tribulatione solum,
B sed acrius in prosperitate. Unde sequitur: *Ab altitudine diei timebo:* tunc enim periculosius invador, sed latenter & fraudulenter: *inhabitabunt* enim & *abscondent* in atrio *Ibidem.*
corporis hujus, & inde *calcaneum meum ob-* *Psal. 63.*
servabunt simpliciter ambulantis, *narraverunt* enim *ut absconderent laqueos*, & *dixerunt: Quis videbit eos?* tam absconditi sunt. In hoc itaque pavimento, veluti in campo constituti, durissimam militiam quotidie agimus, expectantes donec dissolvatur tabernaculum corporis hujus, & spiritus liber prodeat in vitam si vicerit, in mortem si vi-
C ctus occubuerit. *2. Petr. 1.*

II. Est autem nobis non unicum, sed multiplex bellum, quoddam extra nos, aliud intra nos, aliud supra nos; & ut Apostolus ait: *Foris pugnæ, & intus timores*. A foris *2. Cor. 7.*
pravi homines nos infestant, quibus quicquid bonum & sanctum est displicet supra modum. Neque enim potest esse conventio *lucis ad te-* *Ibid. 6.*
nebras, Christi ad Belial, filii ancillæ cum *Gen. 21.*
filio liberæ. Unde necessarium est, ut *omnes* *2. Tim. 3.*
qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiantur, & tanto atrociorem, quanto sæculum magis declinat ad finem. Quotidie
D namque homines deteriores fiunt, & ad malitiam procliviores existunt, propter quod in dies pugna nostra atrocior fit: sed hanc pugnam patientia & humilitate facile superamus. Est alia eo periculosior, quo intimior, bellum videlicet intestinum & continuum, quo *caro concupiscit adversus spiritum,* *Galat. 5.*
& spiritus adversus carnem, ac veluti duo *Gen. 25.*
illi parvuli in matris suæ utero: ita in uno eodemque suppositio, duo isti homines interior & exterior implacabiliter decertant.

Bone

Bone Deus, quam contumax & præfracta contentio, si unus superat, deplorat alter! Itaque continue plorantem sustinemus, aut spiritum, aut carnem: tanto tædio fatigabatur ex hoc certamine Apostolus, ut coactus sit exclamare: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. Tribulato & multis persecutionibus contrito Patriarchæ Job de Dei severitate pia querimonia conquerenti, idem Dominus respondit: *Memento belli, nec ultra addas loqui*: Job 40. ac si diceret ei: Quid de hac tribulatione causaris, quæ cæteris multo mitior est? Memento quia atrociorem ex hoc pugnam evasisti: tribulatio enim hæc carnis tuæ acerbiorem periculosioremque ejusdem tentationem exclusit. Namque, ut Augustinus ait (*a*), inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis, ubi continua pugna, & rara victoria. Sicut ergo bellum civium intestinum, quam inimicorum exterum acerbius & periculosius est: ita hæc pugna multo periculosior, & gravior priore est.

III. Sed tertia gravissima omnium, qua non jam cum carne, sed cum antiquo serpente pugnamus, qui astutia & malitia sua Ibid. 41. omnium hominum superat virtutem. Non est enim potestas super terram, quæ ei valeat comparari; antiquissimus, astutissimus, exercitatissimus est, latenter irrepit, & invisibilem nobiscum pugnam agit, eo utique periculosior quo occultior. Ipse enim videt nos, & minime videtur a nobis, cujus ferocitatem Spiritus sanctus mirifice describens, Ibidem. ita inquit. *Per gyrum dentium ejus formido, corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squammis se prementibus: sternutatio ejus, splendor ignis, & oculi ejus, ut palpebræ diluculi. De ore ejus lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ: de naribus ejus procedit fumus sicut ollæ succensæ atque ferventis: halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur, &c. Cum apprehenderit eum gladius subsistere non poterit neque hasta, neque thorax: reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs: non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ, quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam: sub ipso erunt radii solis, & sternet sibi aurum quasi lutum, &c.* Cum tali hoste nobis bellum est, & quis, obsecro, ei posset resistere, nisi Deus ejus potentiam infregisset? Compensato tamen nobiscum agone luctatur, neque quantum potest nobis nocere permittitur. Ad hujus draconis spiritualem congressum, non quilibet ex media plebe & inermis eligitur; sed perfectus & ingenuus, qui in præcedentibus præliis strenue pugnando 1. Cor. 9. victor evaserit. Post mundum enim calcatum atque devictum, post carnem edomitam & in servitutem coactam, novus insurgit cum dracone conflictus, tanto terribilior, quanto posterior. Talis erat Athleta ille fortissimus, qui de seipso dicebat: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, rectores tenebrarum harum.* Ephes. 6. Qui enim minore multo carnis certamine superatur, quomodo cum hujusmodi hoste confliget?

IV. Apud Romanos in agone non quilibet, sed strenuus & exercitatus athleta admittitur ad certandum, sic quoque ad spirituale certamen nonnisi perfectus admittitur. Hunc libenter hostis aggreditur, hunc hostiliter inimicus invadit, quem enim timeat, qui neque ipsum Christum aggredi veritus est? *qui sic factus est, ut nullum timeret. Absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod Jordanis influat in os ejus:* Job 41. Ibid. 40. esca enim ejus electa, nam sicut piscator avidus & peritus grandiores pisces minoribus contemptis attentius inescat; ita diabolus perfectis quibusque avidius insidiatur, ut pereant. Quid ergo faciemus in tanto periculo constituti, cum impares illi simus, multo amplius quam cuneus pigmeorum ad exercitum gigantum? Quid, inquam, nobis reliquum est, nisi levare oculos nostros in montes, & Ps. 120. petere auxilium a Domino, qui fecit cœlum & terram? Qui enim sibi fidens de sua virtute præsumit, ipse se suis hostibus prodit: *qui* vero *habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, id est, qui Psal. 90. confidit in Deo, protegetur ab eo. Si namque terreni principes, reos ac miseros ad se fugientes regia benignitate tutantur, quando illa majestas deseret afflictos confugientes ad se? maxime cum ipse tutelam promiserit, dicens: *Clamabit ad me, & ego exaudiam* Ibidem. *eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Nostra est culpa, Fratres, si perimus, quia defensorem nostrum invocare negligimus, sicut quidam apud Prophetam merito exprobratur: *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* Psal. 51. Quanto prudentius agebat, qui Deo suo innixus ajebat: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt; si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversus me prælium, in hoc ego sperabo:* & iterum: *Et si ambulavero in medio umbræ* Psal. 22. *mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

V. Veruntamen quia inter tot hostium cuneos constitutis, neque sic a nobis Deus invocandus est, ut dormiamus, sed pro nostra virili agendum est quicquid possumus: pro salute nostra piissimus ac clementissimus Salvator, non ignorans imbecillitatem nostram, & hostium fortitudinem, atrocemque nobis tota vita pugnam parari, ne perirent electi

(prop-

(*a*) Serm. 293. num. 2. in Append., olim Serm. de tempore 250.

(propter quos tam viriliter ipſe pugnaverat) remedia nobis contulit ad victoriam, ſcilicet, artem militarem, arma victricia & fortiſſimos duces; quorum monitis & exemplis adverſantium incurſus & ſtratagemata ſuperemus. Ars militiæ Chriſtianæ Euangelium eſt, in quo Chriſti militibus, & præliandi modus, & forma traditur ſuperandi. Longum eſſet nunc ſigillatim referre, quibus nos regulis & documentis, veluti tyrunculos rudes hæc ars imbuat ad congreſſus, animet ad conflictus, & in bello cum ſerpente fortiter durare perdoceat; quæ victoribus præmia, quæ victis ſupplicia proponat, ut perſiſtere in agone Chriſti milites perſuadeat. Armis etiam inſuperabilibus nos inſtruxit, neque ſimplicibus quidem, ſed multiplicibus ac variis: quibus jaculorum ictus illæſi recipiamus, donis, ſcilicet, gratiis, & virtutibus; & his triplicibus, naturalibus, acquiſitis, & infuſis, ut adverſus triplicem hoſtis incurſum, triplici nos armatura muniret. Hæc ſunt illa arma potentiſſima, in quibus
2.Cor.10. Apoſtolus gloriatur, dicens: *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus*
Ibidem. *ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra obedientia:* his nos armari alio loco admonuit, dicens:
Epheſ.6. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli: induti loricam juſtitiæ, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Ecce quibus armis Chriſti miles armatur ad pugnam, quibus ſi bene utatur, Deo auxiliante, perveniet utique ad victoriam.

VI. Quales vero duces militibus ſuis Chriſtus præfecerit, quis enarret? Illorum fortitudinem & agones duriſſimos, quos paſſi ſunt, dicere quis ſufficiat? Martyrum namque, conſtantiam, & tolerantiam in perferendis
(a) ſuppliciis (ſicut Euſebius Cæſarienſis (a) octavo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro refert) niſi vidiſſet, nemo crederet; multo enim acerbiora & atrociora eorum fuerunt ſupplicia, quam narrantur. Fervebat in eos odio univerſus orbis, totiſque viribus gentem Chriſtianam eradicare moliebatur, quaſi rebellem, ſuperſtitioſam, ſacrilegam, maleficam, peſtilentem, diis & hominibus inviſam. Quia igitur hoc diis & principibus maxime placere, provinciarum præfecti, & reliquum omne vulgus exiſtimabat, quicquid in eos crudelitatis & atrocitatis exercebatur, ſanctum & meritorium ab omnibus reputabatur. Sic enim Dominus Apoſtolis ſuis ante prædixerat. *Veniet* tempus, quando *omnis qui interficit vos*, arbitrabitur *obſequium ſe præſtare Deo*. Erat ergo ſtudium per ſingulos (ſicut idem Euſebius refert) (b) novum genus invenire ſupplicii; & ille judex rectus & bonus habebatur, qui contra eos novum aliquid reperiſſet. Pro libito abſque ullo legis, & rationis moderamine crudelitas exercebatur in illos, & erant expoſiti omnibus volentibus pro libito inferre ſupplicia: & ſi quod aliquis per otium excogitans novum genus ſupplicii detuliſſet, licebat inferre. Hæc erat judicum maxima & præcipua cura, quomodo eos aut tormentis interimerent, aut ſacrificare compellerent. Ad hoc vero obtinendum & exequendum, quicquid humanitatis, quicquid pietatis in eis naturaliter inerat, penitus exuebant. Omnibus belluis & ſerpentibus atrociores immanioreſque effecti, pœnitebat eos, quod vita hominum tam fragilis eſſet ad ſufferenda ſupplicia: ideoque, ut pluſquam belluinam poſſent explere crudelitatem, non eos ſtatim gladio aut incendio interimebant: ſed paulatim applicabantur ſupplicia, impia pietate vitam differentes, ut crudelius interimerent.

Joan. 16.

(b)

VII. Primo itaque fuſtibus, virgis, flagris, ſcorpionibus, plumbatis, diutius verberabantur loris diſtricti vel funibus appenſi. Deinde ungulis ferreis toto corpore exarabantur, lanceolis pungebantur, lampadibus adurebantur, trochleis (c) diſcerpebantur, (c)
pectinibus laniabantur. Poſt hæc ad renovandum dolorem, eorum vulnera ſale & aceto perfricabantur. Reducebantur iterum ad carcerem, ut ad nova ſufferenda ſupplicia convaleſcerent, & jam invaleſcentibus nova adhuc ſupplicia parabantur. Aliis oculi effodiebantur, aliis nares fœdiſſimo vulnere amputabantur, exungulabantur alii, aut manibus & pedibus truncabantur. Alii plumbo, pice, oleo, reſina liquidis, per omnia corporis membra perfundebantur: & cum jam diræ immanitati ſupplicia deeſſent, neque ſatiata crudelitas, ad ultimum ignes, cruces, beſtias, ſagittas, gladios, præcipitia, crurifragia, aliaque mortis horrenda genera, laſſati potius quam ſatiati homines adhibebant. Unde (ſicut idem Euſebius (d) (d)
in eodem libro refert) ſicubi vicinæ duæ arbores inveniebantur, inflexis contra ſe invicem ramis, eiſque ſingulos pedes martyrum obligantes: ſubito ramos quos vi inflexerant relaxabant: qui cum ad ſitum ſuum naturali impetu referrentur, diſcerptis, diſſecatiſque viſceribus, avulſa ſecum membra rapiebant. Quid hac immanitate crudelius? Neque tamen cum vita crudelitas eorum finiebatur: ſed etiam poſt mortem in relicta cada-

(a) Hiſtor. Eccleſ. lib. 8. cap. 9. & ſeq.
(b) Hiſtor. Eccleſ. lib. 8. cap. 12. circa fin.
(c) Uzeda hanc notulam in margine appoſuit in edit. ſua: *Trochlea inſtrumentum eſt ad ſublevanda, & demittenda pondera aptum, qualia olim in torcularibus, nunc ex ligno, vel ære in puteis hauriendæ aquæ gratia utimur, Poleam Hiſpane dicimus.* Vide Gallonium de SS. Martyrum cruciatibus cap. 2. ſi plura hac de re deſideras.
(d) Hiſtor. Eccleſ. lib. 8. cap. 9. poſt initium.

cadavera immanius excandeſcebant, ponentes, ſicut ſcriptum eſt, *morticinia ſervorum*
Pſal. 78. *tuorum, eſcas volatilibus cœli & beſtiis terræ.* Inhumatis enim corporibus, ſi quis occulte vel per noctem, pietate aut religione permotus, ſepulturam tradere auſus fuiſſet, ſuppliciis ſimilibus necabatur. Unde crudelia ſpectacula ubique terrarum, in civitatibus & populis cernebantur, cum laniatis corporibus ſepulturæ beneficium impendere auderet nemo, niſi qui ſimile ſpectaculum ipſe fieri non formidaret.

VIII. Erat quoque alterum certaminis genus minus quidem crudele, ſed non minus grave, quod ab amicis & cognatis quotidie patiebantur; parentes enim eorum, uxores, filii, fratres, cognati, & amici, ſciſſis veſtibus evulſis capillis coram eis miſerabiles ejulatus cum lacrymis emittebant, obnixe deprecantes obſecranteſque, ut parcerent ſibi, parcerent filiis, parcerent cognatis, parcerent denique tam funeſto dolori omnium ſuorum, qui cum ipſis pariter triſtitiæ immenſitate mortem obituri videbantur, unoque gladii ictu, & una cervice jugulandi omnes: parerent Imperatoribus, thurificarent diis, id enim ſi piaculi quippiam haberet, ipſos ſupra ſe recipere, facileque poſtmodum pœnitentia & ſacrificio expiari poſſe. Hæc iterum atque iterum audire nolentibus, replicantes obtundebant ora precibus, & lacrymis rigentia pectora molliebant. Quem, obſecro, impugnatio hæc atrociſſima non devinceret? quem tam importuna infeſtatio non ſuperaret? Hinc pœnæ, inde preces; hinc dira ſupplicia, inde lacrymoſa ſuſpiria, deſtinatum animum immutare conabantur, ut deſiſteret a victoria. Sed o pluſquam humanam virtutem, o heroicam fortitudinem! ad hæc omnia immobiles & inſenſibiles, quaſi lapides, Chriſti milites perſiſtebant, oculiſque in cœlum defixis, quid circa eos agebatur videntes non videbant, & audientes non attendebant. Sic enim eorum animos & viſcera omnia divinus ille ardor & coronæ cœleſtis aviditas incenderat, ſic omnes ſenſus & mentem optatæ beatitudinis jam jam inſtantis hians deſiderium occupaverat, ut le-
2. Cor. 4. via omnia viderentur, & prope nulla ad immenſum illud gloriæ pondus, quod expectabant, & ad perpetuam illam requiem quam optabant. Qualia Deus his tuis militibus præmia præparaſti, quid illis dediſti, qui pro tuo amore talia certamina ſubierunt? Si enim eis qui præſentis ſæculi bonis commode & honeſte utuntur, & inter medias mundi delicias & divitias modeſte verſantur, æterna gaudia repromittis: illis qui & ſe, & omnia ſua propter te tam fortiter & tam alacriter expoſuerunt, quid, obſecro, daturus eras præmii?

IX. Quid ſumus, Fratres, aut quæ eſt religio noſtra, ſi ad iſtorum militum fidem, & potentiam comparetur? Satis non feciſſe
Ibid. 7. putamus *ſi neminem læſimus*, neminem fraA davimus, neminem occidimus, ſi in pace, & quiete fidem illibatam tenemus, ſi Euangelio credimus, ſi Dominica præcepta ſervamus. Illo illo tempore Chriſtianæ religionis nitor & decus emicuit, tunc veri Chriſtianiſmi gratia internitebat: quando non de moribus & virtutibus, ſed de fide & religione apud homines quæſtio erat, quando fides non ſolis operibus, ſed ſanguine & morte juranda erat. Et quidem poterat Deus abſque hujuſmodi contradictione in cordibus hominum fidem ſuam plantare: poterat, in-
B quam, quod poſt trecentos circiter annos fecit in Conſtantino, facere in Tiberio, Adriano, Trajano, vel alio quovis illius temporis Imperatore Romano. Sed non decuit Eccleſiæ ſuæ gloriam tantorum Martyrum defraudari triumphis, nunc aperte cognoſcitur, quia non decuit, quamvis tunc multis, non probatio, ſed deſertio videretur. Talibus decebat Chriſtianitatis primordia geſtorum ſignis confirmari: tales etiam oportuit exercitui Chriſtiano duces præferri, quorum virtutem reliqua omnis militia imitaretur ſi poſſet, admiraretur ſi non poſſet. Ejuſmodi
C fuerunt hi, quorum hodie triumphum ſancta veneratur Eccleſia, Coſmas & Damianus fratres, medici clariſſimi, viri ſanctiſſimi, Martyres glorioſi. Si enim eorum agones perlegeris, invenies ea, quæ ſupra diximus, ex maxima parte, alacriter pro Domino pertuliſſe. Primo enim verbera, deinde ignes, lapides, ſagittas perpeſſi, cum inſenſibilis creatura Creatoris ſui famulis honorem & reverentiam exhibens non noceret, ſolus rationalis homo irrationabiliter ſæviebat, ligatis manibus & pedibus in mare projecti
D ſunt. Sed eripuit eos Dominus, ignibus traditi ſunt, ſed ſicut tres illi parvuli in medio ignis, Chriſto Domino victori laudes, & gloriam decantabant, donec confuſi hoſtes gladio rem agere decreverunt. *Dan. 3.*

X. Hos vobis imitandos proponimus medici, horum exempla ſequimini; qui non tam ſcientia, quam gratia ægrotos curabant: ſi enim tanta eſſet apud vos cura ægroti, ſicut cupiditas nummi, deſperato medicinæ remedio perficeretis aliquando oratione, quod non perficitis arte. Sic faciebant hi, quorum animos timor Domini poſſidebat: unde qui corporibus medicari ſolebant, animarum medici facti ſunt. Sanctitate ſua martyE rium promeruerunt, duplici gloria laureati, & quia ſancti ſunt, & quia Martyres ſunt, ſufficiebat eis ad æterni præmii gloriam conſequendam fides charitate formata, virtus martyrii ſuperaddita eſt, ut ſupra modum fierent glorioſi. Unde in Canticis cum ſponſa a dilecto ſuo deſcribitur, ita legimus:
Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcen- *Cant. 4.*
derunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas. Dentes Eccleſiæ Martyres ſunt, quibus in ejus corpus omnis Gentilium populus veluti cibus quidam manſus & trajectus eſt. Cum enim omnia oſſa igne

con-

(a) consumantur, Plinio teste (a), soli dentes hominum ejus virtuti resistunt. Qua dentium persistentia fortitudo Martyrum aptissime designatur: hos comparat gregibus tonsuram ascendentibus de lavacro, quam pulchre, quam mirifice! Leva in cœlum oculos tuos, & vide innumeras Martyrum animas, tunc temporis corporibus sicut velleribus exutas atque detonsas, propriique cruoris lavacro purificatas montem Domini ad cœlestia pascua conscendere, & intelliges nihil hac comparatione consonantius, quæ tam dissona videbatur. Omnes gemellis fœtibus, quia duplici fructu coram Angelis Dei coruscant, vitæ scilicet sanctimonia, & martyrii tolerantia, utrinque splendidæ, utrinque beatæ; sterilis non est in eis, quia & sibi & nobis, utroque pietatis scilicet & virtutis triumpho
Hebr. 12. mirifice profuerunt. *Nos* itaque, Fratres, *tantam habentes impositam nubem testium*, sicut hortatur Apostolus, *deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes*, non solum in sanctorum Martyrum glorioſam militiam, sed *in authorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemp-*
Ibidem. *ta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate*, inquam, *eum qui talem sustinuit a pec-*
Ibidem. *catoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis*, neque sanguis quidem hodie a vobis, sed virtus exposcitur. Quando pro Christo tolerabit angustias, qui pro illo nequit refutare delicias? Christus Dominus proposito sibi gaudio sustinuit crucem, & momentanea confusione contempta, perpetuo jam ad dexteram Dei sedet.

XI. Hæc eadem vos recogitate, hæc eadem vobis proponite, similiter pugnate, ut similiter sedeatis: fidelis est enim qui repromittit in themate: *Qui vicerit, dabo ei se-*
Apoc. 3. *dere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus*. Et rursus
Joan. 17. ad Patrem ait: *Volo* Pater, *ut ubi ego sum*, ibi sit & minister meus. Quantus honor, quanta majestas astantibus circumquaque cœli principatibus & potestatibus, in eodem
Dan. 7. throno sedere cum Rege: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*! Nullus sedebat, & victor vermiculus de terra sedebit? Sedebit utique, non quia
Apoc. 12. hominem victorem cunctis Angelis in gloria præferamus (nam & ipsi in prælio cum dracone sine sanguine victores fuerunt, eadem etiam est mensura hominis & Angeli) sed quia justo Dei judicio hæc sanctis Martyribus prærogativa conceditur, ut sedeant & dijudicent gentes, sicut ab eis indigne pro Domino dijudicati sunt. Propter quod in
Matt. 19. Euangelio ait: *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebi-*

tis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Si hunc honorem, si hanc gloriam continue præ oculis haberemus, nulla utique pugna nobis gravis, nullum discrimen difficile videretur. Oblivio in causa est, ut torpeamus ad omnia. Tolle præmium, quis pugnabit? tolle stipendia, quis militabit? Grandia suis militibus in præsenti Dominus stipendia donat, grandiora præmia in futurum promittit; & tamen, sicut quidam ait, raros invenit appetitores. Quoties in *Apoc.* 2. Apocalypsi hæc præmia repetit, si forte provocet ad optandum? *Vincenti*, inquit, *dabo* *Ibidem.* *edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Vincenti dabo manna absconditum & cal-* *Ibid.* 3. *culum candidum, &c. Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei; qui vicerit dabo ei sedere mecum, &c.* Bone Deus, quis tales, ac tantas repromissiones contemnat, duce sic exhortante quis torpeat?

XII. Quamvis hæc ipsa repetitio, præter hanc desiderii excitationem, quam diximus, aliquid aliud mystice designare videatur: septupla enim repetitio, septem illius gloriæ, quam expectamus, conditiones insinuat. Prima est vitæ interminabilis perpetuitas: hæc designatur prima promissione, cum dicitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei:* quoniam illius ligni esus vitam perpetuat, juxta illud: *Ne forte come-* *Genes.* 3. *dat de ligno vitæ, & vivat in æternum*. Secunda est securitas ab omni malo, inferno, & morte: hæc designatur secunda promissione, cum dicitur: *Qui vicerit non lædetur a mor-* *Apoc.* 2. *te secunda*. Tertia est inenarrabilis suavitas, quam gustat Beatus: hæc designatur tertia promissione, cum dicitur: *Vincenti dabo manna absconditum*, id est, dulcedinem ineffabilem, *& calculum candidum*, id est, fulgorem corporis eximium, *& nomen novum*, id est, filiationis Dei titulum glorioſum. Quarta *Psal.* 2. conditio est judicandi præsidendique authoritas: hæc designatur quarta promissione, cum dicitur: *Qui vicerit dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea*, Reges enim cœlorum propter virtutem constituti sunt Sancti; *& dabo illi stellam matutinam*, id est, visionem Dei claram, quæ omnium promissionum maxima, & præcipua est, quoniam ab illa, sicut a fonte, profluunt omnes aliæ. Quinta conditio est immunitas ab omni labe peccati: hæc designatur quinta promissione, cum dicitur: *Apoc.* 3. *Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis*, cui adjunguntur aliæ, videlicet inscriptio in libro vitæ, & confessio coram Patre & Angelis ejus. Sexta conditio est securitas, non amittendi perpetuo beatitudinem illam quam possident: hæc designatur sexta promissione, cum dicitur: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei*, ecce stabilitatem, *& foras non egredietur amplius*, ecce securitatem. Septima conditio est honor & au-

(a) Histor. natural. lib. 7. cap. 16.

authoritas inenarrabilis in illa civitate opulenta, & republica generosa: hæc designatur septima promissione, cum dicitur: *Qui vicerit faciam illum sedere mecum in throno meo, &c.*

XIII. Ecce, Fratres mei, præmium, ecce gloriam, quæ nos expectat: quid grave aut difficile videri potest ad talem ac tantam beatitudinem consequendam? Brevis pugna, 2. Cor. 4. & æterna corona. *Momentaneum* hoc, inquit, Apostolus, *& leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, æternum supra modum in sublimitate pondus, quoties repetit, ut attingat, sed valde deficit ab illo quod gestit. Vere pondus, quod omnino nequeat portare quivis Angelus aut homo beatus, nisi fulciatur a Deo; impetum namque illius tor- Psal. 35. rentis voluptatis a throno Dei & agni rapidissime erumpentis, mentesque illas beatas sublimiter invadentis, nulla virtus creata sustinere posset, nisi ipsemet fons, unde ille scaturit, eas mirabiliter stabiliret, ne fierent extra se, quamvis raperentur supra se. Si enim una illius dulcedinis gutta ab illo torrente in mentem hominis stillata nunc eam totaliter inebriat, & in ecstasim rapit, quomodo inundantes ejus fluctus & rapidam vim in sua origine sustinere posset? Unde Job 12. Job: *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, si emiserit eas, subvertent terram.* Hanc vobis gloriam, Fratres, proponite, hanc quærite, hanc desiderate. Hæc sit vobis anchora firmissima inter medios maris æstuantis fluctus, hæc tutissimum præsidium inter ho- Habac. 2. stium irruentium tremendos conflictus. State cum Propheta super custodiam vestram, & figite gradum in munitionem, non retrocedentes velut pusillanimes, sed sicut fortissimi milites semper ad priora & potiora extendentes vosmetipsos, donec perveniatis *ad* D *Philip. 3. bravium supernæ vocationis*, & propositam vobis honoris & gloriæ immarcessibilem coronam: quam nobis cum Sanctis suis donare Psal. 23. dignetur Dominus virtutum, & ipse Rex gloriæ Christus Jesus, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN FESTO
SS. COSMÆ ET DAMIANI
MARTYRUM
CONCIO SECUNDA.

De Tribulationibus.

Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Psalm. 33. v. 20.

§. Concio cxcix. I. FRequenter vobis, Fratres, prædicamus hanc materiam tribulationum, quam utilis, & necessaria nobis sit: & ita expedit; nam quoniam quotidie eas patimur, quotidie egemus firmari & animari ad eas perferendas. Quis in hac vita caret tribulationibus? quocunque te vertas, quomodocunque vivas, in quocunque statu, non tibi deerunt tribulationes. Quid enim longa dies homini, nisi longa malorum colluvies, longi patientia carceris? Ætas longior etiam illis quos divites, & fortunatos vocatis, si corda eorum inspiciatis, invenietis ea tristiora nocte, & nigriora carbone. Multis enim curis & anxietatibus premuntur divites, & omnes, præcipue tamen justi in hac vita vexantur. Apostolus: *Omnes qui* 2. Tim. 3. B *pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur:* non solum quia ex odio & nequitia mali eis nocere curant, sed etiam quia, ut ait Glossa, ipsa malorum conversatio & communicatio, quam fugere nequeunt, persecutio est. Nam intolerabile est videre nequitiam, & inordinationem malorum, juxta Psal. *Vidi prævaricantes & tabescebam*, & eo Ps. 118. maxime tempore, quo magis Deo propinquare volumus, major instat tribulatio. Nam & Pharao, quando populus e servitute illius Exod. 5. exire procurabat, tunc maxime vexabat filios Israel: ita diabolus eos qui peccati servitutem abjicere curant, maxime tunc vexat. Ut ergo non deficiamus in tribulationibus, neque propter eas a recto itinere deflectamus, divinæque legi negligentius inserviamus, de eisdem afflictionibus concionem jam nunc habere instituimus: in qua duo faciemus. Primo de fructu tribulationum tractabimus. Secundo de fiducia quam debemus habere in Deum, quod de omnibus his nos Dominus liberabit, juxta thema.

II. In magnam admirationem rapuit olim philosophos, sed & nunc homines sæpe solicitat, quid sit quod mundus iste tam ordinatus creatus sit a Deo; & homo, propter quem conditus est, in suis operibus tantam habeat inordinationem? Si enim vertis oculos ad omnes creaturas, & universum hoc sensibile, quantam in eis artem, ordinem & sapientiam intueberis, sicut in horologio temperatissimo, in temporum successione, in fructuum productione, in omnium animantium sustentatione! Si autem inde oculos ad humanos actus converteris, quanta in eis confusio, quanta inordinatio, quanta perversitas, & malitia, quanta perturbatio & permutatio rerum! Qui sursum esse deberent, deorsum sunt; qui regere deberent, re- E guntur; qui esse debent in tormentis, sunt in deliciis; qui in deliciis, sunt in tormentis: boni affliguntur valde, mali ultra modum recreantur. Bone Deus! quis non tantam confusionem perhorrescat & oderit? Herodes ille sacrilegus per jocum Joannem Bap- Matt. 14. tistam occidi jussit. Lysias ille pessimus tyrannus Cosmam & Damianum sanctissimos viros afflixit & occidit. Stupet Chrysostomus (a) & indignatur super hoc, & tragico prope furore excandescens clamitat: Ubi (a) lex?

(a) Homil. 16. ex variis in Matth. locis post init. | *Herodes tu adulterium facis, & in carcere vadit Joannes?*

lex? ubi fas? ubi ratio? ubi Deus? Domine, aut vides, aut non vides. Si non vides, quomodo regis? si vides, quomodo permittis? Si non vides, ubi est providentia tua? Si vides, ubi est justitia tua? Usque adeo movit hæc difficultas antiquos philosophos, ut ne dicerent Deum justum, & bonum talia permittere, elegerunt potius Dei præscientiam & providentiam negare. Videbatur eis difficillimum & blasphemum dicere, quod Deus domum tam iniquam & inordinatam regeret & disponeret. Propter quod elegerunt potius dicere, quod Deus mundum ordinatissimum regat, sed homines sibi ipsis regendos reliquerit, & aut nesciat, aut non provideat actus humanos: sicut Boetius (*a*) eorum sententiam recitans, ait: Omnia certo fine gubernans, hominum solos respuis actus, merito rector cohibere modo, & Job: *Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat;* & Psalm. *Posuerunt os suum in cœlum, & lingua eorum transivit in terra; & dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?*

III. Hoc, inquam, dixerunt, quia non poterant reddere rationem: quomodo Deus justus, rectus & bonus, tantam in rebus humanis permitteret confusionem. Et ideo, ut dixi, maluerunt divinam negare providentiam, quam ejus lædere & offendere justitiam. Sed ut Job consequenter adjungit, *quorum sententia procul sit a me.* Absit, absit, tanta blasphemia: usque adeo ad Deum pertinet omnia regere, & providere, ut si aliquid ab eo nesciretur, vel non disponeretur, non esset Deus. Quid enim est Deus, nisi universalis Dominus & gubernator omnium? quomodo non erit gubernator eorum, quorum fuit opifex & creator? aut quid in rebus potest legem, & jurisdictionem sui conditoris subterfugere, & ab ejus dominio excipi. Unde contra hos Psalm. clamat: *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet? &c.* Grandis ergo error & blasphemia est divinam negare providentiam. Sed nobis restat respondere eis, quomodo divinam poterimus tueri justitiam, ne in similem vel majorem blasphemiam incidamus, dicendo, quod Deus tanta mala faciat vel fieri consentiat: aut quod pejus est, amator & fautor sit malorum, sicut alii multo deterius blasphemaverunt, de quibus conqueritur Deus per Malachiam, dicens: *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris: & dixistis: In quo eum fecimus laborare? in eo quod dicitis, omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent: aut certe ubi est Deus judicii?* quasi dicerent, aut Deus mundum non judicat, neque gubernat, sicut primi philosophi dixerunt, aut si gubernat: utique qui sic malis favet, amator malorum est.

IV. Usque adeo hæc difficultas, sanctissimos viros, & illuminatissimos Prophetas movit, ut divinorum judiciorum abyssum admirantes, & divinam sapientiam perscrutantes, quasi tantam molem difficultatis dissolvere non valentes, a Deo hujus secreti rationem poposcerint cum ipso Deo super hac re disputantes. Unde Jeremias: *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum; veruntamen justa loquar ad te, quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur, & inique agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum, &c.* Hoc idem Propheta David in Psalmos: *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde.* Quasi dicat, Domine de tua bonitate & rectitudine ego non dubito, hoc pro certo habeo, quod justus & rectus es, neque de hoc quasi dubitans disputo, sed a te justo & bono rationem inquiro. Unde sequitur: *Mei autem pene moti sunt pedes, &c.* Et beatus Job. Disputare, inquit, cum Deo volo: *Nunquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari? Attendite me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro; & ego quando recordatus fuero pertimesco, & concutit carnem meam tremor.* De quo beate Job, de quo turbaris? super quo contremiscis? Sequitur: *Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit & non abortivit. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus, &c.* Sed & Propheta Habacuc, non jam quasi disputans, sed quasi indignans audacius cum Deo loquitur: *Usquequo vociferabor vim patiens, & non salvabis? Quare respicis* contemptores, *& taces* conculcante *impio justiorem se, & facies homines quasi pisces maris, & quasi* reptilia non habentia ducem? Super hoc Hieronymus (*b*): Vides quod temeraria vox sit, & quodammodo blasphemantis, sic Creatorem suum ad judicium provocare, & vas fragile adversus figulum, cur tale, vel tale factum sit disputare. Vides certe quantæ difficultatis fuerit apud Prophetas hæc quæstio, super qua Deum consulere, & interrogare præ nimia admiratione & stupore cogebantur: propterea quod divinam providentiam negare impium erat, & divinam offendere justitiam, ex alia parte perhorrebant.

V. Sed qualiter prædictam quæstionem per spiritum Dei solverint, attendamus. Psal.

Exi-

---

nes? Sic judicat sedens in loco judicis reus, in loco vindicis, innocentiæ persecutor. Rogo ubi rerum facies, ubi forma, ubi pudor, ubi existimatio publici cognitoris? Ubi Deus, ubi homo, ubi fas, ubi lex, ubi ipsius jura naturæ? Simul omnia sunt, Herodes, te agente, te judicante, te vivente confusa. Tom. 2. pag. 1032. Edit. Paris. an. 1570.

(*a*) De Consol. Philosoph. lib. 1. metr. 5. circa med.

(*b*) Verba a S. Oratore indicata habentur apud S. Hieron. in prologo Comment. ad Habacuc.

Psal. 72. *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum.* Quasi dicat, in novissimis impiorum ibi intellectus est: & solutio quæstionis quomodo in novissimis solvatur hæc quæstio. Job de eadem: *Ducunt* *Job 21.* *in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Attendite justitiam, attendite æquitatem, agnoscite quoque divinam providentiam. Non est enim minor Dei providentia in actibus humanis, quam in cæteris, sed est occultior & mirabilior. Namque cætera omnia quæ a solo Deo reguntur, ordinata sunt, nimirum illa eximia sapientia & ars mirifica est, res pessimas & inordinatissimas regulare, & ordinare, & in ipsa humanorum actuum confusione ordinem invenire, & in ipsa iniquitate æquitatem, & in ipsa fœditate pulchritudinem facere: ut potentior sit Deus ad ordinandum, quam homo nequissimus ad depravandum. Exemplum. Si quidam pictor imaginem pulchram faciat, non mirum, sed si alio deturpante & fœdante, omnem illam deformitatem in pulchritudinem reducat, illud mirificum & egregium. Et quidem in tanta humanorum actuum turbatione & confusione, ordinem invenire, & ubi non est ratio, rationem ponere, altissima sapientia est. Latet ergo in rebus humanis divina providentia: sed ibi major est & excellentior; sed eam etiam aliquando in vita hac inspicimus ex parte. Nam sæpius Deus & in hac vita reprobis debitam reddit retributionem, & rete texant, & capiantur in eo, & fodiant foveam, & incidant in *Psal. 7.* eam. Tamen perfecte non intelligitur, nisi in novissimis eorum, ibi multo notior est, quando post momentaneam delectionem ad incendium perpetuum perducunctatur. Ibi satis patet, quod præterita prosperitas non favor, sed furor Dei fuerit contra illos.

VI. Si ergo solam hanc vitam inspicias, & eam solam attendas, insolubilis videbitur ista quæstio & inexplicabilis, sicut philosophis visa est, qui eam solam attendebant; sed si tempori æternitatem adjungas, & utramque vitam simul annectas, hanc scilicet temporalem, & quæ sequitur perpetuam, ibi invenies solutionem. Nam quid, obsecro, mirum, si is qui perpetuo arsurus est in inferno, hic ad momentum lætari & gaudere permittatur, & vivere pro libito suo sinatur? At qualis est ista prosperitas, quæ gemitus germinat *Lucæ 22.* sempiternos? Malis dicitur: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Quasi dicat: Lætamini, exultate ut vultis, nam cito plo- *Ibid. 6.* rabitis; sicut alibi: Et ulciscimini, sed nunc *Deutr. 3.* cito reddam vobis ultionem, super caput ve- *Abd. 1.* strum. Satis mihi temporis restat ad ultio- *Ezech. 9.* nem de vobis. Similiter & e converso, quid mirum si illi quibus paratum est gaudium sempiternum, hic ad momentum tribulen-

A tur, imo hoc eis ad jucunditatem expedire cognoscitur. Solemus namque cum magnum & præclarum convivium amicis paravimus, eos aliquandiu ante prandium detinere, ut esuriant & melius eis pretiosa cibaria sapiant, sicut in vulgari proverbio dicitur. Quies quæ laborem sequitur gratior est; hoc enim habet malum boni, ut bonum ipsum juxta positum magis illustret: sic Deus qui æternum dilectis suis convivium præparavit, hic eos ad modicum prius esurire, & indigere permittit: ut postea exultantes dicant: *Læ-* *Psal. 89.*
B *tati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Transivimus per* *Psal. 65.* *ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Unde Gregorius (*a*) super Job: Non *(a)* ita mirum est quod mali in hac vita prosperentur, & boni affligantur, sicut esset e converso si boni prosperarentur & mali affligerentur. Quid enim mirum si cives hujus Babylonis, & filii hujus sæculi in sua civitate & patria gaudent, & exultant, & peregrini & exules tristantur & affliguntur? *Si de* *Joan. 15.* *mundo fuissetis*, ait Dominus, *mundus quod suum erat diligeret, propterea odit vos mundus*, quia non estis de hoc mundo.

C VII. Neque hoc divinæ justitiæ adversatur, ut philosophi putaverunt, imo quam maxime consonat. Nam quis ita malus est, ut aliquod bonum aliquando non fecerit? & quis ita bonus, ut aliquando non peccaverit? Cum ergo ad divinam & perfectam justitiam pertineat, ut nullum bonum maneat irremuneratum, aut malum impunitum: consequens est, ut cum illa bona impiorum in futuro non sint remuneranda, remunerentur hic; & similiter illa peccata justorum puniantur hic, ne puniantur in futuro. Neque hæc est in-
D ordinatio, sed maximus & perfectissimus ordo. Si enim malis semper male esset, bona eorum sine præmio manerent, & si bonis semper bene esset, mala eorum impunita relinquerentur, & hæc esset maxima injustitia & deordinatio in universo. Vide etiam quam male convenit justis prosperitas in hac vita, si enim alicui homini afflicto, tristissimo vulnerato, in carcerem conjecto, quispiam cantilenas, & facetias, & jocos diceret: nonne vexaret eum amplius & torqueret musica illa in luctu? Sic justo peregrino, & in carcere posito, qui diebus ac noctibus non cessat a lacrymis & fletu, ex mundi hujus &
E vitæ tædio, ex patriæ cœlestis desiderio, ex periculi timore, ex carnis gravissimæ odiosissimo onere, adhibere ei honoriculos, & divitiunculas, & vanas istas delicias, & ludicra mundi tædiosum esset & importunum. Unde Job: *Quare misero data est lux, & vita* *Job 3.* *his qui in amaritudine sunt? Qui expectant mortem, & non venit, & quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum.* Videtis certe, non esse defectum divinæ providentiæ, neque notam di-

(*a*) Vide Moral. lib. 3. cap. 7.

vinæ juſtitiæ: non eſſe contra Dei ſapientiam, aut contra ordinem, ut mali proſperentur, & juſti affligantur in hac vita: imo hoc eſſe æquiſſimum, juſtiſſimum, & ordinatiſſimum: neque hoc eſſe ad malorum favorem, & juſtorum odium: imo e contrario eſſe contra malos iram Dei, & erga juſtos amorem & favorem. Si enim non expediret juſtis hic tribulatio, cum Deus ſic eos amet & diligat ut filios, non eos permitteret affligi.

VIII. Sed ut hoc fiat lucidus & apertius, oſtendamus modo, quot & quantas utilitates juſtis afferat tribulatio, & quantum eis expediat tribulari, & quamvis innumeræ ſint iſtæ commoditates, ſeptem tamen ex ſacris Doctoribus colligimus. Nam tribulatio corrigit devios, excitat tepidos, purgat impuros, illuminat cæcos, perficit bonos, coronat pios, firmat dubios. Hos tribulationis fructus ſigillatim proſequamur. Primo tribulatio corrigit devios, nam in proſperitatibus poſt vitia noſtra effrænati imus in præcipitium: ſi Deus non infrænaret nos tribulationibus & flagellis, quo tenderet noſtra licentia? Pſal. *In camo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* *Pſal. 31.* Quantos emendavit, & correxit acerbitas tribulationis! Non opus eſt antiqua perquirere exempla. Pſal. *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* *Ibidem.* Filius ille prodigus, niſi fame & neceſſitate compulſus, ad patrem non rediiſſet; ſi datæ ei fuiſſent porcorum ſiliquæ quas volebat, utique vitulum ſaginatum in paternis laribus non guſtaſſet. *Luc. 15.* Unde Dominus ait: *Ego ſepiam viam tuam ſpinis*, ibis poſt amatores tuos, & non apprehendes eos, & dices: *Revertar ad virum meum priorem*, quia mihi melius erat tunc quam nunc. *Oſeæ 2.* Secundo excitat tepidos, nam cum omnia proſpere eveniunt nobis, remiſſi ſumus, & nimio torpore diſſolvimur. Non eſt devotio, non ſpiritus, non oratio, neque fervor, neque lacryma, at vero cum advenit tribulatio ſtatim excitamur, clamamus, oramus, in lacrymas prorumpimus, obſecrantes Dominum ut liberet nos. Pſalm. *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filii excuſſorum,* *Pſ. 126.* id eſt, affectus & deſideria tribulatorum, a quibus Deus pulverem ſæculi virga tribulationis excutit. Tribulationes enim calcaria ſunt, quæ faciunt nos currere ad Deum, ſicut (a) Gregorius (a) ait: Mala quæ hic nos præmunt, nos ad Deum ire compellunt; & Pſal. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt,* *Pſal. 15.* e contrario proſperitates detinent nos; nam ſicut luto, ſic infigimur in eis; *Pſal. 68.* Pſalm. *Infixus ſum in limo profundi.*

IX. Deus itaque electos ſuos non vult ab iſtis vanitatibus detineri, ſed quod omnia eis amara ſint, & male ſuccedant, & eos afflictent: ut dum ab omnibus repelluntur, ad Deum recurrant: & dum iſte mundus adverſatur, futuram vitam requirant. Et hæc grandis miſericordia Dei eſt. Exemplum in Abſalon & Joab, quem cum vocaret, & noluit venire, juſſit ſervis ſuis, ut ejus ſegetes comburerent: & tunc venit ad eum indignans & clamans: Quare hoc feciſti? Et ille: Vocavi, inquit, & noluiſti venire, combuſſi ſegetes tuas, ut venires. *2. Reg. 14.* Tertio tribulatio purgat impuros, non ſolum a peccatis, ſed & ab affectibus mundanorum. Exemplum in ægrotis qui ſolam cupiunt ſanitatem, non jam honores & delicias, &c. Eſt enim tribulatio ſicut ignis purificans electos, & auferens ab eis omnem ſcoriam & pulverem, & excoquens eos velut argentum & aurum, ſicut per Iſaiam dicitur: Ego *convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, &c.* *Iſaiæ 1.* O quam nitidos, claros, puros, perlucidos, terſos, ſplendidos reddit ſanctos tribulatio! Exemplum: ſicut vaſa aurea, & argentea, ſi haberent ſenſum quando tonduntur, & incenduntur ab artifice ſuo, conquererentur, ſed poſtea ei gratias agerent pro ſuo decore: ita & Sancti licet ſentiant Dei flagella, poſtea lætantur, & Deo gratias agunt; nec ſolum purgat, ſed examinat, & probat: nam eodem igne quo purificatur argentum, palea comburitur. Tribulatio quæ purificat electos, evertit impios, nam in tribulatione poſiti iraſcuntur, blaſphemant, indignantur, & furunt, ſicut damnati in inferno. Unde Apoſtolus: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere:* unuſquiſque videat quid ſuper ædificat, utrum *aurum, argentum,* vel *lapides pretioſos,* an *fœnum, lignum, & ſtipulam, uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis,* ſcilicet, tribulationis, *probabit: ſi cujus opus manſerit, mercedem accipiet: ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur.* *1. Cor. 3.*

X. Tribulatio oſtendit virum, non poteſt homo agnoſci donec tangatur: plures apparent argentum, & cum probantur ſunt paleæ. Pſal. *Proba me Domine, & tenta me.* *Pſal. 25.* Eſt hic lapis Lydius ubi perfectiones videntur cujuſque. Præterea tribulatio illuminat, non enim agnoſcimus nos in proſperitatibus, credimus quod pro Deo poterimus multa pati, & cum Petro dicimus: *Tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire,* & decipit nos cor noſtrum: nam poſtea neque leves injurias pro Domino ſuſtinemus. Quomodo enim ſuſtinebit verbera, qui non ſuſtinet verba? Grandis hæc utilitas agnoſcere ſe. *Luc. 12.* Apoſtolus: Qui *exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit:* ſæpius, & alios redarguimus impatientiæ, & accuſamus: & nos cum tangimur, debiliores ſumus. *Gal. 6.* Non ſolum autem illuminat oculos ad cognitionem ſui, ſed & ad cognitionem vanitatis hujus ſæculi, nam in tribulatione ſe deluſos aſpiciunt ab

(a) Moral. lib. 3. cap. 9., & in Pſal. Pœnitential. Pſal. 2. num. 14. *Plerumque, qui præcepta Dei aure cordis audire renuunt, perſecutionum verberibus admonentur, ut ad virtutis amorem pœnarum dolores pertrahant, quos æternæ vitæ præmia non invitant.*

ab omnibus favoribus mundi; nam qui non est tentatus, quid novit? Isaias: *Sola vexatio dabit intellectum auditui*. Insuper perficit bonos, scilicet, in virtutibus, nam præbet materiam exercendæ virtutis. Tolle tribulationem, ubi patientia, ubi mansuetudo, ubi humilitas, fortitudo, fiducia, tolerantia? Bernardus (*a*): Sicut stellæ nocte fulgent, & non in die; ita virtutes in adversitate, & non in prosperitate splendent. Exemplum in Job. Quantis virtutibus præditus erat, sed latebant, donec venit tribulatio; quanto illustrior fuit in sterquilinio, quam in solio! Deinde coronat pios: nam, sicut ait Apostolus: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*. Unde Joannes in Apocal. vidit multitudinem pulcherrimam, & plebem nobilissimam, & ait ad Angelum: *Qui sunt hi, & unde venerunt?* Cui Angelus: *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione*: nam tribulatio auget meritum, & ex consequenti coronam.

Isaiæ 28. (*a*) *Act.* 14. *Apoc.* 7.

XI. Proh quanti faciunt nunc Cosmas, & Damianus fuisse passos verbera, & tormenta, quæ pro Deo pertulerunt! o quanta eis gloria, quantus honor, quam immensa lætitia de tam insigni victoria! Quantus honor creaturæ, exposuisse pro Deo esse, quod ab eodem acceperat Creatore! Hoc nostræ naturæ maximum privilegium, hæc sanctorum Martyrum gloria, in hoc præ cæteris gloriantur. Unde in resurrectione corpora eorum quodammodo apparebunt pulchriora, quia sacris illis stigmatibus veluti carbunculis, & adamantibus decorabuntur. Nam sicut Dominus in sua resurrectione cicatrices reservavit: ita & in Sanctorum corporibus, ad decorem, honorem, & gloriam remanebunt. Quis sanctorum Martyrum lætitiam, & gloriam valeat cogitare? Si enim is qui calicem aquæ frigidæ pro Christo dederit, recipiet a Deo mercedem: qui sanguinem suum totum pro ipso fuderunt, & tam acerbam mortem laniati sustinuerunt, quanta gloria afficientur? Unde Ecclesia merito canit: Quæ vox, quæ poterit lingua retexere? &c. Felices medici, qui sic sua corpora curaverunt! non poterimus eis dicere: Medice cura teipsum: non solum sibi, sed & aliis vitam æternam doctrinæ suæ medicamento contulerunt: occasione enim medicinæ, dum corpora medicamine curabant, animas potius salutari verbo vivificabant, & sic totum hominem sanum reddebant: erant enim animarum potius medici, quam corporum, prædicatores potius, quam curatores. Audiant medici, & sequantur; propterea

Matt. 10.

namque Dominus in omni statu, & conditione voluit Sanctos eligere, ut nullus excusetur de statu suo. Fuerunt Reges sancti, & milites, & medici, pauperes, & divites, ut discamus, quia in omni statu, qui vult potest esse perfectus. Habent medici unde valde proficiant, si pauperes curent cum charitate, & solicite visitent, & consolentur, & gratiam quam eis Dominus dedit curandi, & sapientiam in eos exerceant. Nec solum hoc, sed etiam quod a divitibus accipiunt, conferant ex parte saltem egentibus, quæ præclara eleemosyna est coram Deo.

XII. Denique firmat dubios: hoc enim signum divinæ prædestinationis, & amoris est, si a Domino tribulamur. Apocalypsis: *Ego quos amo, arguo, & castigo*; & Apostolus ad Hebræos: Non est *filius quem non corripit pater, quod si extra disciplinam estis, cujus participes sunt omnes, ergo adulteri, & non filii estis*, id est, adulterini, & non legitimi. In hoc Deus nobis amorem ostendit, quia nos conformat imagini Filii sui, & Sanctorum suorum. Quis enim magis tribulatus, quis magis afflictus in hac vita mortali quam Christus? aut quis electorum sine tribulationibus vixit? Apostolus: *Sicut socii passionum estis, & consolationis sic eritis*; & iterum: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus*, quia si compatimur, & conregnabimus; si in hac vita participes tribulationum erimus, in alia participes gaudiorum; & si hic participes pœnæ, ibi erimus consortes gloriæ. Gaudeamus igitur, Fratres, cum in varias tribulationes inciderimus: sustinete patienter imo libenter, gratias agite, viriliter state, non deficiatis, certi quia Deus non odit, imo potius diligit vos. Petrus: *In quo exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio fidei vestræ*, &c. Postea *exultabitis lætitia inenarrabili*, & glorificata, momentaneum enim est, quod cruciat, æternum est, quod delectat. Apostolus: *Momentaneum* enim hoc, *& leve tribulationis*, &c. Hic etiam Dominus liberabit vos sicut promisit. Psalm. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum*, &c. Iterum: *Non dabit in æternum fluctuationem justo*, imo in ipsis vos consolabitur. Psal. *Secundum multitudinem dolorum meorum*, &c. Apostolus: Quia *sicut abundant passiones*, &c. Job: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum*, quoniam subsequetur summum bonum in gloria, ad quam nos perducat Jesus Christus Dominus noster. Amen.

Hebr. 12. *Apoc.* 3. *Rom.* 8. 2. *Cor.* 1. 1. *Tit.* 1. *Jacob* 1. *Ephes.* 3. 1. *Petr.* 1. *Psal.* 124. *Psal.* 54. *Psal.* 93. 2. *Cor.* 1. *Job* 5. 2. *Cor.* 4.

(*a*) Serm. 27. in Cant. num. 8. *Quomodo nempe stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis.*

IN FESTO SANCTI AUGUSTINI PATRIS NOSTRI, PONTIFICIS, AC DOCTORIS ECCLESIÆ

CONCIO PRIMA.

IN LAUDEM EJUSDEM.

Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Ecclesiastici 50. v. 7.

§. CONCIO CC.

I. DUo in primis dicenda mihi sese offerunt, quanam ratione solis nomine Augustinus intelligatur, & quomodo mundo illuxerit. Ut S. Dionysius (*a*) ait, cap. 5. de Divinis nominibus: Inter omnes creaturas corporeas nulla est Deo ita similis, & in qua Deus ita lucet, ut est sol. O quam insignis, quam illustris, quam decora creatura sol! Quid est omnis corporalis pulchritudo, solis pulchritudini comparata? qui præ nimia ejus pulchritudine videri se non permittit, in hoc quo- 1.*Tim.*6. que Deo similis, *qui lucem habitat inaccessibilem*. Pulchritudo ejus omnia pulchrificat, ejus virtus omnia vivificat: sol corporeo mundo præsidens, ex alto omnia corpora disponit, omnia gubernat, omnia vivificat, omnia illustrat, omnia conservat. A sole pendent omnia, foventur omnia, gignuntur omnia, nutriuntur omnia; sole recedente omnia siccantur, sole ascendente omnia nascuntur. Attende in hyeme faciem terræ, deformem, aridam, sterilem, sine germine, sine virore, sine fructu. Adventante sole, quanta varietate vestitur, quanta venustate decoratur! Sol igitur mundi hujus sensibilis, & corporei gubernator est, & dispositor, ac veluti quidam corporum deus, cujus lumen, & virtus a supremo cœlo usque ad infimum pavimentum omnia replet, omnia plena sole. Hoc igitur est sol, suo modo, corpori- *Psal.* 18. bus, quod Deus est omnibus. In sole enim Deus hominibus se depinxit, in eo se figuravit, ut esset in eo quodammodo visibilis, invisibilis Deus. Quid enim est sol iste corporeus, nisi simulacrum quoddam, & effigies increati luminis, & speculum nitidissimum quo Deus mortalium oculis præsentatur?

II. In eo Divinitatis unitas, personarum trinitas lucet, in eo Dei majestas, virtus, potentia, immensitas, æternitas, decor, sapientia effigiata cernuntur. Quæ enim Dei perfectio hominibus attingibilis non lucet in sole? Unus Deus, unus sol; in una essentia tres personæ, in uno sole una substantia, & ab una substantia tres formæ, lux, splendor, calor: splendor a luce, calor a luce, & splendore. Quid personis divinis accommodatius? ubi non solum personarum proprietas, sed etiam earum origo designatur. Ibi enim sicut in divinis, unum ab uno, & unum a duobus, quæ similitudo in tantum procedit, ut in sacris voluminibus nomina istarum formarum divinis personis accommodentur. De *Deut.* 6. Patre dicitur: *Deus lux est, & tenebræ in* 1.*Joan.*1. *eo non sunt ullæ*. De Filio dicitur, *qui cum* *Hebr.* 1. *sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*; & alibi: *Candor est lucis æternæ*. De Spiritu *Sap.* 7. sancto dicitur in Euangelio: *Ignem veni mit-* *Lucæ* 12. *tere in terram, & quid volo nisi* ut ardeat? Ecce lucis, splendoris, caloris personis divinis attributa vocabula. De divinis quoque perfectionibus si libet sigillatim percurrere, quid miraris Dei immensitatem omnia replentem? Ecce sol, ut dictum est, suo lumine, virtute, & influentia, totum orbem a summo usque deorsum perlustrat, & replet. Quid miraris Dei æternam immutabilem invariabilemque substantiam? Ecce sol tot millibus annis conditus, per tot sæcula immutatus perseverat, tam novus, tam splendidus sicut die, qua creatus est. Miraris in Creatoris natura æternitatem, cum creata natura tantæ perpetuitatis, & immutabilitatis capax existat? Similiter quid mirum si Dei virtute omnia foveantur, & sustententur, cum id faciat in corporibus virtus solis? quid mirum si omnia dependeant a conditore, cum ad sensum omnia ista inferiora dependeant a sole? Sol suo lumine omnia pulchrificat; & Deus sua gratia omnes spiritus humanos, Angelicosque decorat. Sol corporei luminis fons est, & origo, a quo omnia cœlestia lumen recipiunt; & Deus simpliciter omnes intellectus illustrat, sine cujus lumine ita tenebrosus & obscurus est omnis

(*a*) De Divin. nomin. cap. 5. §. 8.

omnis intellectus, ſicut orbis ſine ſole. In ſolis lumine omnia obſcura clareſcunt, quid ergo mirum ſi omnia pateant Conditori?

III. Simili modo, ſi per alias Deitatis perfectiones diſcurras, invenies eas in ſole veluti in quodam ſpeculo tabulaque depictas. Pictura ergo quædam Dei eſt ſol, ut diximus, & latibulum in quo Deus latet, ſicut
Pſal. 18. ſcriptum eſt: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* O homo ibi latet, ibi abſconditus eſt Deus tuus; intellectu ſolem penetra, & intus reperies quem requiris: luminis enim increati velamen eſt lumen iſtud creatum. Non potes ergo excuſari homo, ſi Deum tuum non diligis, ſi non colis, & times, quia ipſum non videris, & quia gloriam, & decorem, & majeſtatem ejus non agnoveris. Quocunque te vertas, ubique in ſuis creaturis tibi occurrit Deus, ubique in operibus ſuis fulget, ubique cernitur. Non Deus abſconditus eſt, & obſcurus, ſed interius tibi
Ibidem. deſunt oculi: quoniam *cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Dies, & nox tibi prædicant ſcientiam, neque tibi relinquitur excuſationis locus, quod eorum non audieris voces, non capias idioma, non enim ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Græcis, Latinis, Barbaris, Æthiopibus, Indis, cunctiſque nationibus clara vo-
Pſal. 99. ce perſonant: *quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos*, Deique majeſtatem, æternitatem, potentiam, ſapientiam, plenitudinem, bonitatemque apertis ſermonibus mortalibus
Rom. 1. denuntiant: *ita ut ſint inexcuſabiles.* Neque adeo barbarus eſt, aut ruſticus quiſpiam, ut non juſte damnetur ſi tantam majeſtatem tamque conſpicuam non dilexerit, non coluerit, non timuerit. Quod ſi illi inexcuſabiles ſunt, quid nos dicturi ſumus, qui ultra librum naturæ, tot libros, tot Scripturas, tot Prophetas recepimus, quibus non ſolum vocibus creaturarum, ſed proprio ſermone per ſeipſum locutus eſt Deus, locutus in Sanctis, lo-
Hebr. 1. cutus in Filio? Utinam vel ſaltem librum iſtum creaturarum legere diſceremus, & non veluti irrationalia jumenta creaturas has in ſola ſuperficie videremus. Mundus enim iſte ſenſibilis, non ſolum in miniſterium, ſed & in magiſterium hominibus datus, ut in viſibilibus iſtis inviſibilia diſcant, & in ſenſibili mundo, inviſibilem mundi Conditorem perlegant: ſunt enim corporeæ iſtæ naturæ incorporearum veluti quædam umbræ.
(*a*) Unde Bernardus (*a*) mundum iſtum ſenſibilem, librum communem catena ligatum appellat, ut in eo ſapientiam legat quicunque voluerit, ſicut ſolent eſſe in Eccleſiis cathedralibus breviaria promiſcuæ multitudini expoſita, catenulaque appenſa.

IV. Poteſt quoque non incongrue mundus iſte viſibilis puerorum chartis comparari, in quibus prima litterarum rudimenta diſcimus, & in quibus ex litteris ſyllabas, ex ſyllabis dictiones muſſitantes cum labore componimus. Poſtmodum vero jam lectores effecti chartula elementaria, & abecedaria involuta, copioſioribus aſſueti voluminibus, ſolo aſpectu, primoque intuitu cuncta perlegimus. Ita omnino, ita ſumus in hoc mundo veluti parvuli in ſchola, ubi quiſque quamvis doctiſſimus parvulus eſt. Quis doctior, quis ſapientior Paulo? & tamen de ſeipſo ait: *Cum* 1.*Cor.*13. *eſſem parvulus, ſapiebam ut parvulus, loquebar ut parvulus*, præſentis vitæ ſtatum deſignans. Deſcriptæ ſunt nobis a magiſtro noſtro in hac mundi pagina, litteræ pulcherrime miniatæ, quas diſcamus. O quam decora littera ſol, quam pulchræ litteræ luna, ſtellæ, orbes, mare, beſtiæ, piſces, arbores, homines, univerſæque rerum ſpecies, quas in hoc mundo, ut in puerorum pagina, digito ſuo cœleſtis ille ſcriba depinxit, haſque nobis propoſuit legendas, agnoſcendas ad invicemque componendas! Ecce vobis parvulis unam ſolam hujus alphabeti litteram, id eſt, ſolem, ego quoque parvulus hodie cum tanto labore inſinuo. Quod ſi unamquamque litteram per ſe addiſcere tam laborioſum, quid erit eas ad invicem mutuo componere, connectere, comparare: ut more lectorum expeditorum hanc mundi faciem intellectu celeriter percurramus? Quando hoc erit? quando has creaturas expedite legemus? Nunc enim ſatis bene nobiſcum agitur, ſi eas more puerorum muſſitantes demoranteſque conjungimus, ſi ex effectibus cauſas, & per cauſas effectus diſcurrentes, ratiocinanteſque cognoſcimus. Quid enim eſt omnis diſcurſus noſter, & ratiocinatio, niſi quædam laborioſa litterarum per intellectum compoſitio, quæ vulgari vocabulo delineatio nuncupatur? O quantus labor in addiſcendo! o quam modicum attingimus diſcurrendo! Veniet ecce tempus quando cœlum plicabitur ſicut liber involutus, & hanc omnem litterarum in alio libro grandiori copioſiorique, non muſſitantes, ſed ſolo aſpectu tranſcurremus, & celerrime perlegemus. Non enim erunt tunc volubiles cogitationes noſtræ, neque ex uno in aliud redeuntes, ut ait Auguſtinus (*b*), (*b*)
ſed ſimplici intuitu omnia videbimus. Non erit ibi diſcurſus & ratiocinatio, non hujus ex illo moroſa deductio & argumentatio, ſed ad ſimplicem intuitum omnia patebunt.

V. O felix creatura cœli, quæ tanto potitur bono! Nam creatura mundi non ſic, ſed *inviſibilia* Dei *per ea quæ facta ſunt* ru-
Rom. 1. minando, diſcurrendoque *intellecta* conſpicit. Nec vobis hoc mirum videatur. Si enim Angelicus intellectus in ſpecie illa concreata univerſali ſine diſcurſu, ſimul cauſam effectum-

(*a*) Serm. 9. de Diverſ. num. 1. *Et eſt velut communis quidam liber, & catena alligatus, ut aſſolet, ſenſibilis mundus iſte, ut in eo ſapientiam Dei legat, quicumque voluerit.*

(*b*) De Trinit. lib. 15. cap. 16., cujus verba dedimus in notis ad Concion. in Feſto S. Thomæ Apoſt., & alibi.

ctumque videt, neque unum ex alio moroſe deducit: quanto magis in illo Divinitatis nitidiſſimo ſpeculo ſimul omnia intellectui apparebunt? Neque erit notior cauſa, & minus notus effectus, aut e contra, ſed omnia æqualiter ibi & cauſa & effectus ſimul videbuntur, & effectus in cauſa, ſed non per cauſam. Erimus enim tunc omnes docibiles Dei, *Joan. 6.* non docibiles mundi: non jam Deum ex creaturis inveſtigantes, ſed creaturas in Deo pla- *Pſ. 125.* niſſime contemplantes. Et qui nunc imus in Deum cum fletu & labore ſeminantes, & per ſcalam creaturarum aſcendentes, tunc veniemus a Deo in creaturas, cum gaudio portantes manipulos noſtros, totam ipſam ſcalam celerrime deſcendentes, & hoc ſuper fi- *Gen. 28.* lium hominis, per quem modo aſcendimus, & tunc deſcendemus. Non lætamini, Fratres, non præ gaudio rumpimini ſuper tanto bono? Hæc nos expectat felicitas, hæc nos gloria manet. Cito videbimus, cito gaudebimus, cito omnes evademus docti a Deo, cito ceſſabit omnis iſta occupatio peſſima, *Eccleſ. 1.* quam dedit Deus filiis hominum, ut exerceantur in ea in vita mortali, ne otioſi defluant in vitia: ibi qui majoris fuerit meriti, doctior apparebit, & anteibit ſapientia Platonem doctiſſimum vetula ſancta, & fiet *Iſaiæ 60.* quod ſcriptum eſt: *Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, & de-* *Ibid. 55.* *lectabitur in craſſitudine anima veſtra.* Ibi enim omnia quæcunque deſiderat anima veſtra pleniſſime invenietis, & apertiſſime cognoſcetis: hæc aſſidue cogitate, hæc animo die noctuque verſate, his in meditationibus *Pſ. 126.* veſtram expendite vitam, *beatus* enim *qui* ex iſtis *deſiderium ſuum* impleverit, *non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta*, in illa, inquam, arctiſſima porta, qua exeuntes ab hac vita, aliam ingrediemur vitam, in qua ex adverſo truculentæ beſtiæ aſtant, accuſantes nos, in his quæ ipſis inſtigantibus perpetravimus. Vere non confundetur qui modo talibus liquoribus ſuorum deſideriorum vaſcula impleverit. De his hactenus. Sed quorſum tam multa de ſole? nempe ut noverimus ſolis vocabulo, ſolum Deum proprie ſpiritualiter nuncupari, ſicut in ſacris litteris ſæpius reperimus nominatum: ut eſt illud *Malac. 4.* Prophetæ: *Orietur vobis timentibus* Deum *Sap. 5.* *ſol juſtitiæ*; & illud Sapientiæ: *Sol non or-* *Pſal. 57.* *tus eſt nobis*; & illud Pſalmi: *Super cecidit ignis, & non viderunt ſolem*, & alia ſimilia quæ ſparſim per Scripturam leguntur.

VI. Neque tamen abſonum videatur, quod in themate glorioſus Pater Auguſtinus ſol Eccleſiæ nuncupatus ſit, quod Chriſto Domino tantummodo videtur convenire. Solent enim juſti, maxime ſapientes, ſolis vocabulo in ſacra Scriptura etiam deſignari, non improprie: ut eſt illud apud Eccleſiaſti- *Eccli. 27.* cum: *Homo* ſenſatus *manet ſicut ſol, ſtultus* vero *ſicut luna mutatur*. Ubi ſapiens comparatur ſoli, & ſtultus lunæ. Et quis ſenſatus niſi juſtus? & quis ſtultus niſi peccator? An non ſtultus, qui pro modico temporali lucro æternum commutat regnum, & pro momentanea voluptate, atrociſſimis perpetuiſque ſeipſum ſuppliciis mancipat, & vendit? qui cum facile poſſet moderari paſſiones ſuas; ut illis ſatisfaciat, Deum, animam, famam, gratiam, gloriam ſempiternam amittit, & in abyſſum ſulphuris, & ignis ſciens, videnſque ſeipſum præcipitat? Eſt ne aliquis adeo ſtultus, qui hujuſmodi contra ſeipſum faciat? Hic ergo ſtultus ut luna eſt: juſtus vero ſenſatus ut ſol, propter tres ſolis & lunæ differentias. Lux enim ſolis eſt propria, plena, fixa. Lux lunæ e contrario, aliena, vacua, & varia. Simili modo eſt in juſto, & peccatore. Lux enim juſti propria eſt, de ſuo lucet; juſtus non in aliena luce gloriatur, non in progenitorum virtute, & nobilitate, non in magiſtratuum dignitatumque honore, non in divitiarum opulentia, non in poſſeſſionum & hæreditatum copia, non in copioſa ſplendidaque familia: ſed in propria virtute & opere gloriatur: nec alienam lucem quærit, cui ſuppetit propria, ſecundum Apoſtolicum conſilium: *Opus ſuum probet unuſquiſque*, *Galat. 6.* *& ſic in ſemetipſo tantum habebit gloriam, & non in altero*. Stultus vero mundanus, quia in ſeipſo obſcurus eſt, alienam unde poteſt lucem, ut fulgeat hominibus, mendicat. Eſt etiam juſti lux plena ſicut ſolis, quoniam undequaque perfectus eſt, peccatoris autem lux vacua, dimidiataque: non enim ex omni parte lucidus eſt, ſed ex una parte lucidus, ex altera obſcurus. Da mihi hodie hominem undequaque lucidum; vere rara avis in terris, rarus homo qui non habeat aliquam partem tenebroſam. Quidam *Lucæ 11.* eſt caſtus, ſed iracundus; alius mitis, ſed lubricus; alius quidem & mitis & caſtus, ſed ſuperbus; alius mitis, caſtus & humilis, ſed cupidus: denique nemo ſine crimine vivit, & rariſſimus eſt qui de hac lucis plenitudine gloriari poſſit, & cui ſolis vocabulum poſſit adaptari. Quod ſi quis eſt, ad modicum tempus eſt, non per vitam totam ut ſol. Luna etiam aliquando plena eſt, ſed cito ab illa deficit plenitudine; ſol vero nunquam: ita juſtus & perfectus in luce permanet fixus, conſtans & immobilis; peccator vero inſtabilis eſt: qui etiam ſi ad tempus toto conatu & propoſito vitia deteſtatur, virtuteſque amplectitur, ſed ſtatim poſt modicum deficit, & in conſuetas tenebras mentis inconſtantia, quam ex peccato contraxit, devolvitur, ſicut ſcriptum eſt: *Pec-* *Thren. 1.* *catum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*.

VII. Si igitur, ut dictum eſt, quilibet juſtus ſenſatus, in Eccleſia Dei propter rationes ſupra dictas ſol nuncupari poteſt; quanto amplius tu, o Pater ampliſſime Auguſtine, qui non ſolum vitæ ſanctitate, ſed etiam miro ſapientiæ tuæ fulgore, Chriſti Eccleſiam, luce propria, luce plena, luce fixa irradiaſti? Si enim ſapientia lux eſt, quis

in

in Ecclesia Dei ita lucet ut Augustinus? A sole omnia astra lucent, ab Augustino omnes, qui post ipsum fuerunt, Doctores sapientiæ lumen accipiunt: ipse vero propria luce lucet, quam a nullo hominum, sed a solo Deo accepit. Nullo enim tradente, nullo magistro cunctas didicit disciplinas. De lucis autem hujus plenitudine hoc dixerim: pollent quidem in Ecclesia plurimi variis donis, alius devotione, alius paupertate, alius humilitate, aut castitate, alius alia gratia
1.Cor.12. gratis data quacunque: *Divisiones* enim *gratiarum sunt*, neque sanctus dici potest, qui in aliqua virtute vel gratia non extitit insignis; est enim sanctus insignis justus. Sed quod est sapientiæ proprium Scripturas intelligere, penetrare sacramenta, nosse mysteria innodata dissolvere, obscura propalare, & similia; hoc sibi justissime vendicat Augustinus, hæc pars Augustini, in hac sapientiæ luce, sicut sol omnia astra, ita cæteros omnes, post Apostolos, superat Augustinus; & merito ad alios in Ecclesia, in hoc quasi sol ad sidera comparatur. Apud Danielem
Dan. 12. legimus, justos in Ecclesia fulgere sicut firmamentum, doctos vero qui ad justitiam plurimos erudiunt, sicut stellas in perpetuas æternitates. Qui vero sapientia & doctrina cunctos alios antecellit, cui existimas illum comparandum fore nisi soli? Etenim intellectus acumine, ingenii perspicuitate, disputandi acrimonia, inveniendi copia, differendi subtilitate, monstrum quoddam in natura fuit Augustinus, qui humanæ intelligentiæ terminos irradiante Deo visus est transcendisse; vir intellectu, ut quidam ait, & sapientia prope divinus. Vides igitur, quam proprie, quam ex æquo illi verba thematis adæquantur: *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.*

VIII. Sed ostendamus jam nunc, quomodo refulsit in templo Dei, sicut in principio propositum est. Omnis Sanctus in Ecclesia Dei, est veluti quoddam luminare lucens in caliginoso loco, & veluti clara stella ignorantiæ nostræ tenebrosam noctem illuminans; sic enim Apostolus ait: *In medio na-*
Philip.2. *tionis pravæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Neque solum qui doctrina pollent, sed etiam qui sanctitate vitæ præeminent, luminaria sunt. Grandis prædicator justus in populo, etiam si taceat, opera illius clamores sunt, plus namque prodest virtus visa, quam audita, & Christus in Sancto figuratus plus movet, quam sermone descriptus. Non ergo sola sapientia lucent homines, sed magis vita. Unde quatuor modis aliquis in templo Dei lucet, scilicet, fide, sapientia, vita, regimine. Ista sunt quatuor luminaria, sive quatuor fenestræ in templo Dei, a quatuor ejus angulis totum templum illuminantes. Fide lucent in Ecclesia Dei Martyres, qui eam sanguine suo plantave-

A runt, sapientia Doctores, vita Confessores, regimine Pontifices. Omnibus istis quatuor modis glorioſus Augustinus in templo Dei refulsit: ideoque si ille qui uno istorum modorum in Ecclesia fulget sanctus est, quantus erit hic Pater Augustinus, qui omnibus istis fulsit? Unde ut summatim de illo dicam quod sentio. Omittamus nunc sanctitatem, & gratiam (*spirituum* enim *ponderator est Dominus*) & temerarium est in hoc Sanctos ad invicem comparare. Judicet Deus qui novit Augustini spiritum & sanctimoniam, sed quod nobis potest innotescere, B unus ipse excellenter obtinuit Martyrum fidem, Confessorum sanctitatem, Doctorum sapientiam, prudentiam Pontificum, quæ si ornare Sanctos Dei sufficiunt singula, quanto magis sufficient omnia? Quantum, obsecro, refulsit fide? quantum fidei contulit Augustinus? Martyr enim in illo oppido vel civitate ubi patiebatur, fidem credentium confirmabat; at Augustinus doctrina sua fidem, non in uno oppido, sed in toto orbe defendit. Unde sicut majoris meriti est defendere fidem sanguine quam verbo, ita etiam majoris commodi eam in orbe quam in urbe.

C IX. Neque etiam Augustinus defuit martyrio, sed magis martyrium defuit Augustino, sæpius namque vitam pro fide apud hæreticos exposuit, nisi Deus aliter disposuisset ejus vitam custodire, quia scilicet, plus doctrina quam morte populo Dei profuturus erat. Oppugnata est enim Ecclesia, ut idem Augustinus (*a*), inquit, prius a leone in tyrannis, & deinde a dracone in hæreticis: nec minor fuit hæc draconis persecutio, quam leonis: sed quomodo victus est leo in Martyribus, ita & victus est draco in Doctoribus. O quam gravissima fuit Augustino pu-
D gna cum isto dracone, quam acerrimus extirpator extitit hæreticorum! Quis enim ita defendit fidem ut Augustinus, quis tot libros composuit contra hæreticos, quis omnibus modis differendo, prædicando, scribendo, convictos ab Ecclesia hæreticos expulit ut Augustinus? O firmissimam Ecclesiæ columnam! o magnum fidei propugnaculum! Merito proinde ab Ecclesia malleus hæreticorum nuncupatus est. Hic est ille vir, quem Ezechiel Propheta vidit in culmine templi funiculo & calamo omnem illius magnifici templi fabricam metientem. *Ecce*, inquit, *Ezech.*
E *vir cujus* aspectus *quasi species æris, & funiculus lineus in manu ejus, & calamus mensuræ in manu ejus & mensus est*, &c. Quod licet ad litteram de Christo intelligendum sit, qui doctrinæ funiculo, & passionis merito, omnes Ecclesiæ status & animas mensuravit: *unicuique* enim *nostrum data est gra-* *Ephes.* 4.
tia secundum mensuram donationis Christi, sicut Zacharias inquit, adæquavit Deus *gra-* *Zach.* 4.
tiam gratiæ illius: tamen potest ad Augustinum accommodari. Hic namque vir constantissi-

(*a*) Vide Ennar. in Psal. 39. sub initium, ubi late de hoc argumento.

tissimus, fortissimus, & robustissimus adversus hæreticos extitit, æreusque aspectus illius propter prædicationis sonitum: non aliter enim quam Apostolica quædam tuba in Dei templo ita personuit, ut in omnem terram exierit sonus ejus. Dextera funiculum cæmentariorum tenebat, id est, Euangelicam doctrinam, qua mensus est omnes ædificii parietes, egredientes lapides, & intrusos malleo æquabat, faciens omnium fidelium intellectus concordare funiculo: & secundum Euangelium unanimiter sentire, dissonantesque redigens in obsequium fidei. Quid ais o Arri? quid sentis de fide? Tres, inquit, sunt personæ, & tres essentiæ. O Arri multum egrederis funiculum, redi ad regulam, inspice Euangelium: *Ego & Pater unum sumus*; & in Apostolo: *Unus Dominus, una fides*, Scriptura sic dicit: quomodo ergo tu Deum multiplicas in essentia? Et tu Sabelli quid sentis de Deo? Una, inquit, est essentia, & una persona. O hæretice multum deficis a funiculo, redi ad regulam. In Euangelio quomodo legis: *Ego & Pater unum sumus?* non ait sum, sed sumus, pluralitas ergo est in divinis, & Joannes in epistola: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo:* quomodo igitur tu inquis unus solus est? Discordas utique a funiculo. Et tu Manichæe, dic tuam de Christo sententiam: Christus, inquit, verus Deus, sed non verus est homo. O hæretice, multum excedis fidei perpendiculum, fateris in Christo Dei majestatem, oportet te etiam in illo confiteri hominis infirmitatem: redi ad regulam, quomodo legis: *Verbum caro factum est*; & Apostolus: *Factum ex muliere, factum sub lege*; & Psalm. *Homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus?* Convincunt te ista testimonia non concordare funiculo. Et tu Ebion, quid sentis de Christo? Christus, inquit, verus homo, sed non verus Deus. Tu quoque o hæretice multum deficis a funiculo, redi ad regulam, inspice Scripturam; *Dominus meus & Deus meus:* & iterum ad Filium: *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi*; & iterum: Hic *Deus verus est*.

2.Cor.10. *Joan.* 10. *Ephes.* 4. *Joan.* 10. 1.*Joan.*5. *Joan.* 1. *Galat.* 4. *Psal.*86. *Joan.* 20. *Hebr.* 1. *Psal.* 44. *Jer.* 10.

X. In hunc modum magnus iste Doctor ædificii lapides ad mensuram rectam reddebat, discordantes malleo percutiens, id est, hæreticos argumento convincens. Lapides vero solutos, extra ædificium sparsos non metiebatur funiculo, qui enim fidem non recipit, hic neque Scriptura convinci potest. Omnis autem lapis per baptismum in Ecclesiæ ædificio super fundamentum firmum, id est, Christum fundatus, si funiculo Scripturæ commensuratus a fide deviat, potest argumenti malleo percussus ad rectam lineam reduci, si in sententia pertinax non est. Funiculus ergo rectissimus & infallibilis, quo omnis intellectus mensuratur, Scriptura est. Ad hunc omnes aliæ scripturæ, omnes scientiæ, omnes hominum inventiones commensurandæ sunt: & quæ non conformant proculdubio falsæ sunt. Ad hunc etiam funicu-

1.Cor.3.

A lum redigendæ sunt omnes revelationes, omnes apparitiones quæ fiunt in Ecclesia, & quæ non conveniunt huic funiculo; non quidem revelationes, sed illusiones dæmonum æstimandæ sunt. Isaias de hoc ita inquit: *Et cum dixerint ad vos: Quærite a pythonibus, & a divinis, qui stridٍent in incantationibus suis: Nunquid non populus a Deo suo requiret* visionem *pro vivis & mortuis? Ad legem magis & ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Attendite vobis, Fratres mei, ne forte ab isto perpendiculo varietis. Ecce B proh dolor, quot ab hoc funiculo discordant hodie proprio sensui adhærentes! Germania quondam fideliissima; hodie universa hac peste subversa est. Cavete vobis ne seducamini fallacia serpentis *a simplicitate, quæ est in Christo* Jesu: *sermo* enim hæreticus *ut cancer serpit*. Fugite novitates, *doctrinis variis & peregrinis, nolite abduci*. Legite Sanctorum libros, his adhærete, hos sequimini, sensum catholicum & antiquum, quem a patribus accepistis, nolite deserere. In tantum enim, ut ait Bernardus, sensus iste communis Ecclesiæ æstimandus est, ut, etiam si aliud Hie- C ronymus, vel Augustinus sentirent, esset sequendus. Attendite Apostolum comminantem: *Si quis vobis* aliud dixerit quam *accepistis*, etiam *Angelus de cœlo, anathema sit*. Doctrina Sanctorum non solum intellectum illuminat, sed etiam voluntatem inflammat, est enim spiritu Dei plena. Non sic aliorum doctrina, quæ etsi aures eloquentia mulceat, non tamen cor accendit.

Isaiæ 8. 2.Cor.11. 2.Tim.2. Hebr.13. Galat. 1.

XI. Nolite etiam discutere, quæ vobis credenda ab Ecclesia proponuntur. Relinquite hoc Episcopis, relinquite Theologis, ipsi tractent mysteria, ipsi discutiant, qui D effuse rationem Omnipotenti sunt reddituri. Vos tantum simplicem adhibete sensum, & firmum: hoc enim est unde multi periclitantur, quia scilicet, sine litteris fidei sacramenta discutiunt. Quid ad te attinet o miles, o agricola, o mercator disputare de fide? Qui sentit in schola theologica cum timore loquitur, & tu audenter asseris quæ tibi videntur? Intende officio tuo, relinque alienum, ad te non spectat hoc. Attendite super hoc figuram in libro Numerorum. *Tabernaculum*, inquit, *fœderis, & Sanctum sanctorum ingredientur Aaron & filii ejus*, & de- E posito velo *involvent arcam testimonii, &c. Cumque involverint Aaron & filii ejus sanctuarium & omnia vasa ejus: tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta, & non tangent vasa sanctuarii, ne moriantur, &c.* Vasa sanctuarii quæ intra velamen sunt, scilicet, thuribula, mortariola, cyathi, crateræ, candelabrum, forcipes, & emunctoria. Hæc sunt fidei sacramenta, scilicet, incarnationis, passionis, & resurrectionis, quæ fidei velamine velata sunt. Hæc a sacerdotibus tractanda, aspiciendaque sunt, quibus *datum est nosse mysterium regni Dei*, cæteris autem

Hebr.13. Num. 4. Ibidem. Lucæ 8.

autem in parabolis. Illis igitur permittitur ingredi Sancta sanctorum, discutere mysteria, de fide differere, Scripturas exponere, fidei quæstiones absolvere, legis secreta rimari; populus autem qui per Caathitas, & Gersonatas, & Merarithas designatur, caveat ne aspiciat, neque tractet, sed sicut illis proponuntur a sacerdotibus involuta, ita portent. Non revelent, inquit, ne forte spirituali morte moriantur, a fidei veritate divisi, nihil enim tenerius, nihil facilius, quam humanus sensus, facile variat a vero. In aliis enim peccatis quæ voluntate sola committuntur, aut opere, palpabilius est quod agitur. Sunt enim concupiscentiæ carnales, & iræ, rixæ, invidiæ, & avaritiæ, qui appetitus satis a nobis perceptibiles sunt, cum adsunt, non sic in intellectu. Facile enim pro vero falsum accipitur, & leviter sensus deviat a vero. Proinde in hoc major custodia adhibenda est, ubi majus imminet periculum: & quia quisquis timere debet, ne forte sit in spiritu ejus dolus; ideo authoritati Ecclesiæ firmissime adhæreat, id animo fixo profitens, quod Ecclesia docet & tenet. *Psal.* 31.

XII. Sed de his hactenus. Hæc enim dicta sunt, ut quantum Scripturæ sanctæ deferendum sit honoris & authoritatis agnoscamus, quæ omnium humanorum intellectuum proposita est regula & mensura. Hæc est perpendiculum in dextera Augustini, quo templi Dei parietes singulos demetitur; calamus vero mensuræ quo omnes ædificii partes metiebatur, philosophia moralis est, qua omnes Ecclesiæ status instruxit. Erat enim sapientia divina humanaque instructus & apprime eruditus, quæ per funiculum & calamum designantur. Nullaque fuit templi Dei pars, quam iste Doctor hoc calamo non metiretur, portas, limina, vestibulum, fenestras, porticus, atria, a summo usque deorsum, nihil non mensum reliquit. Omnibus enim Ecclesiæ statibus vivendi regulam dedit, pro omnibus libros composuit: pro virginibus librum de virginitate, pro viduis librum de vera viduitate, pro conjugatis librum de bono conjugali, pro monachis librum de opere monachorum, pro mulieribus librum de honestate mulierum (*a*), pro clericis canonicorum regulam. Unde in præfatione (*b*) clericos docuit, laicos monuit, devios in viam veritatis reduxit, cunctorumque conditionibus salubriter providendo tuam in hoc mari naviculam Augustinus provide gubernavit. Neque solum fidei contulit Augustinus eam ab hæreticis defendendo, sed eo amplius eam fidelibus exponendo. Quis enim in exponendis Scripturis vigilantior, quis in discernendis mysteriis eruditior, quis in enodandis quæstionibus disertior? Fides namque usque ad tempus illud, magis virtute quam claritate pollebat. Erat enim quodammodo adumbrata, non solum erroribus hæreticorum, sed etiam verbis & eloquentia catholicorum, quibus magis cura fuit culte & ornate, quam distincte loqui. Ac proinde quid in qualibet fidei materia sentiendum esset, non tam erat in aperto. Sed Augustinus primus cœpit catholicas veritates enucleare, digerere, dilucidare, distinguere, atque in scholasticam formam redigere, docens quid in quolibet fidei mysterio sentiendum, quid ad objecta respondendum esset; unde ex Scripturis colligendus locus ad roborandam. Denique si quid de fide distincte sentimus, aperte dicimus, audenter asserimus, id totum Augustino debemus. Ipse enim Theologiæ, quam scolasticam vocant, formam primus invenit, quem imitati sunt Magister sententiarum, Alexander de Ales, Sanctus Thomas, Sanctus Bonaventura, Scotus, Richardus, & cæteri scholastici Doctores, quorum scripta ad fidei sapientiam plurimum fidelibus profuerunt.

XIII. Plurimum etiam hæreticis obstiterunt, cujus rei apertum indicium ex hoc accipitur, quod antiqui Doctores in pluribus a vero fidei tramite, pia licet intentione, in suis scriptis deviaverunt, ut in Ecclesiastica historia Eusebius refert, nam eorum scripta Deo forte propter hoc disponente, non extant. Nondum enim discussa erant fidei mysteria & Ecclesia tunc persecutionum fluctibus agitata, defendendæ, quam exponendæ fidei magis erat intenta. O sidus maximum Augustine Pater, quantum Ecclesiam Dei tua sapientia irradians illustrasti, quantum tua præsentia errorum tenebras effugasti! Nunc enim te authore, te magistro, ita omnia sunt lucida, ut errare non possit, nisi qui ex industria velit hallucinari. Est enim, ut mihi videtur, in Ecclesia Dei schola theologica, veluti quædam area, in qua Scripturarum messes teruntur, comminuuntur, & ventilantur, excussaque palea rethorici ornatus, limpidissimum veritatis frumentum excutitur, segregaturque; quod tamen sine palea Dominicis jumentis, id est, simplicibus fidelibus in doctrinæ præsepio non est apponendum: tum quia non ita sapit, tum etiam quia non ita affectus animæ nutrit. Camelis vero incurvis, id est, hæreticis mundum veritatis frumentum proponimus, ne, dum eloquentiæ palea conditur, intus cum grano erroris lolium occultetur. Sed de his hactenus. Patet, ni fallor, ex dictis quantum hic Doctor fide refulserit in templo Dei: nunc cætera prosequamur. Refulsit quoque dignitate & regimine, fuit enim fidelissimus & prudentissimus Antistes, constitutus a Deo super *familiam suam, ut det illis in tempore* spiritualis *tritici mensuram*. Duo sunt quæ in ejus pontificatu notatu digna videantur. Primo, quod vivente Episcopo ejusdem diœcesis *Matt.* 24. *Lucæ* 12.

(*a*) Libellus hic olim tomo 9. editus fuit, postmodum tomo 10. inter Sermones de tempore locum habuit sub num. 250. nunc demum in Appendicem tomi 5. rejectus est a PP. Congreg. S. Mauri, tamquam Cæsarii stylum redolens.

(*b*) Legitur hæc præfatio in Missa Solemnitatis S. P. Augustini in toto Ordine Augustiniano.

cesis Episcopus ordinatus est, licet invitus: quod ideo factum fuit, quia sanctus ille Episcopus Valerius senex, sui gregis zelator eximius, usque adeo timuit, ne ad alterum Episcopatum raperetur Augustinus, ut se vivente ipsum Episcopum fecerit ordinari: tantus erat animarum zelus, tanta subditorum salutis fames! O miram solicitudinem, o ferventissimam charitatem! Da mihi hodie Episcopum, qui coepiscopum non dico desideret, sed sustineat, etiam si senio deficiat & coadjutore indigeat. Hoc tamen quasi indecens Ecclesiæ, post se in aliis fieri prohibuit Augustinus, neque nos factum laudamus, sed zelum, sed humilitatem, sed solicitudinem Episcopi sancti, & sufficientiam Augustini.

XIV. Est quoque aliud non minus mirandum in hoc Pontifice glorioso, quod cum tot tantisque suscepti oneris solicitudinibus premeretur, illi tamen ad tantam librorum congeriem conscribendam tempus non defuit. Quando, obsecro, meditabatur quod dictaret, quando meditata dictabat, quando meditata dictataque populo publice proponebat, quando recitabat, quando dormiebat, quando comedebat, quando populum super negotia audiebat? Vix enim diuturna unius hominis vita (*a*) sufficit ad libros ejus perlegendos; & valuit ipse inter tot negotia ad eosdem conscribendos. O hominem capacissimum, o virum cœlestis gratiæ plenum! qui, ut videtur, velut Apostolus quidam, non præmeditabatur, quid postea dictaret; sed inspirante Deo intus in aure cordis, continuo audiebat, quod foris populos doceret verbo, & posteros informaret scripto. Quem idcirco contemplationis otium ab animarum regimine non retardabat, quia ipsam regendi artem a Deo in ipsa contemplatione discebat. De sanctitate vero & religione illius quod fuit tertium, loqui supervacaneum existimo. Lingua enim ejus manifestum facit ipsum, & scriptura ejus speculum ipsius est. Qualis ejus fuerit vita cernite in ejus doctrina, videte eloquia sancta, pura, ignita, devota, melliflua, & agnoscite, *quod ex abundantia cordis os loquitur*. Neque enim qui ita loquitur ut Augustinus, aliter vivere potuit, quam Augustinus. Cujus talia sunt eloquia, vita discors esse non potest. Quænam, obsecro, mater, parvulo uteri sui filio, quem gremio fovet, tam tenere loquitur, ita verbis applaudit, oculis arridet, gestibus exhilaratur, ut Deo suo, redemptori suo, Jesu suo Augustino. Vere *mel & lac sub lingua* ejus, mel spiritus, & lac doctrinæ. Spiritus enim tuus Domine in eo velut mel dulce, dulciora super mel & favum ex ore illius deprompsit eloquia, & nisi quia sermonis longitudinem pertimesco; illius nunc plurima dicta proponerem, ex quibus apertius liqueret quod dicitur. Sed satius judico vos ad ejus soliloquia (*b*), meditationes, confessiones, & alia opuscula remittere, in quibus ex labiis ejus sermo ignitus, favo dulcior, lacte suavior, balsamo pretiosior, mira copia distillat. Quantum illi congruit quod de Elia scriptum legimus: *Surrexit* Augustinus doctor in Ecclesia *quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*: ardebat utique exterius sermo, & animus flagrabat interius.

XV. De religione vero res in aperto est, singulas religiones fundasse gloriosum fuit aliis. Augustinus vero non unius vel alterius, sed fere omnium fundator extitit: nam præter eremitarum & canonicorum splendidas religiones, quæ ab ipso nuncupantur, cæteris fere omnibus vivendi regulam dedit: ipse namque primus, vel inter primos religiose vivendi modum & regulam fratribus edidit, quem imitati sequentes fundatores ac patres religionum singulas edidere: regulamque illius velut optimam vitæque religiosæ decentissimam suis filiis contulerunt, paucis exceptis qui regulas proprias ediderunt, atque sub illius decreto cum suis gregibus Deo vivere tutius, quam proprio instituto sanxerunt. Quod si ad monachum plus facit regula quam cuculla, omnes isti tam numerosi monachi merito hujus Patris filii nuncupandi sunt, atque ita eum omnes uti patrem sequuntur ac venerantur. O gloriosum stipitem unde surrexit tam multa sylva ramorum, o speciosam radicem a qua tam numerosa progenies pullulavit! Videtur ne tibi in templo Dei fulsisse, profuisseque in domo Dei, qui tot in ea plantas ex seipso produxit? Merito profecto de illo in Epistola canitur: *Et quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt, & omnes filii Aaron in gloria sua*. De hoc fœcundissimo stipite satis commode exponit quidam illud Isaiæ: *Erit quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ, & ædificabuntur in te deserta sæculorum, fundamenta generationis, & generationes suscitabis, & vocaberis ædificator sepium avertens semitas* iniquitatum. De quo latius in alio sermone, ne vos modo nimia longitudine onerem. Quarto refulsit doctrina & sapientia; in hac enim, ut diximus, cunctos Ecclesiæ Doctores excedit. Unde ingenii ejus admirandum acumen ex quatuor apparebit. Primo, quia, ut ipse de se asserit (*c*), omnes liberales scientias sine magistro didicit. Secundo, quia tantæ facundiæ fuit, ut in singulis libris alius a seipso videatur Augustinus, adeo enim copiosus extitit in scribendo,

Matt. 12.

Cant. 4.

Ecclí. 48.

Ibid. 50.

Isaiæ 58.

(*b*)

(*c*)

(*a*) Non aliter Possidius vitæ cap. 18. *Tanta autem ab eodem dictata, & edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta, atque emendata, vel adversus hæreticos conscripta, vel ex Canonicis libris exposita ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum, ut ea omnia vix quisquam studiosorum, perlegere, & nosse sufficiat.*

(*b*) Soliloquia, & Meditationes in Appendicem tomi 6. nunc collocantur extra legitimos S. P. fœtus.

(*c*) Confess. lib. 4. cap. 16. num. 30.

do, ut ſingulis libris accommodatum dederit ſtylum, adeo ut non ab eodem, a quo alius, videatur pectore proceſſiſſe. In libro enim Trinitatis ſtylus argutus, ſubtilis, diſputatorius: & in libro de Civitate Dei ſtylus latior, diffuſior, hiſtoriæ magis conſonus: in expoſitione Scripturarum ſtylus diſertus & planus: in epiſtolis elegans, in ſermonibus ſubmiſſus & communis, levatur quando vult ſuper aera: repit, quando vult, inter veſtigia.

XVI. O copioſum ſapientiæ flumen, fœcundius Nilo, & Danubio redundantius! o vaſculum ſapientiæ capaciſſimum! o immenſum divinorum ſecretorum pelagus! o quem te memorem Patrem Auguſtinum! omnis laus inferior te eſt. Tertio patet vis ingenii ejuſdem ex librorum tanta multiplicitate & multitudine; tot ſunt enim, ut vix legi poſſint; tam varii ſunt, ut non ab uno, ſed ab univerſitate videantur conſcripti, ſic in eis Divina Sapientia lucet, ut humana quoque ſapientia ſupra modum fulgeat, & eloquentia polleat. Ultimum quoque ingenii teſtimonium, hoc eſt præſtantiſſimum, quod ita conſpicue in tanta nebula veritatem intuitus eſt, & ita eam in tanta ſylva errorum diſcuſſit: ut cum in hoc ipſe omnium primus extiterit, uſque hodie poſt tam longum tempus id teneat, id ſequatur Eccleſia & fidei ſchola, quod Auguſtinus decreverit. Mirum in rebus tam arduis, tam difficillimis, ita veritatem penetraſſe! Unde ad ipſum Auguſtinum Voluſianus (*a*) ſic ſcribit: Legi Dei deeſt quod Auguſtinus non intelligit. Quod tamen dictum ita mira humilitate rejecit, ut in Scriptura ſancta ſe tyronem dicat, & nunc cœpiſſe ſe aſſerat. Poſſem hic plurima de ipſo adjicere Sanctorum teſtimonia, in quibus ejus ſapientiam admirantur, niſi timerem videri aut nimius laudator, aut longior concionator. De illius ſapientia exponit Sanctus Vincentius (*b*) illam inſignem Zachariæ viſionem de candelabro aureo, quam in ſequentibus exponemus: pro nunc præſenti ſermone finem facientes, nunc tam fulgentiſſimum Eccleſiæ ſolem deprecemur, ut qui tam mira nos ſapientiæ ſuæ claritate irradiavit, ſua quoque nunc protegat oratione: ut doctrinæ illius adhærentes, & veſtigia illius ſequentes, illuc perveniamus, quo ipſe pervenit; illic habitemus, ubi ipſe cum ſuo Domino regnat & commoratur in Sanctorum gloria; ad quam nos perducat ſol ipſe juſtitiæ Jeſus Chriſtus Dominus noſter Filius Dei, & Virginis, cui eſt honor & imperium cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

(*a*) Epiſt. 135. inter Auguſtinianas, alias 2. Ita autem Voluſianus in fine Epiſtolæ: *Utcumque abſque detrimento cultus divini in aliis Sacerdotibus toleratur inſcitia, at cum ad Antiſtitem Auguſtinum venitur, legi deeſt, quidquid contigerit ignorari.* Huic encomio prolixius reſpondet Auguſtinus Epiſt. 137., alias 3. num. 3., cujus verba nimium eſſet hic afferre.

(*b*) In Serm. de S. Auguſtino ante med. *Et poteſt verificari de eo una prophetia Zachariæ, quem Angelus ſuſcitavit a ſomno . . . Candelabrum aureum totum eſt Beatus Auguſtinus. Alii Doctores dicuntur lucernæ.*

(*c*) Ita plures ante Ramanam Bibliorū correctionem.

IN FESTO SANCTI AUGUSTINI PATRIS NOSTRI, PONTIFICIS, AC DOCTORIS ECCLESIÆ CONCIO SECUNDA.

DE DONO CORDIS, ET LAUDIBUS EJUSDEM SANCTI.

Dedit illi Dominus cor ad (c) præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ, docere Jacob teſtamentum ſuum, & judicia ſua Iſrael. Eccli. 45. v. 6. (*c*)

I. MAgnum donum Dei, Fratres, donum cordis. Sunt namque quidam hominum, penitus excordes, inſenſibiles, & ſtupidi velut arborum trunci, quorum vita animalis penitus & ſine ſenſu eſt. Hos Propheta, in vanum accepiſſe animam intellectivam denuntiat, quia videlicet eam omni affectu rationis vacuam, otioſamque cuſtodiunt. Talis erat Ephraim, cui per Prophetam dicitur: *Factus eſt Ephraim velut columba ſeducta non habens cor.* Talem ſe deplorat apud Pſalmographum peccator, dicens: *Oblivioni datus ſum, tanquam mortuus a corde.* An non mortuus a corde cui ad omne bonum affectandum, optandum, exequendum, penitus deeſt cor? Qui hujuſmodi eſt, etſi carne vivat, corde tamen mortuus eſt. Væ miſero qui dum vivit moritur, & in carne viva mortuam geſtat animam, cujus vita non jam hominis, ſed bruti vita cenſenda eſt. His Dominus per Prophetam loquitur, dicens: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, &c.* Hoc eſt, cor veſtrum durum, aridum, inſenſibile & obſtinatum, reddam ſenſitivum, tenerum, & ſpiritualibus impreſſionibus aptum. Quam ingens beatitudo, quam amplæ divitiæ fertilitas cordis! Sicut enim in agris, alios quidem fertiles, & uberes cernimus, qui modico ſati ſemine ampliſſimas reddunt fruges; alios vero aridos & ſteriles, qui quantacunque cura colantur cultori ſuo vix ſemen duplicatum reddunt: ſic etiam in humanis cordibus evenit, ut alia affectibus, & actibus laudabilibus abundent, ac veluti fontes vivi bonis motibus ſcaturiant, alia autem quantumvis culta, & doctrinæ frumento diligentiſſime ſeminata, nul-

§. CONCIO CCI.

Pſal. 23. *Oſeæ 7.* *Pſal. 30.* *Ezech. 36.*

nullum aut desiderii cœlestis, aut alterius cujuspiam boni motus exhibeant fructum. De quibus Apostolus luculentissime, & di-
Hebr. 6. sertissime tractans ad Hebræos inquit: *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo: proferens autem spinas ac tribulos reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.*

II. Hæc autem fertilitas aut sterilitas cordis, ex custodia aut negligentia mandatorum Dei sæpius accidere solet. Unde per Isaiam Dominus: *Utinam*, inquit, *attendisses man-*
Isaiæ 48. *data mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris, & fuisset quasi arena semen tuum, & stirps uteri tui ut lapilli ejus.* Quod verbum, ut opinor, non tam ad generationem prolis, quam ad fœcunditatem cordis referendum est, quam Ezechias propter peccatum amissam, in suo Cantico amarissime deplorat, dicens: *Gene-*
Ibid. 38. *ratio mea ablata, & convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum;* generatio, inquam, mea quæ de corde meo, ex meis visceribus intra me progignitur, & in animæ meæ utero sponte scaturit, hæc ex peccato meo ablata est a me, & a malitia mea sterilis factus sum amissa spiritus ubertate. Vides, quam aperte mandatorum obedientiæ ubertas promittitur, & per eorum negligentiam eadem aufertur. Attende adhuc in Psalmo hoc ipsum
Psal. 39. apertius: *Quoniam*, inquit, *circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem: multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.* Quam clare jacturam cordis a peccatorum multitudine proveniisse conqueritur! Cor meum, inquit, dereliquit me: & alibi in libro Re-
2. Reg. 7. gum idem Propheta: *Invenit*, inquit, *servus tuus cor suum, ut oraret te*, precando reperit. Peccandi ergo assiduitas aufert cor, & stupidam ad omne bonum animam reddit, sterilemque, & imagini mortuæ quam simillimam, quæ habens oculos non videt, &
Ps. 113. aures non audit, & suis naribus non odoratur. Est namque hæc justa a Domino retributio peccatorum, ut qui affectibus animæ male utitur, invitus amittat eos; & qui rationalis homo esse noluit, insensibilis statua merito suo fiat. O severam nimis judicis ultionem, formidandumque divinæ animadversionis judicium! Væ miseris qui quo insensibiliores sunt, ut hanc in se Dei ultionem agnoscant, eo miseriores miserabilioresque reddantur: si qui vero hanc insensibilitatis pœnam, in semetipsis persentiunt, his mors ipsa hac animi stupiditate tolerabilior est. Sicut enim Adam divini mandati prævaricatione totus penitus in alterum versus, & mutatus est omnino in virum alterum: ita etiam spiritualis homo assiduitate peccandi, a seipso degenerans in belluam vertitur, cui si prioris status ullus in eo relinquitur sensus, permutatio hæc omni amaritudine amarior multo est, amissamque felicitatem tota vita implacabiliter deplorat.

III. Solet etiam nonnunquam hæc insensibilitas in quibusdam, ex divinæ gratiæ contemptu provenire, merito namque privantur donis cœlestibus, qui ea aut despiciunt, aut ignorant: quibus usque adeo divinæ consolationis munera viluerunt, ut ea etiam experta pro vilissimis voluptatibus carnis commutare non vereantur. In hos Apostolicum illud dirigitur: *Impossibile est enim, eos qui se-* *Hebr. 6.*
mel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, id est per pœnitentiam in priorem statum gratiæ revocari; rationemque difficilis revocationis assignans subjungit: *Rursum crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & ostentui habentes*; hoc est quia Filio Dei spiritui gratiæ immanem inferunt contumeliam, delicias spiritus lubricis voluptatibus postponentes, & Paradisi flores odoratos, degustatosque pro vilibus porcorum siliquis commutantes, quos si experti non essent, hujusmodi contemptus non ita imputaretur ad culpam: at quia gustaverunt & *Lucæ 15.*
contempserunt, reatus eorum manet. Ho- *Num. 11.*
rum typum gesserunt, qui post degustatum e cœlo manna, Ægyptios pepones, & cucumeres, ollasque carnium poposcerunt, delicatissimum ac dulcissimum cibum a Deo sibi præstitum nauseantes: quorum desiderium attulit eis Dominus, & non sunt defraudati a desiderio suo: *Sed adhuc escæ eorum erant in ore* *Psal. 77.*
ipsorum, & ecce indignatio Domini super eos. Quos enim esus carnium nequiter oblectaverat, plaga Domini atrociter vastabat. Sic omnino, sic hujusmodi spiritus contemptoribus evenire solet, ut vacuati spiritu, libidinibus repleantur, post quas acutissimos peccatorum aculeos, atrociissimosque conscientiæ remorsus & amariissimos tota vita sustineant: ut sic tormentorum magisterio discant, & quid boni sibi ipsis perdiderunt, & quid mali contra Dominum commiserunt illius munera contemnentes; quorum amissio, ut diximus, eo irrecuperabilior est, quo ex eorum experientia & sensu major in contemptoribus ingratitudo convincitur.

IV. Caveant sibi igitur & pertimescant, quibus datum est ad mensam Domini sedere, dapes cœlestes animo degustare, suavitatem spiritus Deo largiente sentire, ne post gustatas Paradisi delicias retro ad contemptibiles Ægypti hujusmodi cepas, & futiles carnalium voluptatum pepones respiciant. Ne vindicante Deo, aut serpentum venenatorum *Num. 21.*
morsibus lanientur, aut sicut uxor Loth in salis statuam convertantur, & bestiæ lam- *Gen. 19.*
bant eos. Audiant Christum in Euangelio idipsum misericorditer præmonentem, & terribiliter intonantem his, qui in agro Dominico versantur, ne redeant retro: *Memores*, inquit,

Lucæ 17. inquit, *eſtote uxoris Loth*. An putatis quia otioſe, & fruſtra hoc factum eſt, ut mulier illa reſpiciens retro, in ſtatuam, neque qualemcunque, ſed in ſalis ſtatuam verteretur; & non potius, ut futurorum ſæculorum cunctis hominibus fieret terroris exemplum, & hujuſmodi præcavendi criminis perpetuum ſæculis monimentum? Si enim Judaico more, nudam hiſtoriam conſideres; quid habet conſonantiæ, ut egreſſis ab incendio tam diſtricte præcipiatur, ne reſpiciant poſt tergum? Imo potius contrarium rationabile videbatur, ut mandaretur eis ſiſtere in regione: nec a proſpectu civitatum diſcedere, donec completam vindictam inſpicerent, quam de ſceleratis hominibus ſumeret divina juſtitia, ut qui teſtes fuerant criminis, teſtes eſſent etiam ultionis. Ut quid non reſpiciant, propter quid non attendant mortem acerbiſſimam quam evaſerunt, horribile incendium quod effugerunt, flagitiorum vindictam, divinæ juſtitiæ ultionem? Quænam hujuſmodi præcipiendi ratio? quæ cauſa mandandi? Neque enim facile, fragili præcipue mulierum ſexui, videbatur huic tam ſevero obtemperare mandato. Quid enim? mundus poſt tergum ardet, flagrant elementa, fulgurant nubes, reſonant tonitrua, terra dehiſcit, regio devoratur, mœnia corruunt, civitates obruuntur & in tanto diſcrimine non vertunt caput? Quænam virorum conſtantia, ne dicam mulierum hujuſmodi poterit implere mandatum? Et tamen terribili ultione prævaricatio vindicatur, & inaudita ſæculis pœna mulctatur, ut ſtatua fieret femina, quæ hujuſmodi juſſionem tranſgredi ignis timore non timuit, neque lapidis ſtatua, ſed ſalis: ut ex ipſo facto liqueat magnum in hac vindicta latere myſterium. Sicut enim exuſta Pentapolis perpetuis futuris temporibus, criminis nefandi reis in exemplum, ita etiam ſtatua facta mulier divinæ gratiæ contemptoribus in perpetuum relicta eſt monimentum: ne videlicet ſimilia faciant, & ſimilem ultionem incurrant.

V. Ad nos ergo, Fratres, ad nos pertinet hæc parabola, quos ab hujus ſæculi nequam flagranti incendio, & libidinum æſtuantium igne ſulphureo, divina bonitas miſericorditer liberavit: ſtatuens in loco ſpatioſo pedes noſtros, ut ad montis Domini faſtigia conſcendamus. Nobis, inquam, tam durum ſpectaculum propoſitum eſt, ut illius exemplo formidemus, non modo redire, ſed etiam reſpicere unde diſceſſimus. Si enim talis eſt pœna retro reſpicientium, qualis erit ultio retro redeuntium? Sæculi hujus flagrantem libidinibus, & curis æſtuantem Sodomam, Dei beneficio evaſimus, ut quid eam ultra vel a remotis aſpicimus? Si quis autem proprie ſalutis immemor, & divinæ in ſe pietatis contemptor, retrorſum ad vanas & viles ſæculi voluptates & curas, quas reliquerat reſpicere non erubuerit, hanc ſibi a Domino reatus pœnam noverit deſtinatam, ut

A amiſſo devotionis, ac pietatis ſpiritu, & emortuo corde, in ſalis ſtatuam permutetur, & abyſſi beſtiæ lambant eum. Utraque enim ultione digniſſimus exiſtit, & ut ſpiritualis dulcedinis quam contempſit expers fiat, & ut beſtiarum infernalium linguis lambendus nunc exponatur, quorum dentibus erit poſtmodum laniandus. Quaſi enim dæmonum linguis nunc blanditer lambitur peccator, cujus virtus, & pietas, diabolicis ſuggeſtionibus ſenſim conſumitur: devorabitur vero, cum aperte damnabitur. Timeamus itaque, mei Fratres, ne in ſimile incidamus temeritatis exemplum, & tantæ apud Deum ingratitudinis rei inveniamur. Caveamus, inquam, non modo redire, ſed & reſpicere ſæculum quod evaſimus; ſcientes, *quia nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*, magis autem quæ retro ſunt obliti, ad anteriora ſolicite nos extendentes, propoſitum nobis ſupernæ vocationis bravium diligenter, ardenterque proſequamur. Fidelis enim eſt Deus qui repromiſit: quod Dominicæ exhortationis documentum, etſi ſemper nobis utile fuerit, hoc tamen tempore monachis omnibus perneceſſarium eſt, quando plures in Eccleſia monaſticæ religionis diſſuaſores ſubverſoreſque conſpicimus.

VI. En venerunt illa tempora periculoſa, de quibus vaticinium nos Euangelicum præmonuit: *Surgent*, inquit, *pſeudoprophetæ, & ſeducent multos*, & dicent vobis. *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ne credideritis*. Nolite ire, neque ſectemini in illa hora: qui fuerit in tecto, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa, & qui in agro ſimiliter non redeat retro. *Memores eſtote uxoris Loth*. O apertiſſimam horum temporum prophetiam! Quid enim aliud recentiores hæretici clamant, niſi hic eſt Chriſtus, illic eſt Chriſtus? Non eſt, inquiunt, Chriſtus in Canonicis ſtatutis, non in Eccleſiaſticis ſacramentis, non in variis religionum obſervantiis, non in uſitatis Miſſarum ſacris, non in exterioribus divini cultus cæremoniis, non in frequentatis horarum laudibus, non in carnium neglectis epulis, non denique in hac vivendi Eccleſiaſtica norma, quæ ab Apoſtolorum tempore uſque nunc per omnes fidelium nationes ubique terrarum in Eccleſia perſeverat. Sed ecce hic, ecce illic Lutherus ait, ecce hic Œcolampadius ait, ecce illic quiſque pro ſuo libito propriam vivendi formam Chriſti fidelibus ſtatuit quam ſequantur: nec eſt ad invicem inter ſe conſenſus: ſed alius ſic, alius ſic ait; quomodo enim conſentiant inter ſe qui a veritate diſcordant? O infelices Germani: *quis vos faſcinavit non obedire veritati?* Quis gentem nobilem a principio orthodoxam, tam fraudulenter, tam immaniter decepit? Unus vos homuncio a Sanctorum Patrum antiquiſſimis inſtitutis, & Eccleſiæ orthodoxa fide, & probatiſſima vivendi norma ſubtraxit. *Redi-*

Lucæ 9. Phil. 3. Hebr. 10. Matt. 24. & Matt. 13. Lucæ 17. Galat. 3. Iſaiæ 46.

te obsecro *ad cor*, & videte, quia non potest errori subjacere Ecclesia Dei, quam Spiritus sanctus regit, Christus disponit, & innumera Sanctorum caterva decorat. Mavultis ardere cum Luthero, quam regnare cum Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, *Philip.4.* Bernardo, & aliis, *quorum* proculdubio *nomina sunt in libro vitæ?* Quis horum religionem damnavit, quis Ecclesiastica sacramenta contempsit? Quis a sacro Ecclesiæ sacerdotio cælibatum abstulit, & alia innumera, quæ vos unius hominis suasu & tentare non erubuistis, & prosequi non pertimescitis?

VII. Quid dicam vobis? Si aliis non creditis, vel Christo Domino credite, Christum ipsum prænonentem audite: Cum dixerint *Matt.24.* vobis, *ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*, nolite ire, ne sectemini, non est hic aut illic Christus: sed ubique in Ecclesia catholica, id est, universali. Ut quid ergo nefaria diverticula quæritis? ut quid de Christo, quem negatis, tam multa infideliter jactatis? Si Christum prædicatis, Christum audite. Christus ipse se negat esse, hic aut illic, id est, in privato hæreticorum concilio, sed in Ecclesiæ catholicæ communi consensu; & vos Ecclesiam & fidem communem contemnitis, angulos & compita quæritis? Lutherus monachos maritat, sacerdotibus connubia indicit: cavete, obsecro, nolite credere, ita futurum Dominus prædixerat, ne *Lucæ 17.* sectemini. Audite quod sequitur: *In illa*, inquit, *hora* quando, scilicet, de Christo, & fide ejus varia dogmata hæretici cudent: *in illa*, inquam, *hora qui fuerit in tecto, ne descendat tollere* vasa, *& qui in agro similiter non redeat retro, memores estote uxoris Loth*. Quid evidentius? quid apertius? Ac si dicat: qui de Christo male sentiunt, male etiam de religione, de cælibatu, de perfectione dogmatizabunt. Cavete vobis qui in tecto perfectionis estis, id est, Ecclesiæ Dei rectores & magistri, qui ex alto perfectionis culmine, inferiori populo verbum Dei & salutis doctrinam quotidie buccinatis, *quæ* *Matt.10.* *in aure auditis* prædicantes *super tecta*. Cavete etiam vobis religiosi homines, qui in agro Dominico die nocteque incessanter desudatis, exercentes vos ipsos ad pietatem, qui orationibus, lectionibus, meditationibus, & Dei laudibus jugiter incumbentes campum Dominicum & exemplo vitæ excolitis, & verbo salutis seminatis. Suadebunt namque vos, scio, subversores illi sub Christi nomine in illa hora redire retro, relinquere religionem, spernere cælibatum, uxorem ducere, sæcularibus implicari. Nolite credere, ne sectemini, nolite descendere de tecto tollere temporalia quæ reliquistis. Nolite redire retro ad sæcularem vitam, quam Deo vocante fugistis. *Memores estote uxoris Loth*, *Lucæ 17.* videte quid ob hoc sustinuit, attendite quid propter hoc passa est, illa sit vobis perseverandi exemplum, illa non retrocedendi documentum, illa adversus hujusmodi suasores resistendi scutum; illam vobis proponite, illam illis objicite, illam attendite, illam præ oculis semper habete: illa vos admoneat, illa vos doceat, ne similia agentes similia patiamini. Ecce prædico vobis, ecce præmoneo, ecce multo antequam fiant vobis omnia prophetizo. Quam evidens adversus hæreticos testimonium! Utinam, utinam illorum oculos Deus aperiat, ut videant, & a tanta insania resipiscant.

VIII. Sed ad nostrum propositum redeamus. Dedit ergo Dominus Augustino cor, non ad negotia sæcularia, non ad temporalia lucra, non ad vanos sæculi perquirendos honores: sed ad præcepta Domini, ad legem vitæ, ad eruditionem populi. Hæ sunt di- *Psal. 23.* vitiæ Sanctorum, hæc portio servorum Dei, *hæc* pars *quærentium eum, quærentium faciem* *Ps. 118.* *Dei Jacob*. Unde Propheta: *Portio mea Domine dixi custodire legem tuam*. Attende igitur mirificum ordinem in prothemate, ad præcepta, ad legem, ad doctrinam; custodire præcepta, scrutari legem, docere judicia. Sunt qui hunc ordinem male pervertunt, aut docentes quæ non didicerunt, aut scrutantes quæ non impleverunt, *non intelligentes, neque ea quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Non sic Apostolus: Nihil, inquit, *1. Tit. 1.* *audeo* dicere inter vos eorum, *quæ per me non* *Rom. 15.* *efficit Christus*. Non sic Psalmographus: *Bo-* *Ps. 118.* *nitatem*, inquit, *& disciplinam & scientiam doce me*, prius bonitatem, deinde disciplinam, deinde scientiam: bonitatem tibi, disciplinam mihi, & tuo populo sapientiam: hic rectus est ordo, sunt qui pervertant, ut diximus. Sed si vitam Domini recto optas tramite pertransire; noli transilire, si vis pervenire; primo ergo omnium sit tibi cura mandati, in hoc tibi vita, in hoc tibi salus, & gloria. Ante omnia *Deum time*, *& Eccl. 12.* *mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo*. Quid cœlorum giros inaniter lustras, quid secreta naturæ otiose rimaris, quid profunda scripturarum incassum perscrutaris, & ultima tuæ tibi cura salutis?

IX. O hominum stultissime, nunquid ex *Rom. 9.* sapientia, an ex vita & opere judicaberis? nunquid scrutatores, an factores legis justificabuntur, remunerabuntur, glorificabuntur? Si mihi non credis, Prophetam super hoc audi: *Seminate*, inquit, (*a*) *vobis ad justi-* (*a*) *tiam, & metite spem vitæ, & tunc demum* *Oseæ 10.* *illuminate vobis lumen scientiæ*. Noli ergo præponere scientiam operi, sapientiam virtuti,

(*a*) Ex cap. 10. Oseæ v. 12. hausta sunt hæc verba, quamvis non ad litteram prorsus. Accedunt ad lectionem 70. Interpr., quæ sic habet: *Seminate vobis in justitia, vindemiate fructum vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ*. Vulgata vero ita reddit: *Seminate vobis in justitia, & metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale*.

tuti, peritiam gratiæ. Noli prius illuminare, quam luceas; prius lucere, quam ardeas; sed sicut scriptum est: *A mandatis tuis intellexi*. Janua enim intelligentiæ legis, observatio Dei mandatorum est. Quanta super hoc ab eodem Psalmista tibi proferam testimonia! *Beatus*, inquit, *vir qui non abiit in consilio impiorum, &c. Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte*. Ecce voluntas legis ejus meditationi præponitur. Et iterum: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, beati qui scrutantur testimonia ejus*. Ecce prima beatitudo ambulare viam Domini; secunda, scrutari testimonia ejus. Et iterum: *Retribue servo tuo, vivifica me, & custodiam sermones tuos: revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. Ecce primo vivificari se postulat ad implenda mandata, deinde revelari, illuminarique ad sciendam legem. Et rursus: *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper; da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam:* & alia innumera, quæ longum esset modo citare. Non attendis quam aperte in horum Psalmorum capitibus præfatus ordo describitur, ita ut nemini etiam ignorantissimo liceat hoc ignorare? *Dedit ergo illi Dominus cor ad præcepta* ejus implenda, ad *legem vitæ* scrutandam, rimandamque: *docere Jacob*, id est, Dei populum, *testamentum suum*, id est, Euangelicam doctrinam, & *judicia sua*, id est, occultiora legis secreta, *Israel*, id est, viris religiosis, & Dei obsequio mancipatis. Quam aperte quatuor hæc Augustino tribuuntur! Fuit enim vir propter præceptorum custodiam sanctissimus, propter Scripturarum peritiam doctissimus, doctrina insignis, & religione præclarus. Sanctitas itaque ejus, & intellectus, & doctrina, & religio, in prothemate commendantur: de quibus, si tempus adesset, per singula discurrendum erat: sed quia de tribus ultimis diximus jam, circa primum modo diutius immorabimur.

Psf. 118. Psal. 1. Psf. 118. Ibidem. Ibidem.

X. Congruit Augustino, judicio meo, & consonat valde quod de sanctissimo Job in moralibus beatus Gregorius (*a*) sapienter commemorat dicens: Vir iste licet magnus in virtutibus suis, mihi certe sublimis etiam apparet in peccatis suis: mirentur in eo qui volunt castitatis continentiam, mirentur integritatem justitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum. Hæc Gregorius. Quam optime, quam mire ista consonant Augustino! virtutes namque hic Divus cum aliis Sanctis communes habuit, sed in hac suorum peccatorum confessione præ omnibus extitit singularis: cum enim teste Job, naturale sit cunctis hominibus sua peccata celare, hic vir e contrario adversus omnem, naturæ pudorem, non modo præsentibus, sed etiam futuris hominibus nudam reliquit historiam peccatorum; & quæ nos in secreto mediis parietibus, vel uni confessario pandere nimis erubescimus, hæc ille universo prodidit orbi. Audistis unquam tale? vidistis unquam simile? quis uni populo, vel hic coram omnibus in conditione, suam revelare conscientiam, sua propalare delicta, vel etiam jussus non erubesceret? quis sustineret? At sua non modo dicere, sed etiam scribere toti mundo non erubuit Augustinus. O stupendam hominis dejectionem! o humilitatis ardentissimam sitim! omnibus innotescere voluit, ut despiceretur ab omnibus. Sufficiebat ei ad omnem humilitatis gratiam, in tanta gloria nolle laudari; sed ille ne quid deesset, ad humilitatis cumulum, voluit etiam & contemni. Atque ut hoc plenius consequeretur, miram reperit inventionem, pudenda conscientiæ suæ omnibus patefecit, & quod aliis solet esse horribile, illi fuit optabile. Ardentius ille suorum peccatorum historiam scripsit, quam alii soleant gestorum suorum glorioſam historiam posteris in sui memoriam legendam relinquere: neque ambitiosus quispiam ita gloriam affectavit, sicut ille contemptum. Quantam in hoc naturæ intulit vim, quam sublimiter seipsum vicit, quam potenter de seipso triumphavit! Sed e contrario, Deo disponente, accidit illi, ut unde voluit dejici, inde amplius laudaretur, & verteretur in gloriam, quod disponebat ad sui dejectionem, & unde voluit fieri contemptibilis, fieret amplius admirabilis.

(*a*) Job 31.

XI. Qualia namque post conversionem fuerint Augustini facinora operæ pretium est agnoscere. Accusat se (*b*) coram Deo, quod nonnunquam in cibo dum necessitati corporis servit, aliquem morsum fortasse indulsit voluptati. O grande facinus! rursus quod aliquando dum Ecclesiæ canticis interesset, plus melodia quam sensu fuerit oblectatus. O flagitium maximum! Addit etiam aliud non minus, quod iter agens, dum videret casu canem leporem insequentem, nonnihil in hoc fuerit delectatus, & quod curiose inspectaverit aliquando araneas suis reticulis capientes muscas. Graviſſima certe crimina, & confusione digniſſima. Quid miraris, cum etiam pœniteat coram Deo, quod die sereno lucis amœnitate fuerit oblectatus; asserens ab aliis se continere forsitan potuisse, sed a lumine, quia ubique est, omnino non posse. O, inquit, quis mihi daret illam lucem, quam habebat cæcus Tobias, opera misericordiæ filium docens, & caligans oculis Isaac filios suos benedicens, & cæcus Jacob manus suas super parvulos nepotes cancellans! Hæc & similia sunt peccata Augustini Episcopi, pro his publice veniam petit. O quam nitida, quam pura, quam crystallina erat conscientia, ubi istæ atomi cernebantur!

(*b*)

Tob. 1. Gen. 27. Ibid. 48.

(*a*) Moral. lib. 22. cap. 15. num. 34. (*b*) Vide Confes. lib. 10. cap. 31. & seq.

Quando iſte aliquod mortale committeret, A quando præceptum Domini violaret, quid putatis faceret, qui de hujuſmodi leviſſimis culpis etiam publice pœnituit? Quantum enim peccatum mortale abhorruerit, in opuſculo quodam (*a*) inſinuat, ubi aſſerit, peccatum mortale non committendum omnino, etiam ſi neceſſe ſit perire quicquid Deus non eſt. Hæc igitur Auguſtini tam profunda humilitas apud Deum & homines, ſapientia & intellectu illum ſublimiter exaltavit, quoniam *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Unde poteſt de illo intelligi Prophetæ vaticinium (*b*): *Dedit abyſſus vocem ſuam*, altitudinem phantaſiæ. Abyſſus, inquam, humilitatis Auguſtinus vocem doctrinæ ſuæ populis dedit, propter phantaſiæ ſuæ, id eſt, ingenii altitudinem, quam propter humilitatem contulit illi Deus.

(*a*) 1. Petr. 5.

(*b*) Habac. 3. B

XII. De qua voce adhuc apertius Joannes in Apocalypſi ita prophetat: *Vidi*, inquit, *& audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna; Væ, væ, væ habitantibus in terra:* de cæteris vocibus trium Angelorum qui erant tuba canituri. Aquila hæc grandis magnarum alarum volans per medium cœli, ſignificare videtur C Auguſtinum, qui Scripturarum ſecreta ſublimiter penetravit: volant alii Doctores ex latere, ille per medium. Unde & apud Ezechielem ita legimus: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri:* quæ omnia mire congruunt Auguſtino. Fuit enim aquila grandis perſpicacitate, & volatu magnarum alarum, quia plures ſub alis protegit religiones; plena plumis, doctrinarum, tam ſæcularium, quam divinarum, quia in utriſque fuit apprime eruditus, & varietate dicendi: eſt D enim adeo varius in ſtylo, ut non eum unicum, ſed varios exiſtimes ſcriptores ex librorum phraſi. Hic venit ad Libanum doctrinæ puræ & candidæ Euangelicæ, ab errore Manichæorum, & tulit medullam cedri, quia penitus divinas Scripturas, & intellexit, & expoſuit. Hæc eſt aquila quam Joannes in Eccleſia per medium cœli volantem in ſpiritu vidit clamantem: *Væ, væ, væ habitantibus in terra*. Væ, inquam, habitatoribus terræ, id eſt, mundanis, & ſæcularibus hominibus, qui hujus ſæculi delicias ſequuntur, væ in vita, væ in morte, E væ poſt mortem: vita laborioſa, mors acerba, & poſt hanc damnatio ſempiterna. Hæc Auguſtinus in libris ſuis & dictis, verbo, ſcripto, exemplo, terræ habitatoribus prædicavit, hæc docuit, contemnere ſæculum, & quærere cœlum. Unde ad illum alius Propheta inquit: *In gutture tuo ſit tuba, quaſi aquila ſuper domum* Dei. Hanc aquilam ſequuntur tres Angeli tubis idipſum Dei populo perſonantes, ſcilicet, Benedictus, Franciſcus, & Dominicus, divum Auguſtinum & tempore & vita ſequentes, & eundem mundi contemptum, quem ille docuerat, hominibus perſuadentes. Quantus ab eis in Eccleſia fructus extiterit non eſt verbo monſtrare, quia in aperto res eſt. Sed Deum optimum deprecemur, ut nobis quibus tantorum Patrum fructus experiri conceſſit, concedat & imitari mores, & cum illis beatitudinis præmio frui in gloria; ad quam nos perducat Jeſus Chriſtus Dominus noſter religionis omnis author, & primus patronus. Amen.

Apoc. 8.

Ezech. 17.

Oſeæ 8.

IN FESTO SANCTI AUGUSTINI PATRIS NOSTRI, PONTIFICIS, AC DOCTORIS ECCLESIÆ

CONCIO TERTIA.

DE SACERDOTIO MYSTICO, EUANGELICO, ET SPIRITUALI.

Ecce ſacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum. Eccli. 50. v. 1.

§. CONCIO CCII.

I. TRriplex ſacerdotium legimus in Scriptura, ſacerdotium legale, ſacerdotium Euangelicum, ſacerdotium ſpirituale. Et quidem ante legem fuiſſe apud veteres ſacerdotium non dubitamus, cum de Melchiſedech ſcriptum ſit, quod *erat ſacerdos Dei altiſſimi:* ſed quale eſſet illud ſacerdotium, quis ritus, quæ conſecratio, quis modus, quis ordo, non legimus. Sed neque de alio, quam de Melchiſedech hoc ipſum in Scriptura reperimus; quamvis de prophano idolorum ſacrificio ſcriptum ſit, quod Joſeph omnem terram Ægypti excepta ſacerdotali fecerit tributariam. Sunt qui dicant illo tempore ſacerdotium primogenituræ fuiſſe annexum, atque ideo in pretio habitum a majoribus, unde merito diſcruciabatur Eſau, quod eam pro edulio vendidiſſet. Sed ex ſacris litteris primogenitorum præeminentiam quandam in hæreditate, ſicut modo fit, potius quam ſacerdotalem dignitatem colligere poſſumus: neque enim ſoli primogeniti offerebant thura, vel ſacrificia, vel munus illud ſacerdotale exercebant, quod aliis fratribus non liceret, propter quod ſacerdotes dicerentur. Hoc igitur ſacerdotio relicto, quoniam

Gen. 14.

Ibid. 47.

Ibid. 25. & Hebr. 12.

(*a*) Scilicet libro de Contritione cordis cap. 11. Append. tom. 6. *Peccare eſt Deum exhonorare, quod homo facere non deberet, etiam ſi neceſſe eſſet perire quidquid Deus non eſt.*

(*b*) Habacuc cap. 3. v. 16. ex verſ. 70. *Dedit abyſſus vocem ſuam, altitudinem viſionis ejus.* Verſio Arabica: *Edidit gurges fremitum ſuum, altitudinem phantaſmatis ſui.* Vulgata vero: *Dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas levavit.*

niam quale fuerit ignoramus, de tribus quæ
Levit. 8. præmiſimus agendum eſt. Sacerdotium legale cœpit ab Aaron, de quo præcepit Dominus Moyſi, ut eum ungeret & ſanctificaret ſibi in ſacerdotem cum filiis ſuis & tota poſteritate ſua, & veſtibus ſacerdotalibus ornaret, ut eſſet ſequeſter & mediator inter Deum & populum, & offerret ei thura & ſacrificia pro peccatis. Quamvis enim ſacrificia illius temporis eſſent abjecta, noluit tamen Deus ea ſibi communibus manibus offerri, ſed ſanctificatis & mundis, tum propter reverentiam, tum propter ſignificationem.

Num. 3. II. Unde ſegregavit ſibi unam ex duodecim tribum Leviticam in miniſterium, in qua erant Aaron & ejus primogeniti, pontifices & prælati, cæteri de ſtirpe Aaron ſacerdotes communes, reliquæ omnes familiæ
Levit. 16. & *Hebr.* 9. Levi vocabantur Levitæ, neque ſolis nominibus, ſed etiam officiis diſcernebantur. Erat namque hoc pontificis proprium, ſemel in anno ſacris veſtibus indutum, cum ſanguine hirci ac ſacro thimiamate ingredi Sancta Sanctorum, nudam videre arcam, & oblato munere orare pro populo. Hoc cæteris ſacerdotibus non licebat, quia neque intra velum intrabant, neque veſtibus pontificiis utebantur, ſed aliis, neque fas eis erat arcam & propitiatorium inſpicere; ſed eorum munus erat offerre ſacrificia, & thura in tabernaculo exteriori, orare pro populo, & laudes Domino decantare. Levitæ autem velut acolyti, ſacerdotibus in miniſterio erant, ad excorianda, & lavanda, & præparanda ſacrificia, & alia expedientia exequenda.
Levit. 21. Quanta gravitas, quanta majeſtas pro arca lignea, & pro animalibus occidendis! Sed neque omnes filii Aaron ſacerdotio fungebantur, ſed certis conditionibus obſervatis; ſi non eſſet cæcus, neque claudus, neque gibbus, neque lippus, neque magno, aut torto naſo deformis, neque ſcabioſus, aut albuginem habens in oculo, aut hernioſus: ſed perfectus omnino, & immaculatus, & ſine vitio. Qui hujuſmodi erat, lavabatur prius, deinde ungebatur oleo ſancto ſuper caput ejus effuſo, & extremo auriculæ dextræ, & pollice manus, & pedis dextri ſanguine arietis intincto, conſecrabatur Domino in ſacerdotem, & poſt hæc veſtibus ſa-
Ibid. 8. cris induebatur. Hic erat ritus in conſecratione ſacerdotum. Integros & ſine macula ſibi voluit Dominus in ſacerdotes conſecrari, ne eſſent populo deriſibiles & contemptibiles, ſed honorabiles, & venerandi, qui exemplar vitæ & ſpeculum in populo futuri erant: ut exterior corporis ſpecies, interiorem animæ pulchritudinem commendaret. Quam longe aliter fit modo in Eccleſia Dei! Non offertur ad ſacerdotium niſi inhabilis & inutilis: ſi quis in filiis ſtupidus, ignavus,

A claudus, luſcus, deformis, hic Domino dedicatur, Propheta reclamante atque dicente: *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo* *Malac.* 1. *maſculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Mira hominum ſtultitia! cui melius ſuum dabit ingenium, quam ei qui dedit illud? aut in quo melius omnis vis & facultas expendi poteſt, quam in obſequio conditoris? Nunquid non beatius & religioſius vacare ſapientiæ quam mammonæ? exerceri in ſacris quam in divitiis? in diſcendis, ſpeculandis, diſcutiendiſque cœleſtibus occupari, quam negotiis, & curis ſæcularibus
B implicari?

III. O quantum doleo quoties video, ingenia fortunatiſſima, & acutiſſima tam male perdita, tam miſerabiliter vitiata! ſed, ſi divo Hieronymo creditur (*a*), hæc vitia, (*a*) quæ ſupra commemoravimus, animorum potius quam corporum æſtimanda ſunt. Voluntas enim in homine non natura damnatur: in quam ſententiam quoque divus Gre- (*b*) gorius (*b*) conſentit. Non debet itaque Dei *Matt.* 15. ſacerdos luſcus eſſe, vel cæcus, id eſt, ignorans, & ſtupidus: nam ſi cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadent: ne-
C que claudus, id eſt, infirmus, & imbecillis ad viam Domini percurrendam: non gibboſus, id eſt, ad terrena inclinatus, & curvus: ſed ſicut de Job dictum eſt: *Vir rectus, & timens Deum.* *Job* 1. Non lippus, id eſt, carnalis & fœtidus: non ſcabioſus, id eſt, carnis prurigine maculatus: non torto naſo deformis, id eſt, malitioſus, malignus, verſutus: non albuginem habens in oculo, id eſt, paſſionibus, & affectionibus obſcuratus: quod enim eſt albugo in oculo, hoc eſt paſſio in intellectu: non hernioſus pravæ inclinationis pondere prægravatus: denique nulla in eo
D macula, nullum vitium qui omnium debet vitia reprehendere. Turpe enim eſt, cum redarguit culpa cenſorem. Audivimus Domine qualis non debeat eſſe ſacerdos, nunc qualis debeat eſſe audire cupimus. Dixiſti quid non debeat habere, dicito rurſus quid debeat habere, ut ſacerdotio dignus ſit. Ego, inquit, eum foris depingam atque deſcribam; talis ſit intus, qualis exterior apparebit, ornatus corporis, cordis ornatum oſtendet. Diligenter obſervate veſtes, ut ex eis comprehendatis, & mores. Futurus ergo pon- *Exod.* 28.
E tifex poſt totius corporis lotionem ſubucula induatur byſſina, puriſſima, candidiſſimaque: deinde tunica talari hyacinthina ſuperinduatur, in cujus ora erunt mala granata tintinnabulis immixta, quam præcinget baltheus ex cocco, purpura, hyacintho, byſſo & auro contextus, ex quibus etiam fiet ſuperhumerale pulcherrimum ad modum pallioli habens in utroque humero lapidem onychinum nominibus filiorum Iſrael inſculptum, atque cælatum, cui applicabitur ratio-

(*a*) Epiſt. ad Fabiolam de veſte Sacerdotali ante med., ubi enumeratis hujuſmodi vitiis, ſubdit: *Quæ omnia referuntur ad animæ vitia. Voluntas enim in homine, non natura damnatur.*

(*b*) Vide Homil. 31. in Euang. num. ult.

tionale in pectore ex eisdem coloribus, habens & ipsum duodecim pretiosissimas gemmas, cum duodecim filiorum nominibus Israel, & veritate atque doctrina. In fronte vero pontificis nomen Dei lamina aurea insculptum, & tiara connexum, universam hanc pulchritudinem illustrabit: his vestibus ornatus ingredietur pontifex Sancta Sanctorum, cum sonitu & strepitu cymbalorum, ne forte silenter ingrediens moriatur.

IV. Quanta mysteriorum profunditas! & quis ea poterit penetrare? Nunquid de vestibus cura est Deo? Nunquam profecto Deus
1. Cor. 9. tam solicite & exacte omnem sacerdotis ornatum describeret, nisi magna & egregia in eo sacramenta laterent. Unde cum Apostolus Paulus in epistola ad Hebræos omnia pon-
Hebr. 9. tificis munia de Christo Domino aptissime & convenientissime interpretatus sit: miror cur de hoc tam mystico & portentoso ornatu, neque verbum unum fecerit. Propterea forsitan quod moraliter potius quam allegorice totus hic vestium apparatus exponendus sit: in hoc enim exteriori & corporeo cultu, sicut diximus, interior sacerdotis Euangelici ornatus depictus atque figuratus est, & pontifex ille legalis gemmatus atque purpuratus, veri hujus nostri sacerdotii imago quædam, & veluti pictura est: sed quomodo sit interpretandus, & aptandus non facile apparet. Multi quidem conati sunt, sed inter alios divus Hieronymus in epistola ad Fabiolam, satis luculenter materiam de vestibus sacerdotalibus, eas diligentissime distinguendo, & exponendo, prosequutus est. Cujus interpretationis modum & seriem, quantum sermonis angustia patitur, arctissima methodo perstringemus. Qui igitur ad sacerdotii dignitatem promovendus est, primo aqua munda lavetur, prius purificetur a vitiis, prius omnia carnis inquinamenta detergat, imo & Levitæ jubentur, omnes pilos carnis suæ radere, id est, omnes mundi curas & solicitudines, cum ad Dei ministerium assu-
2. Tim. 2. muntur, relinquere. *Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Deinde tunica byssina talari vestitur. Hæc est illa quæ nobis post baptismi ablutionem in Ecclesia Dei præstatur, cum dicitur: Accipe vestem candidam & immaculatam innocentiæ, quam præferas ante tribunal Christi, quæ merito talaris est, quia omnes vitæ actus, opera, affectus, & cogitatus amplectitur. Sed non sufficit innocentia sacerdoti, nisi adsit etiam & sanctimonia. Non sufficit ei non nocere, sed oportet quoque esse beneficum. Unde superadditur ei altera hyacinthina sanctitatis & justi-
Ps. 131. tiæ, de qua Psalm. *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Quæ bene hyacinthina est, quia tota vita sacerdotis debet esse cœlestis, & nullum cum terrenis affectibus debet habere commercium. Cælicum nitorem Dei sacerdos induitur, ut vestis suæ magisterio discat, quia jam non in terra, sed in cœlo debet

A habere conversationem, sicut Apostolus ait: *Nostra conversatio in cœlis est*, ut sibi dictum *Phil. 3.* existimet illud Euangelicum: *Ego vos elegi* *Joan. 13.* *de mundo*, & vos *non estis de mundo*.

V. In hujus vestis infima ora mala granata nectuntur, quæ granorum purpurantium ordinem, & connexionem virtutum omnium moralium typum habent, quas Dei charitas perficit atque venustat, quibus aurea tintinnabula rite connectuntur, quia non solum convenit sacerdoti pollere virtutibus, sed oportet etiam in Dei laudibus & præconiis non esse mutum. Hoc enim opus ejus, hoc mu-
B nus, hoc officium ad instar cœlestium Angelorum, divinas laudes & sacrum alleluja, si non incessanter ut illi, frequenter saltem in Ecclesia coram Dei populo personare. Quid enim otiosius, quid mostruosius muto sacerdote, qui in omnibus suis verbis & factis, motibus & operibus totus deberet esse vocalis? Sed universa hæc vestium amplitudo castitatis cingulo pulcherrimo constringenda est, sine quo quantumlibet pretiosa vestis, nullum animæ potest præstare fomentum. Quid enim sacerdoti decentius, quid commodius,
C quam decor & puritas castitatis? Sit pius, sit fervidus, sit humilis, sit devotus, sit quicquid vis, si non est castus, nihil est, altario non congruit; quomodo enim ad tantum ministerium sacrilegis manibus ac- *Job 15.* cedet impurus & fœtidus, cum etiam astra non sint munda in conspectu ejus? Unde Isaias: *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Quid dixi, qui fertis? Imo qui estis vasa Domi- *Isaiæ 52.* ni, id est, sacrarium Dei, in quibus manna *Hebr. 9.* cœleste, & Angelorum cibus quotidie infertur atque reconditur. Sed post hæc omnia indumenta virtutum, superhumerale imponitur, ut noverit, non solum sibi natum esse,
D sed omnibus. Et quidem quæ dicta sunt ei sufficerent ad propriam bonitatem, si non esset secerdos; sed ex quo populi peccata co- *Oseæ 4.* medit, ejusdem etiam curam sibi noverit esse impositam. Et quod auditu quoque gravissimum est, sibi dicitur: Si perierit homo iste, *Ezech. 3.* erit anima tua pro anima illius. Unde ad designandam pastoralem curam, aptissime nomina filiorum Israel gemmis insculpta sacerdotis humeris imponuntur, ut noverit, quia non verbis solum & intellectu, sed exemplo & opere prodesse debet populo Dei. Hoc enim aperte designatur per hoc, quod in hu-
E mero & pectore, populi nomina pontifex gestat insculpta. Oportet enim rationale superhumerali nexu catenarum indissolubili colligari, ut quod ex ratione docet, hoc opere & exemplo informet, & humerus a pectore non discordet. In rationali autem Urim & Thummim, id est, veritas & doctrina *Exod. 28.* locantur, quia in lege Dei peritus, & ad eam docendam idoneus esse debet omnis sacerdos, ut juxta Apostoli decretum amplectatur eum, *qui secundum doctrinam est fide-* *Tit. 1.* *lem sermonem, & potens sit exhortari in do-* *Ctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* *Ibidem.*

An-

Malac.2. *Angelus* enim *Domini eſt, & legem requirent de ore ejus.*

VI. Audiant noſtri temporis ſacerdotes, & videant, an juſte, an recte tempus in ludis, & venationibus expendant, quod ſacris litteris impendendum erat. Sed ſuper omnia & ante omnia, ornat Euangelicum ſacerdotem pietas in Deum, zelus honoris & gloriæ ejus, fidei & religionis æmulatio, quæ per ſanctum Dei nomen ſummi ſacerdotis vertici prominens, aptiſſime deſignatur. Quid enim prodeſt ſi omnes virtutes morales habeat, nulli noceat, caſtus ſit, omni ſapientia & doctrina polleat, ſi ut philoſophus, non quaſi Chriſtianus omnia iſta poſſideat? ſi omnia hæc in Deum, propter quem, & ad quem ſunt, non referat? ſine quo neque perfectæ virtutes nominandæ ſunt. Deeſt enim eis ad perfectæ virtutis complementum, circumſtantia finis ultimi, a quo omnis virtus habet, ut perfecta virtus ſit, hic pietatis & religionis amor, hic zelus Dei, hic eſt qui illum virtutum omnium decorem & ornatum, ex alto perficit & coronat; hic facit Deo gratum & placitum, quod pulchrum, & ſplendidum in hominum oculis apparebat. Sine hoc nulla quantumvis magna pulchritudo, coram Deo, & Angelis pulchritudo eſt, neque cœleſti ſtipendio remunerabitur in futurum. Ecce vobis ſacerdotem legalem, imo in ſacerdote legali veri ſacerdotii Euangelici formam depinximus, atque deſcripſimus. Talis eſſe debet, qui in populo Dei ſacerdos magnus merito fuerit nuncupandus. Talem enim deſcribit Apoſtolus ad Timotheum, non ſignis & nutibus, ut in lege, ſed aperto ſermone di-

1.Tim.3. cens: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, non neophytum.* Non tibi videntur uno ore Moyſes, & Apoſtolus mores pontificios reſonare, ſed ſtylo diverſo? Ille quidem nutibus & ſignis, velata facie ne ab hominibus videatur; hic autem revelata facie,

1. Cor.2. verbis apertis & nudis nucleum excutit ex cortice. O mira utriuſque teſtamenti conſonantia, o admiranda concordia! quam e directo ſe mutuo aſpiciunt duo Cherubim, ar-

Exod.25. cam Dei, id eſt, Divinam ſapientiam com-

Ezech.1. plectentes, quomodo alas ſuas invicem jungunt animalia ſancta; ut nulla ſit pennarum inter ea diſcrepantia, ſed conſono volatu divina & humana percurrunt! Quam integre, quam perfecte hæc omnia quæ dicta ſunt Divo Auguſtino conveniunt! Vere per omnia ſacerdos magnus ſacerdotio digniſſimus, omni virtute & ſapientia decoratus, in cujus fronte nomen Dei ſanctum emicuit. Amicus Dei, pius, devotus, fervidus, zelator fidei, honoris Dei propugnator acerrimus. Quis ita zelavit fidem? quis in ea tuenda, augenda, explicanda, amplificanda, ſic elaboravit? Vere columna Eccleſiæ firmiſſima, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum, qui ab oppugnatione hæreticorum uſque ad effuſionem ſanguinis totis viribus orthodoxam fidem protexit atque defendit. Quas pertulit inſidias? quoties eum Deus de hæreticorum manibus liberavit?

VII. O ſanctiſſima anima quam non ignis, non gladius perſecutoris abſtulit, quinimo ipſa gladio ſpiritus, & fidei flamma hæreticorum, & infidelium monſtra de medio tulit. Electus eſt a Domino ut eſſet *vas ele-* *Act. 9.*
ctionis ut Paulus, ut nomen ejus portaret in Gentibus, factus de perſecutore propugnator, de oblatratore prædicator, de invaſore defenſor, ſicut ſcriptum eſt: *Lingua canum* *Pſal. 67.*
tuorum ex inimicis ab ipſo: ut *ubi abundavit* *Rom. 5.*
delictum, ſuperabundaret *& gratia.* Olim magnus ille Samſon trecentis vulpibus Allo- *Judic.15.*
philorum arreptis, igne ad caudas earum ligato, omnes meſſes eorum incendit, atque vaſtavit. Vulpes erat Paulus, vulpes Auguſtinus, vulpes Dionyſius, Cyprianus, Victorinus, & alii philoſophi inſignes, dum fidei ſacramenta vafre & callide humanæ ſapientiæ argutiis, & aſtutia oppugnabant; ſed comprehendit eos noſter magnus Samſon in aſtutia ſua, ut eſſent ſibi in miniſterium, *Job 5.*
inimicos ſuos, ut eſſent idonei miniſtri novi *2.Cor.3.*
teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu, & eorum philoſophiam convertit in obſequium: nam per eam igne charitatis incenſo, & fidei lumine eidem connexo, omnes Gentilium, & hæreticorum meſſes, id eſt, doctrinas aridas, & ſiccas, ſubito incendio concremavit. Non enim poterat eos latere quantum in illis doctrinis eſſet falſitatis, & ſtultitiæ, utpote qui eas prius optime noverant, & cum ſummo labore didicerant atque docuerant. Unde veluti domeſtici hoſtes, fraudes earum quas bene callebant, facile hominibus demonſtrarunt. Fuit etiam in Auguſtino rationalis fulgor ampliſſimus. Quis enim ita excelluit ingenio? quis ita valuit facundia? quis humanarum divinarumque rerum ſapientia ſic effulſit? quis tot tantiſque voluminibus Dei Eccleſiam illuſtravit? quis Eccleſiaſticos ordines ſic edocuit? Mentitur, ait quidam (*a*), qui ſe omnia Auguſtini vo- (*a*)
lumina legiſſe jactat, plus valuit ille ſcribere, quam nos ſufficimus legere. *In diebus* *Eccli.50.*
enim *ipſius emanarunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum* profundiſſimi ſapientiæ putei, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Hilarius, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Origenes, Athanaſius, & alii qui illa tempeſtate adverſus hæreticorum pravitatem in Eccleſia Dei claruerunt (Deo ſic pro illius temporis neceſſitate providente) ut ſicut victus fuerat leo in tyrannis,

ſic

(*a*) *Mentitur qui te totum legiſſe fatetur: aut tua quis lector noſcere cuncta poteſt?* Hos affert verſiculos una cum aliis Ambroſius Coriolanus in Vita S. Auguſtini non procul a fine, tamquam ex Poſſidonio hauſtos.

sic etiam vinceretur draco in hæreticis. Habuit etiam superhumerale huic rationali sic mirabiliter connexum & colligatum, ut neque cura pastoralis eum a sapientiæ studio præpediret, neque sapientiæ amor, pastoris solicitudinem imminueret. Mira res, tanta scripsit, ut nihil aliud in vita egisse videretur. Sic populum Dei rexit, ut litteris nunquam vacasse putaretur. Unde in Epistola hodierna: *Qui curavit gentem suam & liberavit eam a perditione*. O si nunc tales pastores haberemus! o si tanta eis pro commissis ovibus esset solicitudo!

Eccli.50.

VIII. Jam de tunica byssina, & hyacinthina non opus est immorari; quantæ enim puritatis, sanctitatis, & innocentiæ fuerit post baptismum, liber confessionum ejus satis aperte demonstrat, in quo de tam minimis culpis confitetur, tam levia peccata deplorat, ut sine grandi legentis confusione perlegi non possit. Quam nitida putas, quam crystallina erat anima illa, in qua tales atomi videbantur! Neque defuit illi malorum granatorum, & tintinabulorum ordo mirificus: hanc enim innocentiæ, & sanctitatis tunicam, virtutum omnium & spiritualium charismatum multimoda varietas decorabat; quæ namque virtus, quæ gratia defuit Augustino? Si divina sapientia quæritur, *quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol refulgens in templo Dei*. Si sæculari litteratura, *quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*. Si ingenii acumen, *quasi cypressus in altitudinem se extollens*. Si decor virtutum, *quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*. Si charitatis ardor, *quasi ignis effulgens*. Si devotionis fervor, *quasi thus ardens in igne*. Si fructus animarum, *quasi oliva pullulans*. Si religionis institutio, *quasi plantatio cedri in monte Libano; sic circa illum* multitudo innumera religiosorum *steterunt, & omnes filii* hujus magni *Aaron in gloria sua*, in die scilicet judicii, quando magnus hic Pater Augustinus tanta filiorum caterva vallatus, coram Deo, & Angelis apparebit, ad grandem gloriam, & coronam suam; sicut Apostolus ad Thessalonicenses ait: *Quæ est* enim *nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum, in adventu ejus?* Huic autem splendori virtutum admixtus etiam erat doctrinæ sonitus, per cymbala designatus. *Erat enim lucerna ardens & lucens*, ardens virtute, lucens doctrina. Unde merito magnus, quia, teste Domino, *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*. Verbum enim Dei, ut in ejus vita legitur, usque ad ultimam ægritudinem, sine intermissione alacriter, sana mente, sanoque consilio in sancta Ecclesia prædicavit, ponens ad mensam pecuniam Domini sui cum usuris sibi retribuendam. Et ut fidelis dispensator servis Domini sui distribuens triticum in mensura, donec dicere-

Ibidem.

Ibidem.

1.Thes.2.

Joan. 5.

Matt. 5.

A tur ei: *Intra in gaudium Domini tui*. Hæc de mystico & vero sacerdotio dicta sint. *Matt.25.*

IX. Aliud est sacerdotium spirituale, de quo beatus Petrus: *Vos* estis *genus electum*, & *regale sacerdotium*. Et Joannes in Apocalypsi: *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes*. Et adhuc expressius idem Apostolus Petrus: *Ad quem accedentes lapidem vivum, & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini* in domos spirituales in *sacerdotium sanctum*, offerentes *spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum*. In hoc quod ait offerentes spirituales hostias, quale sit hoc B sacerdotium ostendit, id est, non legale, non Ecclesiasticum, sed spirituale, sicut sunt hostiæ, quæ in eo offeruntur. Pudeat, pudeat hæreticos nostri temporis gratis hallucinari, imo gratis malignari, neque enim mihi persuadere possum, eos non intellexisse tam apertam Apostoli sententiam, sed maligne eam ad suum pravum sensum, in Ecclesiæ contumeliam detorsisse. Hoc sacerdotio, quod metaphoricum est, omnis Christianus fungitur, nemo ab hoc sacerdotio metaphorico & improprio repellitur, cujuscunque gentis, ætatis, status, conditionis existat, sive mulier, C sive vir, sive senex, sive puer, sive dives, sive pauper. Si Christiana pietate polles, hoc sacerdotio sacerdos es: non leve est isto modo esse Christianum. Non potest absolvere alium a peccatis, qui isto sacerdotio spirituali Euangelico sacerdos est, non consecrat Dominicum corpus, non habet authoritatem, Euangelicique ministri eminentiam, non habet sacerdotalem dignitatem exteriori cæremonia constantem; habet tamen internam imaginem, ac similitudinem quandam perfectionis sacerdotalis, unde metaphorica sacerdotis denominatio dicta est. Agnosce D quis es, res enim sacratissima est bonum Christianum esse. Nunquid non in baptismate unctus? non chrismate sanctificatus? nonne Deo dicatus? Quid vere sanctitatis habuit sacerdos ille Mosaicus, quod non habeat, & locupletius omnis Christicola absque obice baptizatus, Deo sacratus, Deo dicatus & oblatus? O Christiane magna est professio tua, grandis est obligatio tua: si mihi non credis, Apostolum audi: *An nescitis* quia *templum* Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis? *Si quis ergo templum Dei violaverit, disperdet illum Deus:* & tu dicis, cui injuriam facio, cui noceo, si meretrici adhæreo? si fornicationibus vaco? non sum clericus, non sum E monachus, non sum uxoratus, mei juris sum, alienam uxorem non adulterio vexo, nemini facio injuriam. Imo facis & maximam Deo, cujus templum violas, cujus sacrarium polluis, cui fidem in tuo baptismo promissam infringis.

1. Cor. 6.

Ibid. 3.

X. Sed jam hostias spirituales quas Deo offeras ostendam. Ante omnia carnis tuæ hostiam salutarem, de qua Apostolus: *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam* vivam, *Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*; noli- *Rom.12.*

te

Coloſſ. 3. te alia exquirere, quæ mactetis, ſed *mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*, & quæ membra? *fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, avaritiam.* Noli hircos, capras, vitulos, arietes emere ad ſacrificium, habes intra te multimodam hoſtiam, quam jugules, ſicut Pſalmus Pſal. 55. ait: *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.* Superbiam deprime, & taurum pervicacem jugulaſti: luxuriam cohibe, Levit. 23. & hircum occidiſti: odium extingue, & arie- Exod. 29. tem concremaſti: invidiam dilue, & capram immolaſti: hujuſmodi hoſtiis placatur Deus, Levit. 3. hæc illi ſacrificia placent: ſed cum vitia, non cum armenta jugulantur; quod ſi altiora ſacri- Ibidem. ficia quæris, oſtendam tibi. Intra te habes quas Domino offeras, turturem ſcilicet, & columbam, utraque gemit, utraque gemitum pro reatu effundit, & vere *ſacrificium Deo ſpiritus* Pſal. 50. *contribulatus*, ſive pro peccato quod commiſiſti, ſive pro præmio quod amiſiſti. Si de peccato gemis, columbam: ſi pro exilio, turturem obtuliſti: quod ſi perfectus es & ſublimioribus oblectaris, oſtendam tibi adhuc hoſtiam mundiorem & ſanctiorem. Sed quam? ſimilam Levit. 9. conſperſam oleo, oblationem Deo acceptiſſimam & gratiſſimam, id eſt, orationem devotam & fervidam, non ſiccam, non aridam oris laudem, ſed qualem expoſtulat Pſalmographus, dicens: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Bona ſimila, ſed ſi oleo conſpergatur, alias inſipida eſt; mel in ſacrificio non offertur, quia omne temporale gaudium, omnis mundana lætitia Deo abominabilis eſt. Pudeat theatrales muſicas, & ſæculares cantilenas, Divinis laudibus immiſcere: non ſunt Deo placita hujuſmodi obſequia, abominatur Dominus mellita ſacrificia, ſed illas hoſtias amat, & quærit, quas oleum ſanctum, id eſt, ſpiritus unctio conſpergit & impinguat. Hi ſunt vituli labiorum, & ſaginati, de quibus Propheta: *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Iſta ſunt holocauſta medullata Deo acceptiſſima, ſi cum incenſo arietum offerantur. Denique, ſicut ipſe Dominus ait: *Sacrificium laudis honorificabit me, illic iter quo oſtendam illi*, offerenti, ſcilicet, *ſalutare Dei*: nam per hanc temporalem & tranſitoriam, ad perpetuam & inceſſabilem laudem gloriæ pervenitur: quam nobis præſtare dignetur Jeſus Chriſtus Dominus noſter, cui eſt honor, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 62. Oſeæ 14. Pſal. 65. Pſal. 49.

IN FESTO S. ÆGIDII ABBATIS

CONCIO PRIMA.

QUOMODO DEUS HONORAT SUOS, ET QUOMODO EOS NOS HONORARE DEBEMUS.

Gloria, & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Pſal. 8. v. 7.

§. Concio ccIII.

I. Ex perſonarum differentiis generaliter debetur honor, Deo, parentibus, magiſtris, principibus, ſacerdotibus, & Sanctis. Divitibus autem, quibus fere mundus omnem honorem impendit, eo ſolo quod divites ſunt, parum quidem debetur honoris: imo hoc ſolo titulo honor exhibitus, culpa aliquando non vacat. Eſt enim acceptio perſonarum manifeſta, ut late Jacobus Apoſtolus inſinuat in Jacob. 2. Epiſtola; divitiæ namque ſicut non faciunt hominem meliorem, ita neque honorabiliorem. Deo debetur ſupremus honor, & maximus cultus, qui latria dicitur, qui adoratione, & ſacrificio conſtat; hic honor alteri ſine crimine maximo præſtari non poteſt, quia ſcriptum eſt: *Gloriam meam alteri* Iſaiæ 42. *non dabo.* Eſt enim Deus zelotes, & ſupra modum nimis ſuum zelat honorem. Quod ſi aliquando in Scriptura ſanctos Patriarchas, Angelos, aut homines adoraſſe legimus, non fuit illa univoca, & parilis adoratio cum illa, quam Deo præſtamus: hæc enim prohibita eſt Joanni ab Angelo, cum dictum eſt ei: *Vide ne feceris: conſervus tuus* Apoc. 22. *ſuum, &c.* niſi forte in perſona Dei adorati ſunt. Quid mirum ſi Deum præ omnibus honoramus, cui etiam debetur omnis honor? unde Apoſtolus: *Soli Deo honor, & gloria.* 1. Tit. 1. Quicquid enim in aliis honorabile eſt, ab ipſo eſt: nam ſicut omnis pulchritudo, & claritas aſtrorum a ſole ſuſcipitur, ita omnis virtus, & decor Sanctorum a Patre luminum deſcendit, a quo eſt *omne datum optimum, & omne donum perfectum*, ſecundum Jacob. 1. Jacobum. Ideoque Propheta non tam Sanctos, quam Dominum in Sanctis ejus laudare jubet, ſciens utique, quia omnis eorum Pſ. 150. virtus, & ratio laudis ab ipſo eſt. Quid enim

ſunt

(a) sunt Sanctorum merita, ut Augustinus (a) de Monica ait, nisi dona Dei? Propter quod, *Psal.* 33. & Sanctus dicebat: *In Domino laudabitur anima mea*. Parentes quoque, aut magistros, aut principes, aut sacerdotes, sic honoramus tanquam Dei ministros, & Dei vicem gerentes in terris. Sicut ergo quicquid diligitur, in Deum, & propter Deum diligendum est, ita omne quod honoratur, in Deo, & propter Deum honorandum est; & Deus solum illum remunerat amorem, sive honorem, qui ad ipsum formaliter, aut virtualiter refertur.

II. O si animum nostrum semper, & in omnibus dirigeremus in Deum! o si huic consuetudini continue insisteremus, ut omnia in Deum, & propter Deum faceremus! Reputarentur utique nobis ad meritum, & justitiam etiam ipsa opera necessaria vitæ, sine quibus omnino vivere non possumus, & tota vita nostra meritum, & justitia putaretur. Deus enim, ut diximus, illa opera, & sola acceptat, quæ ad ipsum aliquo modo referuntur, & propter ipsum fiunt; qui ad remunerandum usque adeo pronus est, ut ipsa opera nobis necessaria, sua computet in obsequia: hoc est quod Apostolus monet ad Corinthios dicens: *Sive ergo manducatis, sive* 1.Cor.10. *bibitis*, vel *aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Sic enim hæc ipsa corporalia commoda cibi, & potus, quæ alioquin spiritui nocere solent, animæ vestræ proderunt ad salutem. Parentibus autem tanquam nostris radicibus, & truncis debemus honorem: per illos enim accepimus vitam hanc, unde merito privatur vita, qui vitæ, radicem non honorat, sed deturpat. Propter *Marc.7.* quod, ait, *honora patrem tuum, & matrem* *Deutr.* 5. *tuam*, & eris longævus super terram. Debetur etiam eis obedientia in his, quæ ad regimen domus spectant, quandiu filius emancipatus non est. Magistris quoque honorem impendimus, quia nos scientia, & ratione auxerunt. Cum enim esse nostrum rationale sit, æque eis fere debemus, qui rationem, sicut qui vitam, & esse præstarunt. Unde antiquum proverbium est, quod diis, parentibus, & magistris nemo potest reddere equivalens. Principes etiam honoramus, quia Dei locum habent in terris, & ab ipso constituti sunt judices ad terrorem malorum, laudem vero bonorum. Propter quod, ut Apostolus ait, necessariam eis debemus subjectionem, *non solum propter iram, sed etiam prop-* *Rom.* 13. *ter conscientiam*. Obligant enim nos eorum leges, & præcepta si justa sunt, non modo ad temporalem pœnam, sed etiam ad peccati culpam, maxime cum ex superbia contemnuntur.

III. Sed præ omnibus hominibus sacerdotes Dei, & prælati Ecclesiæ honorandi sunt, qui non corporum, sed animarum parentes, judices, & custodes a Deo constituti sunt: ideoque sicut anima corpore nobilior est, ita cæteros omnes illorum principatus excellit. Unde Apostolus ad Timotheum ait: *Qui be-* 1.Tim.5. *ne præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina*, duplicatus honor, reverentia, & obedientia, quarum altera cordis, altera corporis est. Neque enim sufficit, ut ait Bernardus (b), exterius obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu (b) sublimiter sentiamus de eis. Quod si tam manifeste innotuerit indigna prælati alicujus vita, ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat, propter eum tamen a quo est omnis potestas, ipsum, quem modo talem novimus excelsum, reputare debemus, non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ, & dignitati ipsius officii deferentes reverentiam, illis impendimus propter dignitatem obedientiam, & propter solicitudinem, in quarum utraque nemo illis hominum conferendus est. Excellunt namque officio, & dignitate, ut prædiximus, non solum temporales, & terrenos principes, sed etiam Angelicos illos cœlestis curiæ principatus, tum propter Dominici corporis consecrationem, tum propter remittendorum criminum potestatem. Sed de cura, & solicitudine illorum quid dicam? cum pro animabus nostris animas suas non temporali modo, sed æternæ morti, & sempiternis ardoribus exposuerint, Deo se pro nobis redde- *Hebr.*13. re rationem in districto illo examine devincientes. O terribilem & formidabilem obligationem! Quid, obsecro, eis obsequii rependere possumus, quod tale, ac tantum adæquet periculum, & huic æquivaleat obligationi? An non audistis quid prælatis per Ezechielem Dominus dicat? *Fili hominis speculato-* *Ezech.*3. *rem dedi te domui Israel, si non annuntiaveris* impio, *neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, ipse impius morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram*.

IV. Videtis quam formidabile judicium illis proponitur: o quam durum, & terribile est pro alienis criminibus damnari, & pro alterius commissis ardere! Neque est illis excusatio postquam semel susceperunt dignitatis jugum. Unde Bernardus (c): Accedit, (c) inquit, ad solicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cum meam, & proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota, utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est, & nihilominus exigitur a me utriusque custodia, & clamatur, *custos quid de nocte, custos quid de* *Isaiæ* 21. *nocte?* Non est mihi dicere cum Cain, *nun-* *Gen.* 4. *quid custos fratris mei sum ego? Quis sapiens,* *Ps.* 106. *& intelliget hæc?* utique si prælati nostri hujus obligationis pondus satis intelligerent ab-

scon-

(a) Confess. lib. 9. cap. 13. *Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua?*

(b) S. Bernardi verba sunt usque ad illud: *Defe-rentes*; ex Serm. 3. de Advent. Dom. num. 4.

(c) Serm. 3. de Advent. Dom. num. 6. Ejus verba sunt usque ad ea: *non est mihi dicere cum Cain*.

ſcondiſſent ſe forſitan in petris, & in cavernis terræ latuiſſent, ut oblatam effugerent dignitatem, cui tantum animæ ſuæ periculum annexum eſt. Grandis honor Epiſcopatus, ſed importabile pondus, & formidabilis timor; propter quod jure illis debetur omnis honor, qui pro nobis tantum ſubire diſcrimen non formidarunt, maxime ſi injunctum ſibi officium debite proſequuntur. Unde volens Deus populis inſinuare quo honore prælatos ſuos proſequantur, deos nuncupat illos in Pſalm. dicens: *Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos dijudicat*, quibus tantum dignitatis, & poteſtatis faſtigium a Deo tributum eſt, ut ſicut dii gentium populos dijudicent, ipſi vero a nemine judicentur. Hæc de prælatis longius forſitan, quam propoſito decuit proſecuti ſumus, propter quoſdam hujus temporis hæreticos detractores, qui non verentur inverecunde, perfricta fronte ſicut canes rabidi, adverſus Eccleſiæ antiſtites delatrare: quorum damnatio in tempus ſuum reſervata eſt.

Pſal. 81.

V. Sed jam ad Sanctos veniamus, quibus, ut opinor, tribus de cauſis potiſſime debetur honor. Primo, quia Sancti ſunt: eſt enim honor virtutis præmium, & tributum quoddam debitum honeſtati: unde viro juſto, & optimo omnis homo laudis, & honoris debitor eſt. Si ergo Sanctum honoras, non eum propterea obligaſti, ſed reddis illi debitum quod debes, ſicut vectigalia regi. Mira virtutis laus quæ totum mundum ſibi obligat ad honorem! Hoc eſt quod Apoſtolus ad Romanos ait: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis:* amoris namque debito, etiam ſi multum dilexeritis, ſemper vos amplius exiſtimate debitores; in reliquis autem debitum omnibus perſolvite, principibus vectigalia & timorem, Sanctis gloriam & honorem: hic ſolidus honor eſt, quo non dignitas, aut officium, ſed perſona, & virtus honoratur. Quid enim habet gloriæ, ſi conſtitutus in magiſtratu, vel principatu honoratur a populis? Non poteſt is de hoc admodum gloriari, ubi non tam ipſe, quam ejus dignitas honoratur, quicunque enim illa dignitate inveſtiretur, eodem modo pariter honoraretur. In Sanctis vero non ita eſt, quibus propter ſeipſos, & meritum, omnis homo rependit honorem. Magnus, & præclarus titulus virtus, Fratres, nullus alius poteſt illi quomodolibet æquiparari; quicquid de aliquo dixeris, ſive quia magnus litteratus, ſive quia magnus artifex, aut doctor eſt, non ita granditer ſonat, ſicut cum bonum illum hominem prædicaveris. Hæc omnium ſuprema, & potiſſima laus eſt, qua non ſecundum aliquid bonus, ſed ſimpliciter bonus dicitur quiſpiam, quamvis nemo ſit abſolute bonus, id eſt, ipſum bonum, niſi

Rom. 13.

A Deus ſolus. Tenemur etiam ſecundo Sanctis ad honorem ob innumera beneficia, quibus bene meriti ſunt de nobis: in Chriſto enim Jeſu per Euangelium ipſi nos genuerunt, & uberum ſuorum lacte nos lactaverunt. Quis enarrare ſufficiat labores eorum, & ſudores, & amariſſimos dolores, quos in hoc ſpirituali partu ſuſtinuerunt, ut nos Deo gratam prolem fide, & moribus parturirent? Conſidera Martyrum atroces conflictus, & diras mortes, quas paſſi ſunt, ut Eccleſiam Dei, & fidem catholicam ſtabilirent, & eam in cordibus fidelium ſanguine ſuo plantarent.

Lucæ 18. 1. *Cor.* 4.

B Quo etiam zelo, quo fervore Doctores ſancti diebus, ac noctibus in ſacris litteris deſudarunt, ut lucubrationibus ſuis populum Dei viam vitæ docerent, & in fide, & veritate formarent: quibus etiam exemplis Confeſſores ſanctiſſimi nos adjuverunt viam Domini præcurrentes, ut nos ad ſequenda eorum veſtigia provocarent. Quando iſtis reddere poterimus equivalens, pro fide, pro ſapientia, pro honeſtate, pro virtute, pro omni denique vitæ, & morum inſtitutione, reformationeque, quam nobis vita, & litteris contulerunt?

C VI. Sed & nunc poſtquam æternæ vitæ bravium conſecuti ſunt, quid poſt Chriſtum Dei filium Eccleſiam Dei ſuſtinet? quid eam fovet, & nutrit, niſi illorum patrocinium, & continua pro nobis deprecatio coram Deo? In vita ſua ſicut columnæ, nunc autem ſicut angulares lapides (qui vocari ſolent claves) ex alto totius Eccleſiaſtici ædificii molem humeris ſuis portant, Deo pro nobis incurvantes ſeipſos, ſicut ſcriptum eſt: *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* O quomodo pro nobis zelant! quomodo in preſſuris, & tribulationibus noſtris ſolicitantur de nobis! quis eorum pietatem, & charitatem valeat explicare? Angelos quidem beatos noſtri amantiſſimos, & obſequentiſſimos habemus, & noſtræ ſalutis avidiſſimos oratores, ſed non ita experti ſunt miſerias, & infirmitates noſtras, ſicut Sancti homines, quos in gloriam Dei hæc vita tranſmiſit, qui poſtquam ſimile periculum evaſerunt, non ignari malorum, ex his quæ paſſi ſunt ipſi, miſeris ſuccurrere didicerunt; propter quod in tribulatione mea libentius Sancti alicujus, quam Angeli favorem imploro, ſciens quia expertus idipſum facilius miſerebitur patientis. Sic

Job 9.

D

E amico ſuo in tribulatione conſtituto, viri illi ſapientes conſulebant dicentes: *Voca ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Sic quoque Eccleſia Dei, quoties affligitur, facere conſuevit, velut prudens filia ad matris ſuæ gremium accurrens, auxilium ab ea poſtulans, & favorem. Qualia, obſecro, ac quanta hæc beneficia ſunt, ut non pro eis merito quoslibet Sanctis rependamus honores?

Ibid. 5.

VII. Sed, ut verum fatear, non ſic iſta omnia ad eorum venerationem provocant me, non ſic ad eorum obſequium & laudem, ani-

mum meum concitant, ſicut amicitia, & gratia, qua Deo conjuncti ſunt: hæc me pedibus eorum ſternit, hæc me ſibi undequaque mancipat in obſequium; venerentur in eis merita, qui volunt, venerentur alii beneficia, ſive quidvis aliud quod placuerit; *mihi* certe *nimis honorificati ſunt amici tui Deus*, ob hoc mihi ſunt honorati, quia amici tui ſunt; ad omnem honorem, & dilectionem, ſufficit mihi ſcire, quia tibi placent Domine, & tu eos ſic honorari, & amari, & jubes, & vis. Hæc mihi omnis amoris cauſa, hæc ratio potiſſima diligendi, non diſcerno merita, non pondero ſanctitatem: ſat mihi eſt diligere quem diligis, honorare quem honoras: nam omni honore dignus eſt quem Rex voluerit honorari, neque tam dignum reverentia facere poteſt eum propria virtus, ſicut Regis æterni voluntas. Amat ſponſa vernaculum paraſitum, ac tota eum veneratione proſequitur, non utique ob aliud, niſi quia ſponſo ſuo illum placere novit, neque attendit, quod promereatur honoratus, ſed quid velit dilectus. Hæc utique vera, & perfecta charitas eſt, & acceptiſſima Deo voluntas, qua in ipſum, & propter ipſum omnia diliguntur. Sed quomodo amas electos tuos Domine? quomodo ipſe honoras eos? expone nobis, obſecro, da ſenſum, da linguam, da ſentire quod cupio, explicare quod ſentio: vincitur enim omnis ſenſus a re, omnis vox a ſenſu. Sed qua via dicam, quomodo id explicabo? Familiari utar exemplo: ſi forte ſic innoteſcere poſſit quod cupio.

Pſ. 138.

Eſter 6.

VIII. Pone nunc Regem potentiſſimum, quempiam ex familiaribus amiciſſimum, ac dilectiſſimum, ſibi modis omnibus ſublimare conantem, pone etiam huic Regi omnia in ſuo regno licere quæ velit, quid putas faciet, ut exaltet amicum? Divitiis plurimis ditabit eum, multis eum titulis honeſtabit, deinde ſibi ſemper adeſſe præcipiet, & domui ſuæ, & regno præficiet eum, ut ſicut illi placuerit, ita in omni domo, & regno ejus fiat. Rurſus illum ſibi conſiliarium faciet, eique omnia ſecreta ſua etiam intima pandet; & ut ampliorem illi tribuat dignitatem, coram omnibus patietur ſe ab ipſo redargui, & ſi indignatur in Regem, publice placabit eum, & ad illius arbitrium cuncta diſponet; abſentem præſentemque venerabitur eum, & non ſolum perſonam ejus, ſed etiam omnia ſua honorifice tractari jubebit. Eſt ne amplius quod ſuperaddi poſſit huic honori? Adde quodvis, adjunge quodlibet, ampliorem multo Sanctis ſuis Deus confert honorem. Bone Deus quas illis divitias, quos titulos præſtas! non in auro, & argento, & lapidibus pretioſis, non in veſtibus, & equis, & familia copioſa: hæc enim terrena ſunt, & caduca modicique valoris, ſed in donis ſupercœleſtibus, in gratiis, & virtutibus ſpiritualibus, in cordis latitudine, & plenitudine ſpiritus, in ſplendoribus intelligentiæ, & ſapientiæ claritate. Hæ ſunt divitiæ Sanctorum inauferibiles, quibus ditantur a Deo: titulus autem excelſus eſt ſupra modum, ut filii Dei nominentur, & ſint. *Dedit* namque *eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt. Videte*, Fratres, *qualem charitatem dedit nobis Pater*, ait Joannes, *ut filii Dei nominemur, & ſimus*. Poteſt ne addi aliquid huic titulo? Præficit etiam eos regno ſuo, ut faciant in tota domo ejus, & regno quicquid libuerit. Vide ſi non ita eſt: eorum voluntate mortui ſuſcitantur, *cæci vident, ſurdi audiunt*, infirmi curantur, deſperata ſalus ægrotis donatur, ad libitum de omni creatura diſponunt; eis cœli, maria, terra, & omnis obtemperat creatura Dei.

Joan. 1.

1 *Joan.* 3.

Matt. 11. & *Luc.* 7.

IX. O miram Sanctorum hominum authoritatem! Deos illos conſtituit univerſi: ſic enim Moyſi dictum eſt: *Ecce conſtitui te* hodie *Deum Pharaonis*. Attende ſolemne factum Joſue: dum bellum gereret contra Gabaonem, quoniam occaſui ſol appropinquabat, neque vindictæ tempus dabatur ei, elevata in cœlum manu, mira authoritate præcepit ſoli: *Sol* ſta, *ne movearis contra Gabaon*, *Joſue* 10. & ad vocem hominis per quiendecim horas, & eo amplius ſtetit ſol, *obediente Domino voci hominis*. O audaciam, o fiduciam, o poteſtatem, o authoritatem inæſtimabilem! o virum ſecundum cor Dei, qui noverat optime, quid haberet in Deo ſuo! Si hoc Sanctus poteſt, quid non poterit? qui cœlum ſiſtere non orando, ſed jubendo præſumpſit, quid non audebit? Quanta quotidie, & legimus, & audivimus prodigia precibus, & voluntate Sanctorum in univerſo fieri, voluntati eorum obediente natura! Certe, ut alios taceam, beatus Ægidius ſuis orationibus principis filiam ſuſcitavit, hoſpitæ filiam curavit, naufragantes a periculo liberavit, ſterili terræ optatam incolis fertilitatem reddidit, & innumera alia miracula fecit, quæ longum eſſet nunc enarrare per ſingula. Hæc eſt Sanctorum authoritas in domo Dei, hæc eorum poteſtas magna in omni regno ejus. Jam vero de familiari cum eis locutione, & ſecretorum revelatione quid dicam? *Loquebatur Dominus ad Moyſen* quaſi vir *ad amicum ſuum*, eumque de omnibus inſtituebat, ſciſcitatuſque ab eo reſpondebat ei, & in omnibus voluntatem ſuam pandebat. Unde merito ſuper hoc quidam Sanctus glorians dicebat: *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*; & alius pro Deo ſpondebat dicens: *Non faciet Dominus Deus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas*; & ipſemet de ſeipſo proteſtatur, dicens: Nunquid *celare potero Abraham quæ geſturus ſum?* quaſi dicat, præ amore utique non potero.

Exod. 33.

Pſal. 50.

Amos 3.

Gen. 18.

X. Quid enim? etiam beati Angeli ab amicis Dei plurima didicerunt, & de futuris per Prophetas myſteria nonnulla cogno-

Exod. 7.

Joſue 10.

Jer. 3.

ve-

verunt; vide si non hoc Apostolus insinuat, ubi ait: *Ut innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, &c.* Parum forsitan videbitur hoc, secretorum conscios fecisse Sanctos, nisi etiam super agendis habeat consultores, consiliariosque. Attende qualiter Abraham super facto Sodomorum Deo suo consulit dicens: *Nunquid perdes justum cum impio? absit a te, ut rem hanc facias, non est hoc tuum*, quod *qui judicas terram, nequaquam facies judicium hoc*. Quid amplius Petrus dixit Christo cum ait: *Absit a te Domine?* Et audivit: *Vade post me Satana*, quia magistro consulere videbatur. Sed & Moyses populi Israelitici ductor quam frequenter hujusmodi consilia præstat! *Cur Domine*, inquit, *irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, & manu robusta? Ne quæso dicant Ægyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret e terra.* Et alibi: *Ut audiant Ægyptii de quorum medio eduxisti populum istum, & habitatores terræ hujus, qui audierunt, quod tu Domine in populo isto sis, & facie videaris ad faciem, & dicant non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat, idcirco occidit eos in solitudine*. Hujusmodi consilia homo loquitur Deo suo: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus* admiramini *vehementer*, Deo, inquam, factori suo vermiculus de terra consulit, quid facto opus sit, abyssum imperscrutabilem Divinæ sapientiæ, quid expediat, homuncio monet. Cui consulis, o Moyses? cui consilium præstas? putasne ignorat Deus hæc omnia, ut ei consiliarius ipse accedas, cum doces, qui temperat orbem? Neque quidem dicitur illi: tu quis es, qui hæc consulas Deo? sed incredibili benevolentia auditur, & veluti consilium ejus accipiens, ita respondet illi Deus: *Dimisi juxta verbum tuum: vivo ego, & implebitur gloria Domini universa terra*, ac si diceret ei: faciam quod vis, implebo quod consulis, dimitto sicut hortaris. Atque ut ampliorem illorum apud se confidentiam populo suo ostendat, interdum patitur se ab eis quasi reprehendi, & incusari, piasque de se ab eis querimonias sustinet.

Ephes. 3.
Gen. 18.
Matt. 16.
Exod. 32.
Num. 14.
Jer. 2.
Num. 14.

XI. Quam plena his querulis vocibus passim Scriptura reperitur! præsertim Job, cui propter hoc ab amicis dictum est: *Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium*. An non blasphemiæ simile est velle disputare cum Deo, & petere arbitrium inter ambos, provocare Deum ad judicium, & innumera alia, quæ præ nimio dolore audaciter in Deum jactare videbatur? Quæ utique omnia nisi sensus Job, & spiritus capiatur, nullus hominum excusare poterit a blasphemia. Sed & Habacuc Prophetа a quo furore prophetiæ suæ exordium auspicatur: *Usquequo*, inquit, *Domine, clamabo, & non exaudies: vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & injustitiam contra me? quare respicis* contemptores, & *taces* conculcante *impio justiorem se?* Super quo exordio D. Hieronymus (*a*) admirans ait: Vides quam temeraria vox sit, & quodammodo blasphemantis, creatorem suum ad judicium provocare? & vas fragile adversus figulum, cur tale, vel tale factum sit, disputare? Quid dicam de illa Jeremiæ audaci nimium, ut ita dixerim, insolentia, sed pia, sed sancta, qua Deum tam libere alloquitur dicens? *Seduxisti me Domine, & seductus sum: fortior me fuisti, & invaluisti, factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me, quia jam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito: & factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die. Et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius, &c.* Quid audacius? quid insolentius dici posse videbitur, quam seductum se a Deo, & violenter oppressum? Ac propterea non modo, ut ei præceptum fuerat, in ejus nomine non loqui, sed neque de illo quidem in perpetuum amplius recordari. O inæstimabilem libertatem! Quis servus dicere audeat Domino suo, non loquar pro te amplius, sed neque tui amplius recordabor?

Job 15.
Habac. 1.
Isaiæ 29.
Jer. 20.

XII. Iratus Dominus in populum suum propter vitulum: *Dixit, ut disperderet eos: si non Moyses electus ejus stetisset in confractione* furoris ejus: sed quomodo steterit attende: Si dimittis, inquit, *dimitte*, & *si non, dele me de libro* in quo *scripsisti*. O mirabilem deprecationem! o inauditam sæculis obsecrationem! minis agit, ut placet, minatur, inquam, Deo, quod nisi alios suscipiat ipse quoque ab illo discedat: & o Dei benevolentiam inæstimabilem! ne ille discedat, placatur omnibus. Ita ne tanta est hominis in Deum confidentia, & sic illum sibi charitate devinctum, captivumque sibi reputat, ut minetur discessum, nisi faciat quod ipsi libuerit; quis, obsecro, non dicam Regi suo, sed neque alteri concivi suo tam libere loquitur, sicut iste loquitur Deo suo? Videtis quantam præstiterit audaciam amor, in quantam proruperit insolentiam: patris nimia charitas filios insolentes facere consuevit: amor quippe negligit honorem, reverentiam nescit. Tale quid istis accidisse videtur, sed plena sunt omnia mysteriis. Jam vero illa Jonæ Prophetæ, non quidem tam admiranda, quam ridicula indignatio, qua irascitur Deo super misericordia ejus, furensque sub hedera dormit; indignatus, videlicet, quia verbum suum, quod præcepto ejus Ninive nuntiaret, Deus non impleret, omnes sensus, & rationis metas excedit. O spectaculum glorioſum! videre indignabundum famulum

Ps. 105.
Exod. 32.
Jonæ 4.

(*a*) In Prologo Comment. in Habacuc.

lum sub hedera recumbentem, & omnipotentem Dominum placantem illum, factique
Joan. 4. sui benevole rationem reddentem. *Putasne*, inquit, *bene iraſceris tu* o Jona? Et ille: *Bene iraſcor uſque ad mortem*. Bone Deus, qualis responsio! quam proterva! Et Dominus ad eum: *Tu doles ſuper hederam in qua non laboraſti, &c. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum qui neſciunt, quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam?* Quid hoc Domino benignius, quid amabilius, quid clementius? O quantum me delectat Domine! quomodo lætatur anima mea, cum de te omnipotentiſſimo, & infinito Deo, hæc omnia, & audio, & lego! quam me amplius ad amandum, & sequendum te hæc tua charitas, & benevolentia provocat, quam numerosa stipendiorum repromiſſio, & omnis pro obsequio expectata merces! Quam vellem largius hæc omnia prosequi, niſi me ad dicenda quæ reſtant tempus arctaret.

XIII. Veniam nunc ad eorum reliquias. Parum Deo viſum eſt sic in vita honorare Sanctos ſuos, niſi etiam in morte prodigiis, & miraculis claros faceret, imo & longe poſt mortem ad eos reſpectum haberet. Multis quidem jam ſæculis mortuus fuerat David,
4. *Reg.* 19. 20. & Abraham, cum de illis dicebat: *Protegam* locum iſtum, & domum hanc *propter David ſervum meum*, & Abraham electum meum. Hui hui Deus meus poſt tot annos nunc eſt reſpectus ad Abraham? O inæſtimabilem dilectionem, o perſeverantem amorem! Incineratus Abraham locum, & terram protegit, & plus mundo confert mortui hominis memoria, quam cunctorum viventium juſtitia: quanta laus, quanta commendatio viri juſti poſt tot ſæcula, poſt tot annorum curricula, patriæ ſuæ fieri protectorem! Sed quid miramur, quod amicos ſuos Deus ita honoret, cum & corrigiam, & calceum, &
3. *Reg.* 19. tunicam, & baculum, & quidquid illorum fuit in honore habeat? Pallio ſuo Eliſeum,
4. *Reg.* 2. Elias veſtivit, & Propheta factus eſt. Eodem pallio poſtmodum Eliſeus Jordanem te-
Ibid. 13. tigit, & diviſus eſt. Oſſa Eliſei mortuum hominem tetigerunt, & ſtatim ſuſcitatus eſt. Pallio ſuo Ægidius pauperem induit, & ſanatus eſt. Baculo Bernardi, dæmon a muliere fugatus eſt: ita ut cum frenderet coram ea, ſicut canis, palo viri Dei tutaretur a morſu. Quid iſta refero, Fratres? dies non ſufficeret ad dicendum, ſi ea, quæ paſſim leguntur ſuper hoc, miracula enarrare voluiſſem. Tranſibat Petrus per plateas Jeruſalem, & ponebantur ægroti in grabatis, ut vel ſaltem umbra illius tangeret eos, & ſanarentur. Quid jam, obſecro, addi poteſt honori Sanctorum cum etiam umbra eorum ſic honoretur a Deo? Si ſic honoratur umbra, quomodo putas honorabitur perſona? ſi ſic exaltatur tunica, quomodo exaltabitur anima? Sic Dominus Sanctos ſuos ſublimat, ſic
Act. 5. *Pſ.* 149. eos honorat; hoc decus: *Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus*. Videant, qui dente canino reliquias Sanctorum derident. Attendant noſtri temporis deriſores, quibus omnis pietas ludibrio eſt. Quid ſubſannas, o ſtulte, quid rides, quia veſtimentum, aut calceum Sancti hominis veneror, oſculor, & amplector? Hoc Deus ægrotos curat, dæmones fugat, Prophetas facit, mortuos ſuſcitat; Deus ſic honorat, & ego non honorabo? Deus ſic in pretio habet, & ego non habebo? natura cedit, & ego non cedam? Non modo calceum, ſed & veſtigium; non modo tunicam, ſed & umbram cum omni devotione venerabor: ſciens quia Deo meo ita placitum eſt.

XIV. Credite mihi, Fratres, non eſt a Deo ſpiritus, qui Sanctis ejus, & eorum reliquiis non defert honorem, proinde monitos vos eſſe volo, ut ſicut a patribus didiciſtis, ita teneatis, novas doctrinas fugite, & Sanctorum monitis adhærete. Hæc tam multa de Sanctorum honore, & tam diffuſe proſecutus ſum, ſi forte moveat nos hæc tanta, & tam ſublimis Sanctorum gloria, ad eorum imitanda veſtigia. Ideo propono honorem, ut provocem ad æmulationem, nemo cauſetur, quod in longum Deus ſuam differat retributionem. Ecce qualem in præſenti ſæculo amicis ſuis præſtat honorem. Quis ita cito, & tam magnifice retribuit ſicut Deus? Et proh inſaniam! vix inter homines invenit amicum. Conqueritur ipſe, & merito ſuper hoc per Prophetam dicens: *Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli, aut terra ſerotina, quare dixit populus meus, receſſimus, non veniemus ultra ad te?* Et per alium Prophetam apertius: *Invaluerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus. Et dixiſtis: Quid locuti ſumus contra te? Dixiſtis: Vanus eſt qui ſervit Deo: & quod emolumentum, quia cuſtodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus triſtes* coram eo? *Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, &c.* Ecce Sanctorum emolumentum, ecce juſtorum ſtipendium: ſed & hoc quale, aut quantum eſt ad illam futuram gloriam, quam *præparavit diligentibus ſe?* Sicut lapis ad montem, ſtilla ad flumen, ſcintilla ad ſolem. Quæ hic vidimus, & audivimus, prout potuimus, enarravimus; cæterum quanta eos gloria maneat in futurum, quia dicere nemo ſufficit, ſilentio melius præterimus: hoc unum dixerim. Si in exilio tanta eſt Sanctorum potentia, quanta erit in regno? ſi ſic honorantur inter ruſticos, quomodo honorabuntur inter cives? Pagus hic eſt ruſticorum, civitas illa opulenta principum; diverſorium hoc eſt viatorum, regnum illud perenne civium. Quis gloriam quærit in diverſorio, quis in exilio cupit inter barbaros honorari? O genus Adam ſuperbum, & ambitioſum! ſi honorem cupitis, hunc perquirite: ſi gloriam vultis, hanc procurate. De corporibus enim dicere audeo, quia *fulgebunt* juſti *ſicut ſol in regno Patris eorum:* hic erit

Jer. 2. *Malac.* 3. 1. *Cor.* 2. & *Iſaiæ* 64. *Matt.* 13.

erit ſplendor corporum, perpendite qualis erit gloria animorum; ab exteriori decore interiorem perpendite pulchritudinem. Ibi erit gloria, honor, & imperium: gloria in corde, honor in ſocietate, imperium in poteſtate: gloria, quia *jucunditatem, & exultationem theſaurizabit ſuper* eos: honor, quia confitebitur illos coram Angelis Dei: imperium, quia ſuper omnia bona ſua conſtituet eos. Eſt enim omnis beatus omnipotens, non abſolute ſicut Deus, ſed omnipotens ſuæ voluntatis, quia beatus eſt qui habet quicquid vult, & nihil mali vult. Vere *beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti*, elegiſti ab æterno, aſſumpſiſti in ſæculo, ut inhabitet *in atriis tuis* in ſæcula ſæculorum. Amen.

Eccli. 15. *Matt.* 10. *Ibid.* 24.

Pſal. 64.

IN FESTO S. ÆGIDII ABBATIS

CONCIO SECUNDA.

EXPOSITIO PSALMI CXI.

In memoria æterna erit juſtus, ab auditione mala non timebit. Pſal. III. v. 6.

§. CONCIO CCIV.

I. MUltifariam multiſque modis nos allicit Deus ad ſe, & ſalutem noſtram procurat. Diligit enim creaturas ſuas, quas gratis ſola bonitate creavit, & vult, ut conſequantur finem ad quem creatæ ſunt, ne fruſtra conditæ videantur. Unde per varia media nos dirigit in finem: nonnunquam minis, & terroribus nos concutit, objiciens nobis pœnas damnatorum, infortunia, & miſerias peccatorum, aſſidua flagella, & frequentes moleſtias inimicorum, & importabile tormentum iniquorum malitiæ; malum enim, & amarum nimis eſt Deum habere inimicum. Quod ſi minæ non ſufficiunt, flagellis, & infortuniis affligit nos, in camo, & fræno maxillas noſtras conſtringens, ut revertamur ad ipſum: & ſi hac via magis induratur cor noſtrum, mille blanditiis, & favoribus nos mulcet, augens dona, ſubſidia multiplicans, accumulans beneficia: ſi forte, vel ſic ad amorem largitoris provocemur. Quod ſi hæc parva videntur, multo majora promittit, ingerens nobis futuram gloriam, quam præparavit diligentibus ſe, & innumerabiles gratias, quas hic confert cuſtodientibus præcepta ejus. His itaque & pluribus aliis modis exhortando, monendo, corripiendo, terrendo, mulcendo, favendo, promittendo, largiendo, diligendo, ut pater piiſſimus, ac munificentiſſimus, vitam, ſalutemque noſtram inquirit, nihil omittens omnino eorum, quæ nobis prodeſſe poterunt ad ſalutem. Unde per Prophetam ait: *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Juda? Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* imo quid debuiſti Domine vineæ tuæ, ut ita faceres, aut quomodo vinea tua te potuit facere debitorem, quam ſola gratuita bonitate plantaſti? Sed o duritiam, o pertinaciam cordis noſtri! Hæc omnia Dei incitamenta, & blandimenta quaſi nihil contemnimus, & flocci pendimus, neque dignamur vel a longe ea inſpicere, & conſiderare, quaſi ex debito redderentur; neque terroribus flectimur, neque flagellis emollimur, neque beneficiis allicimur; neque promiſſionibus provocamur. Quid reſpondebimus in judicio, tantam erga nos Dei noſtri charitatem, & miſericordiam contemnentes? Quam merito Dominus ſuper hac perverſitate, & ingratitudine noſtra conqueritur per Prophetam, dicens: *Quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſrael*, id eſt, nullus ſic amavit, nullus ſic zelavit, nullus ſic quæſivit, nullus ſic contemptus eſt. O immenſam Dei pietatem, & bonitatem! Tanta majeſtas a creatura ſua, & opere ſuo ſic contempta, & abjecta, non indignatur, non irritatur, non recedit, ſed ſtat ad oſtium, & pulſat frequenter, repetens, & clamans: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Aperi mihi, ut bene tibi ſit, non ego indigeo hoſpitio tuo, qui habeo in cœlo tam ampla palatia, ſed tu indiges tanti hoſpitis beneficio; non meam, ſed tuam utilitatem inquiro. Aperi mihi, ut uberem hoſpitii tui mercedem recipias, nam caput meum pretioſiſſimum balſamum deſudat, quo uncta ſaneris, & cincinni mei puriſſimum rorem gratiarum emittunt, quo lota munderis.

Pſal. 31. *Oſeæ* 6. *Iſaiæ* 5. *Jer.* 3. *Apoc.* 3. *Cant.* 5.

II. Quorſum hæc omnia? nempe, ut Pſalmi centeſimi undecimi, quem in præſenti ſermone exponendum aſſumpſimus, & ſenſum, & intentum melius perpendamus; deſcribit namque in eo Spiritus ſanctus ore prophetico mirifice, & exactiſſime juſtitiæ fructus, ſanctitatis commodum; quid emolumenti, quid utilitatis habeat vera miſericordia, ut alliciamur forte vel tantorum bonorum cupiditate, & allecti juſtitiam, & innocentiam æmulemur. Et quidem ſufficere debuerat nobis ad æmulandam omnem juſtitiam ipſa ſumma juſtitiæ pulchritudo, amabilis ſuper amorem mulierum; & ſuper omnem mundi dulcedinem delectabilis ipſa Dei noſtri gloria, & majeſtas, cui ſervire regnare eſt, beneficiorumque ejus inexplicabile pondus, & charitatis ejus in nos ardor immenſus, cui æquivalens reddere non ſufficimus. Satis & pluſquam ſatis obligati ſumus tibi Domine, & adhuc promiſſionibus agis? Ad quid Domine iſta promiſſio? Proh pudor! ut tantæ majeſtati ſerviam, pollicitationibus indigeo? ut Deum meum creatorem meum, redemptorem meum, glorificatorem meum, dilectorem meum diligam, ut ei obediam, ut ei adhæream præmio attrahendus ſum? Væ mihi, tam iniquus, tam perverſus, tam ingratus ſum, ut indigeam ſalario? ad amo-

2. Reg. 1.

rem tuum ſtipendio provocandus ſum? Confundis faciem meam Domine promittendo, non poſſum audire, non valeo ſuſtinere promiſſiones tuas; quinimo ſi mihi omnia tormentorum genera, omnia mundi infortunia, omnes anguſtias, omnes infirmitates, omnes dolores, mortem etiam, & infernum minareris, ne amarem te, ne tibi ſervirem; a tuo ſervitio deſiſtere non deberem. Et quod majus præmium, aut quæ gloria, quæ dignitas ſublimior, quam tibi placere, tibi adhærere, tibi ſervire? Tanta celſitudo, tanta ſublimitas, nullo labore, nullo infortunio compenſari poteſt: & inſuper præmium quærentibus adjicit? Quanta miſericordia, quanta magnificentia, quanta clementia, undique Domine nos cogis, undique ſtringis, & compellis ad te! væ nobis ſi receſſerimus a te. Sed jam Pſalmi literam aggre-
Pſ. 111. diamur. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.*

III. Triplex juſtitiæ gradus innuitur; primus in Domini timore, ſecundus in mandatorum ejus obſervatione, tertius in eorundem mandatorum dilectione. A timore Dei ad obſervantiam proficimus, in amore con-
Pſ. 110. formamur: *Initium ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Sic præcedentem Pſalmum finierat, & rurſus ab eodem timore ſequentem inchoat, dicens:
Iſaiæ 16. *Beatus vir qui timet Dominum.* Pretioſa margarita timor Domini, beatus qui poſſederit eam, omnibus de cætero ditabitur bonis; a timore enim tuo Domine concepimus, & quaſi parturivimus ſpiritum ſalutis. Hic facit recedere a malo, hic nos undique ligat ne excedamus: ligat enim ſenſus, cogitatus, deſideria, appetitus, linguam, manus, pedes, & omnes fluctus cordis cohibet, ne ad
Pſal. 32. illicita, & prohibita effluant. *Congregans ſicut in utre aquas maris*, id eſt, cordis tumentes paſſiones, & appetitus cohibens, ne inundent, & operiant rationis, & judicii ſtabi-
(*a*) litatem. Unde Beatus Auguſtinus (*a*) de matre ſua: Erat, inquit, enim timor caſtus in corde ejus tamquam faſcia pectoralis, qua cogitationes aſtringeret; in ore tamquam frænum, quo linguam deprimeret; in opere tamquam ſtimulus, ne pigritia torperet; in cunctis tamquam regula, ne modum excederet. Et cum Dominus commendaret Job, ait ad Satan: *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job,*
Job 1. *quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo?* Per timorem autem Domini non ſolum declinat omnis homo a malo, ſed etiam pro-
*Eccli.*15. ficit in bono, ſicut ſcriptum eſt: qui timet Dominum cuſtodit præcepta illius: non ſolum vitando quod malum eſt, ſed operando quod bonum eſt. Hic eſt ſecundus juſtitiæ gradus, in quo vita conſiſtit, nam inquirenti: *Quid*
Lucæ 10. *faciendo vitam æternam poſſidebo?* hoc a Domino reſponſum legimus: *Si vis ad vitam* *Matt.*19. *ingredi, ſerva mandata.* Sed nondum conſummatum eſt, ſi timore ſervat, & non magis amore amplectitur illa; ſi nolens facit, ne pereat; ſi invitus cuſtodit, ne ardeat. Illa vox conſummati, & perfecti viri: *Quomodo* *Pſ.* 118. *dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt:* & iterum: *Ideo dilexi mandata tua* *Ibidem.* *ſuper aurum, & topazion.* Talis erat ille, qui jam non ipſe vivebat, ſed in illo Chri- *Galat.* 2. ſtus; qui de ſeipſo dicebat: *Condelector legi* *Rom.* 7. *Dei ſecundum interiorem hominem:* quia bona eſt, non quia neceſſaria eſt, cuſtodio; non quia utilis eſt, ſervo; ſed condelector in ea, quia bona eſt. Hunc hominem qui a timore incipiens, & in obſervatione legis proficiens, ad ejus dilectionem pertingit, ut *in mandatis Dei* velit *nimis*, Propheta regius proculdubio beatum pronuntiat, felicem aſſeverat. Sed unde beatus? unde felix? *Potens* *Pſ.* 111. *in terra erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur: gloria & divitiæ in domo ejus,* *Ibidem.* *& juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Beatus utique, etiam ſi nihil utilitatis inde conſequeretur.

IV. Sed quanta bona ex hoc conſequatur attendite: & quis ea ſufficiat enarrare? Primo: ſemen & generatio ejus in terra benedicetur, multiplicabitur, honeſtabitur, dominabitur, & potens erit; poſſidebit portas *Gen.* 22. inimicorum ſuorum, & merito in omnibus bonis ditabitur, & decorabitur: *Gloria* enim *& divitiæ in domo ejus*, etiam longo tempore poſt eum. Nam etſi ipſe tranſeat, & diſcedat, tamen *juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi*, in generatione & generationem, in filiis, & nepotibus ejus, quibus bene erit in terra, progenitoris ſui reſpectu. An non Deus pronior ad miſericordiam, quam ad ju-
*Exod.*34. dicium? Quod ſi vindicat iniquitates parentum in filiis in tertiam & quartam generationem, non magis patrum virtutes in multiplices generationes remunerabit? Attendite quid ipſe dicat in lege: *Ego*, inquit, *ſum* *Ibid.* 20. *Dominus Deus tuus*, Deus æmulator reddens *iniquitatem patrum* ſuper filiis *in tertiam & quartam generatioaem* his *qui oderunt me: & faciens miſericordiam in* multa *millia* diligentibus *me*, & cuſtodientibus *præcepta mea*, non enim ſicut vindicta, ita & gratia, ſed multo amplior & extenſior, & in plures generationes profuſior. Bone Deus, quibus bonis & favoribus temporalibus tuos proſequeris, etiam in hac vita! Quid enim? qui eterna illa & ineffabilia bona eis paravit, quomodo minima hæc temporalia denegabit? Sed ſæpius ea non concedit electis ſuis, aut quia non expedit, aut quia contemnuntur ab eis. Unde, ſicut ait Apoſtolus: *in hac* 1.*Cor.*15. *vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus*, cunctis gentibus. Propter quod placet magis cum Auguſtino (*b*) prædi- (*b*)
ctam

(*a*) Vide notas ad Concionem primam in Dom. 4. poſt Paſcha.

(*b*) In Pſal. 111. *Generatio rectorum benedicetur, ideſt opera eorum, quorum bonus Deus Iſrael, qui recto ſunt corde.*

ctam literam ſpiritualiter exponere, non de generatione corporis, ſed cordis, quæ magis vera, intima, propria, & noſtra generatio eſt. *Potens in terra erit ſemen ejus*, illud utique ſemen, de quo Pſal. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua*. Seminamus operantes, metimus morientes: ſeminamus dum vivimus, metimus dum regnamus. De hoc ſemine Apoſtolus: *Qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Hoc bonorum operum ſemen quod in terra ſeminatur, potens erit in fructu qui in cœlis colligitur, qui & quam potens, attende: *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos*, pro granis manipulos reportarunt.

Pſ. 125. 2. Cor. 9. Pſ. 125.

V. Mira virtus ſeminum & admiranda potentia! ubi de tam exigua ſubſtantia tanta corporum moles inſurgit, ut videre poteris in arboribus: ſed multo amplius elucet hæc potentia in ſpiritualibus ſeminibus. Quid potentius? das obolum, & accipis regnum: das minutum, & accipis cœlum: das momentaneum gemitum, & metis gaudium ſempiternum. O quomodo mirabimur poſtea, cum videbimus ex tam modicis & exiguis juſtitiæ operibus, tam multam & denſam ſylvam cœleſtium gaudiorum inſurgere! Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus. Potens itaque erit viri timorati ſemen, ſed in terra: nam poſtquam terram deſeruerit, ſeminandi tempus ceſſabit. Promerendi enim nunc tempus eſt, quamdiu in terra ſumus, ſicut Chriſtus nos admonet dicens: Operamini dum dies eſt, *venit nox, quando nemo poteſt operari*: non quia poſt mortem juſtorum opera non ſint clariora multo & perfectiora, quam nunc; ſed quia tunc non erunt meritoria ſicut nunc. Ecce primum juſtitiæ fructum in potentia meritorum. Sequitur ſecundus in cordis fertilitate, cum dicitur: *Generatio rectorum benedicetur*, id eſt, augebitur & multiplicabitur: generatio, inquam, cordis, de cujus ſterilitate Propheta conqueritur dicens: *Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt a me quaſi tabernaculum paſtorum*. Quid fertilius corde juſtorum? ſcaturit undique & ebullit affectibus, deſideriis, delectationibus, gaudiis, conſolationibus, amoribus, & aliis piis affectionibus, quæ ex cordibus humanis naſci atque gigni conſueverunt: corda impiorum ſterilia, ſine affectione, ſine fœdere, ſine amicitia, ſine compaſſione, ſine amore. Et quale malum hoc, quanta infelicitas hæc ſine ſenſu & motu eſſe, vitam vivere ſine vita, & mortuum eſſe a corde! Tertius juſtitiæ fructus eſt in honore. Quartus in divitiis; unde ſequitur: *Gloria & divitiæ in domo ejus*, id eſt, in conſcientia ejus. Hæc enim eſt propria domus, quam vir juſtus inhabitat ab omnibus ſenſibilibus occultatus, in qua quieſcit ab exteriorum naufragio, & mundi tempeſtate ſecurus, denique gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Quanta gloria & honore Deus honeſtet

Iſaiæ 38. Joan. 9. & 12. Iſaiæ 38. 2. Tim. 3. Rom. 1. Pſ. 111. 2. Cor. 1.

A & decoret Sanctos ſuos in hac vita, non eſt præſentis diſputationis, memini quondam ſuper hoc, in iſto eodem loco feciſſe ſermonem.

VI. Denique ut breviter perſtringam: quid glorioſius, quam omnium creaturarum, quæ ſub cœlo ſunt habere dominium; Deum habere amicum, gratioſum eſſe Regi, & ab eo omnia quæ voluerit impetrare; in cœlis habere nomen, & inter Angelos dignitatem; filium eſſe Dei, & cœlorum civem? De divitiis autem ſpiritualibus taceo, cum Apoſtolus dicat: *Omnia veſtra ſunt*. Qui enim proprium Filium nobis dedit, quomodo non B cum illo omnia donabit? Quanta donorum gratiarum chariſmatum & virtutum omnium opulentia corda juſtorum repleantur, dicere non eſt opus; nam qui ea naturalibus, ut diximus, fœcundat, ipſe ea in gratuitis ſupra modum ditat: *habenti* quippe *dabitur & abundabit*. O quam felicia corda juſtorum naturali ſuo germine fœcunda & ſpirituali munere locupletata! Sequitur: *Et juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi*. Non ſolum juſto in fructum, ſed etiam mundo in exemplum; non erit in oblivionem coram Deo ut remuneret, neque coram mundo ut imitando fructificet. Quintus juſtitiæ fructus eſt lux, id C eſt, clara notitia veritatis. Unde ſequitur: *Exortum eſt in tenebris lumen rectis*. Magnum & egregium donum; de quo Dominus: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*. Væ miſeris peccatoribus tortis & obtenebratis, quam miſerabile eſt videre eos ſæpius & incaſſum, & pro nihilo anxiatos, gementes, dolentes, lacrymantes, & uſque ad mortem contriſtatos! Amant enim umbras & anxie quærunt eas, quibus ſublatis neceſſe eſt eos ſupra modum inaniter anxiari. Ab hac tam noxia & pernicioſa cordis obſcuritate juſtus D liber in lucis plenitudine gloriatur. Unde ſequitur: *Jucundus homo, qui miſeretur, & commodat*. Hic ſextus eſt juſtitiæ fructus, lætitia ſcilicet, & jucunditas intima cordis, qua abundat omnis anima, quam inhabitat Deus, ſicut alibi dicit: *Millia lætantium, Dominus in eis*. Quomodo enim erit triſtitiæ locus, ubi totius lætitiæ inhabitat plenitudo? Non eſt gaudere impiis, dicit Dominus, *ſed vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum*; anima enim juſta quaſi juge convivium; idem autem juſtus eſt qui timet Dominum, cui promittitur gloria, & rectus, cui promittitur E lux, & miſericors, cui promittitur lætitia.

1. Cor. 3. Rom. 8. Matt. 25. Joan. 8. Pſal. 67. Iſaiæ 57. Pſ. 117. Prov. 15.

VII. Sed variantur meritorum rationes, nam timenti Deum & præcepta cuſtodienti debetur honor, & omnia quæ dicta ſunt, recto veritatis amatori & zelatori debetur lux, miſericordi debetur jucunditas. Merito enim lætificatur qui plures pauperes ſua eleemoſyna lætificavit, & merito conſolatur qui donando & commodando pluribus extitit conſolator, eadem enim menſura qua menſus eſt, remetietur ei. Sed non eſt juſtorum vana & inepta lætitia, non eſt ſcurrilis & diſſoluta, ſed rationabilis & ſevera, plena judi-

Matt. 7.

judicii. Unde sequitur: *Disponet sermones suos in judicio.* Lætitia sæculi sermones dissolvit, lætitia spiritus sermones disponit. Sed unde, aut qua ratione, & propter quid lætabitur? Utique juste & valde juste, *quia in æternum non commovebitur.* An non plena jucunditatis causa, certam spem habere de
Rom. 5. gloria? Quis non lætetur *in spe gloriæ filiorum Dei?* aut quod triste potest accidere ei, qui post modicum sperat cum Deo regnare, inter Angelos sociari, felicitatis æternæ gaudia possidere? Ruat mundus, dissolvatur orbis, terra dehiscat, si fractus illabatur or-
(*a*) bis (*a*), impavidum ferient ruinæ; non enim contristabitur justus, quicquid acciderit ei, omne enim temporale ei accessorium est,
Matt. 6. & *Lucæ 12.* thesaurus ejus in securo reconditus est, ubi neque fur furari, neque tinea valet demoliri. Sed neque deerit inter alia bona justi fama: nam *in memoria æterna erit justus*, & memoria ejus non delebitur in sæculum, sed in benedictione erit; bonum namque odorem transiens, sicut bonum unguentum relinquit in mundo, & sicut balsamum effusum universam Ecclesiam fragrantia sua replebit:
Psal. 1. *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ:* statim ut
Psal. 9. rapti fuerint oblivioni traduntur: *periit memoria eorum cum sonitu.* Unde alibi ait: *Vidi*
Psal. 36. *impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Quanta faciunt amatores sæculi pro fama! Ædificant domos, erigunt turres, insignia mausolea ex marmore mirifico construunt, præclara facinora aggrediuntur; depingunt imagines, plantant hæreditates, primogenituras statuunt: nihil eis grave, nihil periculosum, ex quo fama quomodolibet oriri valeat, vel augeri. Vellent namque ini-
(*b*) qui, sicut ait Gregorius (*b*), diu sine fine vivere, ut diu sine fine peccarent: sed ex quo eis non conceditur perpetuitas vitæ, procuratur perpetuitas famæ, ut quia non possunt vivere in gentium præsentia, vivant saltem in hominum memoria. O insignem stoliditatem! o ridendam, imo potius deplorandam fatuitatem!

VIII. Dic mihi o fatue, quid tibi proderit quod in hominum memoria post mortem vivas, si in peccato mortuus æternis ardoribus cruciaris? quid tibi solatii præstatura est fama quam ignoras, si ardes? Imo si eam nosses ex hoc accresceret cruciatus. Quid nunc confert Romanis Imperatoribus, Augusto, Julio, Tiberio? Quid Alexandro, & cæteris monarchis? Quid Platoni, Aristoteli, Pythagoræ, & aliis philosophis, quod in omnium ore versantur, & in hominum memoria retinentur, cum miseri & infelices apud tartara crucientur? Nonne hæc eorum laus si noscerétur, eis vergeret in tormentum? Quid intolerabilius miseris, quam laudata miseria? De justis autem alia ratio est: *Omnia* eis *cooperantur in bonum* non est ina- *Rom. 8.*
nis eorum fama, sed plena lætitia: gaudent quia mortales eos venerantur in terris, non solum propter gloriam, sed propter justitiam, quoniam digni sunt. Et quamvis ex hac nostra laude modicum eis accrescit ad illam ineffabilem gloriam, quam in cœlis possident, volunt tamen in publico esse præclara illa opera, quæ viventes gesserunt propter utilitatem nostram, propter exemplum & patrocinium: ut dum eos veneramur in terris, ab eis protegamur & adjuvemur in cœlis. Propter quod in obscuro loco sepulti, ex Dei voluntate sæpius multis apparuerunt, & sepulchra sua prodiderunt, ut mundo cogniti, mundo prodessent. Septimus itaque justitiæ fructus beata memoria est. Sequitur octavus: *Ab auditione mala non timebit*, id est, cordis tranquillitas & securitas: semper enim præsumit sæva perturbatus conscientia; qui autem bona est conscientia, in pace requiescit, non timebit a verbo aspero, ab auditione sæva & terribili: *Ite maledicti in ignem* *Matt. 25.*
æternum: imo etiam in præsenti vita detrahentem & maledicentem sibi linguam non audient, sicut quotidie audiunt peccatores: quanta sustinent, quanta dissimulant, ut suis vitiis perfruantur. Sequitur nonus fructus, favor & protectio Dei. Unde ait: *Paratum cor ejus sperare in Domino.* Quid ni speret in eo, sub cujus tutela & patrocinio gloriatur, cujus innumerabiles favores quotidie videt & experitur? Ad Dominum de Job loquitur Satan: *Nunquid Job frustra timet* *Job 1.*
Deum? nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum? Qui hujusmodi vallo protegitur & ambitur, securus dormiet in umbra ejus, merito requiescet in spe. Unde sequitur: *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec despiciat inimicos suos*, id est, non transibit, non migrabit de hoc sæculo, donec plenam de suis vitiis obtineat victoriam; tunc ut fortis miles cum gloria & honore deductus triumphans, & ovans cœlestem Jerusalem ingredietur, sicut Propheta ait: *Super excelsa* *Habac. 3.*
mea deducet me victor in Psalmis canentem. Quot fructus enumeravit, quantas utilitates enarravit?

IX. Sed attendite omnium finem: *Cornu ejus exaltabitur in gloria.* Tot bonis hic donabitur, & post hæc omnia, perpetua, & inenarrabili gloria coronabitur. Sic & Apostolus licet brevius eosdem fructus concludit dicens: *Nunc* itaque *liberati a peccato habe-* *Rom. 6.*
tis fructum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Post tot & tanta bona, ultima omnium sequetur cœlestis gloria. Quis non eligat ditari, ut ditetur, munerari, ut muneretur, lætari, ut in æternum lætetur?

Quis

(*a*) Horat. lib. 3. Od. 3.

(*b*) Dialog. lib. 4. cap. 44. *Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare.* Affertur a Gratiano de Pœnit. dist. 1. c. 60., *Voluissent.*

Quis non vitam jucundam, tranquillam, quietam, honorabilem, beatam eligat, quam sequitur æterna felicitas? O sensus, o ratio, o judicium, ubi estis? ut quid a bonitate & justitia declinatis? Sed quo ordine consequatur illam gloriam attendite: *Dispersit dedit*
Ps. 111. *pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.* Per misericordiam acquisivit justitiam, per justitiam promeruit & obtinuit gloriam; dispersit perituram pecuniam, & acquisivit perpetuam justitiam, temporales divitias pro perpetuis commutavit, evacuavit arcam temporali, & transitoria pecunia, implevit conscientiam æterna, & immarcescibili justitia. Optima commutatio: propter hoc cornu ejus, id est, fortitudo illa & stabilitas, de qua prædixerat, confirmatum est cor ejus, exaltabitur in gloria sempiterna. Hæc est pars justorum, hæc sors timentium Deum, & custodientium præcepta ejus. Et de peccatore quid? *Peccator*, inquit, *videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*, videbit ad tormentum suum justorum felicitatem & gloriam, ut noverit quid amisit, & videndo in die judicii irascetur, & dentibus suis in seipsum fremet & tabescet, quia tanta bona tam stulte perdidit. An non merito fremet, non juste contabescet, qui cum posset per viam planam & delicioſam, floribus, & rosis stratam ire ad cœlestem gloriam, elegit potius per spinas & saxa tendere in gehennam? Heu quo fremitu, quo ejulatu, quibus clamoribus hanc suam stoliditatem & cæcitatem de-
Matt. 1. plorabunt! Denique, ut ait Salvator: *ibi erit fletus & stridor dentium. Desiderium peccatorum peribit*, hoc est cum ipso peccatore
Ps. 145. omnia sua opera, & desideria finientur. *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, omnia negotia, omnes fraudes, omnes solicitudines, omnia solatia, omnis denique opera quæ in fovenda, nutrienda, saginanda carne expensa est, & vana cum ipsa carne finietur. Nihil illius remanebit, nisi sola misera anima, quæ perpetuo incendio pu-
Galat. 6. nienda reservabitur: Qui in carne seminat, de carne metet. Sed quid? Corruptionem. Qui autem in spiritu, metet vitam æternam.

X. Audistis, Fratres, quanta sit merces justorum, quam ampla retributio servorum Dei: quis de cætero audeat hæsitare, & di-
Psal. 57. cere: Si est fructus justo? Conqueritur Do-
Malac. 3. minus per Prophetam, dicens: *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus: Et dixistis: Quid locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est qui servit Deo: & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus?* Quos Dominus ad experientiam remittit dicens: *Convertimini, & videbitis quid sit inter justum & impium, inter servientem Deo & non servientem ei.* Ac si dicat, probate & videbitis, experimini & cognoscetis, quanta enim Deus conferat dilectoribus suis, & in
Apoc. 2. præsenti sæculo *nemo novit, nisi qui accipit.*

Unde ad filium dicebat Tobias: Fili si timueris Deum, habebis multa bona. *Tob.* 4. O genus Adam ambitiosum & cupidum, ecce honorem, ecce gloriam, ecce divitias immensas posside, fruere, satiare. *Usquequo gravi corde* diliges *vanitatem* & sequeris *mendacium?* *Psal.* 4. O cupiditas filiorum hominum! Quid dicam tibi? Tanta bona tibi proponuntur & alges? ad tam immensas promissiones non anhelas? Si modicum quid honoris, si modicum lucri temporalis arriserit, ardes, æstuas, irruis, & ad sola Dei promissa tepescis, friges, hæres, stas? Quod hoc miraculum tam magnum, & tam malum? in omnibus alioquin tam cupidus, ad solas veras divitias tepescis, sola Dei promissa contemnis? Quid, obsecro, inveniisti in eis, ut despicias ea? nunquid quia exigua, aut quia incerta, aut quia serotina? Sed non ita est, magna enim nimis sunt & immensa, quia Regis magni sunt, certissima sunt, & infallibilia, quia veritatis sunt: sunt & accelerata, quia diligentis sunt. Ut quid igitur contemnuntur? ut quid repudiantur? Promittit homo & curris: promittit Deus, & hæres? Si verbis non credis, experire saltem, probato, & videbis, esto vel in hoc, sicut in cæteris curiosus, ut probes quid boni habeat vita justorum. Tot annis sæculo vixisti, vive vel ad annum Deo: tot annis peccatorum illecebras probasti, proba vel ad mensem delicias justorum; convertere & tu, & vide quid sit inter servientem Deo, & non servientem ei. Et quare non gustabis, quam *suavis est Dominus?* cur non *Psal.* 33. sapies quid sit esse bonum? Tanta dicuntur, tanta promittuntur, & non probabis an vera sint? in hoc solo non eris curiosus?

XI. Quod si probare non vis, crede saltem his, qui hæc omnia probaverunt, & experti sunt: nimia enim duritia & intolerabilis pertinacia est, si neque ipse experiri, neque expertis credere vis. Consule Prophetas, Apostolos, Doctores; consule religiosos, monachos, eremitas, & alios qui omnia pro Domino contempserunt, an vera sint promissa Dei, an sicut eis promisit pro his quæ contempserunt, centuplum acceperunt etiam in hac vita. Consule Hieronymum, *Marc.* 10. Antonium, Ægidium, Hilarionem, & alios sanctos monachos, qui in eremo solitarii & sylvestres inter bestias & scorpiones diutissime vixerunt: quid in illa solitudine invenerunt: quid eos inter rupes & saxa detinebat, cur non redibant ad mundi solatia, propter quid sæculi divitias & delicias non repetebant, & certe viri cordati erant, & sapientes, non erant stolidi aut stupidi. Quid igitur experiebantur in illa solitudine, ut pro illo obtinendo possidendoque, omnia mundi bona & solatia ut stercora arbitrarentur? O *quam magna multitudo dulcedinis* *Philip.* 3. *tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* *Psal.* 30. vere abscondisti ne mundus gustaret, nam si gustasset, mundus non esset. Hanc præguſtaverat B. Ægidius in juventute sua, quando

do venditis omnibus falcultatibus ſuis & pauperibus erogatis, contempto ſæculo eremo ſe concluſit, in antro degens ſolus ſine humano ſolatio, hac ſola dulcedine delectatus, tota vita ſine intermiſſione, cœleſtem illam civitatem, cujus civis erat contemplans & ingenti deſiderio ad illam inhians, concupiſcens & deficiens jugiter & in atria Domini: hoc opus, hoc negotium, hoc officium, hæc omnis ejus opera & occupatio: unum illud & neceſſarium toto cordis deſiderio omnibus aliis poſthabitis amplectens, & illud indefeſſe ac diligentiſſime proſequens. Dederat ei Dominus nutricem cervam, cujus lacte velut parvulus nutriebatur, ſicut quondam Eliam corvi miniſterio aluit in deſerto, ut de illo dici poſſit illud Canticorum: *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum*. Mira res! multo amplior ſolicitudo & amor ſolicitior erat illi cervæ in paſcendo iſto hinnulo ſibi a Domino commiſſo, quam ſi eum ex viſceribus peperiſſet. O mundi promiſſa vana, ubi ſunt tuæ deliciæ, ubi cibaria delicata, ubi arridentia ſolatia, ubi ampla palatia, ubi honores, dignitates, pompæ, & alia tua oblectamenta?

Pſal. 63.

3. *Reg.* 17.

Cant. 2.

XII. Hic venerabilis ſenex ſolo lacte, ſola cerva, ſolo antro vitam degit, huic totus mundi apparatus ſuperfluit, cui ſola rupis caverna abundat & ſufficit. Sed non debuit abſcondi lux ſub modio, non decuit ut Eccleſia Dei careret tanti ſideris claritate, proditus itaque eſt revelante ſe Deo. Cum enim cerva illa obſequentiſſima nutrix ejus & famula, more ſolito egrederetur ad paſtum, ut plenis uberibus cœleſti hinnulo lactis alimenta præſtaret, contigit venatores obviam ei occurriſſe, quam cum canes uſque ad antrum ſancti viri, quod undique mira denſitate arborum obſitum erat, perſequerentur; tanto patrono munita, dum pro ſua ſocia oraret, canes reverſi ſunt, ac ſi fuſte vel lapide fuiſſent percuſſi, gementes. Reverſi altera die idipſum experti ſunt; unde ſtupentes rem deferunt ad Epiſcopum, qui, ut fertur, ſimul cum Rege adveniens, viſo canum miraculo, ſylvam illam penetrantes, ad ſanctum virum pervenerunt, & ad pedes ejus proſtrati, quiſnam eſſet, unde veniſſet, & vitæ ejus, modum & ordinem interrogaverunt. Poſtquam igitur vitam & alia omnia, quæ ab eo poſtularunt, per ordinem didicerunt, monaſterio ampliſſimo ædificato, precibus eum coegerunt, ut de eremo exiret, & illius curam ſuſciperet, quam, Deo ſic inſpirante, ſuſcepit. Ubi poſt plurima & ingentia miracula, poſt eximium virtutis & ſanctitatis ſplendorem, quo totam illam regionem illuſtravit, poſt exempla mirifica & doctrinam ſalutarem, quibus non modo ſubditorum, ſed etiam ſæcularium mores ſupra modum reformavit, poſtquam Deo multas animas convertit, & de faucibus draconis eripuit, ad promeritam coronam vocatus, cum gaudio & exultatione beatum Deo ſpiritum reddidit, & ad paradiſi gloriam demigravit: quam nobis præſtare dignetur Jeſus Chriſtus Dominus noſter, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Lucæ 8. & 11.

IN FESTO SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ

CONCIO.

DE AMORE DEI.

Dilexit multum. Lucæ 7. v. 47.

§. CONCIO CCV.

I. CUM ſolus Creator rerum conditarum perfectam habeat notitiam in pondere, & menſura quæ ſunt, eas undequaque penetrando, & comprehendendo, ipſe namque *attingit a fine uſque ad finem fortiter*, metiturque ſua ineffabili ſapientia gradus, perfectiones, & dignitates omnium, & ponderat infallibili ſtatera veritatis merita ſingulorum. Solus igitur eſt ſicut, & plaſmator, ita & comprehenſor. Unumquodque ergo tantum æſtimari debet, quantum divino judicio, aut teſtimonio æſtimatur, aut judicatur eſſe: *Non enim*, ut inquit Apoſtolus, *qui ſeipſum commendat, ſed quem Deus commendat, ille probatus eſt*, & ſine dubio ille laude digniſſimus habendus eſt, qui Dei præconio promeruit laudari. Legimus autem in Euangelio nonnullos a Domino commendatos. Nathanaelem venientem ad ſe commendavit de ſimplicitate, & veritate cordis, dicens: *Ecce vere Iſraelita in quo dolus non eſt*. Centurionem quendam admiratus, laudavit de plurima fide, dicens: *Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inveni*. Petrum Apoſtolum laudavit de abſconditi myſterii cognitione, & lumine, dicens: *Beatus es Simon Bar-Jona, &c.* Chananæam de fide, & perſeverantia commendavit, dicens: *O mulier ma-*

Sap. 11.

Ibid. 8.

2. *Cor.* 10.

Joan. 1.

Lucæ 7.

Matt. 16.

Ibid. 15.

magna eſt fides tua. Magdalenam vero, ut audiſtis in lectione Euangelica, in domo Phariſæi lacrymantem, gementem, & pedes ſuos amplectentem, & deoſculantem, de ardentiſſimo amore commendavit, dicens verba thematis: *Dilexit multum*. In ea igitur virtute quilibet iſtorum credendus eſt & habuiſſe excellentiam, & maxime claruiſſe, de qua Dominico teſtimonio apud alios, & præ aliis commendatus eſt: noverat enim quid eſſet in homine, qui fecit hominem. Neque aliud erat in homine virtutis, aut gratiæ, quam quod ipſe poſuerat.

II. Habet ſe autem charitas ſive amor Dei ad cæteras virtutes, ſicut ſe habet aurum ad alia metalla: ſicut enim aurum cæteris omnibus metallis præſtat decore, æſtimatione, & valore, ſic charitas tantum, & eo amplius cæteris omnibus virtutibus, perfectione, & excellentia anteire videtur. Sine charitate enim cæteræ omnes virtutes, aut nullæ ſunt, aut modici valoris, dicente Apo-
1.Cor.13. ſtolo: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, &c. Etſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum:* id eſt, omnes virtutes iſtæ ſine charitate nullæ ſunt. Charitas autem per ſe
(a) ſola, ut inquit Auguſtinus (*a*), eſt omnis virtus, ſcilicet quoad virtutis fructum, & effectum. Ipſa eſt enim in creditu fides formata, in fiducia ſpes viva, in victoria fortitudo, patientia in tolerando, benignitas in miſerendo, manſuetudo in ſuſtinendo, in largitione liberalitas, in æqualitate juſtitia, in dejectione humilitas, & denique in omni operatione omnis virtus. Vide quam aperte
Ibidem. hoc innuat Apoſtolus: *Charitas*, ait, *omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non quærit quæ ſua ſunt*. Hæc opera hic enumerata aliarum virtutum propria ſunt, & omnia ſibi vendicat charitas. Conſule experientiam, & hoc ipſum luce clarius apparebit: ſi quis enim alium affectuoſe diligit, ei in omnibus credit, ei pretioſa quæque confidit, ei omnia liberaliter largitur, ei errata dimittit, amata committit; non invidet illius gloriæ, non rapit illius ſubſtantiam, non quærit injuriam; pro ipſo omnia ſuffert injurioſa, omnia aggreditur periculoſa, omnia proſequitur laborioſa: nec ipſa morte amor ſuperatur: *Fortis* enim *eſt ut*
Cant. 8. *mors dilectio*. O potentia maxima, o inſuperabilis vigor charitatis! Quid non potes? quid non aggrederis? quid non vincis? quid non comprehendis? O amor eo cæteris omnibus fortibus fortior, & potentibus potentior, quo ſuavior ac blandior! non enim ferro, & manu armata, ſed ſuavitate quadam interna dulcedinis tuæ omnia tuo ſubjugas imperio, & cuncta tibi deſervire miro modo, non cogendo, cogis: omnium tributa perquiris: omnium officio ſola regina charitas pro libito fungitur.

III. Non ſolum autem omnium virtutum, ſed etiam omnium donorum Dei maximum eſt charitas. Vides quam opulenta, quam dives, & omnibus bonis refertiſſima eſt domus Dei, quot & quantis divitiis & chariſmatibus abundans. Ego dico tibi, ſi omnes cœleſtes theſauros, & pelagus omne divitiarum Dei ſcrutatus fueris; nihil invenies pretioſius, nihil ſplendidius, nihil deſiderabilius amore Dei. Omnium igitur bonorum & beneficiorum, quæ præſtare poteſt Deus, maximum eſt amor ſui. Petat alius prophetiam, alius ſapientiam, alius fidem, aut caſtitatem, alius humilitatem, alius quicquid ſibi placuerit: tu ſi optimum & maximum deſideras donum, pete ab eo charitatem, & ejus dilectionem: omnium enim horum ma- 1.Cor.13.
jor eſt charitas. Et ratio hujus eſt, quia quicquid tibi donaverit Deus, ſi amorem ſui non præſtitit, ſeipſum tibi negavit: Deus enim ſolo amore poſſidetur a viatore homine, & poſſeſſio ejus amor ipſius eſt. Amor igitur facit Deum eſſe tuum, facit ipſum poſſeſſionem tuam, & hæreditatem tuam; & quicquid habeas, ſi amore cares, nec Deus tuus eſt, nec eo frueris: fruitio enim hujus vitæ & amor idem ſunt. Quid autem tibi proderit ſi omnia poſſideas, & ſolum Deum non poſſideas? Sicut ergo nihil ſeipſo præſtantius dare poteſt Deus; ita & in donis nullum præſtantius illo, quo ſolo Deus alicui donatur, & ab eodem poſſidetur. Et ut clarius appareat hoc, gratia exempli ponamus, ut de abſoluta potentia Dei poſſibile eſt, quod viſio & fruitio beatifica ſeparentur ab invicem in diverſis, ita ut unus videat Deum, nec tamen diligat; alius autem diligat quidem, ſed non videat, cognoſcat autem, quia amor non poteſt ferri in incognitum: conſtat quod neuter iſtorum perfecte beatus eſt: quoniam qui videt ſolum, non fruitur optimo quod videt; & qui diligit dumtaxat, non quietatur donec lucide videat, quod tam ardenter amat. Felicitas enim & beatitudo noſtra, aut in utroque, viſione, ſcilicet, & amore Dei conſiſtit, aut ſaltem utrumque ad complementum perfectæ beatitudinis neceſſarium eſt. Licet ergo, ut diximus, neuter illorum perfecte beatus ſit, ego ſi mihi daretur optio, potius eligerem amare non videndo, quam videre non amando. Quid enim ſi videro & non amavero? per hoc nec Deo gratus, aut amicus exiſto. Eſt enim gratia charitas, aut non ſine charitate; ſi autem amo, etiam ſi non videam, Dei amicus ſum.

IV. Ut autem noſtrum propoſitum concludamus, conſtat, quod quanto id in quo aliquis præſtat, ſeu habet excellentiam majus

(*a*) Tract. 9. in Joann. Euang. num. 8. *Quanta eſt ergo Charitas, quæ ſi deſit, fruſtra habentur cætera: ſi adſit, recte habentur omnia!*

jus est, tanto ille dignior habendus est & illustrior. Est enim grande quid etiam in parvis ac modicis esse præstantem, in magnis vero ac arduis præstare, illustre & glorioſum nimis. Exemplum horum in artibus clarissimum, in quibus quanto perfectior est ars in qua aliquis habetur insignis, ac singularis artifex, tanto artifex ille cæteris artificibus etiam insignibus aliarum artium ac præstantissimis præstat. Quid igitur grandius, quid glorioſius, quid beatius in laudem Mariæ Magdalenæ dici potuit, quam quod tam brevi sermone & compendioſo præconio Veritas ipsa comprehendit in verbo thematis testificans de ipsa, *quoniam dilexit multum?* Quid enim est dicere, dilexit multum, nisi in eo quod est maximum, & optimum in domo Dei universa, sive in cœlo, sive in terra, & in eo quod est omnium præstantissimum claruit, & præstans fuit? Optimum namque sibi elegit Maria. Magnus est quisquis aliqua virtute magnus est, sed maximus est quicunque optima virtute magnus est. Si igitur diebus, ac noctibus omnes Scripturas sacras evolverem, ac omni industria, & solicitudine hujus sanctæ mulieris laudibus desudarem; nihil longissimo sermone in ejus laudem afferre, vel dicere vobis possem, quod sic ejus dignitatem, & excellentiam demonstraret, sicut illud tam breve duorum verborum compendium thematis, scilicet, *dilexit multum*. Hoc enim certum est, quod si multum dilexit Deum, etiam multum ab eo dilecta est: & quo magis dilecta, eo magis inter cæteros excelsior & glorioſior effecta. Magnitudinis ergo & gloriæ suæ hoc unicum, ac certissimum suscipite testimonium divino nobis oraculo pronuntiatum, scilicet, *dilexit multum*. Erunt duæ partes sermonis, prima de motivis amoris, secunda de signis amoris. In prima declarabitur, qua ratione ista glorioſa Femina dilexit multum. In secunda vero, quibus signis & indiciis demonstraverit, quoniam dilexit multum.

Lucæ 10.

V. Propheta egregius considerans apud se, quantum ex omni parte ad Dei dilectionem teneatur, ait: *Diligam te Domine fortitudo mea*, &c. *Diligam te*, inquit, & toto corde diligam te, & pleno desiderio animæ diligam te, & ex intimis visceribus meis diligam te: & quare diligam te, nunquid absque causa? Sequitur: *Fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, liberator meus, Deus meus, adjutor meus, protector meus, cornu salutis meæ, susceptor meus*. Nunquid pro his omnibus non juste diligam te? nunquid non grandis mihi ratio & causa diligendi te? Deus meus, misericordia mea, gloria mea, corona mea; coarctor undique ac stimulor causis multis & rationibus plurimis ad amandum te, nec sufficit cor meum ad tantum debitum amoris persolvendum.

Psal. 17.

Ibidem.

Qui ergo ex omni parte me obligas, & constringis beneficio tuo, obligatum absolve nimio amore tuo: dedisti unde tibi teneor, da etiam unde tibi reddam: nam si ego non sum dignus amare te, tu tamen Domine digniſſimus es amari a me. Novum ergo superadde muneribus tuis munus amoris, ut de munere tuo tibi persolvam debitum meum. Mira res! ipsa solutio nova obligatio est, debitum contraho dum reddo, oneras me dum exoneras Deus, & dum de tuo dono tibi rependo amorem quem debeo, ipso dilectionis munere me amplius fieri debitorem inspicio. Ut quid igitur solutionem intento, nisi quia, cum tibi plurimum debeam, gratissimum mihi est fieri tibi etiam amplius debitorem? Diligam te ergo Domine omnibus modis, & sine modo: modum enim non habent quæ ipse feciſti pro me, non apposuisti mensuram beneficio tuo, non apponam mensuram amori meo, sed quoad possum, & ex totis meis viribus, & tota virtute mea amabo te. Valde Domine desidero intelligere & sentire quantum tibi debeo, sed munera tua intelligi non possunt sine Spiritu tuo, dicente Apostolo tuo: *Non* enim *spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est: ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis*. Infunde igitur cordi meo Spiritum tuum, ut intelligam donum tuum: recipere enim & ignorare beneficium, ingratitudinis non modicam labem parit. Quomodo enim gratus erit, qui nec, pro quo gratus esse debeat, agnoscit? Da ergo mihi Domine sentire & intelligere causas & rationes, propter quas teneor & debeo diligere te, ut ex tali scrutinio & meditatione mea, exardescet ignis dilectionis tuæ, & tepidum cor meum excitetur ad amorem tuum.

1. *Cor.* 1.

Psal. 38.

VI. Cum autem innumera sint quæ nos ad dilectionem Dei provocant: tria tamen sunt præcipua, propter quæ Deus a nobis diligendus est. Primo, quia justum: secundo, quia debitum: tertio, quia proficuum. Hæc enim solent etiam communiter esse rationes diligendi aliquem; nam aut diligitur, quia virtute & moribus præstans, & gratiis decoratus amabilis apparet, & dignus amore; aut quia ipse amat nos; aut quia ejus amicitia utilis nobis est. Ista omnia in Deo præcipua & maxima sunt. Quis enim amore dignior, quam Deus? quis præstantior, quis perfectior, quis glorioſior? Nihil nobis contulerit Deus, nihil pro nobis passus fuerit, nihil nobis promiserit: certe propter hoc quod ipse est, omni amore a nobis amandus est; quia scilicet ejus excellentia infinita, infinito etiam amore digniſſima est. Amor enim, teste Philosopho (*a*), est naturalis quædam inclinatio in bonum: quanto ergo aliquid melius tanto amore dignius. Primum igitur ac summum bonum, in quo omne bonum, quo amore prosequendum erit? Dic mihi, obsecro te anima mea, quid tibi

(*a*)

potest

(*a*) Ethicor. lib. 8. cap. 2.

poteſt placere quod in Deo tuo non reperias? Si delectat te ſapientia, ſapientiſſimus eſt: ſi potentia, omnipotens eſt: ſi pulchritudo, *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula:* ſi divitiæ, ſi gloria, *gloria & divitiæ in domo ejus:* ſi delectatio, ſi vita, *delectationes in dextera* ejus *uſque in finem: & vita in voluntate ejus*. Dilata tentorium cordis tui, extende ſinus deſideriorum tuorum, & quicquid libuerit exopta, & quantum potueris deſidera, totum illud in ipſo eſt, & amplius quam deſiderare vales in ipſo eſt. Quid igitur miſera, ſitibunda & vaga, a vanitate creaturarum mendicas guttulas quaſdam ad refrigerandam ſitim tuam, & fontem ipſum aquæ vivæ ſpontanee ſe offerentem relinquis? Dereliquiſti, inquam, *fontem aquæ vivæ, & fodiſti tibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*. Deciperis, certe, deciperis miſera, nam ea ipſa delectabilia, quæ tam ardenter inquiris, ſitim non ſedant, ſed incitant; non removent, ſed promovent, & hydropicorum more quo amplius bibis, eo amplius ſitibunda relinqueris.

Sap. 7. Pſ. 111. Pſal. 15. Pſal. 29. Jer. 2.

VII. Unde autem terreas iſtas, ac degenerés voluptates, ſic ardenter ſitimus, niſi quia cœleſtes, & meliores non guſtamus? Qui enim puras illas, & defæcatas ſpiritus oblectationes, & vera mentis gaudia frequenter expertus eſt, abjectiſſimas viliſſimaſque corporis voluptates non ſolum non diligit, ſed etiam abominatur & odit: guſtato enim ſpiritu, deſipit omnis caro. Utinam Domine, utinam vel tenuiſſimus radius pulchritudinis tuæ, mentis noſtræ oculos tetigiſſet, ut ſaltem ſub nube quadam & caligine, ſplendor tuæ celſitudinis noſtris oculis appareret. Raperet enim ſtatim ad ſe calore ſuo, veluti vaporem, animam noſtram, & totam ardore dilectionis tuæ inflammaret penitus & accenderet. Ut quid enim non diligimus te, niſi quia ignoramus te? Cæcitas noſtra hujus algoris cauſa eſt: impoſſibile eſt enim, ut non amet te, qui vere cognoſcit te: *Faciem* igitur *tuam* Domine *illumina ſuper ſervum tuum*, ut de vultu tuo dilectio mea prodeat, ſiquidem *poſuiſti ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui*, ut non poſſit illuc conſcendere ad verum æternitatis tuæ ſæculum, niſi qui prius in iſto noſtro ſæculo fuerit tuo lumine illuſtratus. *Intellectum* ergo *da mihi & vivam*, da menti oculum, cordi ſenſum, quo ſplendorem tuæ bonitatis intuear. Oculus enim videns te, ſtatim tui deſiderio ſuccendetur; ſic enim apud Joannem legimus: *Similem filio hominis veſtitum podere*, cujus *caput & capilli candidi, & oculi ejus*, inquit, *tanquam flamma ignis*. Vere ita eſt, ignitus eſt oculus inſpiciens Deum, & ipſa veri luminis inſpectio flammis Divinæ charitatis exuſta. Nihil ergo aliud, ut prædiximus, in culpa eſt noſtræ tepiditatis, niſi oculorum mentis defectus. Sed quomodo oculos habeat ad æterna contuenda, qui tota vita

Pſ. 118. Pſ. 89. Pſ. 118. Apoc. 1.

A B C

transitoriis & temporalibus inſpiciendis intendit? aut quibus oculis lucem illam inacceſſibilem contuebitur, qui toto tempore vitæ ſuæ tenebris & obſcuritatibus eſt aſſuetus? Oculos habent, ſed non vident lucem, quia tenebris involvuntur: *Oculos ſuos*, inquit, *ſtatuerunt declinare in terram*, quomodo igitur cœleſtia penetrabunt?

Pſal. 16.

VIII. Parum fuit illis terram inſpicere, niſi hoc etiam facerent ex ſtatuto, *ſtatuerunt* inquit. O miſerum ſtatutum! o prava deliberatio! ſtatuerunt defigere oculos vanitati, abſtrahere eos a veritate, ſtatuerunt cœno miſeræ voluptatis involvi, & pactum inierunt cum morte, & fœdus cum inferno fecerunt: non enim caſu aliquo, aut quaſi ex accidente perverſi ſunt & vani, ſed ex decreto animi & mentis propoſito, & longa deliberatione & conſilio: *Prodiit* enim *quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis:* dicentes *Deo: Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus;* ſed poſt deſideria noſtra curremus, & voluntates noſtras perficiemus. Quid enim nobis proderit ſi ſervierimus illi, aut quod emolumentum laborum noſtrorum percipiemus? Obſecro autem vos, Fratres mei, ſi quod adhuc pietatis veſtigium, ſi qua viſcera charitatis, ſi qua ſalutis veſtræ ſolicitudo, ſi qua memoria redemptoris, & amoris ejus apud vos eſt, ſi quod vitæ cœleſtis deſiderium, parcite jam, parcite vanitati, *quieſcite agere perverſe*, & per itinera devia tam longo tempore debachari. Nolite abire poſt vanitates, quæ non proderunt vobis; perpetuis intendite, cœleſtibus inhiate; diſcite amare quæ vera ſunt; & fallacia & inania ſæculi labentis bona contemnite. Ecce tranſierunt plurima quæ male concupiſtis: *& quem*, obſecro, *fructum habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis?*

Pſal. 72. Job 21. Iſaiæ 1. Rom. 6.

D

IX. Sed jam ad propoſitum redeamus: interrogavi ego nonnunquam cor meum, & animam meam conveni, nunquid diligeret Deum ſuum? nunquid ineffabilem iſtam pulchritudinem Divinitatis amaret? & dum diligenti ſtudio interiora mentis meæ ſecreta rimarer deprehendi, quoniam non adhuc amare merueram, ſed tantum amare deſiderabam, concupiſcit enim anima mea deſiderare. Sed ne hoc ipſum affectuoſe diligere promeruerat, ſuaves enim illos amoris affectus, & dulcia ſponſi oſcula, & amplexus deſiderabiles quis attingit? Ad iſta enim quis idoneus? Quaſi ancillula ergo deſpicabilis longe adhuc a ſponſi cœleſtis throno ſemota, prout poterat verbum ejus a longe in animæ deſiderio audiebat, & ut ait Propheta, quaſi *onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ* attrahebat *ventum amoris ſui*. Quod ſi quandoque propius accedere permiſſa plenius decorem dilecti ſui fuiſſet intuita, hoc ſolum intus gemebat, hoc ſolum clamabat: Parce Domine, ignoſce Domine, nunc enim liquide cognoſco, quoniam nunquam novi te; nunc plene ſcio, quoniam vere nunquam ama-

Pſ. 118. Jer. 2.

E

vi te, quid ergo faciam? Discurram per vi-
cos & plateas, si forte inveniam *quem dili-*
Cant. 3. *git anima mea*, segregabo me ab hominum
contubernio, & sæculi hujus conflictu, &
vastam eremum penetrabo, si forte vel ibi
dignatus sit mihi apparere quem diligit ani-
ma mea. Dumque sic consulo, & dum illa
mente pertracto, visum mihi est quoniam
ignorantis adhuc & infirmi animi, hujusmodi
erat locorum inquisitio; si enim vera Dei
cognitio esset in animo, ubique terrarum
etiam inter tumultuantes sæculi fluctus, &
inundantium tentationum conflictus, etiam
inter convitia & tormenta, etiam si carcere
recluſus, vel morti destinatus, inter medios
flagellorum irruentium ictus & convitian-
tium hominum procellas, ibi cor meum in
Domino defixum, & in ipso confixum ma-
neret: nec quavis causa, vel occasione in
ejus amore tepesceret, si veram ejus pul-
chritudinem agnosceret.

X. Quid ergo locorum diverticula quæro?
Deut. 30. quid inutiles ambages requiro? prope est
verbum in corde meo, prope est amor quem
desidero, in mentis penetralibus, non in
vastis solitudinibus inquirendus, inquiren-
dus dicam, an petendus? Non enim, ut fa-
tear verum, quavis inquisitione amor iste
Divinus reperitur, sed magis Divina beni-
gnitate animæ sitienti, & spiritui anhelanti
ex munere condonatur. Demonstrat enim
se cordi nostro prout vult, & quando vult
Deus; nec ideo quæritur, quasi industria no-
stra quærendo inveniatur, sed quia quæren-
ti animæ ex suo beneplacito demonstratur.
Quo fit, ut sæpius post longam nimium in-
quisitionem, & anxium cordis circuitum,
anima nostra frequenter tepida & quasi con-
cupito affectu defraudata remaneat; & quan-
do magis secura & minus solicita, vel etiam
somnolenta est, tunc nescio quis radiantis
luminis fulgor, & quasi vibratus radius Di-
vinæ veritatis, oculos mentis subito perstrin-
gat, & repentino calore inflammet ultra
quam credi potest; & dum læta & jucunda
radium illum vivificum amplecti & retinere,
extentis brachiis & dilatatis visceribus co-
natur, subito de medio elapsus vacuos relin-
quit amplexus, & inanes manus frustra re-
tinere conantis deludit, vulneratamque ani-
mam, & sauciam amore relinquit claman-
Cant. 2. tem post tergum abeuntis: Quo abis o dile-
cte? *revertere*, obsecro, *dilecte mi*, *revertere*,
*similis esto capreæ hinnuloque cervorum super
montes Bether*, cur amantem deludis, cur
sitientem fugis, cur anxie quærentem relin-
quis? Vulnerasti, & abiisti; apparuisti, &
recessisti: cur non expectasti amplexus aman-
tis? cur non desiderantem multa tecum col-
loqui sustinuisti? Nunquid ad hoc venisti,
ut sauciares, & fugeres? ad hoc apparuisti
ut deluderes? Sed de his hactenus.

XI. Secunda diligendi Deum ratio & cau-
sa est, quia debitum & multipliciter debi-
tum, & maxime duabus de causis. Prima,

A quia, ut inquit Apostolus: *Laborantem agri-* 2. Tim. 2.
colam oportet primum de fructibus percipere,
& qui plantavit arborem aut vineam, jure
fructu ejus potitur. Fecit te Deus capacem
sui intellectu & voluntate, ut intelligendo
amares, & amando fruereris; juste igitur
fructum tui intellectus & voluntatis sibi de-
bitum a te exigit, qui talem ac tantam tibi
dedit facultatem, & tales plantavit in te
potentias, per quas posses & ipsum capere,
& captum diligere. Illi ergo debes amoris
tributum, qui tibi contulit amandi facultа-
tem. Sed nequeo satis mirari, & intra meip-
B sum penitus stupesco. Domine mi, quid est
hoc quod sic amari vis a me, ut mihi mor-
tem & æternos cruciatus mineris, si non
amavero te? tanti facis amorem meum? quis
ego sum, ut sic æstimes amari a me? inter
tot & tanta cœlestium spirituum agmina, &
tam splendidam, tamque decoram te diligen-
tium multitudinem, despicabilis hujus ac vi-
lis vermiculi, tu, Domine mi, non solum non
despicis amorem, sed insuper veluti grande
aliquid & pretiosum cum minis & terroribus
reddi tibi efflagitas & indicis? Multum est
hoc ad me, gloria mea, multum est ad me,
C ut tanti me facias: *Quid est homo, quia* sic Job 7.
magnificas eum? aut filius hominis quia sic re- Ps. 143.
putas eum? qui ex meipso exiguus sum, so-
la tui æstimatione grandis sum, & valor
meus, non substantia mea, sed tua æstimatio
est, & pondus meum gratia tua: *gratia* enim 1. Cor. 15.
tua *sum id quod sum*. Multum ergo dignifi-
cas me dum sic amari vis a me; sed intelli-
go Domine, quoniam in amore meo, non
tuam, sed meam inquiris utilitatem. Prop-
ter me igitur amari vis a me, & quia di-
ligis me, ideo diligi vis a me: vides enim
quoniam in amore tuo vita mea tota con-
D sistit, & propter hoc vis amari a me, ut
vitam ego habeam amando te. Tangit enim
te Domine, & multum tangit te mea perdi-
tio: quia opus tuum & factura tua sum,
tam caro sanguinis pretio a te redemptus:
non vis ergo perire tam cari pretii merci-
monium; nec modicam injuriam tibi facio
criminibus meipsum deturpans, & peccatis
animam meam commaculans: pro cujus sa-
lute mori etiam non dedignatus es. Ideo er-
go tam districte requiris amoris tributum,
ut novum superaddas gloriæ beneficium.

XII. Est ne alia ratio debiti amoris? Est
E utique & grandis nimium, quia tu etiam
diligis me, & prior dilexisti me: *Non quasi nos* 1. Joan. 4.
dilexerimus ipsum, inquit Apostolus, *sed* quia
ipse prior dilexit nos; prior dilexisti me Do-
mine, quia sine merito vel debito aliquo
fecisti me: quid enim tibi feceram antequam
essem, ut faceres me? Ex tam multis possi-
bilibus creaturis quas creare poteras, placuit
tibi suscitare me de nihilo, & alia plura
multo meliora me, non suscitare: ut quid
Domine? qua ratione, qua causa, quo me-
rito? Sola utique dignatione & beneplacito
voluntatis tuæ, quæ omnium subsistentium

prima

prima ratio, lex, & cauſa eſt. Creaſti ergo
Pſal. 17. me, quoniam voluiſti me, illud vero non creaſti, quia noluiſti: nihil ego eram ſicut & illud. Ex tunc igitur amor tuus erga me. Quid dico? imo ab æterno dilexiſti me, quoniam ab æterno tibi placuit, ut in tempore ſuo faceres me. Gratias tibi Domine, gratias tibi,
Matt. 11. quia ſic fuit placitum ante te: ſed nunquid in hoc ſolum dilexiſti me, quia feciſti me? imo multo amplius dilexiſti, cum me perditum redemiſti: factus enim ex nihilo ſine merito meo, peccato meo ad nihilum redactus ſum,
Ibid. 26. *Iſaiæ* 9. ſic eram, ut melius eſſet, non fuiſſem natus in combuſtionem & cibum ignis, niſi iterum deformem redintegrares me. Ad hoc autem non Angelum, non Cherubim, non Seraphim, non Thronum, aut Virtutem aliquam, ſed Filium tuum unigenitum, conſubſtantialem, coæternum tibi & coæqualem, in opus meæ redemptionis e cœlo miſiſti. O admirabilis ardor charitatis! o ſtupenda dignatio pietatis! ut ſervum redimeres filium
Oſeæ 6. tradidiſti. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Juda?* quid debui tibi facere quod non feci? vide ſi reſtat aliquid quod huic tam eximiæ pietati addi poſſet. Filius Dei traditus eſt in mortem, ut vivat ſervus vernaculus terrigena de luto formatus. Dic igitor o Chriſtiane, dic obſecro, ſi quid habes,
Job 8. aut ſi forte audes, nam in hoc, ut ait Job, etſi loquutus fuerit homo abſorbebitur: dic ergo, debes ne amorem huic amori? teneris ne diligere eum qui ſic prius dilexit te?
1. *Joan.* 4. XIII. Audite Fratres mei cum patientia, & attendite & auſcultate, quia vere con-
Job 32. fundor *& coarctat me ſpiritus uteri mei, & venter meus quaſi muſtum quod lagunculas novas* confringit, verecundia & pudore plenus ſum, & attendite de quo. Noſtis primo, quoniam amor nonniſi amore rependitur,
Cant. 8. etſi enim *dederit homo* diligenti ſe *omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione*, ſi autem non redamet amantem, quaſi nihilum reputabit: non enim niſi amore amor perſolvitur. Noſtis etiam, Fratres, quod amor tam pretioſus eſt, quod etiam in vili perſona & abjecta non vileſcat: habes Æthiopem famulum emptitium, captivum, hic diligit te, & tu diligis eum, & bene tractas eum; quod ſi quiſpiam amicus dixerit tibi: Tu cum ſis ingenuus & nobilis, quomodo non dedignaris id quod eſt in te pretioſius, ſcilicet, amorem tuum Æthiopi famulo condonare? ſtatim aperta fronte, ſatisfacis objurganti, dicens: Ecce diligit, non mireris quod diligo eum, facit hoc & illud pro me, & in omnibus mihi fidelis eſt; quid mirum ſi diligo eum? Dicam aut ſilebo? Loquar an tacebo? Parce Domine, tacerem verum, niſi me tua juſtitia compelleret ad loquendum contra me. Diligis ergo deſpicabilem ſervum deformem, Æthiopem nigerrimum, & non dedignaris diligere eum, nec deſpicis ejus exiguitatem, & deformitatem. Propter quod? quia diligit te, quia fidelis & utilis

A eſt tibi: & non iſte tam chariſſimus vernaculus adhuc pro te flagellatus eſt, nondum alapis cæſus, nondum ſudore ſanguineo perfuſus, felle potatus, clavis affixus, nondum a planta pedis uſque ad verticem capitis vulneratus, injuriis affectus, & morte turpiſſima damnatus. Heu, heu, dic obſecro, dic o Chriſtiane, qui nomen Chriſti ſolo verbo profiteris, deſpicis in Chriſto, quod non deſpicis in vernaculo, & in filio Æthiopis amas Æthiopem, & multum amas & juſte amas, quia ipſe amat te: & amat te Deus tuus, & amore tuo ardet, & pro tuo amore mo-
B ritur; & ſolus Deus, & ejus dilectio contemptui habetur, nec dignus redamari putatur? Quod ſcelus iſto majus? aut quæ ingratitudo peſtilentior? Utique ſi captivus ille Æthiops, & deformis pro te paſſus eſſet ea quæ pro te Dei Filius paſſus eſt, ut de morte redimeret; ſuſtinuiſſet, quod vere credis & confiteris paſſum eſſe Dominum Deum tuum infinitæ majeſtatis, pulchritudinis, & magnitudinis, ſine dubio ſuper caput tuum ipſum poneres, & eum quaſi divum venerareris, veluti liberatorem tuum.

C XIV. Nunc autem hæc omnia de Dei Filio credis, & alges? & tanti muneris oblitus ſic ad amorem ejus frigidus, ſic ad honorem ſtupidus, ſic ad ſervitium tardus es? Quaſi iſta omnia non fuiſſent, non reſipiſcis miſer? Aut credis, aut non: ſi non credis, quare te Chriſtianum eſſe mentiris? ſi autem credis, cur fidem tuam operibus non oſtendis? cur huic tam grandi pietati & charitati reſiſtis? Sed ut verum dicam, dicis te noſſe *Tit.* 1. Deum, factis autem negas, ſola fide & non opere Chriſtianus. Quod ſi ad ejus dilectionem, nec infinita ejus excellentia & pulchritudo, nec innumera pietatis & amoris
D beneficia tibi collata te movent, moveat ſaltem te promiſſæ felicitatis gloria, quam ſuis dilectoribus repromiſit Deus. Propter teipſum ergo ſaltem dilige, quem adhuc propter ſeipſum non diligis. Grande enim & ineffabile commodum ex ejus amore proveniet tibi: regnum cœlorum amanti promittitur: ama & regna, & quid facilius quam amare? quid glorioſius quam regnare? Amor jucundus, delectabilis, amor dulcis & ſuavis: nihil in amore aſperum, nihil durum, nihil laborioſum: non a te maria intranda, non terræ luſtrandæ, non orbis ter-
E rarum circuendus tibi eſt; intra in corde tuo, in viſceribus tuis invenies eum; operi jucundo, & grato immenſum gloriæ pondus repromittitur. Stultiſſimus eſt & omnino amentiſſimus, qui propter hoc quod negligit amare, amittit cum Deo, & Angelis ejus perpetuo regnare. Conſiderate Fratres 2. *Cor.* 4. mei, ſi hic Imperator ſui imperii & regni promitteret conſortes habere omnes qui eum diligerent, quot inveniret in mundo dilectores? Proh pudor, ubique quærit Deus tam glorioſus, tam pretioſus, tam immenſus dilectores ſui, & invitat ad ſe animas, quas

Iſaiæ 1.

ipse condidit: donat plurima, & plura promittit, & in ipsis operibus suis vix invenit dilectorem sui! O scelus creaturarum! cum opprobrio & injuria foras a creatura sua expellitur & rejicitur, & quasi pro nihilo contemnitur, nec saltem mercede & stipendio tam glorioſus hospes in habitaculum cordis admittitur. Quid ei responsura es anima mea cum ante tribunal judicantis steteris tam procax, & tam pervicax, tam indurata? nec prece, nec pretio flecteris, ut aperias Domino Deo tuo, creatori tuo hospitium cordis tui? *Ego*, inquit, *sto ad ostium & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo.* *Apoc. 3.*

XV. Ut quid Domine ad ingressum habitaculi tui consensum, & beneplacitum meum expectas? Si quis, inquit, mihi aperuerit; irrue Domine, irrue induratæ mentis obscura claustra, & ferreos vectes obstinatæ conscientiæ confringe, & invictam animam meam jure tuo posside: mens enim mea domus tua est, tu eam tibi fabricasti, & tuis manibus eam ædificasti. Quis enim propriam domum precibus aut pretio intrat? quis ut in suo habitaculo recipiatur pollicitationibus agit? Dominum non hospitem habitaculi tui cordis meis volo te esse, gratum mihi erit Domine esse a te victum, possideri a te: tu autem Domine benignus & pius non vi, sed sponte in propria recipi domo vis. *Aperi*, *Cant. 5.* inquit, *mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, plenus sum rore cœlestis suavitatis, imbribus multarum gratiarum abundo. Aperi mihi terra sicca & arida, terra sterilis, ut rore meo inebrieris, & imbribus meis perfundaris, & fœcunderis: non ego egeo habitaculo tuo, sed tu potius indiges rore meo. Noli a te expellere ubertatem tuam, ut bene tibi sit. *Mich. 6.* Dic obsecro, cur spernis, & rejicis me? quid tibi feci? aut in quo molestus tibi fui? ego condidi te, ego sanguine meo redemi te, ego inenarrabilem gloriam paravi tibi; quare, obsecro te, quare contemnis me? Aperi oculos tuos, & vide, nunquid non ego sum Deus tuus, plasmator tuus? Aperi mihi sponsa mea, ecce monilia aurea, gemmatam chlamydem, speciosas inaures, ornamenta pretiosa de meis thesauris cœlestibus tibi adduco, arrham, & anulum in fœdus perpetuum sponsorii tibi trado; innumeram catervam Angelorum mecum habeo, qui te ut sponsam meam, dilectam meam honorent, venerentur, & ament. Noli tantam gloriam contemnere, noli tantum honorem a te abjicere. Stat ad omnia ista anima misera hærens pavimento, & cœno terrenæ voluptatis involuta, immersa limo profundi, validis catenis ligata, pondere ferreo vitiorum constricta, & nimium cæca & stulta, ipsa sua vincula osculatur & amat. Quod si jam in tenebroso carcere pravæ consuetudinis scintilla parva Divini luminis splenduerit, ut videat ubi est, tunc quasi de profundo somno excitata, vociferantis sponsi clamorem quasi de longinquo subaudiens, cæcutiens, attonita *Cant. 2.* inæqualibus passibus, cordis ostium prope accedit, & benignus sponsus, qui stat post pa- *Ibid. 5.* rietem nostrum, manum mittit per foramen desiderii quod ipse fecit, & ad tactum ejus venter hæsitantis intremuit, sicque commota dilecto suo pessulum ostii aperit, ingressusque totam replet suavitate, & innumeris deliciis afficit, virtute vestit, charitateque decorat eam. *Psal. 68.*

XVI. Hæc tam longius prosecuti sumus, ut ostendamus amoris Dei fructum, & præmium, & tepentia corda nostra, vel ipsa cupiditate mercedis ad dilectionem Dei excitaremus. Durus nimium est, qui nec pretio acquiescit amare. Sed forte aliquis dubitarit, nunquid liceat diligere propter præmium & utilitatem aliquam ab ipso? hujusmodi enim affectio mercenaria videtur, & qui sic diligit, non Deum, sed præmium amare videtur; ut enim ait Bernardus (*a*), amor (*a*) præmium habet, sed non quærit, affectus est non contractus, præmium amoris ipsum amatum est, seipso solo contentus est, & sibi soli sufficit. Castus amor a seipso incipit, & in seipsum desinit, & suis finibus circumscribitur. Amor causam & finem ex se non quærit: amo, quia amo, amo, ut amer; abutitur amore qui eum extra seipsum ducit, & in aliud extrinsecum alienat. Injuriam igitur videtur irrogare in Deum, & non obsequium, qui ipsum non propter se diligit, sed propter aliud concupiscit: fruendis uti summa perversitas est, & Propheta hoc ipsum exprobrare videtur, ubi ait: *Confitebitur* *Psal. 48.* *tibi cum benefeceris ei*. Quid ergo, si ita est, nunquid non licebit filiis expectare a patre suo hæreditatem, & laborantibus suorum laborum fructum exquirere? Tolle spem futuri solatii, quis aggredietur fortia, & quis contemnet sæculi hujus blandimenta? Tolle coronam, quis aggredietur certamen? Tolle bravium, quis accingetur ad cursum? Quis poterit in somnis desides excitare, agonizantes confortare, infirmos erigere, ni ex futurorum bonorum ampliſſima retributione & uberrimo fructu? Modo laborabit agricola & proscindet terram & sparget sementem, *2. Tim. 2.* si non expectata fuerit in tempore suo frugum ubertas? Apostolus post certaminis & *Ibid. 4.* cursus laborem, repositam sibi coronam justitiæ gloriatur, & psalmographus Propheta, ob mandatorum Dei observationem grandem sibi proponit retributionem, dicens: *Servus* *Psal. 18.* *tuus custodit ea, in custodiendis illis, retributio multa*, tepidus est amor, quem spes non excitat, & amoris virtus spes est. Non ergo amorem enervat, imo roborat, non decolorat, imo decorat adjuncta spes, jucundus amor in se, sed fortis amor in spe.

XVII.

(*a*) Vide tract. de Diligendo Deo cap. 7.

XVII. Quid ergo dicemus ad hoc? Utrinque enim non modica ambiguitas insurgit: sed ista facile tollitur, si medio itinere procedatur, ut neque amor evacuet spem, nec spes amorem faciat mercenarium, quod fiet, si quicquid expectabitur a magnificentia largitoris, totum propter ipsum, & ad ipsum tanquam in finem referatur. Non dico tibi, ut sine præmio diligas Deum, sed ut dilectionis ejus ipsum Deum requiras præmium: & si quid aliud ab eo requiris, propter ipsum, & ad ipsum requiras; alias imperfecte facis, si Deum solo affectu commodi & utilitatis diligas. Qui enim alium diligit solum propter commodum, quod ab illo expectat, gratus alteri non est talis amicus. Desiderium ergo futuræ felicitatis, vel cujuscunque alterius præmii, aut de sola concupiscentia nascitur, ut solum bene tibi sit per eam, & sic non est perfecta, licet sit licita talis affectio; charitas autem amicitia est perfecta, quia scilicet per eam Deo magis adjungi, ac uniri desideras; & talis affectio sancta est & rectissima, qua stante, si quid adhuc cupiditatis adjunctum fuerit, ita tamen ut propter hoc & ad hoc placeat tibi quæcunque commoditas vel jucunditas in felicitate, ut Deo fini tuo adjungaris, & eidem placeas & eo perfruaris, non est hoc illicitum, sed perfectum. Omnia igitur non modo spiritualia, verum & temporalia licite & sancte ab eo, quem diligimus, Deo nostro, & expectare, & petere sine offensionis scrupulo poterimus: erit autem perfectum opus, si totum hoc ad hoc quæramus, ut per hæc & ipsi magis placeamus, & illi melius serviamus, ita ut non tam donum placeat, quam manus largientis, & ipsum munus in gloriam largitoris referatur. Sed jam tempus est ut ad laudem hujus tam glorioſæ fœminæ redeamus, & postquam ostendimus rationes quas habuit, ut diligeret multum, nunc signa, quibus hanc eximiam dilectionem monstraverit, aperiamus. Amor ignis est cujus ardor occultus & flamma publica, dissimulata quantumvis, abscondi non valet, amor simulare nequit, nec dissimulari, si poteris abscondere solem, poteris & celare amorem: necesse enim est, ut saltem conjecturalibus signis erumpat foras, & in publicum fiat tam potens, tamque generosus affectus, dum semel animum occupaverit.

XVIII. Signa autem ejus quis ignorat, nisi qui & ignorat amare? Plurima enim sunt veræ dilectionis, & non fictæ charitatis. Tria tamen præcipua sunt indicia, jucunda scilicet conversatio, difficilium aggressio, desiderabilium renuntiatio. Jucunda enim & suavis est diligenti aspectus & præsentia dilecti, ubi nec tempus sentitur, nec animus lassatur grato consortio, & mutuo colloquio. Amantium nunquam contemnuntur, nunquam fastidiuntur gratæ collocutiones, repetita colloquia & frequentata se diligentium obsequia; sed nescio quid intimius anhelant, cupiunt ut unus sit animus, quorum est unus affectus, & si fieri posset, ut amans omnino transeat in amatum. Valuit hoc solus ille infinitus amor Divinarum personarum Trinitatem, & unitatem constituens & colligens in vinculo pacis, ut inquit Bernardus (*a*); cum enim amor virtus sit transformativa, infinita vis amoris infinitam facit transformationem: infinita autem unitas identitas est. Sic ergo personæ Divinæ quas distinguit proprietas, identificat charitas, nec poterat etiam perfectissima fruitio se diligentium personarum quietari, nisi fuisset earundem tam consummata indivisio. Quomodo enim satiari poterat infinitus ille ardor amoris, quo Pater diligit Filium, nisi eorundem Spiritus sancti & Filii tam perfectissima & completissima esset unio, qua major nec esse, nec cogitari posset? Hæc autem identitas est, sine qua transformativi amoris non ad plenum potest satiari sitibunda Divinitatis anhelatio, nec quietari infinitum desiderium infinitæ charitatis. Est enim amor quo perfectior eo potentior: unde fit ut spiritualis dilectio multo suavior, multo jucundior, multo permanentior sit, quam affectus carnalis, & se carnaliter diligentium. Triplex enim est amor, ut inquit Bernardus (*b*), bonus, indifferens, & malus. Amor carnalis concupiscentia est, nec amor est in veritate, neque tali nomine dignus. Amor indifferens, est amor naturalis, aut mundanus se sine crimine diligentium. Amor bonus est *charitas de corde puro, & bona conscientia, & fide non ficta*, qui sicut pretiosior est, ita & rarus. Non enim facile est humano in animo reperire margaritam: non enim ex animo, sed ex cœlo, non partus solius cordis, sed gratiæ etiam munus, *& donum desursum descendens a patre luminum*. Horum autem tertius amor, quanto cæteris purior, tanto dulcior, & suavior, & gratior. Absit, absit, ut tanta unquam reperiatur suavitas & jucunditas, in mundanis istis affectionibus, quanta in spiritualibus.

(*a*)

(*b*) *1. Tim. 1.*

Jacob. 1.

XIX. Quanto putamus gratiorem fuisse Mariæ Magdalenæ unigeniti Filii Dei incarnati, tam intimam, tamque frequentatam consuetudinem? Ostendit lectio Euangelici textus, quando receptus hospitio Dominus, Martha circa ministerium solicita laborabat; Maria vero ad pedes Domini sedens ejus doctrina pascebatur quieta: absorpta enim ac veluti in ecstasi posita, in illius Divini vultus contemplatione, & in mellifluo sermonis Dominici auditu, quid exterius opus esset ad tanti hospitis ministerium penitus ignorabat. Soror cujus fuerat patientior amoris vis, de stupore dormientis in pace in idipsum, veluti de otio, & incuria conquesta inter-

(*a*) Vide Serm. 71. in Cant. (*b*) Serm. 20. in Cant. num. 9.

Lucæ 10. pellat Dominum. *Domine non eſt tibi curæ?* ac ſi diceret: Quare iſtam deſidioſam, ac veluti attonitam ad pedes tuos hoc tempore ſedere permittis? Nunquid non videt quantus hoſpes hoſpitio receptus ſit? non recogitat ſudores itineris, fatigationem continui laboris? Paſcendi ipſius hoc eſt, non audiendi tempus, parandæ menſæ, non recipiendæ doctrinæ: qualis pudor fameſcenti Domino, & fatigato ad pedes ejus ſedere, & nihil de illius ſolatio ſolicitam eſſe? Quæ incuria hæc eſt? quæ deſidia? nihil curare comedat necne Dominus: proh contumeliam, proh contemptum! Nulla hic contumelia, ait illa, nihil horum curo, nihil ſolicitor fameſcat necne; ſive paſcatur, ſive non, nihil horum curo, nihil horum ſolicita ſum, inquit, ego dulciſſimo cibo paſcor, cœleſti nectare reficior, ſi cœleſtes hoſpites gravantur mora, ſi turbantur incuria, ſi quis me deſidem, aut inertem vocat, ſi quis indignatur, ſi quis iraſcitur, ſi quis murmurat, nihil me pudet, nihil confundor; quoniam quicquid accidere poteſt parata ſum pati, dummodo nemo mihi igniti eloquii, & ſuaviſſimæ præſentiæ ſolatia impediat, aut jucundæ converſationis ejus dilectionem ſurripiat. O miram vim amoris! Omnia contemnit, omnia vincit amor, nulla lege regitur, nullis præceptis coercetur, nullis cedit obſtaculis, nullis funibus irretitur: contemnit omnia, ſuppeditat omnia, omnia ſibi licere putat, ſibi ſoli lex & ratio, ſolius ſui ſolicitus. Audiſtis unquam juſtiorem querimoniam, æquiorem cauſam, quam fuerit iſta hoſpitantis Marthæ? Quæ inſolentior, aut negligentior mulier videri potuit, quam Maria? tamen qui noverat cordis ejus ardorem, non ſolum non damnat, verum etiam commendat illius otium, magis quam ſororis officium. Vindicavit ſibi in partes ſuas rectiſſimum judicem vis amoris, & cauſam injuſtam ſibi fecit juſtam ex injuſta, & pro ſua parte, quaſi optimus advocatus flectit judicem ferre ſententiam. Quanta pietas, quantus valor charitatis!

XX. Simile quiddam accidiſſe in domo Si-
Lucæ 7. monis Leproſi, hodiernæ lectionis ſeries narravit: ſedente namque Domino ad menſam Phariſæi, ingreſſa eſt mulier collacrymans, & ejulans laniata crines, conſciſſa veſtes, furentis atque deplorantis funera perſimilis; & vere ſic erat, nam animæ ſuæ funera deplorabat. Ingreditur igitur importuna quidem convivio, ſed opportuna beneficio, generoſitatem ſtatus ſui fœmineique ſexus verecundiam oblita, offendere convivantes, aut offendi ab eis minime curans, tacitaque ſua voce ſine prece, ad pedes ſedentis, quem bene noverat, advoluta, lacrymis eos rigabat, capillis capitis ſui eos tergebat. Quid effrænatius, quid inſolentius, quid inconſultius? tam ſine modo, tam ſine tempore, tam ſine menſura, tam ſine ratione? nunquid non expectaret modicum, ut Dominus

A exiret de domo Phariſæi? aut in eadem ipſa domo poſt convivium? Unde hoc? Quia dilexit multum, & dilectio neſcit ſupportare moram: ob dilectionem non potuit ſe abſtinere, ut ſola ægrota ſoli medico vulnera ſua oſtenderet: ſed verum ſic eſt, non eſt nimius amor, qui in rebus modum ponit, aut rationis modum exquirit. Nam modus amoris eſt omnia facere ſine modo, & ejus ratio nullam attendere rationem: ipſe enim ſpiritualis amor omni lege, omni ratione, omni modo (ipſe lex, & ratio, & modus) ſuperior eſt. Conqueratur ergo prout voluerit
B Martha, & interpellet Dominum adverſum ſororem ſuam: non poterit enim ſuis querimoniis eam a pedibus dilecti ſui amovere. Sic enim ea ibi confixa erat clavis, & irretita erat funibus amoris illius, ut nulla vi poſſit inde divelli. Sine ergo illam, ſine, obſecro, Martha: ardet enim amore intus, & flagrat ardoribus charitatis. Noli eam accuſare, noli vexare: nec enim aliud facere in manu amantis eſt. Quid eam turbas? quid ejus ſolatia impedis? Sede tu potius ad pedes Domini & experire, quoniam vere *optimam partem elegit* ſibi Maria. Sed, ſi placet, hoc ſororis litigium in nobis frequenter fieri attendamus. Si cui aliquando ſedere ad pedes Domini conceſſum eſt, & audire ex ore illius, auditu cordis intimo verba melliflua, tunc jam non auditu tantum, ſed experientia teſte agnoſcit, quoniam *ſpiritus* ejus *ſuper mel dulcis*, & præſentia illius *ſuper mel & favum*: deſiderat illic anima ſic perpetuo manere, dicens cum Petro: quoniam *bonum eſt nos hic eſſe*. Non modo temporalis vanitatis, ſed fraternæ charitatis oblita, & omnibus officiis pietatis erga proximos poſthabitis, uni ſoli ſpirituali otio vacare cupit: ſed hæc non patitur importuna ſoror, inimica quietis caro, ſed inſtat ſedentis animæ Domini concupiſcens deliciis frui, ſed remurmurans atque ſtrepens quietum ſpiritum ſolicitat, curaſque ingerit, & renitentem cogit, relicto ſolatio internæ dulcedinis a pedibus Domini ſurgere, & curis ſæcularibus deſervire. Nec eſt qui reſpondeat illi, & tam glorioſum otium ab importuna ſolicitatione defendat: uſque dum veniat tempus, quando requieſcat *in pace in idipſum*, quando *cantet tibi gloria mea, & non compungar*.

Lucæ 10.

Eccli. 24.

Matt. 17.

Pſal. 4. *Pſal.* 29.

E XXI. Cæterum pudet me Domine, pudet quoniam temporalibus libenter cum lætitia incumbo, nec die ac nocte in eorum exercitio aggravor, ſed miniſterio tuo cum gravedine quadam & torpore mentis adhæreo, & hoc eſt ſignum, quoniam modicum amoris tui, & multum terreni amoris in me eſt. Neceſſe eſt enim quemcunque in eo delectari quod amat, nec amoris aliud apertius teſtimonium, quam iſta delectatio eſt. Sed jam ad ſecundum ſignum amoris tranſeamus, quod eſt terribilium & difficilium pro amore dilecti aggreſſio. Audite, Fratres, miram amoris

vir-

virtutem: neſcio quo pacto affectus iſte potentior eſt ad exteros, quam ad ſuos, & ad ſeipſum patientior, quam ad alium: injuſtitias proprias & convitia homo patientius ſuſtinet, quam amici, & pro ſeipſo cum gravedine quadam & tarditate aggreditur homo ea, quæ pro amico cum alacritate & celeritate intentat. Sed neque in nobis hoc tam apertum, quam in brutis: in eis enim amoris virtus, quo rationis fræno liberior, ideo ferventior & apertior. Infirma avis gallina rapienti pullos veluti aquila irruit in vultum: mitis equa lupum invadentem in pignoris protectionem veluti leæna congreditur: vacca ſimiliter alioquin manſueta in tauri furorem convertitur, ut vitulum ſuum ab urſo vel lupo fameſcente eripiat. Mira vis amoris! exponit fera quod eſt, ut ſalvet filium; ſui obliviſcitur, neque eſt conſideratio quanta ſit, aut crudelitas, aut potentia rapientis, cuique ferocitati parata eſt parens pro pignoribus objici, neque ſuas nec alienas vires advertit; credit infirma avis giganteas ſe habere vires in artubus infirmis, in corpore tenello, & audet congredi cum quovis animali amore adacta. Quam undique mirificus, undique prodigioſus eſt affectus iſte amoris! Sed obſecro, quæ fera potentius & ardentius opponit ſe prædanti pro ſuo pignore, quam iſta fœmina pro ſuo dilecto? Viderat prius laniati corporis, & ſparſi ſanguinis dirum ſpectaculum; viderat horrendum crucis tormentum, innumeras
Lucæ 23. injurias blaſphemantium, & pendentem in patibulo propriis oculis conſpexerat, & poſt modicum tranſacto Sabbato unguenta parat defuncto, & perteſa nimium illius noctis longitudinis, pervigil matutinos expectabat fulgores, moræ impatiens præ amore, nec conſiderat, quoniam corpus, cui parat unguenta, militibus pluribus cuſtoditur, & ſepulchrum ejus undique armatis vallatur.

XXII. Obſecro te Maria, qua audacia mulier tenera, inermis, in occurſum pergis armatis? Quo furore ſacri corporis prædam exiſtimas a tam multis cuſtodibus rapere? nunquid non attendes gentis hujus crudelitatem, ſimul & perverſitatem? nonne vidiſti atroces cruciatus diei præteriti? ſimilia tibi tormenta & opprobria irrogabunt, ſi te ad ſepulchrum cuſtodes deprehenderint, furari te voluiſſe cauſabuntur, & latrocinii pœnas exigent. Fervet gens iſta crucifixi Domini odio, & ſi te fautricem ejus repererint, pro tua hac pietate crudelibus tormentis afficient. Nihil iſtorum curabat hujus ſanctæ mulieris ardens amor, & in nullo de ſeipſa ſoli dilecto intenta erat, quod ſibi evenire poterat contemnebat, ut exanimi corpori pietatis officium impenderet. Attendite Fratres, qua dilectione proſequebatur vivum magiſtrum, quæ etiam pro mortuo ſe exponit morti, non minus pro defuncto, quam prius fuerat officioſa viventi. Sed quod magis admiror, & me penitus in ſtuporem inducit, non ſolum quid ſibi accidere poterat, non curabat, ſed etiam qua via pertingere poſſet ad id quod volebat, non attendebat. Nam tu jam o Maria mori parata es, & omnes cruciatus pati pro Chriſto decreviſti, nunquid facies quod exoptas? dabitur tibi facultas ungendi corpus, & deoſculandi pedes, & ſacratiſſima vulnera liniendi? fugare putas, an placare cuſtodes? Si fugare, ubi exercitus? ſi placare, ubi munus? ſine armis, aut ſine pecunia non cedit armatus, non recedit cuſtos. Solius lapidis memorata eſt gravedinem dum iret in itinere, ait enim: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* *Marc. 16.* quaſi non major difficultas & periculum eſſet in milite, quam in lapide. Video iterum, quam ſine conſilio & ratione omnia diſponat beatiſſima mulier, ſolo amoris impetu & pio furore commota: nec tamen fraudata eſt a deſiderio ſuo; nam *Pſal. 77.* quod impoſſibile videbatur, ſponte ſe obtulit: multo enim plus reperit, quam expectare potuit, ſic *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* *Rom. 8.* Non morabitur jam in tertio amoris ſigno, ſi pretioſiſſima quæque pro Domino contempſit, quæ ſeipſam quoque pro eodem ſic abnegavit.

XXIII. Non ſolum enim, ut ſuccincte multa tranſmittamus, facultates ampliſſimas, & ſæculi hujus omnes delicias, honores, potentiam, & quicquid in eo deſiderabile eſt, contempſit, & penitus reliquit: ſed etiam apoſtolica mulier poſtquam poſt Chriſti aſcenſionem Euangelium prædicavit, multaſque ad Chriſtum animas convertit, poſt longa itinera & nimios labores, poſt frequentes populi Judæorum contumelias, pro veræ fidei confeſſione, prolixam vitæ hujus diuturnitatem moleſte ferens, ad eremum in fine ſolitaria perrexit, ubi ſe totam in ſponſi ſui contemplationem tradidit, quamdiu non permittebatur jucundiſſima illius perfrui viſione. Vitam itaque cœleſtem in terris degens, in humanis artubus Angelicam perſonam agebat, ſine cibo, ſine potu, ſine veſte, ſolis cœleſtibus inhians, ſolis perpetuis intenta, per vaſtam illam ſolitudinem anxia diſcurrens. Non aliter quam cerva vulnerata ſagittis veneno infectis, dum ſuccenditur viſcerum calore, & præcordialibus ardoribus æſtuans, algentis aquæ ſolatia quærit: ſic dilecta iſta Domini ſui deſiderio ſitibunda, & flagrantis amoris vulnerata ſagittis, diebus ac noctibus cum Propheta Domino concinebat: Sicut *cervus deſiderat ad fontes aquarum*, *Pſal. 41.* corpus quidem fundebat pavimento, ſed jam animam incluſerat cœlo, deplorabat aſſidue moras exilii ſui: inflammata itaque deſiderio illius, quem tam ardenter amabat, ſolitudinem illam ſingultibus, atque clamoribus totam replebat, catervas illas cœleſtes ſpiritus continuis deprecationibus conteſtans: *Adjuro vos filiæ Jeruſalem*, ut ſi inveneritis dilectum, annuntietis ei, quia amore ardeo, annuntiate ei animæ meæ ſitientis, *Cant. 3.* *Ibid. 5.*

nun-

nuntiate cordis ardorem: si forte tam anxie quærenti dignatus sit apparere. O quam distantia extrema, quam discrepans finis ab exordio vitæ!

XXIV. Placet nunc convenire mulierem solitariam solis caloribus adustam, corpore quidem Æthiopissam, sed anima fulgidam, inter rupes & cautes & montium convexa commorantem, leonibus, ursis, & scorpionibus sociam, & percontari eam: Nunquid non tu Magdalena illa potens & nobilis, quæ quondam rivalium oculos tua pulchritudine detinebas, mentesque hominum decore tuo nimio enervabas? Nunquid non tu insignis illa peccatrix & delicioſa, quæ mundi hujus inanes pompas, longo apparatu, superfluoque fastu ducebas? Ubi, obsecro, tam multæ divitiæ, ubi turba ministrantium, ubi splendor vestium, ubi mollities unguentorum, ubi ciborum numerosa congeries, ubi thorus delitiosus, ubi ampla ædificia? Ubi regalis pompa, gemmarum candor, sericus ornatus, & coruscantis auri fulgor? Quænam mutatio hæc, quæ vitæ forma? quid
Cant. 1. tibi & eremo? *Nolite*, inquit, *me considerare quod fusca sim*, quoniam *decoloravit me sol*, non iste sol qui exteriora mei corporis membra denigravit, sed sol iste justitiæ, sol inaccessibilis charitatis, cujus amore flagro, cujus splendoribus succendor, hic me decoloravit, hic omnem fucum terrenæ vanitatis in me penitus absumpsit. Potentis virtutis
Psal. 76. illius omnis ista mutatio est: agnosco jam vere o beata mulier, quoniam omnia illa sæcularia non tam reliquisti, quam commutasti: pro famulorum namque ministrantium caterva, Angelicos spiritus quotidie habes in ministerio, & pulchritudinem corporis, & ornatum in mentis decorem, mundanos affectus in cœlestia desideria commutasti: Angelos pro rivalibus amatores suscepisti, cœlestibus dapibus pro terrenis fungeris, & pro coruscantibus gemmis, meliores multo & pretiosiores animæ margaritas invenisti. O vere felix & nimium feliciſſima, quæ corporis adhuc ergastulo clausa, cœlestibus jam agminibus associari meruisti, Angelicisque choris inserta mirificos cantus simul cum illis Domino personabas! Quis unquam vidit tale? aut quis huic audijt simile? cui unquam Sanctorum tantum concessum est, ut in hoc pavimento, & vita adhuc mortali stipatus, & inter Angelos vivens, & eorum colloquio, conversatione & solatio, veluti jam in cœlo degens fungeretur. Quandoque videre Angelum ad vitæ sanctimoniam satis erat, cæterum quotidie Angelica societate perfrui insignis admodum prærogativæ & extremæ omnino dignitatis fuit. Dilexisti multum o Maria, sed nec frustra aut incassum: multum enim amplius ab eo dilecta es, qui te & in hac vita tam insigni sanctitate, & tam multiplici gratia decoravit. Qualis nunc est regnantis gloria, qualis spiritus triumphantis, si tanta excellentia militantis?

XXV. Sed ad vos, Fratres, nostra convertatur oratio: audistis teneræ atque delicatæ fœminæ tam duram, tam rigidam, tamque diuturnam pœnitentiam, triginta enim annis, ut dicitur, solitariam duxit vitam, disparique Angelorum, brutorumque commitatu sociata. Quid nos dicturi sumus peccatores, onusti criminum multitudine prægravante, ad scelera potentes, ad agendam pœnitentiam imbecilles? Quis accusabit jam fragilitatem suam? quis prætexet corporis teneritudinem, cum ista fœmina delicata, quæ tamdiu fuerat in deliciis, tantum rigorem & asperitatem vitæ tam longo tempore sustinuerit? Valuit hæc in asperis montibus habitare, terra nuda dormire, cibis agrestibus vitam sustentare: & tu vir barbatus & durus, tenuissimos labores, & vitæ communem temperantiam, durissimam reputas pœnitentiam? Nullus itaque excusandæ imbecillitatis relictus est locus; potentior est quam creditur homo, & multo quam putatur valentior: rei indicium fuit beata fœmina, quam idcirco credendum est Dominum voluisse in corpore tamdiu manere, & in vasta eremo habitare; ut sicut illam remittendo peccata futuris sæculis exemplum misericordiæ reliquerat, ita etiam vitæ asperitate eadem pœnitentiæ fuerit cunctis spectaculum, ut etiam inde peccator, & ad sperandam veniam, & ad agendam pœnitentiam invalesceret, essetque in ea & sperandæ & consequendæ veniæ documentum. Frustra enim speratur commissi criminis venia ab eo qui negligit pœnitentiam. Nemo igitur sibi blandiatur, quia Magdalena ita faciliter consecuta est veniam, & misericordiam, sed potius ejus recogitet pœnitentiam. Postquam enim audierat peccatorum suorum indulgentiam, & postquam secura facta fuerat, adhuc tamen non contemnit pœnitere, quæ se meminit deliquisse. Tu autem nondum audisti vocem Domini peccata tua remittentis, & in tanto discrimine, & periculo male securus dormis, & quasi recepta venia negligis pœnitere? Sed si infirmus es, & negligens in pœnitendo; saltem non amare negligas: audi quod dictum est a Domino de hac muliere: remittuntur ei peccata, quia dilexit multum. Hunc enim adhuc omiseramus amoris eximium fructum, peccatorum scilicet remissionem: non enim solo dolore, sed etiam amore peccata delentur. Isaias testatur: *Si abluerit*, inquit, *Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii & spiritu ardoris*, spiritum judicii dolorem; spiritum ardoris amorem nuncupavit. Hæc duo antidota sunt salutis, his medicamentis peccatorum lepra curatur, morbus expellitur, salus redit, vita servatur, & ad perennem gloriam denique pervenitur, præstante misericordia Domini nostri Jesu Christi. Amen. *Isaiæ* 4.

IN

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ CONCIO.

DE TEMPLO SPIRITUALI.

Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. 1. Corinth. 3. v. 17.

I. MIRABITUR forte quiſpiam, quod iſtis parietibus & lapidibus Sancta Mater Eccleſia feſtum faciat: nam feſta ad honorem Dei, & Sanctorum ſunt inſtituta. Sed ſi hic diligentius conſiderare voluerit, reperiet hunc ritum antiquiſſimum eſſe, & a Domino obtinuiſſe authoritatem: ipſe enim cum aliis hoc feſtum celebravit; ſic Euangeliſta ait: *Joan. 10.* *Facta ſunt Encænia Jeroſolymis, & hiems erat, & ambulabat Jeſus in porticu Salomonis.* Encænia enim feſtum dedicationis templi erat, *3. Reg. 8.* & Salomon magnifico illo templo conſtructo, cum ipſum Domino dedicare voluit, congregato omni populo præclaram egit feſtivitatem quatuordecim diebus, & deinde per ſingulos annos hujus dedicationis anniverſaria feſtivitas agebatur. Antiquior itaque eſt ritus ſolemnitatis templorum, quam Sanctorum, nam in toto illo ſynagogæ tempore nullius Sanctorum feſtum legimus celebratum, neque Moyſi, neque David, neque Samuelis, neque Abrahæ, neque alterius cujuſpiam Prophetarum, & Patriarcharum; cum tamen per ſingulos annos a tempore Salomonis, hujuſmodi templi dedicatio coleretur. Quid ergo mirum ſi nos impendamus veritati, quod illi figuræ tribuebant? quanto ſanctiora ſunt noſtra templa, quam illud magnificum Salomonis? in illo arca lignea, in hoc Dei majeſtas reſidet: in illo animalia comburuntur, in hoc corpus Chriſti immaculatum, & pretioſus ſanguis offertur: in illo *Rom. 8.* pueri circumciſi, ut filii Abraham præſentantur, in iſto infantes baptizati, filii Dei conſtituuntur: in illo frugum primitiæ dedicantur, in hoc primitiæ ſpiritus, id eſt, vituli labiorum & laudes devotiſſime cum gratiarum actionibus indeſinenter Domino offeruntur. Vide nunc templum templo quid intereſt, feſtivitas feſtivitati quid præſtat.

II. Heu! pudet illorum temporum recordari, quoties illorum venerationem & cultum, & noſtram irreverentiam & tepiditatem intueor. Quid putas feciſſet David, quid Elias, quid Samuel, Iſaias, Daniel, A & cæteri Sanctorum, ſi Dei majeſtatem in ſuis delubris præſentem ſicut nos habuiſſent? quo honore, quo timore, qua devotione, qua reverentia coluiſſent? Qui ſic venerabantur umbram, quomodo ipſam coluiſſent veritatem? In Moyſi tabernaculo ſoli ſacerdotes, *Exod. 28.* & veſtibus ſacerdotalibus induti, & nudis pedibus & ablutis, cum ſummo ſilentio & obſervantia intrabant: & hebdomada qua intraturi erant, vinum & ſiceram non bibebant. In noſtris autem templis cum venerandum illud & Angelicis ſpiritibus ac Poteſtatibus tremendum ſacrificium offertur, B quantus puerorum ſtrepitus, quantus loquentium & deambulantium ſonitus, quantum inter divinas laudes ridentium & negotiantium murmur? Nulla devotio, nullus ordo, nulla reverentia, nullus Divinæ majeſtatis reſpectus, ſed neglecta omnia, confuſa omnia, dejecta omnia. Taceo interim templorum immunditiam, altarium ſordes, ſacrorum corporalium, & ornamentorum neglectum. Quid putas, qualis eſt fides, qualis devotio ſacerdotis, qui corpus Chriſti de Virgine natum, in virgineo ſepulchro reconditum, in ſindone munda involutum, C puriſſimum & ſacratiſſimum hujuſmodi linteis corporalibus imponit? Eſt ne iſte Chriſtianus? Credit ne iſte quod offert? Si credit, quomodo audet? quomodo negligit? Sed nimirum non eſt purior illius conſcientia, neque mundior vita, pectus illius fœda ſentina eſt, in quam corpus Domini ſanctiſſimum immittere non formidat.

III. Sed ad propoſitum redeamus: ſi noſtrorum templorum ſanctitatem & dignitatem attentius conſideremus, non mirabimur ſi in honorem eorum feſtum ab Eccleſia celebretur, omni namque cultu & veneratione D digniſſima ſunt: ſed tamen, ut divus Bernardus ait (*a*), non tam his materialibus, (*a*) quam ſpiritualibus templis hæc ſolemnitas impenditur, & cum hoc agitur, aliud intelligitur. Noſtra eſt hæc ſolemnitas, nobis agitur hæc feſtivitas. Unde Auguſtinus (*b*): (*b*) Quotieſcunque fratres chariſſimi altaris vel templi ſolemnitatem colimus, ſi fideliter & diligenter attendimus, & ſancte ac juſte vivimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis ſpirituali ædificatione com-

(*a*) Vide Serm. 1. in Dedic. Eccleſiæ.
(*b*) Serm. 229. num. 1. ex rejectis in Append., alias de tempore 252.

completur. Non enim mentitus est ille qui
1. Cor. 3. dixit: *Templum Dei sanctum, est quod estis vos*. Animarum itaque sanctarum hoc festum est spiritualiter intellectum: illæ enim sunt templa viva Dei viventis; quod si in corporalibus Deus colendus est, quid sunt omnia templa mundi ad illam mirabilem, magnificam & ampliſſimam fabricam, quam manus ejus formaverunt? Cum dedicaret Salomon templum illud magnum, cœli altitudine & magnitudine considerata, vilis visa est ei om-
3. Reg. 8. nis illa artificum structura, unde ait: *Cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavit?* At anima sancta dignior, illustrior, capacior est cœlo: neque enim eam replere sufficit totus mundus: ad imaginem Dei facta est, & ideo in illa Dominus requiescit, sic quædam anima sancta
Eccli. 24. ait: *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Sanctæ ergo animæ veriſſima & sacratiſſima templa Dei sunt. Unde Apostolus:
1. Cor. 3. An *nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Quod si non
Joan. 14. creditis, credite illi qui dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; & alibi: *In-*
2. Cor. 6. *habitabo in illis, & inambulabo inter eos*.

IV. Grandis animæ capacitas, in qua non solum inhabitandi, sed & inambulandi locus est. Quid namque sunt animæ justæ potentiæ, nisi ampliſſima Dei deambulatoria? Quotiescunque ergo bonorum desideriorum & affectionum motus, contritionis stimulos, devotionis ardores, in teipso persenseris; gressus Dei & vestigia Spiritus sancti in templo suo deambulantis agnosce. O inæstimabilis dignatio pietatis! Cum sint tibi in cœlo tam splendida, tam ampla, tam decora palatia, tam illustria & tam insignia cœlestium Potestatum, & beatorum spirituum templa magnifica quibus inhabitas; non dedignaris Domine paupercula & abjecta animarum nostrarum tuguria intrare, & habitare in nobis. Quid tibi Domine pro tanto beneficio im-
Job 7. pendemus? *Quid est homo, quia* sic *magnificas eum? aut* quia sic *apponis erga eum cor tuum?* ut cum tibi a tot millibus Potestatum & Principatibus serviatur, & sedeas super
Psal. 79. Cherubim; nostra tamen domicilia non modo non spernas, sed & in eis glorieris, &
Prov. 8. dicas: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. In hoc vero Dei incolatu potiſſimum illud miraculum non reticebo: quod cum anima nostra infima sit omnium spirituum, & Deus omnium sit altiſſimus & supremus, nullius alterius spiritus capax est, nisi solius Dei.
(a) Unde Bernardus (a): Illud autem scitote nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet ita nobis infundatur, quod ejus participatione docti, sive doctiores, boni, sive meliores efficiamur; nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax; neque ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogativa hæc summo ac incircumscripto Spiritui: solus itaque Deus inhabitator est mentium, solius Dei templum anima est: non Angeli, non Archangeli, aut alterius cujusvis spiritus. Solus illabitur menti, solus sic unitur, sic intime insinuatur, ut vere dictum sit: *Qui*
1. Cor. 6. *adhæret* Deo, *unus spiritus est* cum eo. Immittitur quidem Angelus & inspirat, sed in circuitu timentium, a foris non intime sicut
Psal. 33. Deus.

V. Exemplum hujus accipe in ipso corpore humano quod domus est animæ, sicut anima domus est Dei: huic Angelus potest quidem adesse, sed non inesse: ipsum potest intrare, sed non informare: neque illi potest uniri sicut anima cujus domus est, sic ut ipsi vitam, sensum, vigorem, fortitudinem, & pulchritudinem præbeat, & cum illo unum suppositum aut personam constituat. Eodem modo Deus animæ quam inhabitat, sic unitur, licet forma ejus non sit, ut eam vivificet, & vitales in ea motus & operationes efficiat, eidem vitam, sensum, motum, vigorem, decorem, & fortitudinem, sua illa intima præsentia, & vitali unione tribuendo; quoniam Angelus quantumvis adsit animæ, unibilis non est. Quod ergo anima præstat corpori, hoc & multo perfectius Deus præstat animæ: nam anima animæ quodammodo dici potest. Quis namque divitias gloriæ illius domus, quam habitat, explicare sufficiet? Vidisti aliquando nubem atram, turbidam, vilem vaporem a terra sublatum, quid illa deformius? infunditur in ea solaris radius, quid ea pulchrius? quid illustrius, quid formosius? Sic omnino, sic est anima cui illabitur Deus: non videtur ejus gloria, sed multo illustrior est. O si videretur! o si posset seipsam talis anima intueri! quam facile omnia mundi oblectamenta contemneret, & quicquid in eo pulchrum videtur, velut ster-
Phil. 3. cora reputaret. Indicium tamen hujus gloriæ Sanctorum reliquiis aperte monstratur, ad quorum sepulchra mortui suscitantur, leprosi mundantur, infirmi curantur, & innumera miracula frequenter fiunt. Unde illis ossibus, quæso, tanta virtus, ut hæc potentissima & præclariſſima opera faciant, nisi quia templum Dei quandoque fuerunt, & Spiritus sanctus habitavit in eis? Si sic, Domine, honorantur ossa marcentia, eo quod fuerint & futura sint domicilium sanctarum animarum: qualis erit honor & decor animarum propter inhabitantem Deum? Si hæc facit pulvis & cinis Sanctorum dispersus in terris, quid non poterit eorum spiritus coronatus in cœlis? Satis profecto nobis hoc exteriori indicio demonstratur, & lucet decor & gloria domus tuæ quam inhabitas Deus, de qua Psal. *Domine dilexi decorem*
Psal. 25. *domus*

(a) Serm. 5. in Cant. num. 8. usque ad ea: *Summo, ac incircumscripto Spiritui*, Bernardi verba sunt.

domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

VI. Unde ex hoc penſandum nobis eſt Fratres chariſſimi, cum quanto timore & ſolicitudine cavere debet anima juſti, ne forte in ea aliquid turpe aut indecens inveniatur, quod oculos tantæ majeſtatis offendat. Qua vigilantia ſe debet undequaque cuſtodire, ne vel levi cogitatione, aut deſiderio, aut opere inhabitanti Deo deſpliceat. Grandis honor, ſed grandis timor. Unde Apo-
1.Cor. 3. ſtolus cum dixiſſet: An *neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis*, apte adjecit: *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*, ſi quis enim in hoc ſancto Dei templo, equos & aſinos & porcos immitteret, & ſanctuarium Dei jumentorum ſtabulum & porcorum aram faceret, quam impius & ſacrilegus haberetur; & ſi deſtructis ac raſis Sanctorum imaginibus in eodem loco turpiſſima Bacchi, Jovis, Martiſve ſimulacra, & aliorum dæmoniorum idola audacter & impudenter ſtatueret: quo incendio, quo ſupplicio puniretur? Quid minus facis tu o peccator, qui ſacrum cordis & corporis tui templum vitiis imples, & immunditiis polluis, & ſacrum Dei habitaculum, dæmoniorum ſpurciſſimorum ſtabulum facis, & expulſo Spiritu Dei ſancto, turpiſſima carnalium imaginationum in eo ſimulacra idolaque depingis? Quo putas inferno, quo ſupplicio tantum facinus vindicabitur?
2. Cor. 6. Nam *quis conſenſus templo Dei cum idolis?* Putaſne, quod Deus inter talia ſimulacra habitare dignabitur? Abſit *Spiritus enim ſan-*
Sap. 1. *ctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe a cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur a ſuperveniente iniquitate.* O quanta injuria, qualis impietas Spiritum ſanctum a ſuo pellere tabernaculo, & ſacraria ejus immundis deſideriis & voluptatibus prophanare!

Hebr. 10. VII. De hoc Apoſtolus ad Hebræos: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Deo contumelia fit, ſed peccatorum eſt dam-
Matt. 23. num: *Ecce enim*, inquit, *relinquetur domus*
Iſaiæ 1. *veſtra deſerta.* Et in Iſaia: *Et derelinquetur filia Sion, umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut civitas quæ vaſtatur:* abeunte enim vinitore tugurium colubris & lacertis repletur, quod ſoli combuſtioni derelinquitur. Sic Spiritu ſancto a ſuo ſanctuario recedente, nequiſſimorum dæmoniorum habitaculum fit, vadunt & veniunt in illud horribiles. Et ſic idem Iſaias:
Ibid. 34. Fit *cubile draconum, & paſcua ſtruthionum, & piloſus* clamat *alter ad alterum*, & ingreſſi habitant tibi. Audiat hoc omnis Chriſtianus, audiat omnis Chriſti ſectator, ſed maxime

A hi qui ſe Deo ſpeciali quodam voto, & profeſſione devoverunt & conſecraverunt. Quanto enim ſanctiora ſunt templa & ſacratiora, tanto deteriora & graviora ſunt ſacrilegia. Unde iſtis maxime dicitur per Prophetam: *Sancti eſtote quia ſanctus ſum Dominus Deus* Levit. 19.
veſter. Ac ſi diceret ſanctus eſt Deus, ſanctum quoque ſit templum ejus, ſanctum cor, ſanctum corpus, ſancta lingua, ſancta vita, ſancta converſatio, omnia ſancta; nulla invida cogitatio, nullum deſiderium ſæculare, nullum verbum ſcurrile, nullus motus lubricus, nullus viſus impudicus, nullus actus
B inordinatus in eo, qui ſe Deo dedicavit, appareat. Nam ſicuti Divus Bernardus (*a*) ad (*a*)
Eugenium Pontificem ait: Inter ſæculares nugæ, nugæ ſunt; in ore ſacerdotis blaſphemiæ. Peccata ſæcularium cum cumparantur ad noſtra, quaſi venialia ſunt. Quid enim mirum ſi implicitus curis & negotiis ſæcularibus, aliquando diſcedat a mandato, ſi nos qui ſoli Deo vacamus, inter ſacra vivimus, altaria circundamus, Deo dicati, Deo ſacrati, in domo Dei ſicut in paradiſo converſamur, ſic labimur? Quoties peccamus, toties magnum adverſus Deum facimus ſacrilegium, hoc enim
C eſt, de quo ipſe per Prophetam valde conqueritur, dicens: *Quid eſt, quod dilectus meus in* Jer. 11.
domo mea committit *ſcelera multa?* Et in alio loco dicit: *Si inimicus meus maledixiſſet mi-* Pſal. 54.
bi, ſuſtinuiſſem utique. Tu vero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, &c.

VIII. Sed jam ratio expoſcit ut dicamus, quo ritu, quibuſve cæremoniis, hæc materialia templa Domino conſecrentur & dedicentur, ut eadem in nobis, ſicut diximus, ſi templa Dei ſumus, ſpiritualiter adimplenda ſciamus. Eccleſiæ fidelium a Pontifice dedicantur, & in earum conſecratione hæc quin-
D que fiunt per ordinem, ſcilicet aſperſio, inſcriptio, inunctio, illuminatio, & benedictio: ſic in templo ſuo ſpirituali magnus ille Pontifex ſeriatim hæc omnia facit. Primo, aſpergit eum lavacro fortiſſimo lacrymarum, ut a peccatis mundetur, ſicut ſcriptum eſt in Pſal. *Aſperges me* Domine *hyſſopo, & mun-* Pſal. 50.
dabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Secundo, inſcribit in viſceribus ejus legem ſuam, ſicut ſcriptum eſt in Propheta: *Dabo* Jer. 31.
legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Et alibi: *Lex Dei ejus* Pſal. 36.
E *in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus ejus;* vere *beatus quem tu erudieris Do-* Pſal. 93.
mine, & de lege tua docueris eum. Tertio, inunguntur; ſacra Spiritus ſancti unctio eſt, hoc eſt, ſpiritus fervidus devotionis. Fiunt autem cruces & inunguntur, ut ſcias quia ſine cruce non fit dedicatio, neque ipſa crux tolerabilis eſt ſine unctione: *Qui Chriſti ſunt* Galat. 5.
carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, & ſequi Dominum ſine cruce non poteris, cum ipſe dicat: Qui *vult venire poſt* Matt. 16.
me

(*a*) De Conſid. lib. 2. cap. 13.

me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hæc crux quamvis modica & tenuis, ſi Spiritus ſancti unctio deſit, ſi pectus geſtantis devotione non calet, difficilis eſt & gravis: ſed ſi hac ſacra unctione uncta eſt, non modo levis fit, ſed etiam dulcis & ſuavis, unde jam neque crux eſt. Audiat homo qui regulari profeſſione devinctus, in deliciis & blanditiis quaſi in ſæculo vivit, ac in monaſterio abſque ulla cruce ſe exiſtimat Domino dedicandum. Attendat & quod onus Domini, leve, & jugum ſuave, aſperum & intolerabile judicat, ungat ipſum oleo, & proculdubio, ſicut ſcriptum eſt: *computreſcet jugum a facie olei*. Quarto, ſacrum Dei templum poſt ſancti olei unctionem a Pontifice magno cereis accenſis illuminatur; ſcriptum eſt enim: *Unctio docet vos de omnibus*, illuſtrat intus lumine illo internæ contemplationis & fidei, de quo ſcriptum eſt: *In lumine tuo videbimus lumen*, ut luceat lux ejus foris in opere & converſatione coram hominibus, & glorificent Patrem ejus qui in cœlis eſt. Quibus peractis, quid reſtat, niſi deſiderabilis illa benedictio? de qua Pſal. *Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ*, per hanc enim benedictionem, qui in hoc deſerti exilio pauperculum fuerat Domini tabernaculum, & exile ſanctuarium, in cœleſti Jeruſalem fit Domino magnificum & illuſtre templum omnibus lapidibus pretioſis, & divitiis ornatum, perenni ac perpetuo ritu Domino conſecratum inter Angelos in gloria: ad quam nos perducat Filius Dei benedictus Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Amen.

Matt. 11. *Iſaiæ* 10. *1. Joan.* 2. *Pſal.* 35. *Matt.* 5. *Pſ.* 127.

BREVIS EXPOSITIO IN CANTICA CANTICORUM SALOMONIS.

PRÆFATIO. (a)

MIRO Dei conſilio factum eſt, (b) ſicut Auguſtinus ait, quod ſacra Scriptura, quæ in Pſalmo ſcriptura populorum dicitur, ac propterea omnibus facilis eſſe debuerat, tot obſcuritatibus plena ſit, ut niſi Spiritus Dei adſit, cunctis hominibus impenetrabilis eſſe videatur. Erat enim ſic expediens multis de cauſis. Primo, ut eſſet dulcior, & cum labore acquiſita eſſet pretioſior; quoniam teſte Salomone, *panis abſconditus* eſt *ſuavior*. Secundo, ut, dum propter obſcuritatem varie a diverſis exponitur, modica littera in fruges ſenſuum ampliſſimas augeatur. Unde ad Danielem dicitur: *Claude ſermones, ſigna librum, plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia*. Tertio, ut arceantur indigni; quoniam juxta Euangelicum præceptum, ſanctum canibus communicandum non erat, neque margaritæ porcis. Tanta eſt autem Scripturæ obſcuritas in pleriſque locis, ut niſi reconditorum in ea ſenſuum fides nos admoneret, jocularis & ridicula eſſe videretur. Cujus abſconditum & ſecretum nucleum, ſi quis rupta litteræ teſta deguſtaverit, cum Auguſtino (c) exclamare compellitur: Mira profunditas eloquiorum tuorum Domine, mira profunditas! horror eſt intueri in eam. Hic profecto eſt liber ille ſignatus ſigillis ſeptem, qui Joanni monſtratus eſt; quem aperire nemo poteſt, niſi referetur ab illo *qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit*. Quæ clavis, ſecundum Hilarium (d), fides eſt mediatoris, quam quia legis periti non habebant, dictum eſt eis. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, qui abſtuliſtis clavem ſcientiæ, & vos non introiſtis, & intrare volentes prohibuiſtis. De hoc etiam lib. Iſaias ante prædixerat, quod dare-

Pſal. 86. *Prov.* 9. *Dan.* 12. *Matt.* 7. *Apoc.* 5. *Ibid.* 3. *Lucæ* 11. *Iſaiæ* 29.

(a) Deeſt in editione Bruxellenſi Commentarius iſte. In editione autem Brixienſi, quam præ manibus habeo, hæc legitur paræneſis ab Uzeda prefixa, ex quo locum habere maluerit inter conciones, poſt tres illas: *De mandato amoris. Viſum eſt, inquit, propter argumenti affinitatem adjungere ſuperioribus de divino amore concionibus, Auctoris in Cantica Canticorum Salomonis Commentarios, quibus ſacri amoris epithalamium continetur. Inabſolutum videbitur opus, ſi capita numeres, neque enim ultra tertium protenditur: cæterum, ſi eadem ponderes, & ſuis numeris abſoluum, & omni ex parte perfectum cenſebis opus*. In editione Romana locum obtinuit ad calcem omnium concionum.

(b) Pluries de hoc agit argumento S. Parens. Interim, ut aliquod ejuſdem afferamus teſtimonium, ita in Pſal. 141. num. 1. *Sunt enim in Scripturis ſanctis profunda myſteria, quæ ad hoc abſconduntur, ne vileſcant; ad hoc quæruntur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut paſcant*. Simile quidpiam habet Serm. 1. in Pſal. 103. num. 18.

(c) Confeſs. lib. 12. cap. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens parvulis; ſed profunditas, Deus meus, mira profunditas! Horror eſt intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris*.

(d) Prolog. in librum Pſalmor. num. 5. & 6. in edit. Pariſienſi an. 1693.

daretur homini indocto, & responderet: nescio litteras; & homini doctissimo, & similiter responderet: nequeo legere, signatus est enim. Sed ne tantus thesaurus in visceribus litteræ absconditus frustra datus fuisse videretur, Spiritus sanctus venas illius sanctis Doctoribus aperuit, qui mentis puritate pertigerunt, quo nullum penetrat intellectus acumen. Ipse ergo legislator factus est suæ legis interpres, donans hominibus donum sapientiæ, & intellectus, donum quoque interpretationis sermonum, quo Scripturæ abdita panderentur; quod donum prophetiæ pars judicandum est, quoniam intelligentia opus est in visione. Sed inter omnes Scripturæ libros, mea sententia, & in obscuritate sermonum, & in sublimitate sensuum Cantica Canticorum primatum habet; quem sane librum, tum propter obscuritatem, tum propter amatorium stylum apud Judæos (*a*) legere nemo permittebatur, nisi jam ætate, & sensu provectus: ne videlicet spirituales delicias, aut propter obscuritatem contemneret, aut propter stylum, in carnis verteret cantilenas. Nos autem spiritualibus spiritualia comparantes, non nostro ingenio, sed Spiritus sancti adjutorio confidentes, ipso illuminante, post tot Doctores nobilissimos, post tot expositiones præclarissimas, epilogum quemdam facere cum omni humilitate decernimus: non tam ut nova cuderemus, quam ut antiqua varie per codices dispersa, prout Dominus dederit, colligeremus; imitantes Scribam illum Euangelicum, doctum in regno cœlorum, *qui profert de thesauro suo nova & vetera*. Sic ergo nostra ibi adjungimus, ut nostris sensibus Sanctorum sententias præferamus. Hujus autem libelli idoneus auditor ille est, qui experientia poterit comprobare quod dicitur. Neque enim ea quæ in cordis secessu inter Deum, & animam fiunt, capere potest homo deliciis, & vanitatibus deditus. *Animalis* enim *homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*. Oculos ergo defæcatos, & purissimam aciem mentis adducat, quisquis utiliter scholam intrare festinat.

Isaiæ 11.

1. *Cor.* 12.

(*a*)

Ibid. 2.

Matt. 13.

1. Cor. 2.

ALTERA PRÆFATIO.

TRes libros edidit Salomon, juxta quos tria quoque nomina sortitus est: primum de moribus pro parvulis instituendis, in quo prima tradit rudimenta virtutum, qui Proverbia Salomonis inscribitur: secundum pro adultis & proficientibus, in quo mundi contemptum edocet: quem suo nomine Ecclesiastem nuncupavit: tertium pro perfectis, & spiritualibus, in quo sapientiam loquitur absconditam in mysterio, quam nemo principum hujus mundi cognovit: hic Cantica Canticorum merito nuncupatur, propterea quod omnia Scripturæ cantica, & mysteriorum magnitudine, & sensuum sublimitate, & materiæ dignitate superexcellat. In hoc non jam Salomon, neque Ecclesiastes, sed Idida, id est, dilectus Domini nominatur. Vocatur etiam liber hic Epithalamium, id est, carmen nuptiale: quia in eo de nuptiis Agni agitur, & columbæ, id est, de occultis, quæ in mirabili animæ & Verbi conjunctione fieri solent: quæ nemo novit, nisi qui accipit. Unde more comœdiæ, quatuor in eo personarum differentiæ in modum dramatis canentes introducuntur, sponsus, & sponsa, sodales sponsi, adolescentulæ sponsæ, quarum modulatione mira efficitur harmonia. Sponsus Verbum est: sponsa anima, vel Ecclesia: sodales sponsi Angeli, vel Apostoli: adolescentulæ sponsæ animæ fideles, quæ tamen perfectionis plenitudinem nondum attigerunt. Qui ergo jam primo libro in moribus compositus, in secundo mundum cum pompis & vanitatibus suis contempsit, qui cum Propheta novit sedere solitarius, & tacere, & levare se super se, hic accedat, & spirituale canticum, aut tacitus audiat, aut lætus concinat. Foris canes, venefici, immundi, lubrici, & omnis in quo Dei Spiritus non est, & qui carnis est particeps. Sunt autem duo in hoc Cantico maximæ difficultatis, scilicet veram ejus interpretationem, legitimumque sensum agnoscere, & reconditos in illo Spiritus sancti sensus, & sapientiam plenius haurire. Propter hoc duo facere intendimus, primo veram ejus, & legitimam interpretationem, quantum Deus donaverit, brevissime secundum litteram tradere, ut littera intelligatur: deinde in singulis Cantici versibus diutius annotationibus immorari: ut quid intus sapientiæ lateat, agnoscatur. Sed quia ut diximus, sponsa, vel anima perfecta, vel Ecclesia nuncupatur, ideo in ejus interpretatione varietas invenitur. Nam, aut loquitur Christus cum anima, aut loquitur cum Ecclesia. Primo itaque, continuam expositionem spiritualem, sive moralem, inter Verbum, & animam persequemur: deinde mysticum alium, & allegoricum sensum, non ad unguem; sed per partes, prout negotium patitur, insinuabimus. Vos Fratres Spiritum obsecrate, ut reconditos nobis sapientiæ thesauros aperiat, & donet invenire quod cupimus, implere quod promittimus. Sed hoc unum ante omnia volumus annotare, quod locutio sponsæ desiderium est: & locutio sponsi inspiratio interior. Unde de inspirationibus internis, & affectibus spiritualibus, qui in contemplationis secessu, inter Deum & animam contingunt totus hic tractatus instituitur. Hos solus novit expertus: sine hac experientia impossibile est sentire quod dicitur: amoris canticum amor percipit, hujus epithalamii optimus interpres amor est. Denique sicut Propheta de fide (*b*), ita & nos in præsentiarum dicimus de amore: Nisi amaveritis, non intelligetis. Sed jam canentem sponsam audiamus.

Apoc. 2.

Tren. 3.

(*b*)

Isaiæ 7.

(*a*) Lectionem hujus Cantici Hebræis interdictam fuisse ante annum ætatis trigesimum testantur Origenes in Cant., & S. Hieronymus Præfat. in Ezechiel.

(*b*) Alludit ad illud Isaiæ cap. 7. v. 9., ubi Septuaginta legunt: *nisi credideritis, non intelligetis*, quod ita reddit Vulgata: *Si non credideritis, non permanebitis*.

CAPUT PRIMUM.

Osculetur me osculo oris sui. Quale exordium (*a*), quale carminis initium, cum quo aut de quo loquitur? Ista putat præ amore in fronte scriptum se habere quod gestit: nullis ambagibus utitur, totius desiderii summam brevi sermone concludit. Nolo divitias, nolo honores, nolo pompas, nolo delicias: *Osculetur me osculo oris sui*. Hoc solum cupio, hoc solum peto, hoc solum volo. Angelorum oscula experta, ad altiora festino; osculum oris ejus exopto. Non quiesco, non satior, donec *osculetur me osculo oris sui*. O confidentiam, o audaciam! non pedum aut manuum, sed oris oscula petit. Grandis arrogantia o sponsa: satis est, sufficit tibi cum Maria osculari pedes: quid divini oris oscula petis? Ignoras ipsum, ignoras te: quis est ille? quæ es tu? Absolutissimus amor est: ignorat majestatem, reverentiam nescit, omnia æquat, omnia audet, omnia sibi licere putat; & quicquid dicat, quicquid audeat, indulgetur amori. Osculum quod ista postulat, ut existimo, increati luminis, & creati conjunctio quædam mirabilis; & ineffabilis quædam unio Divinitatis, & mentis censenda est; quia qui adhæret Deo, unus spiritus fit cum eo. Quid autem ex hac Verbi & animæ spirituali unione sequatur, & propter quid illam efflagitet & exoptet, audiamus.

(*a*)

Lucæ 7.

1. Cor. 6.

II. *Quia meliora sunt*, inquit, *ubera tua vino fragrantia unguentis optimis*. Memoriam abundantiæ suavitatis ejus eructans, in oscula prorumpit. Noverat quid in osculo dulcedinis & suavitatis acciperet. Quatuor modo commemorat osculi fructus; lactis dulcedinem, vini fervorem, odoris suavitatem, unctionis lætitiam. Lacte reficitur, vino inflammatur, odore excitatur, unctione sacratur. Illud enim Divinitatis, & mentis ineffabile osculum, primo sequitur sapientiæ lac ab uberibus sponsi expressum, id est, eruditio quædam intima, & illustratio mentis superna, de qua in Euangelio: *Erunt omnes dociles Dei*, & in Psal. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, & Job: *Porro ad me dictum est verbum absconditum*. De hac Isaias: *Mane erigit, erigit mane mihi aurem, ut audiam quasi magistrum*, & iterum: *Ros lucis, ros tuus*. Unde & ipsa sponsa infra hoc ipsum repetens, cum dixisset: *Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te* solum *foris, & deosculer te?* adjungit illico: *Ducam te* in cubiculum genitricis meæ, *ibi me docebis*. Post lactis pabulum, sequitur vini poculum, id est, fervor quidam spiritus inebriantis; de quo Psalmus: *Et calix meus inebrians, quam præclarus est!* & iterum: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Post hunc fervorem sequitur odor quidam cœlestis beatitudinis; de quo Isaias: *Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus est*; id est, qui jam odoratur cœlestia, quoniam *excelsus reputatus est ipse*, quem sequitur unctio salutaris spiritualis pinguedinis, & ineffabilis gaudii; de qua Psalmus: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*. Lac mentem reficit; vinum affectum inflammat; odor excitat appetitum; unctio sanat morbum. Lac lux est, & pertinet ad intellectum; vinum fervor, & pertinet ad affectum; odor primitiæ gloriæ, & pertinet ad desiderium; unctio gaudium spiritus, & pertinet ad passionem: omnem animæ potentiam perficit ista unctio. Sed quia non unica est, sed varia passionum spiritualium influentia, ideo pluraliter dicitur.

Pf. 144.

Joan. 6.
Psal. 84.
Job 4.
Isaiæ 50.
Ibid. 26.
Cant. 8.

Psal. 22.
Psal. 38.

Isaiæ 2.
Psal. 62.

III. *Fragrantia unguentis optimis*. Alia est enim unctio devotionis, alia pietatis, & miserationis, alia contritionis, alia gaudii, alia spei, alia dulcedinis, alia amoris; quibus unctionibus ad sponsi osculum anima spiritualiter impinguatur, & in virtute roboratur, & a morbis peccatorum sanatur. Quantis divitiis, putas, animam replet unctio illa vitalis? Quam succincte perstringit, quæ neque longo sermone explicari possent! O Plato, o Philosophi, audistis unquam talia? intellexistis hæc omnia? quam abscondita sunt hæc ab oculis vestris.

Lucæ 19.

IV. *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis*. Merito lac sapientiæ præfertur vino fervoris; tum quia lac mentis poculum est, vinum etiam sensualitatis; tum quia a lacte vinum profluit, nam *in meditatione mea exardescet ignis*; tum etiam quia vinum adolescentularum est, quæ quandoque excandescunt, & inebriantur fervore novitio: lac autem perfectorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus. Vini potus potentior, sed lactis subtilior, dulcior, candidior, pretiosior. Unde sequitur: *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te*, adolescentulæ dilexerunt te propter oleum, ego autem, ut verum fatear, etiam sine oleo. Effusum est oleum, & exarsit ignis: quia novus erat ignis, oleo indiguit. In me incensus est antiquus ignis, non indiget oleo. Propter suavitatem, propter dulcedinem, propter unctionem adolescentulæ dilexerunt te; ego autem inter cruces, inter labores, inter medias mortes novi diligere te. Quærunt illæ dona tua, ego autem te ipsum: quia delectantur in te, quærunt te, ego autem non tua dona quæro, sed te, te nudum cupio, te nudum, diligo, te nudum adamo.

Psal. 38.

Hebr. 5.

V. *Trahe me post te*; non ipsa venire per me possum, sed tu trahe, sequar te, si trahis me. Austera visa est sponsæ cantilena adolescentulis; non attingunt sponsæ sapientiam, sensumque perfectum; prosiliunt in medium dicentes: Nescimus quid ista loquitur, sibi

(*a*) S. Bernardus Serm. 1. in Cant. num. 5. *Dic quæso nobis a quo, de quo, ad quemve dicitur: Osculetur me osculo oris sui? Aut quale est istud ita subitaneum, & factum repente de medio sermonis exordium?*

sibi sapiat; unctiones tuæ Domine amabiles sunt, & pretiosæ nimis; nos *curremus in odorem unguentorum tuorum*, nunquam, obsecro, hæc nobis unguenta deficiant. Novi, inquit, sponsa, novi quod nostis, experta quoque ego sum unguenta ista, quæ sic optatis. Nam *introduxit me* quoque *Rex* aliquando *in cellaria sua*, & uncta sum, & inebriata sum, ut nunc estis vos. Si experta es, inquiunt, nescimus, nostra tamen sententia stat. *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum*. Non nego hoc, ait sponsa, sed vere sponse mi *recti diligunt te*: nam etsi fervor in amore contemnendus non est, neque spernenda suavitas, tamen rectitudo mentis proculdubio fervori cordis in amore præfertur. Obsecro vos adolescentulæ, coram judice vero & recto, imo coram ipsa veritate contendimus. Nostis ne me? nostis quod sponsa sum? nostis quanto sponso charior & conjunctior quam vos? A me ipsa exemplum accipite.

VI. *Nigra sum, sed formosa filiæ Jerusalem*. Nigra *sicut tabernacula Cedar*, formosa *sicut pelles Salomonis*. His deliciis & solatiis non ita nunc abundo sicut vos, sed expositа laboribus, tempestatibus, pluviis, persecutionibus, curis, anxietatibus, *omnia sustineo propter electos*. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Si exteriora mea consideratis, in nullo differo a tabernaculis Cedar, a filiabus Babylonis, curis distenta, solicitudinibus anxia, occupationibus impedita, nigra foris, *sicut tabernacula Cedar*, sed tamen intus in corde formosa, *sicut pelles Salomonis*. Virtutes divinas, quas meus Salomon habet cum Patre communes, imitari non valeo, sed virtutum, quas sub vestimento carnis meæ induit, pulchritudinem imitor ut possum, & sicut datum est, eas refero. An meus Salomon in hac vita sibi complacuit? an quæsivit quæ sua sunt? Non laboravit, non sudavit, non fatigatus est? Hoc sentio in me, quod & in Christo Jesu. Cum ipsi magis assimilor, tunc magis mihi complaceo. Pelles tabernaculi, etsi rudes & viles videbantur, tamen interiorem pulchritudinem protegebant. Pellis ego sum, fateor, foris quidem nigra, sed intus formosa, non est contemnenda pellis, qua tanta pulchritudo contegitur.

VII. *Nolite me considerare, quod fusca sim*, quod occupata sum, quod solicita sum, quod inquieta sum: *quia decoloravit me sol*. Ardor ejus nimius; & zelus fervidus decoloravit me: solis radius me denigravit exterius. Pulchra ego eram aliquando facie sicut vos, irradiavit in me fortiter sol, & denigravit me. Exposui pulchritudinem meam propter ipsum, ut nigra pulchrior fiam coram ipso. Neque ego quidem hanc mihi curam quæsivi, non mihi hunc assumpsi honorem, sed vocata a Deo tanquam Aaron, & fratribus meis compulsa. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me: posuerunt me custodem in vineis*. Et heu dum alienis superintendo, *vineam meam non custodivi*. Timeo ne ferus de sylva depastus sit eam. O custos hominum, propter te hanc curam suscepi, custodi tu illam: tu mihi causa laboris, tu hujus dispersionis occasio, propter te disturbor tota die: non sit mihi, obsecro, in ruinam fraternæ charitatis ista promotio. Sed quid moror? quid latentis desiderii cruciatum dissimulo? *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, ne forte tot curis implicita, tot occupationibus foris dispersa: *Vagari incipiam post greges sodalium tuorum*; & inveniatur fuisse mihi ad mortem, quod præstitum erat ad vitam. Quousque peregrinabor a te? usquequo absentiam tui portabo? Si diligis me, si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam, & sufficit mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicam tuam? Ancilla tua ego sum, vultum tuum Domine indesinenter requiro: tu novisti: usquequo latebis? usquequo absconderis? Audi, obsecro, deprecationem meam, imple desiderium meum.

VIII. *Indica mihi quem diligit anima mea*, quem concupiscunt omnia ossa mea: *Ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Indica mihi, pascua pinguia, meridianam requiem, ubi cubas & pascis, pascis & tranquillus es. Nullus ibi luporum metus, nulla solicitudo ferarum, grex pinguis ludens & liber discurrit ad pastum: nox ibi nulla, nullæ tenebræ, sed meridies plenus, meridies sempiternus, plenitudo fervoris & lucis, elevatio solis quæ nescit occasum. Quid mihi vel ad horam negatur, quem perpetuo possessura sum? Nosti infirmitatem meam, nosti occupationem meam, vide ne forte obliviscar tui, & quæ gregi tuo præsideo, ultima pecus fiam de grege. Si te videro, secura sum, si te ostenderis, salva sum. Indica mihi signum, quo vitam meam velut sagittam dirigam, ne vaga & cæca populi errabundi vestigia sequar. Vidistis Fratres, quo ista properat, audistis quid audeat? Quæ osculum petierat, grandius quid ausa jam aspirat ad visum, omnes murænulas, omnia unguenta, omnia ubera, & vini fervorem prætergressa, beatificam in carne visionem exoptat: *Indica*, inquit, *mihi quem diligit anima mea*. Quid aliud Moyses petierat, quando dicebat: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam?* Sed sicut illi responsum est: *Posteriora mea videbis*, similiter responsum detur & isti.

IX. *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, &c.* Quæ petebat faciem, remittitur ad imaginem: quæ efflagitabat visionem Dei, remittitur ad agnitionem sui. Ac si diceretur ei: quæ nam est hæc audacia, o dilecta, ut Dei visionem in exilio poscas? Hos tibi ausus nimia familiaritas tribuit, insolentior ex amore facta es. Multum est tibi hoc tempore videre dilectum, visio quam petis non

eſt hujus temporis, ſuo tempore non ad horam, ſed perpetuo dabitur tibi, nunc expedit potius videre teipſam. Hoc eſt quod ait: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum* tuorum, *& paſce hædos tuos juxta tabernacula paſtorum*, id eſt, ſi te ignoras, eveniet tibi quod timebas, continget tibi quod formidabas, ut vaga ſis, & gregis tui ultima fias. Poterit tibi præſtari quod cupis, ſi teipſam, dignitatem tuam, & pulchritudinem tuam agnoveris. O pulcherrima mulierum, ſi vidiſſes te, ſi cognoſceres excellentiam tuam, qualis & quanta es, quam pulchra, quam nobilis, quam generoſa, non utique formidares, ne in viles & fœdas gregis inſani voluptates degenerares, & pueriles has populi nænias concupiſceres. Quid enim? Nobiliſſima creatura, ad imaginem Dei formata, Angelicis ſpiritibus quam ſimillima, ſi ſeipſam agnoſceret, more pecudum carnis turpitudines ambiret, & inter ſpurca oblectamentorum ſtercora turpiter obbruteſceret? Puderet utique eam tantæ dejectionis, puderet ignominiæ, puderet injuriæ, nec tantam ſibi pateretur contumeliam irrogari; ignorantia ſui tantorum malorum eſt cauſa.

X. Tu ergo aut agnoſce teipſam, aut ſi non, egredere ab interioribus ad exteriora, & abi vaga poſt veſtigia carnalium gregum tuorum, & quæ in vernantibus liliis, & florentibus roſis agnos tuos paſcere conſueveras, nunc mutato pecore, in ſiliquis porcorum, & arentibus ruderibus hædos tuos paſce, hædos inquam protervos, petulantes, & inquietos. Et juxta tabernacula paſtorum, non quidem meorum, quorum paſcua bene noſti, ſed paſtorum alienorum qui paſcunt ſemetipſos. Quæ itaque in viridario Scripturarum mearum, juxta meorum paſtorum tabernacula interiores affectus floſculis candidiſſimis ſententiarum, & exemplorum impinguare ſolebas, nunc arentibus poetarum, & philoſophorum frondibus carnales ſenſus paſce, ab interioribus ad exteriora progreſſa. O comminationem terribilem! Egredere, abi poſt greges, paſce hædos; propemodum tolerabilior omnis mors hac dejectione videretur: ut illa quæ olim nutriebatur in croceis, de cætero amplexetur ſtercora. Auſteriori reſponſo audacia reprimitur: non quod dilectus ſponſæ deſiderium reprobet, non enim eſt ſponſa, quæ ſponſum videre non cupit, quæ cum Propheta non clamat, ſicut *cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*. Non poſtulationem excludit, ſed propriæ eam dignitatis admonuit, ut per cognitionem ſui, poſſit pervenire aliquando ad viſionem Dei, quam cupit. Neque ſolum admonuit, ſed ſpeculum, & exemplar illi objicit, in quo ſeipſam intueatur dicens.

XI. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea. Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turris: & guttur tuum ſicut monilia*. Oſtendam tibi qualis es natura, oſtendam tibi qualis es gratia. In natura quidem, *equitatui meo aſſimilavi te amica mea*. In gratia vero, *pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis, & guttur tuum, ſicut monilia*. Paucis pulchritudinem tuam depinxi, intende oculos, & vide: te equitatui, inquam, illi decoro, cui ſemper inſideo, cujus habenas moderor ſolus, & rego; illi, de quo ſcriptum eſt: *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis*; & alibi: Equitatio ejus ſalus, id eſt, Angelicæ celſitudini ſimilem te formavi; licet in curribus Pharaonis, id eſt, carne iſta mortali, qua non meo inſtituto, ſed tuo peccato inſidet Pharao, ut in carne putrida Angelicam vitam duceres, & corpori inſerta Angelorum ſimilitudinem exhiberes. Paulo minus ab Angelis minorata es natura, ſed in gratia, tui & Angeli una eſt menſura. Præclaram, & illuſtrem te in naturalibus condidi, & inſuper faciem tuam per ſe pulcherrimam, gratiæ, & charitatis meæ purpuriſſo decoravi, abluens genas tuas ſanguinis mei nitro, ut exhiberem te mihi ſponſam ſine macula, & ſine ruga, ſicut turturem caſtiſſimam. Collum tuum monilium ornamento non indiget, quoniam per ſe ornatum, & pulchrum conditum eſt: quidquid enim decoris & venuſtatis, multo labore, multoque ſudore diu quæſitis virtutum monilibus, aliæ collo ſuo ſuperaddere potuerunt, hoc totum ego tibi inſerui. Recole amica mea frequenter hæc omnia, & conſidera qualis in eſſentialibus, qualis in gratuitis, qualis in genuinis & naturalibus donis, & quam pulchra facta es; hæc tui te cognitio ſervare poterit, ne abeas poſt greges ſodalium tuorum, & more pecudum obbruteſcas: aſpectum meum noli nunc petere, quoniam lucem habito inacceſſibilem, & non videbit me homo, & vivet. Subtriſtior reddita eſt dilecta reſponſione hac, quoniam non ad votum exaudita eſt: ſuſpirantem enim ad dilecti viſionem, nulla ratio lenire potuit, nulla excuſatio pacavit. Propter quod ſponſi ſodales miſericordia permoti placida eam promiſſione ſolantur.

XII. *Murænulas*, inquiunt, *aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, quibus ſcilicet poſſis dilecti tui abſentiam mitius tolerare. Quid intendis oculum? ornato potius auditum. Audi nunc filia; ut poſtea videas, & dicas cum Propheta: *ſicut audivimus*, ita & *vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri*. Interim ergo dum præſentia denegatur, dum hæc tua peregrinatio durat, more ruralium virginum aures tuas murænulis aureis decorabimus; ſed quoniam auri fulgorem, refulgentiamque nimiam portare non valebis, argento eas vermiculabimus temperabimuſque, ut commodius de more tuæ plebis ruſticæ poſſis ornari. Ita eſt, Fratres, noſtis quam inſtanter anima ſponſi ſui faciem deſiderat, quæ die ac nocte ſitit ad fontem vivum, clamat indeſinenter: *Quando*

Ezech. 34. *Tren.* 4. *Pſal.* 41. *Pſal.* 67. *Habac.* 3. *Pſal.* 8. *Jerem.* 2. *Epheſ.* 5. *1.Tim.* 6. *Exod.* 33. *Pſal.* 44. *Pſal.* 47. *Pſal.* 41.

do veniam, & apparebo ante faciem Dei? Hanc Angeli nimis diligunt, frequenter visitant, & spiritualibus munusculis lætificant, & solantur. Hi velut docti aurifices, murænulas quasdam aureas, id est, spirituales illustrationes, inspirationesque suavissimas & dulcissimas auditui nostro interiori, invisibiliter fabricant; radium divinæ lucis nobis in sua puritate incomprehensibilem, qui per aurum designatur, argento similitudinum corporearum, miro artificio investientes, & immiscentes, ut comprehendi possit a nobis, (a) quoniam juxta sententiam Dionysii (a), impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi sacrorum velaminum tegmine circumvelatum. His suavissimis inspirationibus, anima perfecta in hoc exilio sustinetur; his munusculis recreatur, donec sciisso mortalis corpusculi velo, sol in sua virtute refulgeat, & radius divinæ lucis sine temperamento 1. Cor. 13. aliquo, revelata facie videatur. Quæ & quales sint illæ murænulæ; qua suavitate, quo gaudio peregrinam animam afficiant, experientia, non Scriptura noscendum est. Ad hæc sponsa: Gratias, inquit, vobis o sodales, gratias vobis pro muneribus vestris; gratissimæ mihi sunt murænulæ quas offertis. Habeo etiam in hoc exilio sponsi mei arrhabonem pretiosum; namque *dum esset Rex in acubitu suo* corde meo, *nardus mea dedit odorem suum*. Nardus, inquam, illa odorifera paradisi spiravit odorem sensibus meis: cujus suavi fragrantia utcumque sustentor. Mandragoræ cœlestes dede- Cant. 7. runt jam odorem in portis nostris, & datum est mihi jam odorare, quod non licuit degustare. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Fasciculus myrrhæ, & botrus balsami, hinc inebriat me absynthio, hinc me potat balsamo, & quo major fuerit amaritudo myrrhæ, eo major succedit dulcedo balsami; Psal. 93. nam *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes* ejus *lætificaverunt animam meam*. Prius myrrhæ fasciculus, deinde dulcedinis botrus; nam crucis amaritudinem temperat spiritus subsecuta dulcedo. Neque una mihi amaritudo sola, sed myrrhæ fasciculus; quocunque me verto, myrrha præsto est. Amaritudo exilium, amaritudo peccatum, amaritudo periculum, amaritudo maxima eo carere quod cupio; omnis vita mea amaritudo est; & *ecce in* Isaiæ 38. *pace amaritudo mea amarissima*. Non tamen renuo myrrham salutiferam, sed inter ubera mea commorabitur. Libenter amplector crucis myrrham, quam botri dulcissimi sapor dulcorat. Botrus cypri propter magnitudinem: in vineis Engaddi, propter Num. 13. dulcedinem; botrus terræ promissionis suavissimus & dulcissimus, cujus suavitatem Apoc. 2. & dulcedinem nemo novit, nisi qui accipit.

A Tria commemoravit peregrinationis suæ subsidia, nardi odorem, myrrhæ amaritudinem, botri dulcedinem: in his versabitur *donec aspiret dies, & inclinentur umbræ*. Cant. 2. Non causatur petitionis suæ repulsam, non indignatur, quod ad votum exaudita non est, sed voluntati dilecti per omnia se conformans, myrrham amplectitur, ut botro pascatur. Merito itaque sponsus in tam humilis, & obedientis sponsæ laudes erupit.

XIV. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*. Pulchra in natura, pulchra in gratia, pul- B chra in naturalibus, pulchra in gratuitis. *Oculi tui columbarum*. Oculorum pulchritudine maxime delectatur, ut postea dicetur. Simili quoque illa respondet elogio: *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus*: pulcher, Verbum ex patre, decorus ex Virgine caro: pulcher in tua natura, decorus in mea: pulcher, quia candor es lucis æternæ, & speculum sine macula: decorus, Sap. 7. Psal. 44. quia speciosus forma præ filiis hominum, in quem desiderant Angeli prospicere. Pulchritudinem ad Divinam refert naturam, decorem ad humanam, pulchrum sponsum C pulchro decet recumbere lecto; unde subjunxit: *Lectulus noster floridus*. Non ait tuus, non ait meus, sed noster, in quo pariter recumbamus, pariter quiescamus, pariter oblectemur, sicut scriptum est in Psalm. 4. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*. Quæ lectulum monstrat, amplexum desiderat: floridum lectum flori candidissimo demonstrat de virga Jesse, super quem Isaiæ 11. spiritus Domini requievit. Liliis candentibus sanctarum cogitationum, rosis rubentibus ardentium affectuum, floribus vernantibus cœlestium desideriorum, conscientiæ suæ lectulum sparsit, si forte sic dilectum pro- D vocet ad accubitum. Sed domum terream & fumosam non ingreditur sponsus, ut cubet in lectulo florido, ideo sequitur.

XV. *Tigna domorum nostrarum cedrina*, id est, odorifera, solida, imputribilia, visuque pulcherrima. Non ait domus, sed domorum: quia corpus & anima utrumque domus Dei est, sicut ipse ait: Inhabitabo in 2. Cor. 6. eis, & inambulabo in eis: anima tabernaculum interius, & corpus tabernaculum exterius. *An nescitis*, ait Apostolus, 1. Co- 1. Cor. 6. rinth. cap. 6., quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui habitat in E vobis? De anima nemo dubitat, quin domus sit sapientiæ: harum domorum tigna virtutes sunt, quæ partim ad rationem, partim ad appetitum pertinent, & sibi invicem connexæ, domui utrique stabilitatem & firmitatem præstant; cedrinæ sunt, quæ neque erucam nutriant, neque tinea arrodantur, id est, permanentes & firmæ. His annectuntur *laquearia cypressina*, quæ inter eas colligata, & ab eis pendentia, mira

(a) De Cœlesti Hierarch. cap. 1. §. 2. circa finem.

pulchritudine domum venuſtant. Laquearia a tignis pendentia paſſiones ſunt, quibus moderandis corrigendiſque virtutes deſerviunt: cujuſmodi ſunt ira, timor, gaudium, triſtitia, dolor, ſpes, deſiderium, amor; quæ apte cypreſſinæ nuncupantur, propter bonum odorem & incorruptionem. Talem lectum, talem domum, talia tigna, talia laquearia paret, quæcunque ſponſum candidum ad hoſpitium ſuum invitare præſumit, alioquin ſciat, eum minime eſſe venturum. Quia floridum lectulum ſponſa promiſerat, aptiſſime illi reſpondet dilectus.

CAPUT SECUNDUM.

EGo *flos campi*, & *lilium convallium*. Ac ſi dicat, etſi plures in tuo lectulo habeas flores, o ſponſa, ſimilem mei alium utique habere non poteris. Flos campi, hortuli tui flores non dedignor, ſed libenter accepto. Flos campi non horti ego ſum, id eſt, non privatus, non particularis, non abſconditus, ſed publicus, communis omnibus, cunctis expoſitus: nulli me nego, cunctis me offero, omni volenti me tribuo: quicunque me voluerit, colligat me
Lucæ 6. ſibi, & mea fragrantia perfruatur. *Lilium convallium* ego ſum, montium ariditatem refugio, in humentibus vallibus naſcor. Si quis eſt parvulus, ſi quis humilis, in agro cordis ſui inveniet me. Ego flos campi, cujus aſpectu lætantur Angeli, cujus pulchritudine paſcuntur Beati, cujus odore re-
Joan. 18. viviſcunt mortui: *etſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum verum eſt*, quia veritas ego ſum.

Ibid. 14. II. Ego flos, & ſponſa mea lilium: nam *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Quam pulchra collatio! procedat nunc filiarum Babylonis in medio chorus: quid eas dixeris niſi vepres, & ſpinas? Quot curis punguntur, quibus ſolicitudinibus diſcerpuntur, quantis libidinibus ulcerantur! In harum medio ſponſa naſcitur, & verſatur velut roſa vernans inter ſpinas, & ab illarum punctionibus aliena. Quod intereſt inter lilium & ſpinas, hoc intereſt inter ſponſam Chriſti & hujus ſæculi filias. Adjuta ſuo præconio, ſimili ea quoque carmine recinit.

III. *Sicut malus inter ligna ſylvarum, ſic dilectus meus inter filias*. Aptiſſima etiam comparatio: quid enim ſumus omnes, niſi ligna ſylveſtria, arida, infructuoſa, quercubus & roboribus agreſtiora, & ad omne bonum inutilia, ſolum ignis uſibus apta? quippe qui
2. Cor. 3. nullum a nobis, quaſi ex nobis fructum, neque bonæ quidem cogitationis meritum ferre poſſumus. Quid inter nos Chriſtus, niſi pomifera malus foliis fructuque pulcherrima?
Gen. 3. Lignum vitæ in medio paradiſi, imo in medio arentis ſylvæ, cujus mirifico fructu, quod pomo noxiali corruptum eſt, in ampliorem reducitur ſanitatem? unde malus potius quam alia arbor merito nuncupatur: malus pulchra & fructifera, cujus umbra ſalubris, fructus ſuavis, & folia ejus ad ſalutem gentium. *Pſal. 36.*

IV. Hoc eſt quod ait: *Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Umbra illius fides, in hac, ſponſa quamvis pulchra, quamvis perfecta, vivit inter gentes, in lumine illius quandoque victura inter Angelos; cognoſcit enim nunc per ſpeculum in ænigmate, poſtmodum *1. Cor. 3.* autem facie ad faciem, ſicut cognita eſt. Cui non ſufficiat iſta umbra, cum Virgini ſacræ ab Angelo dictum ſit: *Virtus Altiſſimi obum-* *Lucæ 1.* *brabit tibi?* Sub umbra immobilis & fixa ſedet, quia non circumfertur omni vento doctrinæ, ſed fidei, quam ſuſcepit, immobiliter *Epheſ. 4.* adhæret, qua etiam ab omni æſtu temporalium cupiditatum & concupiſcentiarum ſalubriter protegitur; ſicut ſcriptum eſt: In umbra ejus vivemus inter Gentes. Sub hac umbra in vultus deſiderio ſedeat, quæ fructu ejus paſci deſiderat; decidunt enim aliquando ab ejus culmine pomula dulciſſima & ſapidiſſima, quorum guſtu & ſapore reficitur anima. Non quidem ſicut illi, qui maturis jam pomis in lumine claro veſcuntur, quoniam quæ nunc ſponte decidunt, intempeſtiva & immatura ſunt, miræ tamen pulchritudinis, odoris, & ſuavitatis, unde liceat conjectari, qualia ſunt quæ mature & tempeſtive ab arbore manu leguntur. Quæ in umbra non ſedet, tali fructu paſci non poteſt, quia ſcriptum eſt: Niſi credideritis non intelligetis. *Iſaiæ 7.* Umbra in fide, fructus in contemplatione, *Sec. 70.* ad cujus quidem contemplationis ſuavitatem, quoniam nemo poteſt pervenire niſi per fidem, ideo convenienter dicitur: *Sub umbra illius ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Sed quæ fructu paſcitur, quid reſtat, niſi ut vino quoque potetur? Ideo ſequitur.

V. *Introduxit me in cellam vinariam*. Supra in cellaria introductam ſe dixerat, nunc quod majus eſt, in vinariam cellam. Habet Rex cellaria multa hic, ſicut in cœlo *Joan. 14.* varias manſiones; ſed ad nullum illorum aliqua introire præſumit, niſi manu Regis fuerit introducta; & vide, an de his Propheta loquatur, cum ait: Quia *non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*. *Pſal. 70.* Nam ſicut nemo novit *quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt; ita quæ ſunt* *1. Cor. 2.* *Dei, nemo cognovit niſi Spiritus Dei*, & cui Spiritus voluerit revelare; ad temporalia eximus, ad ſpiritualia intramus. Sed cum Regi placuerit quempiam intromittere, ſunt cellaria panis, olei, vini, butyri, mellis, aliorumque liquorum varia: ad vini cellarium rarior eſt ingreſſus, neque conceditur niſi illi, quæ dudum in umbra fidei requievit, & contemplationis fructibus ſaturata eſt. Poſt fidei firmitatem, poſt contemplationis aſſiduitatem, poſt ſacrarum litterarum plenum paſtum, ingreſſus conceditur aliquando ad inebriantem charitatis potum, de quo Propheta: *Et calix meus inebrians quam præ-* *Pſal. 22.*

clarus

Pſal. 67. *clarus eſt!* Anima quæ dormivit inter medios cleros, poſteriora dorſi ejus in pallore auri. *Pſal. 72.* Eſt cellarium ſapientiæ, de quo Pſalmus: *Labor eſt ante me, donec* ingrediar *in ſanctuarium* Domini, *& intelligam in noviſſimis eorum;* quæ foris cum labore diſcuntur, intus ſine labore videntur. Eſt cellarium prophetiæ, in quo futura noſcuntur: eſt cellarium conſilii, in quo anima fit in agendis prudentior: eſt cellarium charitatis, in quo tota incendio amoris flagrat, & hæc eſt vinaria cella: eſt cellarium exultationis, & gaudii, de quo in Euangelio: *Intra in gaudium Domini tui:* *Matt. 25.* eſt cellarium dulcedinis & ſuavitatis, de quo Pſalm. *Quam magna multitudo* *Pſal. 30.* *dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te?* *Confeſs. lib. 10. cap. 40.* & Auguſtinus: Interdum intromittis me ad neſcio quandam dulcedinem & ſuavitatem, quæ ſi perficeretur, &c. Eſt cellarium ſecuritatis & pacis, de quo Apoſtolus: *Philip. 4.* *Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum.* Eſt cellarium luminis & claritatis, de quo idem Apoſtolus: *2. Cor. 3.* *Nos revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem tranſformamur.* Eſt cellarium ſpei & teſtimonii, *Rom. 8.* in quo juxta Apoſtolum, Spiritus Dei teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus. Hæc cellaria ingreſſus fuerat, *Pſal. 83.* qui dicebat: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Felix anima quæ ad illa ſæpius meruit manu Principis introduci.

VI. Sed ut cognoſcas de quo vino loquitur, adjungit: *Ordinavit in me charitatem.* Charitas ſi ordinata non eſt, deſinit eſſe charitas. Amare nihil prodeſt, ſi præpoſtere amaveris: a quo donum, ab illo & ordo: auriga charitatis prudentia eſt, hac ducitur quocunque vadit. Charitas, quam prudentia non moderatur, ſuo interdum fervore præcipitat in abyſſum. Periculoſior nonnunquam ſpiritus, quam caro, niſi ratione & diſcretione regatur. Non omnis ſpiritus acceptandus eſt, *1. Joan. 4.* ſed primo probandus an ex Deo ſit. Vere *Pſal. 31.* beatus in quo non eſt in ſpiritu ejus dolus. Ordo charitatis rectus eſt, ut Deum præ omnibus & ſuper omnia, nos poſt Deum, deinde proximum diligamus: ita tamen ut carnalia & temporalia noſtra, proximi ſpiritualibus non præferamus; attende ordinem. *Matt. 22.* *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua,* & ex tota virtute tua: *& proximum tuum ſicut teipſum.* Non plus quam teipſum: *Ibid. 16.* *quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Ordo charitatis a Deo deducatur in teipſum, ut diligas te propter Deum: & a te deducatur ad proximum, ut diligas proximum ſicut teipſum. Hæc eſt vera & perfecta dilectio, de qua *Cant. 1.* ſupra dixerat: *Recti diligunt te.* Qui præpoſtere amat rectus non eſt, quia charitatis regulam & ordinem prætermiſit. Ille ordinem charitatis obſervat, qui diligit quod diligendum eſt, & magis diligit quod magis diligendum eſt. Duo autem ſunt in charitate præcipua, rectitudo, ſcilicet, & fervor: ſi recta eſt charitas & non fervida, aut fervida & non recta, non omnino laudatur: ſi utrunque amplectitur, ut recta ſit & fervida, neſcit homo pretium ejus.

VII. De rectitudine dixit: *Ordinavit in me charitatem:* de quo fervore adjungit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Diſcite, quo amore ardet, quæ amoris ardore langueſcit. O felix nimium anima, o terque, quaterque beata, quæ dicere iſta poteſt! Quis tam fervidus Divinitatis amator, ut præ amore langueat, præ dilectione deficiat? Talia Pſalmographus perſonabat, cum dicebat: *Defecit cor meum,* *Pſal. 72.* *& caro mea: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Vidi ego quandam religioſam, quæ de ſeipſa hoc idem aſſerebat, & exteriori languore monſtrabat, an vere, neſcio, Deus ſcit. Candentis certe ac Dei amore flagrantis animæ verba ſunt ad ſodales: fulciri ſe floribus, id eſt, cœleſtibus theoriis, & ſtipari ſe malis, id eſt, ſpiritualibus conſolationibus de paradiſo poſtulat, ut charitatis poſſit ſuſtinere fervorem. Veluti ſi ægrotus quiſpiam a medico inſtanter poſtulet, ut calorem nimium nutrimento foveat, ne conſumat ſubſtantiam. Grandis profecto eſt fervor charitatis, quando ſic cogitur exclamare. Quid in his verbis contineatur, ſermo taceat, affectus intelligat. Si omnia mundi gaudia, ſi omnes delicias ſæculi in unum conflaveris, hoc charitatis incendium temperare non poterunt. Murænulas illi obtu- *Cant. 1.* lerant propter deſiderii ſitim: flores ipſa poſcit propter charitatis ardorem. Sitit & ardet; ſitit deſiderio, ardet amore; quo ſe vertat neſcit charitatis aduſta calore. Quali putas muſto potata eſt, quæ ſic præ amore langueſcit? Ceciliæ virigini de paradiſo vernantes flores Angelus tradidit, quia & ipſa ſponſi hujus amore flagrabat. Quoties virgo illa ſimiliter exclamabat, quoties velut Sibylla furens hoc canticum perſonabat? *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Hæc dicens, inter ſponſi brachia modicum obdormivit, unde ait.

VIII. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Secura dormire poteſt, quæ tale meruit reperire cervical. Quid minus iſta, quam Joannes inve- *Joan. 21.* nit, qui ſuper pectus Domini in cœna recubuit? Poſt vinum, quid expectari poterat niſi ſomnus? De hoc Propheta in Pſal. 4. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* O in pace, o in idipſum, o dulciſſimum ſoporem! de quo infra: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cantic. 5. Duas in ſponſo manus invenio, ſcilicet dexteram præſervantem, & lævam ſublevantem. Dextera juſtum præſervat, ne cadat, ſiniſtra peccatorem ſublevat, ne pereat. De manu dex-

Pſal. 15. dextera dicitur: *A dextris eſt mihi, ne com-*
Pſal. 36. *movear:* de ſiniſtra dicitur: Juſtus ſi *ce-*
ciderit, non collidetur: Dominus enim *ſup-*
ponit manum ſuam. Dextera eſt, de qua
Pſ. 144. dicitur: *Cuſtodit Dominus diligentes ſe:* de
Ibidem. ſiniſtra dicitur: *Dominus erigit eliſos.* Dex-
tera Paulum præſervavit, cum dictum eſt
2.Cor.12. ei: *Sufficit tibi gratia mea:* ſiniſtra Petrum
Lucæ 22. ſublevavit, cum *reſpexit Dominus* illum,
& *flevit amare.* Attende dexteram: *Qui*
1.*Joan.*5. *natus eſt ex Deo, non peccat*, generatio enim
cœleſtis ſervat illum. Attende ſiniſtram:
Beatus vir, cui non imputavit Dominus pec-
catum. Pſalm. 31. Læva capiti ſupponitur,
ne collidatur, dextera totum hominem am-
plexatur, ne vel leviter moveatur. Opti-
ma dextera, bona ſiniſtra; inter has manus
ſecura dormit, teſtimonium habens a Spi-
ritu ſancto, quia vel amplexata non cadet,
vel lapſa non peribit. Non omnium eſt hoc
teſtimonium, ſed ejus quæ charitate lan-
guerat: charitatem languor, languorem ſe-
curitas conſequitur. Quod ſi lævam ſuſti-
nentem ad præſentem gratiam, & dexte-
ram amplexantem ad futuram gloriam re-
ferre malueris, non inficior. Læva ſuſtine-
tur, ne peccet: dextera efficitur impecca-
bilis. Sed o ſponſi inenarrabilem humani-
tatem, inæſtimabilem dilectionem! majeſta-
tis oblitus dilectam obſervat, ne a perſtre-
pentibus ſuſcitetur; unde inquietas adole-
ſcentulas hortatur dicens.

IX. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem per capreas, cervoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque evigilare facietis dilectam*, donec *ipſa velit.* Noverat adoleſcentularum mores, inolitam-
que conſuetudinem; ſi quam viderint ſpi-
ritu ebriam modicum ſumpſiſſe ſoporis, ve-
lut livore quodam, non ſinunt quieſcere;
dormienti perſtrepunt, excitant, promo-
vent, ut animarum paſtoralem curam ſu-
ſcipiat, ut doctrinæ populorum inſiſtat, ut
fraternis neceſſitatibus deſerviat. Has ſpon-
ſus adjurat, ut quieſcere ſinant dilectam
ſuam, donec ipſa velit; ipſa enim melius
novit quid expediat, quæ de vini potata
cellario, ſecreta majeſtatis haurivit. De quo
Joannes bibens, ructum optimum eructavit.
Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat*
apud Deum, &c. Ac ſi dicat, quid mole-
ſtæ eſtis huic mulieri? bonum opus opera-
Matt. 26. tur in me, ſinite eam, ut ungatur & un-
gat, & ad modicum inter unguenta pingue-
ſcat. Cum tempus fuerit, ipſa ſe offeret,
& cum Propheta dicet: *Ecce ego* Domine,
Iſaiæ 6. *mitte me;* ſi tamen dilecti ſui voce ſenſe-
rit ſe vocari. Unde ſequitur: *Vox dilecti*
mei, ſurge, propera amica mea, &c. Sed
qualis adjuratio illa, *per capreas, & cer-*
vos, & non quoslibet, ſed *camporum?* Ca-
preas Beatorum animas intelligo, ſic dictas
propter viſus perſpicacitatem, quia abyſſum
divinæ claritatis viſione nuda jam penetrant:

A cervos Angelos nuncupari, propter agilita-
tem & ſubtilitatem naturalis cognitionis:
propter quam in Pſalmo ventis aſſimilantur
cum dicitur: *Aſcendit ſuper Cherubim & Pſal.* 17.
volavit: volavit ſuper pennas ventorum. Un-
de quia intelligendo non diſcurrunt, eos
non rationales, ſed intelligentias nuncupa-
mus. *Camporum* dicuntur propter libertatem:
liberi enim ab omni peccato, & a miſeria
ſoluti, quocunque volunt diſcurrunt, ſequen-
tes Agnum quocunque ierit. Per hos adole- *Apoc.*14.
ſcentulas adjurat, ne dilectam ſuſcitent, te-
ſtes contra eas invocans illos ſi ſuſcitaverint
B contra monentis edictum, ut Moyſes quon- *Deut.* 32.
dam dictorum ſuorum cœlum & terram te-
ſtes adducit. Sed o mira res! qui ſuſcitare
prohibet, ipſe clamat & ſuſcitat! unde voce
illius expergefacta, & vocis illius acrimo-
nia perculſa, oculis adhuc ſomno cæcutienti-
bus acclamat.

X. *Vox dilecti mei.* Veluti ſi ſponſa, vel mater ſponſi, vel filii diu abſentis, quem plurimum diligit, inſperato vocem audiat, concutiuntur viſcera repentino ſono, & exul-
tans in gaudio, vultu turbato, in hanc vo-
cem prorumpit: Vox filii mei, vox ſponſi
C mei. Quid dilectionis, & amoris hac ſubita
exclamatione contineatur, dicere non eſt
opus; quæ non ardenter diligit, non ſic co-
gitur exclamare. Prudentia ſæpius mentitur
amorem, ſubita perculſio fingere nihil po-
teſt; unde zelatores uxorum ſubitos magis
motus interrogant. Neque tamen quid ſibi
dicatur, ſtatim capit, ſed ordine quodam
prius vocem a longe clamantis obaudit, de-
inde levatis oculis properantem eminus vi-
det, poſtmodum jam jam appropinquantem
agnoſcit, ultimo ſibi loquentem intelligit,
& quid ei dictum ſit, luculenter explanat.
D Hunc ordinem in littera videre non eſt dif-
ficile; nam primo ait: *Vox dilecti mei;*
deinde: *Ecce iſte venit ſaliens in monti-*
bus; tertio: *En ipſe ſtat poſt parietem no-*
ſtrum.

XI. Ultimo: *En dilectus meus loquitur mi-*
hi. Conſonat huic loco ſupramodum, quod
legimus apud Job cap. 4. *Porro ad me dictum*
eſt verbum abſconditum, & quaſi furtive ſuſce-
pit auris mea venas ſuſurri ejus. In horrore
viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare
homines, pavor tenuit me; & cum ſpiritus
me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis
E *meæ. Stetit quidam cujus non agnoſcebam*
vultum, imago coram oculis meis, & vocem
quaſi auræ lenis audivi. Quam quidem ſen-
tentiam, etſi non a Job, ſed ab amico ejus
prolatam, magnum aliquod contemplatio-
nis ſecretum inſinuare, Gregorius (*a*) teſtis (*a*)
eſt: idemque, licet aliis verbis, in propoſito
crediderim demonſtrari. Vocem primo au-
dit, ſed confuſam, abſconditamque, cujus
murmur potius quam ſenſum percipiat: ip-
ſum venientem videt, ſed a longe, ita ut
vul-

(*a*) Vide S. Gregor. Moral. lib. 5. cap. 30. & ſeq.

vultum ejus non agnoſcat; approximantem vero & clarius agnoſcit, & diſtinctius intelligit: & hæc omnia poſt ſomnum, quando ſolet ſopor occupare homines. Sufficiat hæc omnia tetigiſſe, nam exponere longum eſſet. Gradus quidam cognitionis & intelligentiæ deſignatur, quo ſolet anima perfecta poſt contemplationis ſomnum, in Dei cognitione, & in divinorum intelligentia proficere: ita ut quem prius in ænigmate videbat, apertius videat: & quod prius de ſecretis myſteriis obſcurius audiebat, jam diſtinctius apertiuſque percipiat: non enim ſubito in cognitione & auditu divinorum, ſed gradatim ad culmen perfectionis attingitur. Sed jam ſingula percurramus.

XII. Audit primo, deinde videt a longe venientem, properantem, & capreæ more, hinnulique cervorum ſalientem in montibus, tranſilientem colles. Quanta aviditate accelerat, ut ſanctam viſitet mentem! Niſi prius audiſſet, utique non vidiſſet: quia ſcriptum
Pſal. 44. eſt: *Audi filia, & vide:* & iterum: *Audi-*
Job 42. *tu auris audivi te.* Auditus acutus viam facit oculo ad intuendum divina. Si properat,
Pſ. 147. ne mireris: quia ſcriptum eſt: *Velociter cur-*
Hebr. 4. *rit ſermo ejus.* Si ſalit, nil mirum: Quia *vivus eſt ſermo Dei & efficax.* Si in montibus, & id notiſſimum, quia ſcriptum eſt:
Pſal. 75. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* In montibus ſalit, colles tranſilit, quia in ſublimioribus mentibus ſpiritu fervido ebullit, humiliores autem ſaltu grandi tranſilit, neque pede tangit. In montibus altis prius Deus videri ſolet, quam in ſeipſo; veluti ſi quis orientem ſolem in culminibus prius videat. Sed qui prius a longe videbatur, celeri curſu immenſa ſpatia pervolans, ecce adeſt.

XIII. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* O maceriam carnis ingratam, o parietem corporis odioſum! o quis te diſſolveret, ut tantæ pulchritudinis aſpectum non impedias! Quam merito exclamat Apoſtolus ad Romanos cap. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ſciens quia quamdiu eſt
2. Cor. 5. in corpore, peregrinatur a Domino. Neque tamen jam omnino poſt parietem occulta-
Cant. 2. tur; ſed *reſpicit per feneſtras, proſpicit per cancellos*, neque omnino latens, neque omnino patens. Supra poſtulaverat: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?* & id quidem non obtinuit, quia multum eſt ad illam: ſed tamen precibus & fletibus impetravit, ut videat illum ſaltem per cancellos. Quantum conſonat huic ſententiæ beatus Job! *In manibus*, inquit, *abſcondit lucem; & præcipit*
Job 36. *ei ut rurſus adveniat. Annuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere.* Manibus Dei concluſa lux, per digitorum rimulas hiantis animæ obtutus ſubita fulguratione percellit & pertranſit, repetitiſque coruſcationibus, ſubito radio ſuæ claritatis perſtringit, & illico adumbratur, quoniam diutius illum ſuſtinere humanus intuitus nequiret. Hæ ſunt feneſtræ, hi cancelli, per quos proſpicit, & proſpicitur Deus. Felix anima, quæ vel ſic in hac vita eum proſpicere meruit! quam Dei clara viſione nihil jam dividit, niſi carnis hujus paries cito ſolvendus; quæ interdum cancellata jam viſione perfruitur, an ſit in corpore vel extra corpus ignorans, ſed ſicut Elias ad oſtium ſuæ ſpeluncæ poſita, Deum pertranſeuntem aliqualiter intuens. Hinc Apoſtolus 2. Cor. 3. *Nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur.* *Qui habet aures audiendi audiat:* & qui non habet, petat humiliter & dabitur ei. *3. Reg.* *19.* *Lucæ* 8.

XIV. Sed quantæ felicitatis eſt quod ſequitur! *En dilectus meus loquitur mihi.* Quantæ jucunditatis dilecti vivas percipere & reddere voces, & non jam per ænigmata ſubmurmurantem, ſed palam de Patre ſuo loquentem audire! ſicut in Euangelio promiſerat dicens: *Venit hora, cum jam non in* *Joan.* 16. *proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre meo annuntiabo vobis.* Quod etiam in hac vita in Sanctis impleri exiſtimo, quando non jam per Scripturas, ſed per ſeipſum alloquitur eos; & impletur quod ſcriptum eſt: *Erunt omnes docibiles Dei.* Cum ſic Spi- *Ibid.* 6. ritus loquitur, omnis littera faſtiditur: ſed quid ei locutus fuerit audiamus; gratiſſimum enim eſt noſſe, quid mundis ſpiritibus & perfectis in ecſtaſi ſua loquatur Deus, *Pſal.* 84. & quid cum eis confabuletur; & quamvis illud inenarrabile ſit, iſta tamen exprimit prout poteſt.

XV. *Surge*, inquit, *propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Jam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit; vox turturis audita eſt in terra noſtra: ficus protulit groſſos ſuos; vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge* propera *amica mea, ſpecioſa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam; ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Sic dilectam ſuam ſponſus alloquitur; & ad ſodales converſus: *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit. Quam dulcia faucibus meis elo-* *Pſ.* 118. *quia tua* Domine, *ſuper mel ori meo!* Quis mortalium tam dulciter amicam ſuam alloquitur? Sed ad hæc intelligenda quis idoneus? Properantem ſtimulat, & ſponte currenti calcaria addit; incitat, provocat, urget, ut veniat, quæ nihil aliud quam perveniſſe deſiderat. O ſi parietis obſtaculum tolleretur, quam cito veniret! neque ſemel quidem, ſed iterum atque iterum replicat, ut ſurgat, ut acceleret, ut properet, ut veniat. Sed quo advolabit columba, niſi in foramina petræ, & in cavernam maceriæ? ubi ſcilicet tuta nidificet, & pullos ſuos foveat,

veat, & gratum ſibi germen multiplicet. Quid hoc ſit, experientia penitus ignoro, ſed (a) quendam ex Sanctis (a) audio, multiplicibus exaggerantem ſermonibus, quid ſuavitatis, quid conſolationis, quid gaudii & jucundi- *Iſaiæ* 12. tatis hauriatur ex fontibus Salvatoris, ſi caſta columba Dominici corporis noverit penetrare ſecreta, vulnerum intrare foramina, & intra ſacrum Crucifixi pectus tutam ſibi parare manſionem. Hoc, inquam, fateor nondum intelligo, neque experiri promerui: ſed quicquid illud eſt, magnificum & præclarum eſt: & ad hoc omnem hanc ſponſi exhortationem tendere, nemo eſt qui non videat. Pectoris ſui columbarium offert, columbam pulcherrimam ad illud invitat, ut feſtinet.

XVI. Sed quantis eam titulis honorat? *Amica mea, columba mea, formoſa mea:* ut decoris ejus gloriam, & amoris ejus in eam vim pandat. Niſi enim eſſet amica, niſi formoſa, niſi columba, petræ cavernas penetrare non poſſet, neque ardua maceriæ foramina advolare. Non eſt hoc adoleſcentularum, non quarumlibet animarum, ſed columbæ, quæ volatu celeri temporalia cuncta pertranſit, & pennarum multiplici varietate plumeſcit: neque quolibet etiam tempore, ſed vere novo, cum ſerenitas lucida placidas auras temperat ad volatum. Imbribus enim & tempeſtatibus ingruentibus, quamvis acer, quamvis præpes, nequit advolare columba: ſed poſt conſtringentium peccatorum frigidam hyemem, poſt inundantium tentationum tempeſtuoſam illuviem, poſt diſſolutam hærentis tepiditatis glaciem, & nocturni timoris fugatum algorem; poſtquam coruſco ſolis ardore bonorum deſideriorum flores in frugifero mentis ſolo prodire cœperunt, poſtquam vernare cœpit hiſpidus ante & aridus cordis hortus, poſt reſecatas omnium vitiorum paſſiones, & temporalium ſolicitudinum amputatas curas atque diſſectas; poſtquam clari luminis fulgore turtur invitata, ſyndereſis pro commiſſis reatibus gemebunda vocem emiſit, & flante auſtro lacrymarum inundantes imbres fœdas criminum maculas diluerunt, poſtquam groſſos ſuos, id eſt, pinguiſſimos charitatis affectus, arens prius voluntatis ficulnea ſpiritu fœcundante protulit, & viribus animæ calentes vineæ flores cum odore dederunt, poſt ſerenatam mentem, & ab omni labe mundatam, poſt vernantem animam, & ab omni perturbatione tranquillam.

XVII. Poſt hæc, inquam omnia: *Surge, propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ.* Tunc, quid intra Dominici pectoris alveum mellis & favi lateat, deguſtare; tunc Spiritus ſancti ſecreta rimari; tunc cœleſtium ſacramentorum abſcondita pe- *Ibidem.* netrare, & de fontibus Salvatoris aquas in gaudio haurire tempus eſt. Ex tunc fidei nebula penetrata, in culmine montis arduo, ſuper omnem caliginem conſtituta mens, & ſicut Moyſes intra foramina petræ concluſa, tranſeunte Domino, etſi non vultus ſplendorem, certe poſteriora ejus, utcunque videre poterit, non quidem clara, ſed ſicut diximus, cancellata viſione. Tunc digna invenietur anima, revelata facie gloriam dilecti ſui ſpeculari, ut in eandem imaginem transformetur, unde tunc merito dicitur ei. *Exod.* 33. 2. *Cor.* 3.

XVIII. *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Prius quidem velato vultu propter maculas, gloriam dilecti ſui contemplabatur, neque enim poterat intendere nude in gloriam vultus ejus propter excellentiam fulgoris; jam digna eſt, ut revelata facie videatur & videat: ut audiatur & audiat: & ex conſortio divini ſermonis fulgida quoque de monte ipſa deſcendat. Tunc ſonare poterit vox ejus coram Domino, cum orationis dulcedine faciei decor commendat: non enim eſt vox dulcis, niſi facies ſit decora. Decora ſit oportet aſpectu, quæ tanti Regis optat delectari colloquio. Felix cui datum eſt hæc omnia, quæ ſupra diximus, præguſtare! Hæc forſitan ille optaverat, qui dicebat: Pſalm. 54. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Hujuſmodi columbæ nihil eſt jam quod timeamus a beſtiis: in arduis poſuit nidum ſuum, in *Job* 39. petris manet, & in præruptis ſilicibus, & inacceſſis rupibus commoratur; ubi neque ſerpens ignivomus, neque venenata vipera, neque faſcinans oculo baſiliſcus irrepat. Inde jam ſecura contemplatur eſcam, & oculi ejus terram deſiderabilem de longe proſpiciunt. Pulli ejus in nido tuti lambunt ſan- *Ibidem.* guinem, & ubicumque fuerit præda, ſtatim adeſt. Non eſt, inquam, quod jam aſpidem, & baſiliſcum, leonem atque draconem pertimeat; ſed & beſtiæ terræ pacificæ ſunt ei.

XIX. Reliquum eſt ſolum, ut caveat florentibus vineis a vulpeculis, quæ demoliuntur vineam. Caveat vulpecularum dolos, ne ſub ſpecie ſanctitatis deludant: ne 2. *Cor.* 11. tranſigurato Satana in Angelum lucis, ſpiritui puro, & ſimplici dolum injiciat. Hujuſmodi enim ſpiritibus mundis Satanas non ſe audet jam monſtrare ſicuti eſt, quoniam ſtatim ſpuitur: non audet aperte ingerere mala, ſed ſub ſpecie boni decipere tentat. Caveat, inquam, illuſiones, caveat immiſſiones, caveat revelationes falſas decora columba: non facile credat omni ſpi- 1. *Joan.* 4. ritui, ſed probet, & examinet prius, an ex Deo ſit. Caveat ſibi a vulpeculis iſtis callidis, capiat eas, & ſtatim moriuntur. Sufficit enim ad omnem ſecuritatem ſi capiantur: nam deprehenſæ penitus nocere non poſſunt. Sed quis eas, aut vitare, aut capere *Cant.* 2.

poſſet,

(a) Vide S. Bernardum Serm. 61. in Cantica.

posset, nisi sodalium, id est, Angelorum subsidio fulciretur? Illi eas faciliter capiunt, qui eas aperte norunt, & fraudes earum intelligunt: illi eas, & pandunt, & capiunt, unde ad eos magis, quam ad columbam sermo dirigitur. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* In flore, quam in fructu majus est periculum, nam affectuum flores teneriores sunt, & halitu vulpecularum fœtido facilius marcescunt: fructibus bonorum operum dentem infigere non ita possunt. Hi sunt sodales, quibus mandavit Dominus, ut custodiant vi-
Psal. 90. neam suam in omnibus viis suis, ne dirupta sepe vulpeculis aditus usquam pateat. Hi sunt fideles custodes Jerusalem, qui die ac nocte non tacent, ut vulpeculas callidas suo clamore deterreant, & illæsos Domino vinearum nostrarum flores custodiant. Hæc de sponsi cantico dicta sint; nunc quid ipsa columba respondeat, audiamus.

XX. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Et nihil amplius o dilecta, ille tibi, & tu illi, & nihil ultra? Utique nihil amplius; nam quod amplius est, ex superfluo est. Solus mihi sufficit, solus abundat, solum cupio: quicquid ille non est, egestas mihi est: ille solus mihi, & ego quidem non sola, sed solum illi:
Psal. 72. *Quid mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram Deus cordis mei?* utique *pars mea*, & sors mea tu *Deus in æternum.* Beata mens cujus ista sunt verba, quæ in veritate dicere potest: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Nihil his verbis superaddendum puto, sic dicta fortius sonant: quicquid superaddatur, hujus eloquii minuit gravitatem. *Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.* Non pascitur dilectus carnibus, peponibus, cæpis, & cucumeribus de Ægypto, sed rosis, & floribus. Vernantes flores apponat, qui illum ad cœnam invitare desiderat, sicut in Apocalypsi ait:
Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis mihi aperuerit, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Quid stulta synagoga sacrificiorum illi millia propinas? quid tauros pingues, hircos, arietesque perquiris?
Psal. 49. *Nunquid* manducabit *carnes taurorum, aut sanguinem hircorum* potabit? *Immola Deo sacrificium laudis:* rubentes rosas perquire, lilia candentia ex hortulo cordis appone; his
Prov. 5. enim gratissimus hinnulus, Virgo, Virginis filius libenter vescitur. Si quid crassum, si quid esculentum in mensa viderit, offenditur, & abscedit: quoniam tenerrimus, & delicatissimus est.

Cant. 1. XXI. Hic *pascitur inter lilia*, ibi pascit in meridie: pasce illum ad modicum, ut pascaris in sempiternum: neque enim semper pascetur ille, sed *donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.* Nunc tempus est de quo ait:
Matt. 25. *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere.* Tunc autem *præcin-*
Lucæ 12. *get se, & faciet* suos *discumbere, & transiens ministrabit illis*, pro liliis suavissimum nectar, & pro floribus & rosis *manna abs-* *Apoc. 2.*
conditum, quod nemo novit, nisi qui accipit. O dies jucunda quando aspirabis, o umbræ ingratæ quando declinabitis, ut sedere possim cum dilecto meo, ad mensam ejus, in regno ejus? Quando illucebit dies illa serena, quæ ignorat tenebras, & nescit occasum? quando phantasmatum umbræ declinabunt, ut non videam jam *per speculum in* *1. Cor. 13.*
ænigmate, sed *facie ad faciem*, & sic cognoscam, sicut & cognita sum? Quando intelligibilia pulchra, non in phantasmatis, sed in seipsis, prout sunt, nude & aperte videbo? Quando fidei umbra cessabit, & *Hebr. 9.*
sublatis sacramentorum velaminibus, jam non exemplaria verorum, sed veritatem ipsam limpidissimis oculis contemplabor? Dixit, & amplexari volenti, velut fulgur transiens, subito dilectus evanuit. Abiit ille citus, vacuosque conantis reliquit amplexus. Clamat post illum furens, auraque totas clamoribus replet.

XXII. *Revertere: similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bethel.* Sic ne amantem deseris? sic tui ardentem dilectione relinquis? Longius ne abeas obsecro, saltem redire memento. Redi cito sponse, æstuantisque pectoris incendia rora: non quidem, ut sicut bos lassus fortius vestigia premas: scio enim consuetudinem tuam, moresque tuos optime novi; non diu menti hæres, non longo tempore hospitio resides: oro saltem, ut redeas velociter: *similis capreæ, hinnuloque* salienti *super montes Bethel.* Non modo ista, in similitudinem hinnuli super montes aromatum, se obsecrat visitari, quia hoc multum est ad illam, sed in similitudinem hinnuli super montes Bethel, id est, sicut Sanctorum vertices in mortali specie visitare consuevit. Bethel domus Dei interpretatur, & juxta Apostolum, hæc est Ecclesia, cujus montes sunt sublimes Sanctorum mentes: in quibus, sicut supra diximus, *1. Tim. 3.*
hinnulus gratissimus fervore spiritus frequentius salit, & subsultat. Communis, & usi- *Prov. 5.*
tata apud devotas animas hæc spiritus vicissitudo est: spiritus enim pertransit in illis, *Ps. 102.*
& non subsistit; pervolat eas, quasi damula, & sicut cervorum hinnulus, & sicut fulgur in Oriente apparens, evanescit statim: *Matt. 24.*
sic est adventus Filii Dei ad animam. Quia ergo non est stabilis ut in Beatis, petit saltem repetitis vicibus visitari, & ea velocitate percurri, qua soleat sublimes Sanctorum mentes sicut hinnulus pervolare. Hic primi cantici finis est, quo subtili dulcique modulatione mutui amoris insignia dilectus & dilecta versibus alternantibus cecinerunt; in quo mirabilem ordinem attende. Post fidei umbram sequitur devotionis fructus; post fructum ebrietas; post ebrietatem languor; post languorem somnus; post somnum ecstasis, in qua audit ab ore dilecti arcana verba, quæ non licet homini loqui: cujus sua- *2. Cor. 12.*

vitate

vitate repleta, evigilans se totam illi offert, & abeuntem, ut iterum redeat, humiliter deprecatur.

CAPUT TERTIUM.

I. ABiit ille, remansit illa jucunditate & lætitia repleta, exultans spiritu ex gratissimo sponsi sui colloquio, intra se pertractans quæ audierat ab illo, & eadem sedula mente revolvens. Sed non diu quiescit amor, longas non sustinet dilectio moras; iterum dilectum sitit, placidos iterum quærit amplexus, dulcia rursus exposcit oscula. Per vicos, & plateas sitibunda discurrit, bacchatur furens, si forte possit invenire quem amat: eo utique furiosior desiderio, quo fuerat ante plenior gaudio: ardentius enim sitit, postquam gustavit. Hoc est quod ait: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea*. Non in circo, sed in lectulo; non in negotio, sed in otio; non inter æstuantes sæculi procellas, & negotiorum strepitus, sed inter quietæ contemplationis blanditias, placidosque recessus, in lectulo meo per noctes quieta quæsivi, sed non inveni, quia nocte quærebam; non erat in lectulo, sed in patibulo. Anima mea desideravit te in nocte, sed spiritus meus in præcordiis meis: & ubi inveniam te?

II. Per noctes quæsivi; omnes creaturas corporeas animo perlustravi, omnes meos sensus requisivi: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Et respondit mihi visus: Si non est color, aut lux, nescio eum. Respondit auditus: Si non est sonus, aut melodia, nescio eum. Respondit gustus: Si non est sapor, aut dulcedo, nescio eum. Respondit tactus: Si non est mollities, aut lævor, nescio eum. O sensus hebetes! dilectus meus lux est, pulchritudo est, fragrantia est, melodia est, dulcedo est, suavitas, & mollities est, sed vos non pertingitis ad illam. Dicite cœli, sol, astra, mundus: *num quem diligit anima mea vidistis?* Responderunt mihi: Non sumus nos dilectus quem quæris, *Psal. 99.* opera ejus sumus; *ipse fecit nos, & non ipsi nos*; transi, & forsitan invenies eum. Percontata sum intellectum meum, si forsan vidisset eum; & ait: Ego quidem sine phantasmate non intelligo: vide an dilectus tuus aliquod phantasma sit? Non est, inquam, *Joan. 14.* phantasma, sed veritas: quid faciam misera, ubi quæram eum in nocte obscurissima? Dego densissimis tenebris involuta, lucem illam placidissimam non attingo, quocunque me vertam non invenio nisi atram noctem: & lux quidem in tenebris aliquo modo lu- *Ibid. 1.* cet, sed *tenebræ eam non comprehenderunt*: intra omnia, & non inclusus: extra omnia, & non exclusus. Quid ergo? desperabo, quia non invenio? Non utique; nam ingenuæ mentis est rei difficultate non vinci, negotii arduitate non superari.

III. *Surgam, & circuibo civitatem, per vicos, & plateas*, si forte appareat in Sanctis, qui non illuxit in creaturis: scio enim quia templum Dei sunt, & dilectus inhabitat eos, sicut scriptum est: Inhabitabo in *1. Cor. 3. 2. Cor. 6.* eis, & inambulabo in eis. Circuibo itaque non solum religionum arctissimos vicos, sed & platearum sæcularium ampliss imas latissimasque plateas; nam in illis solet quandoque deambulare dilectus. *Spiritus ubi vult* *Joan. 3.* *spirat*, & nonnunquam invenitur in theatro, quod non invenitur in claustro. Omnes ergo vitæ præsentis vias arctas, & latas diligentius perlustrabo, si forte in aliquo montium mihi resplendeat Sol justitiæ, quem requiro. *Quæsivi illum, & non inveni*; & heu misera, jam quo ibo? Quæsivi in creaturis, quæsivi in Sanctis, nusquam apparet: neque tamen a quærendo desistam, donec inveniam; ipse enim dixit: *Quærite, & invenietis: pul-* *Matt. 7.* *sate, & aperietur vobis*. Veritas est, men- *Joan. 14.* tiri non potest; verbi ejus pignus habeo, & promissionis illius certissimum arrhabonem. Sed ubi quæram illum, ubi investigabo eum?

IV. Cum hæc itaque mecum anxia mente revolverem, ecce adsunt *vigiles, qui custodiunt civitatem*; non ego quærebam eos, sed ipsi invenerunt me; commota enim *Gen. 43.* sunt viscera eorum super anxietate mea, & miserti sunt æstuantis amoris mei: vigiles, inquam, illi qui positi sunt custodes super Jerusalem, & die ac nocte non tace- *Isaiæ 62.* bunt laudare nomen Domini: vigiles de quibus Propheta prædixerat olim: *In sententia vigilum decretum est:* hi utique invenerunt me, & qui lenire debuerant amoris flammam, amplius succenderunt eam. *Dan. 4.* Plagis suavibus, non doloris, sed amoris percusserunt me; placido vulnere vulneraverunt me; sponte currenti calcaria, & nimis ardenti ignitos carbones addiderunt. Tulerunt pallium meum, & veteri me tunica spoliaverunt, ut libero cursu prosequerer fugientem. Non vos requiro, Angeli, vestro non satiatur sitis mea decore: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Scio quia vidistis, ubi eum inveniam dicite mihi? Non verbis, sed plagis: non sermonibus, sed vulneribus mihi responsum est.

V. *Et paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*. Circuivi omnia, pertransivi omnia, lustravi omnia, lustravi sensus, lustravi cœlos, lustravi Sanctos, lustravi Angelos, & *paululum cum pertransissem eos*, quem desiderabam inveni. O sedulam investigatricem, o felicem repertricem! grandia hæc loquitur, Fratres; nescimus quid dicat, interrogemus quempiam ex Sanctis, si forte hunc nobis locum exponat: neque enim facile est corporalia omnia perlustrasse, Sanctos omnes percurrisse, ad Angelos perveniisse, & ultra transisse. Quæramus expertum, qui hujus labyrinthi explicet vias: quid enim hoc sit, fateor,

Ezech. .17 fateor, penitus ignoro. Sed aquilam grandem, magnarum alarum, plenam plumis, & varietate, per medium cœli volantem intueor, corporalia omnia, temporalia omnia, cœlestia omnia pertranseuntem, & ad dilecti solium volatu celeri penetrantem, hujus aquilæ verba ponamus: de se, & matre sua, quæ & ipsa sponsa erat, talia proloquitur (*a*). Colloquebamur soli valde dulciter, & præterita obliviscentes, in ea quæ ante sunt extenti, quærebamus inter nos apud præsentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna Sanctorum, quam neque 1. Cor. 2. & Isaiæ 64. oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit: sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis vitæ, qui est apud te, ut inde pro captu nostro aspersi, quo modo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium sensuum delectatio quantalibet, in quantalibet luce corporea, præ illius vitæ jucunditate, non comparatione, sed ne commemoratione digna videretur, erigentes nos ardentiore affectu in idipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, & ipsum cœlum, unde sol, & luna, & stellæ lucent super terram, & adhuc ascendebamus interius, cogitando, & loquendo te, & mirando opera tua, & venimus in mentes nostras, & transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum veritatis pabulo, & ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, & quæ fuerunt, & quæ futura sunt, & ipsa non fit, sed sic est, ut fuit, & sic erit semper, &c. Et dum loquimur, & inhiamus illi, attigimus eam modice toto ictu cordis, & suspiravimus, & reliquimus ibi religatas primitias *Rom.* 8. spiritus, & remeavimus ad strepitum oris nostri, ubi verbum, & incipitur, & finitur: & infra: Ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui suspiravimus, nonne hoc est intra in gau- *Matt.* 25. dium Domini tui? Hæc Augustinus. Quid, obsecro, huic loco consonantius, quid aptius inveniri potuit, quod sic eum nobis interpretaretur, sicut hæc Monicæ, & Augustini ecstasis? Certe vidistis sponsam toto cordis nisu dilectum perquirentem, omnia transcendentem, & ad ipsum licet modice pertingentem.

VI. Jam vero quod sequitur: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*, apertiorem habet intelligentiam. Nullus enim dubitat, quin tenaciter adhæserit invento, quæ 1. Cor. 6. tam anxie prius quæsierat eum: & qui adhæret Deo unus spiritus est: quomodo ergo deseret eum, cui sic ex gratia unita est? O cha- *Rom.* 8. ritatis glutinum quam fortiter ligas! *Certus sum*, inquit Apostolus, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus,* A *neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Id ipsum ista nunc loquitur: *Tenui eum, nec dimittam.* Nulla ratione, nulla causa, nulla persecutione, nulla tribulatione, sed neque ipsa morte, ab ejus amore potero separari. Sæviat tyrannus, fremat Gentilis, suspendat equuleus, ungula fodiat, ignis adurat, gladius scindat, grassetur persecutio, instet occisio, præsentem intentent omnia mortem: *Tenui eum, nec* B *dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ;* illius, inquam, supernæ Jerusalem, quæ est mater mea, & verbo veritatis ge- *Jacob* 1. nuit me. Mirabile hoc! Ita ne tu sponsa, tu in hoc cubiculum introduces illum? An non potius e contrario ipse introducet te? Obsecro te, quid ais? Nisi ille veniisset, nisi duxisset, nisi sanguine suo hujus cubiculi januam aperuisset, quis unquam hominum in illud introire potuisset? & tu ais: *donec in-* *Cant.* 3. *troducam illum in cubiculum genitricis meæ?* Cellam vinariam, nisi potenti ejus manu C ducta intrare non potuisti, quomodo per te cœlestis gloriæ cubiculum penetrabis? Non potuisti quod minus est, quomodo poteris quod majus est?

VII. Attendite Fratres, quia hic sapientia est: quæ introducta fuerat a Rege in cellam vinariam, nunc vicissim ipsa introducere eum gloriatur in cubiculum genitricis suæ, quasi vicem illi reddens pro vini mercede, cubiculum genitricis suæ. Sed quomodo ipsa introducat eum, & non e converso difficultas est. Unde nobis hic locus pandetur? Utique ex Psalmo: Quoniam, inquit, *mise-* *Psal.* 83. D *ricordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Singula singulis, suo ordine referantur. Quoniam misericordiam diligit Deus, dabit gratiam: & quoniam veritatem diligit, dabit gloriam. Gratia ergo ex pura misericordia, gloria vero etiam ex veritate, id est, ex operibus bonis. Quodammodo in cellarium spiritus inebriantis gratis Rex introducit quos vult: in cœlestis Jerusalem cubiculum, oportet ut quisque bonis operibus introducat eum gratia ex puro dono, alioquin si ex operibus, jam non *Rom.* 11. est gratia: gloriæ autem retributio non ex E mero dono, sed etiam ex merito. Quia igitur, & ipsa sponsa gratiæ cooperatur ad ingressum gloriæ, merito jactari potest dicendo: *Donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ:* domum propter amplitudinem, cubiculum propter quietem. Sic enim Psalmus variis nominibus *Psal.* 83. beatitudinem illam nominare solet: nunc ta- *Psal.* 64. bernaculum, nunc atrium, nunc domum, *Psal.* 22. nunc sanctuarium, nunc templum; ut pro *Psal.* 72. varietate vocabulorum, ejusdem gloriæ fun- *Psal.* 10.

 ctio-

(*a*) August. Confess. lib. 9. cap. 10.

ctionum varietas denotetur. Et vere, si eum sicut promittit, tenuerit, si illi firmiter adhæserit, introducet eum, & introducetur ab eo in abditissimum cubiculum Beatorum, & transibit cum eo *in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei*. Potest cubiculum hoc genitricis aliter interpretari, sicut inferius exponemus.

Psal. 41.

VIII. Sed hæc postquam sponsum invenit, in brachiis ejus iterum obdormivit: unde rursus ille filias Jerusalem, *per capreas cervosque camporum* adjurat, ne eam suscitent, aut *evigilare* faciant, *donec ipsa velit:* & hoc toties faciet, quoties eam senserit obdormisse. Unde si diligentius advertas, nunquam adjurationem hanc adjunctam reperies, nisi ubi profundus contemplationis somnus præcesserit: & quod ita nunc sit, sequentia manifestant. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Sodalium verba sunt admirantium sponsæ *ascensiones*, quas *dis-*

Psal. 83.

posuit in corde suo in valle lacrymarum, in loco quem posuit. An non supra modum ascenderat, & volaverat, quæ cuncta pertransiens ad Angelos pervenerat, & ultra tranisierat donec pertingeret ad dilectum? Bene autem per desertum ascendere dicitur,

Oseæ 2.

de quo Dominus per Prophetam. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. Et dabo ei vinitores ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem*. O gratissimam solitudinem, ubi sola cum solo Deo quiescit anima! o silentium jucundum, ubi omnia silent, & leni auditur murmure perso-

Exod. 11.

nans dilecti vox! Hæc solitudo est, in qua

Exod. 14.

post occisos Ægypti primogenitos, post sub-

Exod. 16.

mersos Pharaonis currus, post relictam Ægyp-

Exod. 15.

tum, & transitum maris rubri, in pace, in tranquilitate spiritus cœleste manna gustatur, & aquæ Mara crucis ligno in dulcissimas permutantur. Hæc est illa solitudo, de qua

Psal. 54.

Propheta: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine*. Anima quæ adhuc sæculi ponderibus aggravatur, non potest volatu celeri cœlestia penetrare: quomodo enim volabit, quomodo elevabitur ad sublimia, negotiorum, & cupiditatum pedicis irretita? O solitudo amœna, devotioni, & contemplationi aptissima, ubi nunquam est anima minus sola quam cum sola!

IX. Per hanc *ascendit* fervens, & devota mens: *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii*. Varia namque virtutum pigmenta, igne charitatis in thuribulo cordis adusta, suavissimum Deo, & Angelis odorem spirant, perque rectum veritatis tramitem, velut virgula fumi anima erigitur ad sublimia. Via hæc purgativa est, cum mens, quæ claram nequit adhuc emittere flammam, fumat quidem, sed suavissimum odorem: quæ post-

Cant. 6.

quam in claram lucem ex fumo profecerit, audiet iterum a sodalibus: *Quæ est ista, quæ* ascendit sicut *aurora consurgens?* Abraham enim in illo ecstatico sopore, in quo repromissionem accepit, prius clibanum fumantem, & deinde lampadem ardentem intuitus est. Sed ab hoc gradu medio viæ illuminativæ, rursus ad supremum gradum perfectionis conscendens, quando jam non solum olfacere, non solum videre, sed & gustare divina meruit, audit postremo: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum!* His itaque gradibus anima proficit ascendendo: primo suaviter fumat, deinde lucide splendet, tandem affluenter deliciatur, cum ad culmen perfectionis pervenerit. Quamvis hunc triplicem animæ ascensum, possimus aliter interpretari: tripliciter enim Deus ad se rapit animam: aut per viam fervoris, & devotionis, & de hac dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, &c.* aut per viam luminis, & intelligentiæ, & de hac dicitur: *Quæ est ista, quæ* ascendit sicut *aurora consurgens, &c.* aut per viam delectationis, & gaudii, & de hac dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, &c.*

Gen. 15.

Cant. 8.

Ibid. 6.

Ibid. 8.

X. Triplici itaque hac quæstione triplex raptus contemplationis designatur, quo solet super se levari mens. Et bene ponitur, in deserto, aut per desertum; quia scriptum est: *Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit* se *super se*. Quam apte, quam concine anima spiritu devotionis fervida virgulæ fumi ex aromatibus comparatur! Ignis enim ille, qui super Apostolos in die sancto Pentecostes de cœlo descendit, aromata sanctarum meditationum, bonorum desideriorum, compunctionum, deprecationum, spiritualium virtutum, & affectionum, in cordis thuribulo dispositа, & præparata, sua virtute accendit, & adurit: quo calore excitata mens, velut spiramentum fumantis odoris rapitur ad cœlestia. Hæc sunt aromata myrrhæ, id est, compunctionis: & thuris, id est, devotionis: & *universi pulveris pigmentarii*, id est, spiritualium omnium affectionum, quibus offertur Domino sacrificium matutinum in ara cordis in odorem suavitatis: hoc est sacrum illud thymiama odoris suavissimi, quo suffitu Deus colitur in sacris, confectum opere pigmentario, id est, Spiritus sancti virtute, quo nemo utitur in prophanis. De aliis animæ ascensionibus, suis in locis latius differemus, nunc quo zelo, qua vigilantia sodales hujusmodi animam custodiant, audiamus.

Thren. 3.

Act. 2.

Exod. 30.

XI. *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*. O quomodo eam zelant, ut virginem eam castam exibeant sponso suo! Lectulum Salomonis floridum, id est, quietam, & devotam animam, in qua Rex cœlorum in contemplatione quiescit, a spiritualibus ne-

2. *Cor.* 11.

Epheſ. 6. nequitiis ſolicite Angeli cuſtodiunt, ne eam infeſtent atque perturbent, Regemque in ea quieſcentem ſtrepentes excitent a ſopore. Valde enim eam dæmones a contemplationis pace perturbare conantur, invidias, æmulationes, detractiones malorum, contra eam ſæpius excitantes, & interdum ſub horribilium phantaſmatum formis, ut eam perterreant viſibiliter apparentes.

XII. Unde recte dicitur: *propter timores nocturnos*, id eſt, occultas dæmonum inſidias, & latentes illuſionum fallacias, a quibus maxime illi timendum eſt: quoniam hujuſmodi contemplativis Angelus Satanæ ſæpius *2.Cor.11.* in Angelum lucis ſe transfigurat. Hi ſunt cuſtodes Jeruſalem: quibus mandavit Domi- *Pſal.90.* nus de anima ſancta, ut cuſtodiant illam in omnibus viis ſuis, ne forte offendat ad lapidem pedem ſuum, & in aliquo peccato cadat, maxime ſuperbiæ, cum ſe viderit ſublimiter aſcendentem. Sed quales iſti ſunt attendamus: fortes ex fortiſſimis, tales enim ſatellites ad ſui corporis cuſtodiam Reges eligere conſueverunt. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* Quibus verbis eorum potentia, & ſapientia ad arcendos dæmones deſignatur: & quia ſemper in procinctu ſunt, adjungitur: *Uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum*, & hoc *propter timores nocturnos*, ſicut diximus. Sexagenarium numerum, dum aliud non apparet, ad perfectionem numeri referendum puto: hæc autem anima contemplativa, & perfecta, quæ propter contemplationis quietem Salomonis lectulus dicta eſt, propter vitæ præſentis peregrinationem ferculum nuncupatur: unde qualis ſit, & quibus moribus adornetur, conſequenter exprimitur.

XIII. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem.* Habet noſter Salomon jumentum, habet equum, & currum, habet vehiculum ſive ferculum, quibus per viam hujus ſæculi ambulat in Jeruſalem. Anima ſimplex, & juſta, aſina eſt, aut pullus, quo mitis, & manſuetus defertur in civitatem. Vir perfectus, & potens honoris Dei zelator, equus Salomonis fortiſſimus, quo potenter inimicos ſternit. Vir Apoſtolicus, & ſanctus, currus Chriſti, quo mundum fidei ſuæ ſubjugat. Talis erat Paulus, anima quieta, & contemplativa. Salomonis ferculum ſive vehiculum, quo quiete, & pacifice per viam hujus ſæculi defertur in Jeruſalem: hæc eadem lectulus, in quo quieſcit. Qualis vero iſta ſit, aut eſſe debeat, audiamus. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani:* fortibus, candidis, ſublimibus, imputribilibus, per quæ virtutes morales deſignantur, quibus maxime a vitiorum corruptione liberamur.

XIV. *Columnas ejus fecit argenteas.* Hæ ſunt virtutes Theologicæ, totius ſpiritualis ædificii potiſſimum firmamentum: quas ideo argenteas nominat, quia per doctrinam, & verbi Dei auditum, in nobis maxime generantur: fides enim ex auditu, & auditus *Rom.10.* per verbum Dei. Habeat etiam neceſſe eſt hujuſmodi ferculum, reclinatorium contemplationis ſtratum, in quo ad tempus, ad ſoporem Rex quieſcat, aureum thorum, & cœleſtis gloriæ ſplendore coruſcum: ſed & aſcenſum purpureum, id eſt, pœnitentiæ rigorem, & vitæ auſteritatem, qua aſcenſus eſt ad ſpiritum: neque enim ſine gradibus ad dictum reclinatorium pervenitur. *Media* vero, id eſt, exteriorem converſationem *charitate conſtrata:* id eſt, planam, humilem, modeſtam, & piam: *propter filias Jeruſalem*, quas ſuo exemplo, & modeſta, & humili converſatione in Regis obſequium deducere oportet: quæ quoniam delicatiſſimæ, & tenerrimæ ſunt, molliter, & ſuaviter cum amore deducendæ ſunt. Tale ſibi ferculum Salomon paravit in viam: nam in palatio, non jam ferculo, ſed throno uti- *3. Reg.* tur, non ligneo, ſed eburneo: qualis in li- *10.* bro Regum evidenter deſcribitur. Hæc omnia ſodales de ſponſa pulcherrima, id eſt, anima perfecta, carmine dulciſſimo diſertiſſime perſonant; & ad adoleſcentulas converſi, quid ad eas pertineat ſimili acrimonia modulantur.

XV. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Vos, inquam, o adoleſcentulæ, quæ cum ſponſa cuncta corporalia, & etiam Angelos tranſcendere nondum noſtis, quæ *ſicut virgula fumi ex aromatibus* in cœleſtia advolare nondum poteſtis, quæ Regem Salomonem in decore ſuo, Patris gloria coronatum, omnibus præſidentem, necdum inſpicere meruiſtis, vos, inquam, nolite otioſe per temporalia diſcurrere: eſt etiam aliquid, quod vobis expediat contemplari. Egredimini a carne ad ſpiritum: egredimini a temporalibus curis, & negotiis ſæcularibus: egredimini etiam, ſi opus eſt, a corporeis ſenſibus: & videte *Regem Salomonem in diademate* carnis, *quo coronavit eum mater ſua:* mater ſacra, mater pura, mater intacta, Virgo regia, ex David ſtirpe generata. Ita dico vobis, hanc coronam contemplamini, hanc amplectimini, hanc penſate, hanc diebus, & noctibus coram oculis veſtris animo verſate: erit vobis tum utiliſſima, tum dulciſſima hæc carnis, & vitæ ejus mortalis ſpeculatio, quandiu ipſum Salomonem, Verbum in principio apud Deum, Deum de *Joan. 1.* Deo, cum Patre regnantem, inſpicere non valetis. Sponſa enim etſi cognovit Chriſtum ſecundum carnem, ſed jam non agnoſcit: vos *2. Cor. 5.* autem in hac ejus umbra requieſcite, donec lumen ejus eluceat, & in eandem imaginem transformemur.

XVI. *Videte ergo Regem Salomonem* ſapientiſſimum, & pacificum, pacem ipſam, qua om-

omnia in cœlo, & in terra pacificata ſunt, in corona illa puriſſima, & decora, in quam 1.*Petr.*1. deſiderant Angeli proſpicere, qua eum *mater coronavit in die deſponſationis illius* cum noſtra natura, & in die lætitiæ matris ejus, quando & ipſe noſtræ naturæ ſociatus apparuit, & cor matris ejus, ſupra quam dici, aut intelligi poteſt, immenſo gaudio repletum eſt: & cum eum ſic videritis, ſi placet, *Joan.* 19. tranſite, & videte eundem *Regem in diademate*, quo eum coram Pontio Pilato *coronavit mater ſua* ſynagoga: mater ingrata, mater impia, mater crudelis, & fœdifraga, in die paſſionis ejus, & reparationis humanæ ſalutis. Hic ſecundi cantici finis, in quo de contemplatione, ſicut in ſuperiore de amore, differitur: in quo ſi diligenter advertas contemplationis ſcalam, modum, ordinem, varietatem, animæ contemplativæ ingenium, ſponſi zelum, Angelorum cuſtodiam, methodo breviſſima ſpiritu Dei deſcripta reperies.

IN APOCALYPSIM B. JOANNIS APOSTOLI

PROLOGUS. (a)

I. INTER alia Spiritus ſancti Chariſmata, quæ Apoſtolus *ad Corinthios*, Eccleſiæ Dei utilia commemorat; unum ex præcipuis eſt Prophetia. Cujus utilitas, imo neceſſitas ex duobus maxime perpenditur. Quia, ſcilicet, per illam & fides Chriſti fulcitur, & noſtra ignorantia præmonetur. Ad fidem enim roborandam, hoc donum divinitus hominibus datum eſt. Ut humano generi incarnationis myſterium diu antequam fieret Prophetico lumine prænuntiatum, & multis figuris & cœremoniis præſignatum, ad credendum exhibitum, mens torpida non dureſcat. Chriſtus ergo, & legis & Prophetiæ finis eſt, *Apoc.*19. Joanne teſte, qui ait: *Teſtimonium Jeſu, eſt Spiritus Prophetiæ*. Et licet futura prænoſcere Deo proprium ſit: tamen, propter Mediatoris fidem hominibus collatum eſt tantum donum. Etiam alia non parva eſt Prophetiæ populo Dei utilitas: quia, dum per eam de futuris tribulationibus & perſecutionibus præmonetur; ad eas vel præcavendas vel tolerandas nimium adjuvatur. Minus enim jacula feriunt, quæ prævidentur, & patientius toleramus, quæ ante prænovimus. Remiſſius quoque tribulatio vexat, ſi ejus exitus a tolerante prænoſcitur. Unde, propter hoc, ab initio, ex quo ſibi peculiarem populum Deus delegit, ſemper eum de futuris, vel proſperitatibus, vel calamitatibus diu ante præmonuit. Sic Abraham, primum populi Dei ſtipitem & radicem, de futura ejus ſeminis per quadringentos annos apud Ægyptios ſervitute in illo ecſtatico ſopore prædocuit: *Scito*, inquit, *prænoſcens*, *Gen.* 15. *quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubjicient eos ſervituti, & affligent quadringentis annis... & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia*. Sic poſtmodum Jacob Patriarcha duodecim filios ſuos duodecim tribuum progenitores, de futura per eos ſucceſſione, obiturus, Spiritu Dei præmonuit dicens: *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura ſint vobis in diebus noviſſimis. Congregamini & audite filii Jacob, audite Iſrael patrem veſtrum*, &c. *Ibid.* 49. Sic etiam Iſraelitici populi legislator & ductor Moyſes, duodecim tribubus, ſpiritu Prophetico de futura in populo revelatione & calamitate, jamjam moriturus, longe ante inſigni Cantico præinſtruxit. Sic quoque procedente tempore in illo populo non defuerunt Prophetæ, qui eum ſpecialiter, & tempore pacis & belli de contingentibus & accidentibus edocerent, & ad futura diſcrimina præmunirent. Tanta fuit Deo ſemper de populo ſuo cura. Unde quidam ex eis Propheta: *Non facit Dominus Deus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prephetas*. *Amos* 3. Neque enim facit Deus magnum, neque parvum quid, quod non famulis ſuis Prophetis revelet & pandat. Omnes autem iſti Prophetæ, quaſi particulares & ſpeciales erant. Danielis autem Prophetia, quoad illius populi ſtatum, univerſalis & generalis habetur. Quæ enim aliis Prophetis ſigillatim monſtrata ſunt, Danieli ſimul juncta oſtenſa ſunt: cui totus ſtatus illius populi, viſione quadam imaginaria monſtratus, ac veluti exteriori ſimulacro foris depictus eſt. *Dan.* 9.

II. Hæc non ad illum populum tantum; ſed etiam in populo Chriſtiano. Quamvis impleto incarnationis myſterio, Prophetia ceſſaverit (*Lex* enim & *Prophetæ uſque ad Joannem*) non tamen defuit Prophetia, quæ *Lucæ* 16. ipſum de futuro ejus ſtatu, & perſecutionibus prædoceret. Nam & ipſe Prophetarum *Matt.*24. Dominus per ſeipſum ab Apoſtolis requiſitus, univerſum Eccleſiæ ſuæ futurum ſtatum lucide quidem præcucurrit. Jeruſalem cladem

(a) Extat Commentarius iſte ad calcem tomi 2. in editione Bruxellenſi, in aliis autem editionibus deſideratur.

Lucæ 21. *Matt.*24. dem proximo futuram, & perſecutiones Apoſtolorum & Martyrum, atroces hæreſes quoque & paganiſmum, & Antichriſti acerrimam invaſionem, ſigna quoque & judicium, diſtinctiſſime & apertiſſime illis prænuntians: ut non jam Prophetia, ſed hiſtoria videatur. Petrus quoque ſecunda Canonica: & Paulus epiſtolarum ſuarum pluribus locis, ſed ad Timotheum præcipue; de futuris in Eccleſia hæreſibus & calamitatibus plurima prædixerunt. Sed dilecto Domini Joanni Apoſtolo, non ſigillatim ut aliis, ſed fuſe omnis Eccleſiæ ſtatus a principio uſque ad finem typicis quibuſdam imaginibus & ſignis, ſicut Danieli, ſynagogæ monſtratus eſt. Unde ejus Prophetia in Eccleſia, ſicut Danielis in ſynagoga, generalis & univerſalis habetur: conſonantque mirum in modum, ut poſtea patebit. Sed licet hæc Joannis Prophetia univerſum Eccleſiæ ſtatum deſcribat; ita tamen obſcure & involute, ut revelatione opus ſit ad intelligentiam: Deo ſic mirabiliter pro-

Matt. 7. vidente, ne verum Sacramentum canibus daretur, & margarita porcis. Sic ergo ſcripta eſt in pluribus locis, quaſi non eſſet ſcripta. Signata eſt, & non poteſt, niſi Spiritu docente, reſerari. Sunt tamen in illa quædam humano intellectui pervia: in quorum expoſitione Doctores ſatis conſonant. In aliis vero, quia fere omnes hallucinantur: plurimum inter ſe diſcrepant. Nec fuit quiſpiam, ut exiſtimo, qui eam ad plenum intelligere potuerit uſque hodie. Unde Dionyſius Alexandrinus eruditiſſimus & ſanctiſſimus vir, eo amplius Apocalypſim ſe venerari, quo minus intelligere ſe poſſe, dice-

(*a*) bat (*a*). Quid ergo tentabo ego, quod nullus hucuſque potuit? Abſit, abſit. Quis ego ſum, aut quæ ſapientia mea ut iſta præſumam? Sed in re difficillima & obſcuriſſima,

*Marc.*12. quæ Dominus dederit, velut in gazophylacio Domini minutum quoddam mittens, paupertatem meam inter divites Sanctorum oblationes oſtendere non erubeſcam: literalem ſenſum, qui huic Prophetiæ accommodatior eſt, in quibus potero perquirens: quæ non intelligo, aliis doctioribus exponenda relinquam. Unde Annotationes quaſdam potius diſtinguere, quam perpetuam quandam expoſitionis ſeriem, intexere prætendo; illam ante omnia, ab eodem Domino Jeſu, humiliter expoſtulans clavem David;

Apoc. 3. *Qui habet clavem David: qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit:* ſine qua, meo ingenio nihil potero niſi errorem. De Authore Libri, licet ab antiquis dubitatum ſit; hodie impius habetur, qui eum dubitaverit a Joanne Apoſtolo fuiſſe conſcriptum, ſicut & liber ipſe demonſtrat, cum

Ibid. 1. ait: *Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei.* In Euangelio ſcilicet. Cujus ergo eſt Euangelium, ejus eſt etiam Apocalypſis. Aut, ſi ita non eſt: indignus eſt liber qui Scripturis ſanctis annumeretur; utpote, quod apertum in ſe mendacium præſeferat. Pudeat igitur quempiam fidelem, hodie de hujuſmodi dubitare, quæ tamdiu ab Eccleſia Catholica communi fide & ſenſu recepta ſunt.

SERIES LIBRI, EJUSDEM TITULUS, ET SALUTATIO.

I. SEd jam librum ipſum aggrediamur, totius Prophetiæ modum & ſeriem primitus prænotantes. Quibuſdam viſum eſt, Apocalypſim iſtam unam & continuam eſſe revelationem, quæ perpetuo quodam tenore ſtatum Eccleſiæ, ordine quo uſque ad finem ſæculi decurrit, prænuntiat, & deſcribit; ex ipſo ejus principio & fine ſumentes argumentum, quod ab initio ſæculi incipiens, in judicium & Beatorum gloriam deſinit, quæ omnium finis eſt. Sed, meo videri, media huic ordini non cohærent. Unde, qui perpetuum hunc tenorem, in ejus expoſitione ſervare conati ſunt; ſæpius literam adulterare videntur, & ad ſuum ſenſum ipſam trahere repugnantem, cum tamen e contrario oporteat ſenſus noſtros literæ potius adaptare. Conſonantius ergo videtur ad literam: ut ſeptem in ea revelationes, cum aliis diſtinguamus, quas non ſemper oporteat ad invicem colligare.

II. *Apocalypſis Jeſu Chriſti.* Viſionum tria ſunt genera. Scilicet: ſenſibilis, imaginaria, intellectualis. Secundum hæc; ſumuntur tria genera Prophetiæ. Hæc, ad ſecundum genus pertinet. Non enim ſenſu, ſed ſpiritu, per imaginationem hæc omnia vidit. Talis *Dan.* 2. eſt etiam Prophetia Danielis.

Quam dedit illi Deus. Deus dedit Chriſto Homini; Chriſtus Angelo; Angelus Joanni; Joannes ſeptem Eccleſiis.

Palam facere ſervis ſuis. Aliis enim ſignatus eſt liber. Non dantur margaritæ porcis. *Matt.* 7.

Quæ oportet fieri cito. Cito fit quidquid tranſit. Ideo, quæ ad finem uſque mundi fient, cito fient.

Significavit. Modus Prophetiæ tangitur; qui per ſigna quædam & imagines eſt.

Mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni. Aliqua Deus per ſeipſum revelat; Pſalmus: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* *Pſal.*84. Aliqua per Angelos; Pſalm. *Imittet Angelus* *Pſal.* 33. *Domini in circuitu timentium eum.* Sic etiam Danielis Prophetia per Angelum eſt. Quo- *Dan.* 9. modo autem Angelus immutet noſtrum intellectum ad hæc perficienda: ſcholam conſulito.

Teſtimonium. In Euangelio. *Verbo Dei.* Divinitatis Chriſti; *In principio erat Verbum.* *Joan.* 1.

Et Teſtimonium Jeſu Chriſti. Etiam ſecundum carnem, quod ſcilicet verus eſſet Meſſias, miracula ejus narrando.

Quæcumque vidit. Oculis corporeis; nam Prophetia ſenſui immititur. Propheta teſtis eſt ſpiritu, Euangeliſta teſtis eſt oculatus.

Beatus qui legit. Commendat librum & lectoris provocat diligentiam ad legendum, & ſervandum myſteria in eo contenta.

(*a*) Refertur hoc ab Euſebio Eccleſ. Hiſtor. lib. 7. cap. 25., & a Nicephoro Eccleſ. Hiſtor. lib. 6. cap. 22.

Qui legit: Doctor in Ecclesia. *Qui audit:* laicus auditor. *Et servat*: non enim lectio sola, vel auditio, sed impletio beatum facit. *Tempus prope est*. Valde provocat laborantem ad laborem sustinendum, non dilata retributione, & lectorem ad legendum, non dilata impletione. Totum autem *tempus*, juxta Apostolum, *breve est*. 1. Cor. 7.

III. *Gratia vobis & pax*. Hæc est Apostolica salutatio. Patet in Paulo, & aliis Apostolis. Ubi non est gratia, pax esse non potest; quia *non est pax impiis, dicit Dominus*. Isaiæ 48. Gratia justificat, pax justitiam firmat.

Qui est, & qui erat & qui venturus est. Patrem designat, per tres differentias temporum innuens æternitatem. *Venturus est*. Non ad judicium; sed sicut dicimus: *Adveniat regnum tuum*. Tunc veniet quando nos ad eum veniemus. Matt. 6.

A septem Spiritibus. Id est, septiformi Spiritu. *Qui in conspectu throni ejus sunt*. Thronus Dei, Angelica natura. In præsentia Angelorum Spiritus est, eos illustrando & perficiendo.

Et a Jesu Christo. Ultimo ponitur, quia de illo futurus est longior sermo: vel quia de illo secundum hominem loquitur. Potest etiam superior litera de illo intelligi, cum ait: *Qui erat, & qui venturus est*. Scilicet ad judicandum.

Qui est testis fidelis. Tres titulos Christo Homini tribuit aptissime. *Testis fidelis* Patri & mundo. Patri: quod implevit, quod promisit. Psalmus: *Semel juravi in Sancto meo*, &c. *Et testis in cœlo fidelis*; Scilicet: quod vera dicam, & impleam quod promitto. *Testis* etiam *fidelis* mundo; quia fideliter narravit quæ Pater eum dicere voluit, juxta illud: *Quæcumque audivi a Patre, nota feci vobis*. *Testis fidelis*; quia vera est & certa ejus doctrina. Psal. 88. Joan. 15.

Primogenitus mortuorum. In vitam immortalem, quam nos sequemur in regeneratione futura. Nonnulli resuscitati sunt prius, sed non renati, quia mortales surrexerunt a mortuis.

Princeps regum terræ. Quia Dominus omnium. *Data est* enim illi *omnis potestas in cœlo & in terra*. Matt. 28.

Fecit nos regnum. In quo Deus regnat.

Et sacerdotes. Ad offerendum ei hostias cordis spirituales. Ridiculum est velle probare in hoc omnes fideles sacerdotes esse ad consecrandum Dominicum Corpus.

Videbit eum omnis oculus. Bonis & malis fidelibus notus adveniet.

Plangent se super eum. Quia eis non profuit tanta benignitas, tanta redemptio: quia ei non crediderunt, quia ei non adhæserunt.

Amen. Est vere confirmatio dicti. Id est: pro certo, procul dubio.

Ego sum Alpha & Omega. Exponit. Id est: *principium & finis*. Principium creans, & finis beatificans. Ego Creator, ego Redemptor, ego Judex, & Præmiator.

Qui est & qui erat. Expone ut prius, de Deo, aut de Christo.

TRACTATUS IN APOCALIYPSIM

CAPUT PRIMUM.

I. *EGo Joannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu; fui in insula quæ appellatur Patmos, propter Verbum Dei, & testimonium Jesu. Fui in Spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis: Quod vides, scribe in libro.* Primo ponitur visio Angeli denuntiantis, deinde denuntiatio illius ad Episcopos.

In insula, &c. Sequestratis & tribulatis pro Christo cœlestia sacramenta panduntur.

In Dominica die. Ex qualitate temporis, rei qualitas demonstratur, ut ait Glossa.

Scribe. Vix in novo Testamento reperies, alteri quam Joanni, præceptum fuisse ut scribat; quia in Jeremia legimus: *Post dies illos dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*. Non in tabulis lapideis, ut quondam. Et Apostolus ad Corinthios: *Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*. Jer. 31. Exod. 31. 2. Cor. 3.

In medio septem candelabrorum. Christus in medio Ecclesiarum, & contra illas quis poterit prævalere?

Similem filio hominis. Id est Angelorum: Domini Jesu personam repræsentantem.

II. Quæ sequuntur in visione, mystica sunt, & possunt de Christo in persona sua, & de Christo in corpore mystico exponi.

Primo modo: *Vestitum podere*. Humanitas est vestis sacerdotalis purissima & candidissima, & sine peccato. *Præcinctum*. Cinctorium fides illius juxta Prophetam: *Fides cinctorium renum ejus*. Isaiæ 11.

Ad mamillas. Quia fides cogitationes malas, & turpia cordis desideria frænat.

Caput autem ejus. Divinitas. Candidum: quia *rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo*. Psal. 91.

Tamquam nix. Quia a seipso habet candorem nativum & perpetuum.

Capilli. Angeli sunt, & Sancti: *candidi* etiam, scilicet, sicut *lana alba*, quæ a fullone candidatur, non a se habet candorem. Sed nivem ad naturam Angelicam, lanam ad Sanctos referas, ut ait Richardus (*a*); utrorumque Christus Caput est: hominum, scilicet, & Angelorum. (*a*)

Oculi ejus tamquam flamma ignis. Quia omnia munda & aperta sunt oculis ejus.

Et pedes ejus. Portio inferior Christi, de quo Psalmus: *Ut intingatur pes tuus in sanguine*; nam caput ejus sanguine tingi non poterat. Psal. 67.

Similes aurichalco, sicut in camino ardenti. In Canticis dicitur: *Caput ejus aurum optimum*. Cant. 5.

(*a*) Richardus de S. Victore in Apocal. cap. 1.

mum. Pedes autem non ex auro, sed ex aurichalco; longe enim distat assumpta natura ab assumente. Æterna substantia, Divinitas auro, humanitas aurichalco comparatur; propterea quod ipsa Christi humanitas Divinitatis fulgorem aliquo modo imitetur & retineat; quia tota divina est, & ignita, ut carbo, illo fragrantissimo Divinitatis igne & potenti camino. Vel caminus iste amoris est, aut passionis, aut tribulationis pro nobis. Quæ omnia Christo homini aptantur aptissime.

Et vox. Doctrina Euangelica.

Tamquam vox aquarum multarum. Propter puritatem, propter fœcunditatem, propter ubertatem, propter sensuum multiplicitatem. Attende, quot maria librorum ex Euangelico fonte scaturiunt, quot Doctorum, & quam varia schemata brevissimo isti compendio sermonis applicantur.

Et de ore ejus gladius utraque parte acu-
Hebr. 4. *tus. Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus; compagum quoque ac medullarum*. Ideo utraque parte acutus, quia temporaliter corpus, & æternaliter animam ferit.

Facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. Id est: quando magis lucet in meridie. Utraque facies in Christo, Dei & hominis, incomparabilis est pulchritudinis & lucis; sed per rem lucidissimam & speciosissimam, prout potuit, explicavit.

Et habebat in dextera sua stellas septem: quia ipse in potestate habet Ecclesiasticos Principatus, & pro libitu disponit, & prout vult, Ecclesiæ suæ Prælatos & Episcopos præficit.

III. Si vero placet allegorice exponere hanc figuram: *Vestis*, Ecclesia est inconsutilis. *Cingulum*, Castitas Sanctorum. *Ad mamillas*. Olim in lege ad renes, quia ibi corporis, hic etiam cordis castitas indicitur. *Caput, Christus: Capilli* Sanctæ Ecclesiæ Doctores Spiritu inflammati. *Pedes* ultimi fideles tempore Antichristi. Illo enim tempore erit gravissima persecutio, quæ per caminum ardentem præsignatur. Et multitudo Sanctorum: non tamen in illo fulgore Ecclesiæ primitivæ, sed ut aurichalcum ad aurum.

Cecidi ad pedes. Si talis est splendor in legato, ut neque aquila potuerit sustinere, qualis est gloria majestatis in Domino!

Habeo claves mortis & inferni. Cœlorum
Matt. 16. claves Petro tradidit, *inferni* claves sibi soli reservavit. Nulli commisit damnationem, sed vitam. Data est potestas Petro *In ædifi-*
2. Cor. 13. *cationem & non in destructionem:* ut vivificaret, non ut occideret. Siquidem: benignus & clementissimus Dominus ad miserandum, quam ad vindicandum pronior, vivificari præmiarique peccatores immeritos humano arbitrio aliquando patitur; sed damnari quempiam nocentem hominis judicio, quia pati non potest; ideo homini non committit. Petro solvendi potestas data est & ligandi, non positive sed privative, id est, solvendi & non solvendi. Solus ille potest damnare, qui potest judicare.

Vel ideo *Claves mortis & inferni* habere dicitur: quia fideles suos ab inferni nequi- 1. Cor. 10. tiis tentari non permittit, nisi ad mensuram, ut possint sustinere.

Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. Exponendo hæc, dicens: *Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt;* cætera mystica esse liquido demonstravit.

CAPUT SECUNDUM.

I. *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe*. Prima denuntiatio ad Metropolitanum Episcopum.

Scio opera tua, & patientiam tuam, quia non potes sustinere malos. Hoc ad laudem Præsidentis pertinet: non tolerare, non dissimulare malitiam; sed zelo Dei & justitiæ, coercere, arguere, compescere & increpare, Tit. 1. debet esse justitiæ zelus in Episcopo.

Et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & invenisti eos mendaces. Debet esse in Episcopo prudentia, & vigilantia ad perdendos lupos.

Et patientiam habes. Debet habere tolerantiam.

Et patientiam habes: & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. Hæc tria in uno Episcopo commendantur: ut, dum unus laudatur, cæteri æmulentur.

Sed habeo adversum te. Veritas Dei quæ virtutes commendat, defectus non dissimulat: sed miro sapientiæ artificio prius laudat, ut viam faciat redargutioni; ne subito increpatus exacerbetur Episcopus.

Quod charitatem tuam primam reliquisti: Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac. Vide quam reprehensibilis sit tepiditas in Episcopo. Oportet enim Dei ministros semper proficere in melius, & ad anteriora se extendere. Unde *in Canticis* sponsa: id est, animæ perfectæ statura palmæ comparatur, quæ, contra aliarum arborum morem, quo altius crescit, eo amplius in trunco accrescit. Unde Psalmus: *Justus ut palma florebit*. Et Apostolus: *Non deficimus: sed, licet is qui foris est,* 2. Cor. 4. *noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est, renovatur de die in diem*. Et iterum Psalmus: *Adhuc*, inquit, *multiplicabuntur in* Psal. 91. *senecta uberi*. Psal. 91.

Sin autem, venio tibi & movebo candelabrum de loco suo. Qui remissus est in gratia, quam ad aliorum utilitatem recepit, meretur perdere.

Nisi pœnitentiam egeris. Mira pœnitentiæ virtus, qua omnia instaurantur: hæc exceptio in omnibus, quos redarguit locum habuit. Ut noveris, nullum esse delictum, quod pœnitentia non diluatur.

Qui habet aurem, audiat quid Spiritus di-

cat

cat Eccleſiis. Et qui non habet, humiliter a Deo petat. Aurem audiendi habet; ut dicitur in Euangelio: Qui cum gaudio audit, & verbum retinet, & fructum affert in patientia. *Luc.* 8.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. Chriſto Domino noſtro, cujus inæſtimabilem ſuavitatem, ſolus qui guſtat, agnoſcit.

II. *Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe: Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam: ſed dives es: & blaſphemaris... Nihil horum timeas, quæ paſſurus es*. Eſt felix iſte Epiſcopus, qui ex omni parte laudabilis coram Deo inventus eſt. Optabile nimis eſſet hujuſmodi a Deo habere teſtimonium. De patientia, de paupertate laudatur, & de futura tribulatione præmonetur, ut admonitus firmior exiſtat, & fortius toleret.

Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Breviſſimum tempus eſt, ſi juxta literam intelligas: ſed modico tempore, graviſſima tribulatio interdum ſuſtinetur. Niſi forte hic habeat locum, illud Propheticum: *Diem pro anno dedi tibi*. Id eſt: decem annis. Cætera patent. *Ezech.* 4.

Habebitis tribulationem: Animadvertendum eſt, quam vera ſit illa Apoſtoli ſententia: *Omnes qui volunt pie vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*. Nam ecce omnes iſti Sancti Epiſcopi perſecutiones tolerant ab iniquis. Quia non meretur eſſe Abel, quem non exercet malitia Cain. Donum Dei eſt hoc; Apoſtolo teſte: *Vobis*, inquit, *donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini*. *2. Tim.* 3. *Gen.* 4. *Philip.* 1.

III. *Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam. Et in diebus illis Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, ubi ſatanas habitat. Sed habeo adverſus te pauca: quia habes illico tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael; edere & fornicari. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter* & tu *pœnitentiam age. Si quominus veniam tibi cito: & pugnabo cum illis in gladio oris mei*.

Supradictæ viſionis partes ſigillatim Epiſcopis adaptat; prout eorum ſtatui novit convenire. Huic: quia reprehenſibilis erat, ut exterreat & convertat, ei rhomphæam acutam objicit; & ejus timore, tam ipſum Epiſcopum negligentem, quam Nicolaitas fornicantes corredarguit, ut reſipiſcant, & a peccatis reſiliant. Ita etiam in cæteris invenies, quæ propter brevitatem omitto.

Et in diebus illis Antipas teſtis meus, qui occiſus eſt apud vos. Fortioris Martyris exemplum proponit: ut imitetur & humilietur: ne laudatus inſoleſcat.

Sed habeo adverſus te pauca. Adverte clementiam Salvatoris: *Pauca* denominat delicta noſtra, quæ vere magna ſunt: ut nos cum Propheta dicamus: *Tu propitiaberis peccato meo, multum eſt enim*. *Pſal.* 24.

Pugnabo cum illis in gladio oris mei. Ecce, propter quos rhomphæa ſuperius objecta eſt.

Vincenti dabo manna abſconditum. Hoc manna eſt gloria animæ, & Dei jucunda fruitio, quæ nunc abſcondita eſt a nobis. Quia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus, iis qui diligunt illum*. Et Pſalmus: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abſcondiſti timentibus te!* *1. Cor.* 2. *Pſal.* 30.

Et dabo illi calculum candidum. Hic calculus eſt gloria & ſtola corporis: de qua dicitur: *Juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum*. *Matt.* 13.

Et in calculo nomen novum ſcriptum. In illo decore & fulgore corporis evidenter monſtrabitur, quia *Filii Dei ſumus. Quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus*. Et ſimilitudo felicitatem apertiſſime demonſtrat. Hic titulus filiorum Dei, honoris immenſi inſigne eſt. Ideo ait. *1. Joan.* 3.

Quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Quod poteſt etiam ad alia duo præcedentia referri. Breviſſime deſcribit beatificum illud præmium, quod poſt hanc militiam expectamus. Ideo autem ſingulis Epiſcopis, præmium hoc, licet varie, objicitur: ut eos & cæteros ad fortius dimicandum inſtiget & inflammet.

IV. *Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis*. Quia inferius opus laſciviæ in quibuſdam redarguit: ut ſciant ſe non latere, & aſpectum ejus in turpitudine vereantur; ignitos oculos intimat in exordio.

Novi opera tua. Non agnoſcit Deus niſi quæ probat. Unde ad reprobos: *Numquam novi vos*. *Matt.* 7

Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & miniſterium & patientiam tuam, & opera tua noviſſima plura prioribus. Plurima in hoc Epiſcopo commendantur: & quod in dies in virtute augeatur; per oppoſitum ad primum Epiſcopum.

Sed habeo adverſus te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit Propheten, docere, & ſeducere ſervos meos, fornicari, & manducare de idolothytis. Attendant Epiſcopi, non ſolum quæ ipſi faciunt mala opera; ſed quæ per negligentiam in aliis non corrigunt; ſibi imputari.

Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint. Et filios ejus interficiam, id eſt, imitatores ejus & ſequaces.

Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda, id eſt, occultas concupiſcentias & cogitationes. Alludit ad id quod ſuperius dixerat: *Qui habet oculos tamquam flammam ignis*.

Vobis autem dico, & cæteris qui Thyatiræ eſtis:

estis: Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt altitudines satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus. Hoc ad fideles & pios dirigitur; ne acceptent pondus circumcisionis & legis, quod pseudoapostoli imponere fideli populo nitebantur. Et sic intelligenda est litera.

Non mittam ergo *super vos aliud pondus*, scilicet, legis.

Quemadmodum dicunt. Id est, pseudoapostoli.

Tamen id, quod habetis: ab Apostolis meis.

Matt.11. *Tenete.* Euangelium, scilicet, pondus leve & suave.

Donec veniam: ad judicium.

Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes. Hæc in judicio complebuntur: quando sedebunt cum illo judicantes duodecim Tribus Israel. Matt.19.

Et dabo illi stellam matutinam. Id est, claram veritatis notitiam, etiam fidem majorem, quam Deus Sanctis suis aliquando etiam in hac vita communicat: quæ noctem præsentis vitæ radiis suæ claritatis illuminat, donec ad judicium soluta anima lucidius oriatur sol.

Vere *stella:* quia in nocte lucet. Vere matutina: quia prævia est ad beatitudinis solem, & futuræ claritatis judicium. Richardus, hanc *stellam matutinam*, primam animarum stellam, quam nunc Beati possident, satis etiam aperte interpretatur, quæ post resurrectionem augebitur in solem, glorificato corpore.

COMMENTARIUS IN JOB

CAP. XXVIII. (a)

Habet argentum venarum suarum principia. Id est, sancta prædicatio sacræ Scripturæ, quæ Deo inspirante scripta sunt documenta, quibus innitatur. Vel sic: non qualis, prout vult, eloqui potest, sed habet argentum, id est, potentia elocutiva, in diversis diversas venas, & stylos dicendi, prout ei a Deo datum est. Ut alter dulcis, alter efficax, alter grandis, alter mediocris. Et oportet dicentem sequi venam, id est, stylum sibi naturaliter inditum.

Et auro locus, est in quo conflatur. Locus in quo conflatur aurum sapientiæ, est Spiritus sanctus a quo emanat, secundum illud: *Unctio ejus docet vos.* Job eodem capite vi-
1.Joan.2. gesimo octavo: *Sapientia*, inquit, *ubi inveniter? & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suavitur viventium. Abyssus dicit: Non est in me: & mare loquitur: Non est mecum. Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ?* Respondet: *Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.* Ergo sapientia a Deo.

Auro locus est, in quo conflatur. Id est, ipsa tentatio vel flagellum instruit. Juxta il-
Psal. 89. lud: *Dexteram tuam sic notam fac, & erudi-*
Isaiæ 28. *tos corde in sapientia.* Et alibi: *Vexatio intel-*
Psal. 17. *lectum dabit.* Et alibi: *Disciplina tua ipsa me docebit.* Interior animæ afflictio multum eru-
Eccli.34. dit: nam, ut inquit Sapiens: *Non tentatus, quid scit?* Locus ergo in quo sapientiæ aurum conflatur, est cor hominis igne afflictionis accensus ut fornax.

Ferrum de terra tollitur. Qui suscitat pauperem de stercore, *ut collocet cum Principibus populi sui;* ille de corde terreno, & soluto, & vago, format ferrum durissimum, fortissimum, constantissimum. Ecce qualis terra Maria Magdalena in deliciis; quale fer- Lucæ 7.
rum triginta annis in deserto: qualis terra Petrus negans ad vocem ancillæ; quale fer- Matt.26.
rum cum audacia respondens concilio. Act. 4.

Et lapis solutus calore in æs vertitur. Id est, cor durum, amore Dei & sapientia delinitum & mollefactum, verbum, quod prius sua duritia increpabat, jam prædicat. Exemplum tibi sit Augustinus Pater noster; qui lacrymantem Matrem prius sua duritia rejecit, & postea quasi cymbalum totum mundum clamore ubique replevit. Calore ignis amoris, quo terra duratur, & solidatur, & durescit in ferrum, durities ipsa lapidis delinitur, & conflatur in æs sonorum. Duplex amoris divini effectus & fructus: nam mollities cordis duratur, ut sustineat adversitates, & resistat tentationibus: & ipsa resistentia & tenacitas resistens spiritui, efficitur Spiritus præconium. Exemplum tibi sit Paulus: lapis dum prosequitur Judaismum, Ibid.7.
lapis dum lapidat Stephanum: æs, dum Ibid.9.
mundum sua prædicatione convertit.

Tempus posuit tenebris. Ne ergo diffidat peccator, etiam induratus & cæcus: nam durities poterit a Deo converti in æs, & cæcitas in lucem. Ne diffidat tentatus: nam tempus Deus statuit tenebris & nubilo.

Et universorum finem ipse considerat. Ideo videat, ut bene finiat: nam in fine stat, & consistit vitæ, aut mortis discrimen. Nec ergo glorietur Justus in justitia: nam *universorum*

(a) Extat in Bruxellensi editione tom. 2. pag. 396. deest in aliis.

forum finem ipſe conſiderat, & neſcit finem ſuum. Nec diffidat peccator in tenebris: nam *tempus poſuit tenebris*, & finem etiam in brevi. Et habebit forte lucidum finem, licet medium vitæ habuerit tenebroſum. Et Dominus non initium, non medium, ſed finem conſiderat in judicio, talem judicans, qualem invenit; licet quoad augmentum, vel demeritum gloriæ vel pœnæ totius vitæ diſcurſus conſideretur. Totus ergo noſter diſcurſus eſt in fine. Hinc David juſte petit: *Pſal. 38.* *Notum fac mihi Domine finem meum*.

Lapidem quoque caliginis & umbram mortis, dividit torrens a populo peregrinante. Lapis iſte caliginoſus & umbra mortis, eſt peccator præſcitus ad gehennam. Populus pe- *2. Cor. 5.* regrinans eſt prædeſtinatus ad gloriam. Nam, quamdiu in corpore ſumus, peregrinamur a Domino. Torrens vero perſecutionis, vel tribulationis procella debet intelligi. Licet ergo ad tempus ſilens videatur, & lapis iſte in ſtructuram gehennæ aptandus, videatur quaſi de populo peregrinante in omnibus; in loquela, in devotione, in aliis operibus: ſed ſpecta modicum; veniat perſecutio, veniat tribulatio, invadat tentatio: hoc faciet differentiam, inter lapides caliginis, & populum peregrinantem; quod primus cedit, & cadit, ſecundus ſtat, & aſſiſtit.

Eos, quos oblitus eſt pes egentis hominis, & invios. Dixit lapidem caliginoſum, & umbram mortis: modo exponit, qui ſunt illi; eos quos oblitus eſt pes egeni. Apoſto- *2. Cor. 8.* lus: Qui cum eſſet dives, factus eſt pro nobis egenus. Id eſt Chriſtus. Pes dixit, non calcans ad vindictam, ſed premens ad correctionem. Pes iſte flagellum Dei eſt, cor- *Hebr. 12.* ripiens filios, quos diligit Dominus. De quo *Deut. 11.* in Deuteronomio: Quodcumque calcaverit pes tuus, tuum erit. Illi ergo adveniente tentatione deficiunt, ut prius dictum eſt, quos Dominus tribulationibus non exercet: non enim aſſueti pati, triſtitia faciliter cedunt, & vincuntur a levi tribulatione. De iſtis dicit Pſalmus: *Pſal. 67.* *Similiter eos qui habitant in ſe-* *Pſal. 87.* *pulchris*. Id eſt vitiis. *Quorum non es memor amplius*. Et poteſt ſic exponi litera: *Eos quos oblitus eſt pes egentis*, ut *invios*, quaſi ex via vitæ poſitos. Non enim corripit eos Dominus, qui non habent pugnam, quia viam vitæ non ſequuntur: nec per correctionem ad viam veritatis ſunt reverſuri.

Terra de qua oriebatur panis in loco ſuo, igne ſubverſa eſt. Terra de qua oriebatur panis. Scilicet doctrinæ. Terra iſta eſt prædicator vel prælatus Eccleſiæ. *In loco ſuo*. Id eſt, in officio ſuo vel dignitate tam ſublimi, *igne* libidinis vel cupiditatis *ſubverſa eſt*. Nam & libido tentatio eſt communis prædicatorum, & avaritia prælatorum. Pondera autem *in loco ſuo*, nam aggravat malitiam in loco ſancto, & officio ſublimi ſic pecca- *Job 34.* re. De iſto loco dicit poſtea: *Quaſi impios percuſſit eos in loco videntium*. Id eſt, in lo- *Iſaiæ 26.* co lucis. Et Iſaias: Iniquitatem operatus eſt in loco ſancto, & non videbit gloriam Dei. Habet autem prælatus materiam exercendæ avaritiæ propter reditus; & prædicator exercendæ libidinis propter amorem, quo ei ut patri afficiuntur omnes, qui amor, niſi caute cuſtodiatur, labitur in carnalem, ſecundum illud Apoſtoli: Spiritu incipien- *Galat. 3.* tes, carne conſumpti. Ideo ergo: *Terra de qua oriebatur panis, ſubverſa eſt*. Ideo etiam *terra*, prælatus vel prædicator *ſubverſa eſt*: quia nec perfectorum hominum correctionem habuit, nec Dei vocem, inſpirationem divinam agnovit; ſed inflatus doctrina, ſpiritu tepidus, oculum quidem intellectus purgavit a tenebris ignorantiæ, ſed oculum affectus ſordidum reliquit in cœno mundanæ cupiditatis. Poteſt iſta litera legi etiam allegorice: de ſynagoga & gentilitate. Sic: *Terra de qua oriebatur panis*. Id eſt, ſynagoga de qua panis doctrinæ, & lex. *In loco ſuo*; quia in ſuis cæremoniis permanens & ſacrificiis.

Locus ſapphiri lapides ejus, & gleba illius aurum. Locus ſapphiri lapides. Id eſt, Patriarchæ. *Et glebæ illius*. Id eſt, Prophetæ. *Aurum* ſapientiæ. Ideo glebæ, quia eorum ſententiæ ſunt compactæ, & breves, & conſtipatæ, & obſcuræ.

Semitam ignoravit avis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Semitam ignoravit avis. Id eſt, prædicator Chriſti vitam, quam expoſuit dicendo, non eſt ſecutus vivendo. Nam Chriſtus avis eſt, & propter altitudinem & elevationem vitæ, & doctrinæ, & propter aſcenſum, quo ad cœlos volavit. *Nec intuitus eſt oculus vulturis*. Id eſt, in ſancta prædicatione non ſecutus eſt intentionem rectam Chriſti: qui ideo vultur eſt, quia de cœlo ſanctis inſpirationibus a diabolo animam ut prædam rapit. Secundum aliam literam, *Non intuitus eſt eam*. Scilicet: ſemitam vel terram, id eſt, prædicationem. *Oculus vulturis*. Id eſt, clementia Chriſti, lumen Chriſti. Quia licet illa uſus eſt ad doctrinam, non illa uſus eſt vero lumine ad perfectionem vitæ; quamquam enim inſtruxit ad doctrinam, non profecit ad vitam. Aliter etiam poteſt intelligi. Sic: *Semitam ignoravit avis*. Id eſt, neſcivit ut avis volare; levando in cœlum deſiderium & affectum: ſed tamquam ſerpens repſit in terram: vel ut ſtruthio in terram ſedit. Quamquam intelligendo, avis alta videtur; videndo, ſemitam avis ignorat; & vivendo, reptile comprobatur in amore. Levatur ergo ad altam cogitationem; & in infimis figit affectionem. Cogitationem in cœlo, & affectionem in luto figit. A quo liberari cupit David dicens: *Eripe me de luto, ut non infigar*. *Pſal. 68.* *Semitam ignoravit avis*. Id eſt, Chriſti viam, vel vitam, vel doctrinam non intellexit. Secundum illud: Excæca Domine cor *Iſaiæ 6.* populi hujus ne videant. *Nec intuitus eſt eam oculus vulturis*. Id eſt, Chriſti pendentis in cruce ad tollendam prædam: qui licet

cet pro omnibus mortuus est, non tamen illis profuit ejus mors. Quia *oculus*, Divina benignitas ejus, *non est intuitus*, id est, meritum passionis non applicavit.

Non calcaverunt eam filii institorum. Id est, Prophetarum, id est, Apostoli. De quibus dicitur *pro patribus tuis, nati sunt tibi filii.* Psal. 44. Ipsi enim recesserunt, & conversi sunt ad Gentes, quia indignos se fecerunt passionis Domini. Institor, Euangelium. Leæna, id est, Christus pertransivit per eos. *Non calcaverunt eam filii institorum.* Isti enim ideo facilius cadunt, quia ab aliis corripi faciliter non possunt; sunt enim status liberi. Nam prælatus propter dignitatem, & prædicator propter sapientiam & officium potius habent alios corrigere, quam corrigi. Et ideo, quia filii institorum, id est, illi qui bene instructi sunt in vita, vel filii excussorum, id est, qui asperitatem patrum sequuntur; in vita non calcaverunt, nec corripuerunt eos: esset enim abusio, prælatum vel prædicatorem corrigi. Quia non Galat. 6. convenit, is qui cathechizatur verbo, cum eo qui se cathechizat in omnibus bonis; ut ab eo corrigatur, cui tradit præcepta doctrinæ.

Nec pertransivit per eam leæna. Id est, Gen. 49. Christus. De quo Genesis capite 49. Quasi leo accubuisti, & quasi leæna. Id est, non est auditus in corde ejus rugitus leænæ, vivificantis catulos. Id est, vox sanctæ inspirationis, excitans mortuos cordis affectus; & sopitos excitans, & inflammans ad Deum.

Ad silicem extendit manum suam. Ut educat ignem amoris, & claritatem de duritie silicis, id est, peccatoris indurati: *Ad silicem*, duram gentilitatem, *extendit manum* A *suam* misericordiæ, & *subvertit montes*, id est, potentes Reges & elatos sapientes prophanos. Nam *absorpti sunt juncti petræ judices eorum.* Psl. 140.

Et *subvertit a radicibus montes.* Ideo autem *a radicibus*, quia totam eorum doctrinam & sapientiam vanam, in oppositam permutavit. Etiam super silicis duritiam exercet potentiam, dum peccatores induratos convertit: & montes superbos a radicibus subvertit, dum penitus humiliat. Psalmus: *Humiliasti sicut vulneratum superbum.* Psal. 88.

In petris rivos excidit. Id est, in prædi- B catoribus fluenta doctrinæ, vel fluenta lacrymarum.

Et omne pretiosum. Ideo pretiosum est, quia *vidit oculus ejus.* Quia est a Domino clementer prospectus. *Sufficientia* enim *nostra* 2. Cor. 3. a Domino *Deo est.*

Excidit in petra gentilitatis, *rivos* doctrinæ, Doctores sanctos.

Et omne pretiosum vidit oculus ejus. Id est, omne genus sanctitatis & perfectionis in Sanctis actualiter posuit, & omni virtute ornavit.

Profunda quoque fluviorum scrutatus est, C *& abscondita in lucem produxit. Profunda quoque fluviorum scrutatus est.* Id est, sacrarum litterarum sacramenta. *Abscondita* etiam *in lucem produxit.* Aperuit servis suis Doctoribus, quod obscure vaticinatus fuerat per Prophetas. *Et profunda* mysteria Prophetarum eis enodavit. *Et abscondita* sacramenta eis produxit in lucem. Nam Ecclesia illustrata luce ipsius, legem, Prophetas, cæremonias, figuras, perfecte agnovit, nec implicata recipit, ut synagoga, sed enodata; nam lux fuit synagogæ pedagogus.

EXPLICIT FELICITER PARS SECUNDA, ET ULTIMA OPERUM S. THOMÆ VILLANOVANI ARCHIEPISCOPI VALENTINI, QUÆ HABET CONCIONES DE SANCTIS, IMPRESSA MEDIOLANI A JOSEPHO MARELLO JUXTA FORUM PALLADIUM, ANNO DOMINICI NATALIS MDCCLX. SEDENTE DOMINO CLEMENTE XIII. PONT. MAX. FRANCISCO I. ET MARIA THERESIA REGINA HUNGARIÆ AUGUSTIS, ECCLESIA, IMPERIO, ET URBE MEDIOLANO FLORENTE.

IN-



EXPLICIT FELICITER PARS SECUNDA, ET ULTIMA OPERUM S. THOMÆ VILLANOVANI ARCHIEPISCOPI VALENTINI, QUÆ HABET CONCIONES DE SANCTIS, IMPRESSA MEDIOLANI A JOSEPHO MARELLO JUXTA FORUM PALLADIUM, ANNO DOMINICI NATALIS MDCCLX. SEDENTE DOMINO CLEMENTE XIII. PONT. MAX. FRANCISCO I. ET MARIA THERESIA REGINA HUNGARIÆ AUGUSTIS, ECCLESIA, IMPERIO, ET URBE MEDIOLANO FLORENTE.

INDEX LOCORUM
SACRÆ SCRIPTURÆ,
QUÆ IN UTROQUE TOMO EXPLICANTUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneseos.

CAP. I.

Versic.
3 *ET facta est lux*. tom. prim. columna 335. D & tom. 2. 7. C 62. B 202. E
6 *Fiat firmamentum &c. & dividat aquas ab aquis*. 336. A 858. D
8 *Vocavitque Deus firmamentum, cœlum*. tom. 1. tom. 2. 103. B
20 *Producant aquæ reptile animæ viventis &c.* tom. 2. 355. A
24 *Producat terra ... in genere suo*. tom. 1. 336. B
26 *Faciamus hominem ad imaginem &c.* tom. 1. 890. E
27 *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*. tom. 1. 40. E
31 *Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona*. tom. 1. 331. C 335. D 782. B & tom. 2. 7. C 62. B 202. E
Cap. 2. 2 *Requievit die septimo ab universo opere*. tom. 2. 52. D
7 *Factus est homo in animam viventem*. tom. 1. 679. A
ibid. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*. tom. 2. 77. E
9 *Lignumque scientiæ boni & mali*. tom. 1. 578. D
18 *Non est bonum esse hominem solum*. tom. 2. 365. D
ibid. *Faciamus ei adjutorium simile sibi*. tom. 1. 260. A
19 *Ipsum est nomen ejus*. tom. 2. 107. D
21 *Tulit unam de costis ejus*. tom. 2. 592. C
23 *Os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. tom. 1. 369. E 717. E 889. A tom. 2. 75. C 437. D
cap. 3. 1 *Sed & serpens erat callidior cunctis &c.* tom. 1. 54. D 654. C
1 *Cur præcepit vobis Deus*. tom. 1. 200. B tom. 2. 180. B
3 *Ne forte moriamur*. tom. 1. 126. C
4 *Nequaquam morte moriemini*. tom. 1. 200. C
5 *Eritis sicut Dii*. tom. 1. 342. B 470. E. 658. C 904. B tom. 2. 80. B
6 *Vidit igitur mulier quod bonum esset &c.* tom. 1. 341. D
9 *Ubi es?* tom. 1. 446. C 746. A
12 *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno &c.* tom. 1. 201. A 368. A tom. 2. 390. C
13 *Serpens decepit me*. tom. 1. 368. B
15 *Inimicitias ponam inter te & mulierem*. tom. 2. 412. B
16 *In dolore paries*. tom. 1. 51. D tom. 2. 224. B
17 *Maledicta terra in opere tuo*. tom. 1. 271. C tom. 2. 10. C
19 *In sudore vultus tui vescris pane*. tom. 2. 320. B
22 *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*. tom. 1. 41. B
ibid. *Ne forte mittat manum suam ... & comedat, & vivat*. tom. 2. 378. C
cap. 4. 4 *Respexit Dominus ad Abel &c.* tom. 1. 378. B
5 *Ad Cain vero, & ad munera illius non respexit*. ibid.
6 *Cur concidit facies tua*. tom. 2. 598. B
7 *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. tom. 2. 644. D
9 *Num custos fratris mei sum ego?* tom. 1. 95. C 572. A tom. 2. 816. E
10 *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me*. tom. 1. 136. D
cap. 6. 3 *Non permanebit spiritus meus in homine ... quia caro est*. tom. 1. 599. C tom. 2. 70. A 80. D
6 *Et tactus dolore cordis intrinsecus*. tom. 2. 80. C
cap. 8. 21 *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt*. tom. 1. 148. A 257. B 587. D
cap. 9. 6 *Ad imaginem quippe Dei factus est homo*. tom. 1. 889. A
cap. 12. 1 *Egredere de terra tua &c.* tom. 1. 593. B 875. C tom. 2. 429. C
cap. 14. 18 *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*. tom. 2. 804. D
21 *Da mihi animas, cætera tolle tibi*. tom. 1. 567. E
cap. 15. 1 *Merces tua magna nimis*. tom. 1. 192. C 878. D tom. 2. 440. C 452. E
8 *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad justitiam*. tom. 2. 294. A 612. A
10 *Qui tollens universa hæc divisit ea per medium*. tom. 1. 34. D 886. E
ibid. *Aves autem non divisit*. tom. 2. 140. D
12 *Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram*. tom. 1. 887. C
13 *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua*. tom. 2. 895. E
19 *Cinæos, & Cenezæos*. tom. 1. 888. B
cap. 17. 14 *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur &c.* tom. 2. 106. C 164. B
cap. 18. 3 *Si inveni gratiam in oculis tuis*. tom. 2. 200. A
17 *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* tom. 2. 820. E
23 *Numquid perdes justum cum impio?* tom. 2. 821. A
25 *Absit a te, ut rem hanc facias*. tom. 1. 574. B
cap. 19. 1 *Veneruntque duo Angeli Sodomam &c.* tom. 2. 200. A
17 *Noli respicere post tergum*. tom. 1. 446. E
26 *Versa est in statuam salis*. tom. 1. 384. B
cap. 20. 4 *Abimelech vero non tetigerat eam*. tom. 2. 396. C
cap. 22. 3 *De nocte consurgens, stravit asinum suum*. tom. 1. 742. A
5 *Expectate hic cum asino &c.* tom. 1. 886. B
cap. 24. 16 *Descenderat autem ad fontem, & impleverat hydriam*. tom. 2. 197. D. 205. D
cap. 27. 27 *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*. tom. 1. 798. C
28 *De rore cœli, & de pinguedine terræ*. tom. 1. 502. E
36 *Juste vocatum est nomen ejus Jacob*. tom. 1. 252. C
cap. 28. 17 *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli*. tom. 2. 219. C 590. D
cap. 29. 17 *Sed Lia lippis erat oculis*. tom. 2. 150. C
20 *Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*. tom. 1. 167. E tom. 2. 114. D 132. C
cap. 32. 2 *Castra Dei sunt hæc*. tom. 2. 10. C 368. D 445. E 691. B
10 *In baculo meo transivi Jordanem istum*. tom. 2. 254. C
28 *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis*. tom. 1. 60. D
29 *Cur quæris nomen meum?* tom. 2. 104. B
31 *Ipse vero claudicabat pede*. tom. 1. 225. C
cap. 37. 10 *Num ego & mater tua ... adorabimus te super terram?* tom. 1. 292. C

14 *Missus de valle Hebron venit in Sichem*. tom. 2. 81. A
27 *Frater enim & caro nostra est*. tom. 2. 238. E
32 *Vide, utrum tunica filii tui sit*. tom. 1. 481. C
cap. 42. 11 *Pacifici venimus*. tom. 2. 137. C
21 *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*. tom. 1. 116. B
cap. 48. 22 *Do tibi partem unam &c.* tom. 1. 391. B
cap. 49. 1 *Congregamini, ut annunciem quæ ventura sint vobis*. tom. 2. 896. B
4 *Effusus es sicut aqua, non crescas*. tom. 2. 307. D
5 *Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis*. tom. 1. 475. C
7 *Maledictus furor eorum quia pertinax*. tom. 1. 894. E
8 *Juda, te laudabunt fratres tui*. tom. 1. 504. D
9 *Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti*. tom. 1. 515. D
10 *Non auferetur sceptrum de Juda*. tom. 1. 420. B
17 *Fiat Dan ... cerastes in semita, mordens ungulas equi*. tom. 1. 462. D

Exodi.

cap. 1. 13 *Oderantque filios Israel Ægyptii*. tom. 1. 182. E
cap. 3. 1 *Cumque minasset gregem ad interiora deserti*. tom. 1. 571. B
3 *Vadam & videbo visionem hanc*. tom. 2. 171. A
5 *Solve calceamentum de pedibus tuis*. tom. 2. 40. A 427. A
6 *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*. tom. 2. 111. C
14 *Ego sum qui sum*. tom. 1. 470. C
15 *Et hoc memoriale meum in generationem & generationem*. tom. 2. 109. B
18 *Ibimus viam trium dierum in solitudine*. tom. 1. 750. E
cap. 4. 4 *Apprehende caudam ejus*. tom. 2. 755. B
25 *Sponsus sanguinum tu mihi es*. tom. 2. 150. D
cap. 6. 6 *Et nomen meum Adonai non indicavi eis*. tom. 2. 109. A
cap. 7. 1 *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. tom. 2. 820. B
cap. 8. 26 *Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus*. tom. 2. 131. A
28 *Longius ne abeatis*. tom. 1. 184. B
cap. 9. 1 *Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi*. tom. 1. 183. B
cap. 13. 2 *Santifica mihi omne Primogenitum*. tom. 2. 164. E
cap. 15. 1 *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est*. tom. 1. 528. A
3 *Dominus quasi vir pugnator*. tom. 1. 256. E
6 *Dextera tua Domine percussit inimicum*. tom. 1. 246. A
11 *Quis similis tui in fortibus Domine?* tom. 1. 514. E
14 *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim*. tom. 2. 74. C
16 *Irruat super eos formido & pavor, in magnitudine brachii tui*. tom. 1. 527. D
ibid. *Fiant immobiles, quasi lapis*. tom. 2. 127. A
17 *Sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ*. tom. 2. 77. A
cap. 16. 15 *Manhu*. tom. 2. 255. D 264. D
ibid. *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum*. tom. 2. 257. A
cap. 17. 17 *Fugavitque Josue Amalech & populum ejus in ore gladii*. tom. 1. 885. C
cap. 20. 5 *Visitans iniquitatem patrum in filios*. tom. 2. 828. D
15 *Nec desiderabis uxorem ejus*. tom. 1. 812. B
19 *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. tom. 1. 727. B
cap. 21. 22 *Et percusserit quis mulierem prægnantem ... subjacebit damno &c.* tom. 1. 704. B
cap. 23. 20 *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via*. tom. 1. 794. D
cap. 25. 40 *Inspice, & fac secundum exemplar*. tom. 2. 545. A
cap. 28. 36 *Sculpes opere cælatoris*. tom. 2. 413. C
cap. 31. 3 *Et implevi eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia &c.* tom. 1. 765. D
cap. 32. 10 *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos*. tom. 1. 630. A
11 *Moyses autem orabat Dominum Deum suum*. tom. 1. 885. B
ibid. *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum?* tom. 2. 821. B
14 *Placatusque est Dominus ne faceret malum*. tom. 1. 885. B
32 *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo*. tom. 1. 288. E 629. C
cap 33. 11 *Loquebatur autem Dominus ad Moysen ... sicut solet loqui homo ad amicum suum*. tom. 2. 820. D
13 *Ostende mihi faciem tuam*. tom. 1. 205. C 577. D tom. 2. 870. E
19 *Ego ostendam omne bonum tibi*. tom. 1. 837. C
20 *Non enim videbit me homo, & vivet*. tom. 2. 269. C
23 *Cumque transibit gloria mea ... videbis posteriora mea*. tom. 1. 337. C 711. C

Levitici.

cap. 6. 13 *Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in altari*. tom. 1. 851. B
cap. 11. 10 *Quidquid autem pinnulas & squamas non habet &c. abominabile vobis*. tom. 1. 736. C
62 *Omne animal, quod ... nec ruminat, immundum erit*. tom. 1. 211. C
45 *Sancti eritis, quia ego sanctus sum*. tom. 2. 278. D
cap. 12. 2 *Mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda erit*. tom. 2. 152. D 164. B
cap. 17. 7 *Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus*. tom. 1. 902. B
cap. 19. 2 *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. tom. 2. 862. A
cap. 24. 15 *Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum*. tom. 1. 912. C
cap. 26. 10 *Comedetis vetustissima veterum &c.* tom. 1. 636. D
cap. 27. 25 *Omnis æstimatio sicla Sanctuarii ponderabitur*. tom. 1. 828. D tom. 2. 130. E 162. B

Numerorum.

cap. 4. 4 *Tabernaculum fœderis, & Sanctum sanctorum ingredientur &c.* tom. 2. 788. E
cap. 8. 17 *Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel*. tom. 2. 165. A
cap. 11. 29 *Quid, inquit, æmularis pro me?* tom. 1. 204. A
cap. 13. 34 *Vidimus monstra ... quibus comparati, quasi locustæ videbamur*. tom. 1. 94. A tom. 2. 537. B 721. B
cap. 14. 20 *Dimisi juxta verbum tuum*. tom. 2. 821. D
cap. 15. 30 *Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, peribit de populo suo*. tom. 1. 777. B
cap. 21. 5 *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo*. tom. 2. 259. B
9 *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo*. tom. 2. 177. A
cap. 23. 10 *Moriatur anima mea morte justorum*. tom. 2. 172. A 457. A
cap. 24. 17 *Videbo eum, sed non modo*. tom. 2. 116. A
cap. 27. 16 *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc*. tom. 1. 571. A

Deuteronomii.

cap. 4. 7 *Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut &c.* tom. 1. 719. D
24 *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt.* tom. 1. 671. A
cap. 5. 16 *Honora patrem tuum, & matrem.* tom. 2. 815. C
cap. 6. 3 *Terram lacte & melle manantem.* tom. 2. 650. B
4 *Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.* tom. 1. 686. C 712. C
5 *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* tom. 1. 792. C 793. A
cap. 8. 3 *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* tom. 1. 242. E
cap. 11. 24 *Omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit.* tom. 1. 146. C
cap. 13. 3 *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum.* tom. 1. 261. B
cap. 15. 19 *Non operaberis in primogenito bovis.* tom. 1. 572. C
VULNUS. Vulnus quod non ſentitur lethale eſt. Declaratio. *tom.* 1. 602. B Quandoque tumor ſanatur vulnere; intellige ſuperbiam humilitate ſanandam. *tom.* 1. 776. C Peccatorum vulnera per confeſſionem oſtendenda. *tom.* 1. 563. E 564. C Animæ vulnera contemplanda potius, quam cœlorum motus. *tom.* 1. 904. C Job in ſterquilinio vulneratus plagatum Chriſtum præſignabat. *tom.* 1. 907. B Vulnera Chriſti per lapides David ſignificata. *tom.* 2. 296. D Vulnera Chriſti foramina dicuntur; per illa ſiquidem Jeſu nomen ubique terrarum effundebatur magis. *tom.* 2. 112. A Recordatio vulnerum Chriſti peccatorem juvat. Quare. *tom.* 2. 168. D Chriſti vulneribus ornata fuit Eccleſia. Decl. *tom.* 1. 619. D 860. D Vulnera Chriſti, cataractarum inſtar, ſanguinem pluunt. *tom.* 1. 748. B Vulnera ſua oſtendet Chriſtus in Judicio. *tom.* 1. 573. B 893. C Contra peccatorem clamabunt. *tom.* 1. 466. A Chriſtus Diſcipulis ſuis cum vulneribus apparuit, ut idem ipſum habere corpus crederetur, quod in cruce pependerat. *tom.* 1. 561. A Chriſti vulnera in Reſurrectione fulgebant. *tom.* 1. 516. D Beati in cœlis Chriſti vulnera corruſcantia vident, propter quæ tot mala ac pœnas in terris evaſerant. *tom.* 2. 109. B Virgo Mater Filio oſtendit ubera; Filius autem vulnera Patri. *tom.* 1. 600. B Vulnera ſua Chriſtus allegat coram Patre ſuo; & cur. *tom.* 2. 245. E Vide Plagæ.

VULPECULA. Typus peccati. *tom.* 1. 91. C Et hæreticorum. *tom.* 1. 772. E

VULTUS. Vultus hilaris in Rege neceſſarius; & cur? *tom.* 1. 871. C Vultus quatuor Dæmon habet: Aſpidis, Baſiliſci, Leonis, Draconis. Oſtend. *tom.* 1. 260. D

UXOR. Uxor Job diffidentiam ſuadebat; quomodo. *tom.* 1. 433. C Job ab uxore illuſus, illuſtrior extitit. Oſtend. *tom.* 1. 578. D Uxor Moyſis Æthyopiſſa comparatur Eccleſiæ; ſed quomodo? *tom.* 1. 857. C Exemplum uxoris Loth virum edocet ſpiritualem, quominus retrocedat. *tom.* 2. 796. E & ſeq. 800. A Perſæpe viri, uxorum gratia, Deum ipſum relinquunt. Quomodo. *tom.* 1. 549. C Fides cum operibus uxor fœcunda. *tom.* 1. 882. C & ſeq. Plus de peccato dolendum, quam de uxoris morte. *tom.* 1. 450. B Uxor, mariti obitum plorare neſciens, figura indolentium peccatorum. *tom.* 1. 453. D Mutua ſupportatio maritum inter ac uxorem quam neceſſaria. *tom.* 1. 590. E Uxor grata non eſt, quæ ob mortis metum, fidem non frangit. *tom.* 1. 124. B

X

XENOPHILUS muſicus quinque ſupra centum vixit annos, abſque ullo corporis incommodo. *tom.* 2. 416. D

Z

ZACHARIAS. Signum petens redarguitur, & cur? *tom.* 1. 292. E 695. C *tom.* 2. 189. C Zachariæ viſio; amphoræ nimirum ac mulieris in ejus medio ſedentis, avaritiam ſymbolice ſignat, utpote impiam atque crudelem. Expl. *tom.* 1. 428. E & ſeq. Per ſeptem autem lucernarum infuſoria, munditia caſtitatis, devotioniſque fervor intelligi poſſunt. Oſtend. ratio. *tom.* 1. 852. A & ſeq. Equorum exercitus, quem viderat Zacharias, interpretantur Apoſtoli, quorum ſeſſor Deus. Decl. *tom.* 2. 463. A & ſeq.

ZACHÆUS. Uxorem licet habuerit, nutriendamque familiam, approquinquante Domino, bonorum ſuorum dimidium pauperibus erogavit. Moralitas. *tom.* 2. 504. A

ZELATOR. ZELUS. Gloriam Dei zelavit Chriſtus, dum nummularios de Templo ejecerat. *tom.* 1. 423. C Maria Virgo zelatrix honoris Dei; quomodo. *tom.* 2. 36. C Zelus Moyſi Eccleſiæ docet prælatos. Oſtend. *tom.* 1. 572. E Multos in cœlo habemus Moyſes, populi Dei zelatores: Sanctos nimirum. *tom.* 1. 624. C Famam propriam meretur amittere qui divinum non zelat honorem. *tom.* 2. 112. D Zelatores ſuos, ultra condignum, remuneratur Deus. Exempla. *tom.* 2. 621. A Zelantes pro Eccleſia Dei deſiderantur hodie; & cur? *tom.* 1. 424. A Zelus animarum a puritate naſcitur animæ. Decl. *tom.* 2. 757. C Crux eſt. ibid. A Zelus fratrum noſtrorum ad orandum moveat. Dilucid. *tom.* 1. 624. D Zelus Paſtoris Chriſti pro converſione ovium, Judæ exemplo demonſtratur. *tom.* 1. 479. C Zelus Dei in illo eſt, qui nedum peccata declinat, ſed inimicis etiam Dei viriliter obſtat. *tom.* 1. 245. C 406 D Zelus in Prælatis Eccleſiæ neceſſarius; ac per Leonem ſignificatur. *tom.* 1. 572. D Prælatorum zelo eradicentur vitia. *tom.* 1. 245. E Charitatis zelus diſcrete exercendus. Expl. *tom.* 2. 640. B

ZIZANIA. Hæreſis, zizania Dæmonis. *tom.* 1. 554. B

ZONA. Euangelium zona cordis eſt. Commonſtratur. *tom.* 2. 626. B Zona aurea, qua cingebatur Angelus Joannem allocutus, munditiam præfigurabat cordium. *tom.* 1. 812. C

INDICULUS
COMPARATIONUM NOTABILIORUM
UTRIUSQUE TOMI.

A

ADVENTUS.

Filius Dei in mundum veniens illuminat omnes accedentes ad se, jungiturque eis.
Comparatio. Sicut lucenti uni ardentique cereo extinctus alter immeditate conjungitur, succenditurque. *tom.* 1. 65. A Vide Filius Dei.

AMOR.

Amoris virtus maxima.
Compar. Sicut in muliere videre est, quæ jam mortuum plorans filium, viventis repetit verba. *tom.* 1. 494. B
Natura, per peccatum vitiata, amoris aliud sumpsit exordium.
Compar. Sicut fons in origine purus, affluenterque scaturiens, injectis salebris, alium sibi quærit meatum. *tom.* 1. 840. C
Haud unquam vilescit amor.
Exemplum Æthiopis famuli, herum suum fideliter diligentis. *tom.* 2. 845. D
Amor patiens est.
Compar. Ut Pater, geminos habens filios, dilectum unum, invisum alterum; In primum benignus totus, quantumvis pessimum; in secundum autem modestum licet ac bene moratum asperrimus ac crudelis. *tom.* 2. 581. A

AMOR DEI IN NOS.

Deus in mundum venit, ut homines, quos habere minis haud potuit, amore traheret.
Similitudo boni Patris, qui, missis jam frustra ad fugitivum filium comminatoribus nunciis, paterno tandem victus amore, agit iter, ad ejusque provolutus genua, ut redeat, enixissime obsecrat. *tom.* 1. 46. E

AMOR IN DEUM.

Creatura omnis diligit Deum plus quam seipsam.
Exempl. De aqua contra naturam suam ascendente propter bonum universi. *tom.* 1. 783. C
Amor Dei, virtutum omnium princeps.
Compar. Sicut aurum metallorum caput est. *tom.* 2. 837. B
Amorem maximum debet homo Creatori Deo.
Compar. Quemadmodum pictura pictorem summis animis diligeret, si visum ac sensum habere posset ab illo. *tom.* 1. 824. B
Qui magno fervet amore Dei, cœlestem postulat consolationem, quominus præ dilectione langueat.
In similitudinem ægroti, instanter medicum exorantis, ut calorem nimium nutrimento foveat, priusquam substantia comburatur. *tom.* 2. 878. C
Vir, amans Deum, reliquos præcellit homines.
Compar. Sicut artifex in perfectiori arte præclarus, alios utcumque in diversis artibus præstantiores exuperat. *tom.* 2. 839. A Vide Dilectio.

ANGELUS.

Custodes Angeli, hominibus licet nobiliores, iis tamen propter Deum lubentissime inserviunt.
Sicut vernaculus, longe præstantior equo, in obsequium sessoris Domini, emundat illum, soliciteque custodit. *tom.* 2. 706. C
Angelus uno intuitu cognoscit omnia quæ sunt in re.
Comp. Ut probus artifex, vix dum ullam ingressus Ecclesiam, structuræ defectus agnoscit plurimos. *tom.* 1. 722. B

ANIMA.

Animæ potentiæ in viro justo nec minimum discrepant a ratione ac spiritu.
Compar. Sicut in horologio, ex ponderum motu, rotarum insequitur alter. *tom.* 1. 588. C
Anima, ultra Dei custodiam & Angelorum, nostram insimul postulat vigilantiam.
Compar. Sicut thesaurus Regis, ingruente latronum periculo, non uni aut duobus, sed ducentis traditur custodiendus. *tom.* 1. 730. E
Anima, cui illabitur Deus, mirifice illustratur.
Comp. Sicut atra nubes solari collustrata radio. *tom.* 2. 860. C
Anima peccatoris quam vilis.
Comparatio Reginæ pulchræ ac decoræ, ob vile pretium cum deformi servo stuprum perpetrantis. *tom.* 1. 892. B Aut filiæ Regis, quæ regalibus exuta vestibus cateniſque ligata, ad molendum cogitur. *tom.* 2. 262. B
Consideratio nobilitatis animæ peccatoribus utilissima.
Compar. Sicut ingenuis nobilibusque viris genealogiæ aut stemmatis consideratio multum prodest ad rem turpem evitandam. *tom.* 1. 658. D
Animæ salus procrastinanda non est.
Secus agens comparatur ei, qui in insula positus, lapides desidiose colligeret, recedente navi. *tom.* 1. 910. B

APOSTOLI.

Mundus, quem sibi nequiter usurpaverat Dæmon, Apostolicis personantibus tubis, ad Deum convertitur conditorem suum.
Compar. Sicut pulli alieni a perdice surrepti diuque enutriti, audita tandem veræ parentis voce, ad illam sine mora pergunt, fure relicto. *tom.* 1. 666. D & seq.
Præsentia Christi protegebat Apostolos.
Sicut gallina pullos in sinu fovet, sub alasque tenet, ne rapiantur a milvo. *tom.* 1. 583. E 595. B
Absentiam Christi plorabant Apostoli.
Compar. Ut filiusfamilias Patrem, vel servus Dominum longum iter suscipientem. *tom.* 1. 583. E 597. E
Apostoli in cœnaculo clausi.
Compar. Sicut passeres sub domo, supervolante accipitre. *tom.* 1. 521. D
Ac in unum congregati.
Compar. Columbarum instar, quæ post atrum imbrem elucente cœlo, agglomerantur simul, perque sata junguntur. *tom.* 1. 528. C
Deus toti mundo cruciandos tradidit Apostolos, ceu morti destinatos.
Compar. Sicut damnatos ad triremes, qui dum flagellantur, neminem habent commiserantem. *tom.* 1. 349. B Vide Discipuli.

Indiculus Comparationum Notabiliorum.

Arbitrium.

Hominis arbitrium ad actum bonum non sufficit, nisi motum a Deo.
Comparatio. Sicut nec culter absque motrice manu rem aliquam scindere potest. *tom.* 1. 122. C Nec item oculus parietem videre, independenter a lumine. ibid. D Vide Libertas.

S. Par. Augustinus.

Sapientia ac doctrina Doctores reliquos præcelluit. Ob idque merito comparatur soli. *tom.* 2. 785. B

B

Beatitudo.

Ejus felicitas ab humano sensu nequit comprehendi.
Compar. Sicut ab homine cæco auratæ domus pretium æstimari neutiquam potest. *tom.* 2. 450. B
Qui vere appetit illam, mundi solatia spernit.
Compar. Sicut captivus a vinculis solutus, in patriam suam celerrimis properat gressibus, montes penetrat, nec hyemes pluviasque metuit &c. *tom.* 1. 219. C
Ad cœlorum viam aggrediendam, tria potissimum requiruntur: contemptus temporalium, lectio sancta, communio frequentata.
Compar. Sicut homo longissimum acturus iter. 1. Res ponderosas deponit. 2. De itinere ipso vel informari studet, vel quempiam sibi in socium adsciscit. 3. Viatico communitur, quo valeat sustentari. *tom.* 1. 220. D

Beatus.

In mensa beatorum sensus pascuntur omnes.
Compar. Quemadmodum in convivio Principum gustus optimo pascitur cibo, tapetum pulchritudine jucundatur oculus, auris harmonía, &c. *tom.* 1. 419. E
Beatus plus habet de Deo, quam de se ipso.
Compar. Sicut ignitus carbo, ignis potius quam carbonis naturam ostendit. *tom.* 2. 263. C

Bonitas. Bonum.

A viro bono, proboque judicanda bonitas.
Compar. Sic a sutore calceus, imago a pictore, &c. *tom.* 1. 564. C
Bona temporalia haud unquam satiare possunt animam.
Compar. Sicut scutella aquæ media pro sitientibus multis insufficiens est. *tom.* 1. 577. A

C

Christus.

Creaturas omnes condiderat Deus, ut nato postmodum inservirent Christo.
Similitudo Regis, palatium ingens, Officiales, famulos, equosque pro filio suo necdum agnito solicite disponentis. *tom.* 2. 59. A
Christus æque semper sapiens fuit, quantumvis ætate proficeret.
Compar. Sicut solis lux vespere ac mane eadem est, diverso tamen calore. *tom.* 1. 158. B
Transfretavit Christus, timuitque, ut cœlestes divitias acquireret nobis.
Compar. Haud aliter mercatores, merces navibus transferentes, quæ alibi non sunt, se seque, propter lucrum, periculo tempestatis exponentes. *tom.* 1. 854. C
Christus pro nobis ecstasim passus; idest præ amoris magnitudine.
Compar. Quemadmodum gallina pro pullis aquila fit, equa pro filio leæna, ovis in feram vertitur, &c. *tom.* 1. 328. E
Corpus Christi resurgentis miro fulgebat splendore.
Compar. Sicut atra nubes, radio solis imbibito. *tom.* 1. 516. D
Christus in cœlum ascendens magnifica hominibus divisit munera.
Comp. Regum instar, qui, imperii sui possessione suscepta, copiosam gratulanti populo pecuniam effundunt, nobilibusque viris ampliora largiuntur dona. *tom.* 2. 240. B
In cœlum ascendente Christo, fidelium incaluere corda. Sicut, ascendente sole ad solstitium æstivale, revivi-scunt omnia. *tom.* 2. 247. B

Circumcisio.

Circumcisio & Salvator ex diametro opponuntur.
Compar. Sicut corona capiti superposita, & collo funis. Vel, sicut in manu una cauterium, in altera sceptrum. *tom.* 2. 106. E

Cognitio sui.

Se ipsum cognoscere debet homo.
Secus enim tanquam oculus esset qui videt omnia, seipsum autem neutiquam cernit. *tom.* 1. 87. B

Commune.

Omnia in cœlis communia.
Exemplum solis æqualiter calefacientis omnia.

Confessarius.

Confessarius adulator.
Homini similis, qui de ripa manum porrigens, ut alterum juvet in flumine pereuntem, cum eodem tandem submergitur aquis. *tom.* 1. 442. B

Confessio.

Oneratam allevat animam.
Compar. Sicut stomachus, corruptis plenus humoribus, expurgatur vomitu. *tom.* 1. 376. C
Per illam habetur venia peccatorum.
Comparatio pauperis in bivio propalantis vulnera, ut pietas transeuntium facilius concitetur. *tom.* 1. 439. E
Confessio in tempore facienda.
Similitudo detentorum in carcere, interceſſorem sine mora quærentium. *tom.* 1. 137. E Aut deturpantium vestem, sive calceum. ibid. D 371. E

Cor.

Cordium diversitas.
Agris comparata. *tom.* 2. 794. D
Cor diligentissime custodiendum.
Compar. Sicut castellum ab inimicus circumdatum. *tom.* 1. 466. D
Spiritus S. emundat cor;
Sicut per ignem defæcatur argentum, &c. *tom.* 1. 601. D

Correctio fraterna.

Quomodo facienda?
Ad imitationem medici vulnus curantis; vel scilicet emplastro, vel cauterio, aut sectione. *tom.* 1. 397. B

Correptio.

Peccator, quem non excitat doctrinæ vox, ac prædicationis, excitatur tandem a Deo voce correptionis.
Compar. Non secus qui tam gravi sopitur somno, ut clamorem non audiat, pulsantium denique suscitatur manibus. *tom.* 1. 116. A

Creator.

Nihil homini optandum magis, quam Deum agnoscere Creatorem suum.
Sicut imago pulchra, si polleret sensu & intellectu, artificem videre suum ardenter appeteret. *tom.* 1. 684. A

Indiculus Comparationum Notabiliorum.

Creatura.

Creaturæ Dei diligendæ ſunt, non propter ſe, ſed propter Deum conditorem ſuum.
Similitudo Sponſæ, equum, annulum, veſtem, aliaque diligentis, maxime propter ſponſum, &c. *tom.* 2. 584. B

D

Damnatio.

Damnatio multorum non eſt imputanda Deo, ſed ipſis ſolis.
Comparatio captivorum plurium de captivitate ſua egredi nolentium, poſtquam Rex ingentem miſerat ducatorum ſummam, ad redimendum illos. *tom.* 1. 863. E & ſeq.

Damnatus.

Deordinatio potentiarum in damnatorum animis ſupplicium affert maximum.
Compar. Sicut in ſciſſione corporis dolor ſentitur ingens. *tom.* 2. 472. A

Desiderium.

Deſideria terrena per virtutem Spiritus ſancti purificantur, inque Deum trahuntur.
Compar. Sicut radius ſolis, terrenis aqueiſque vaporibus impreſſus, eoſdem levificat, & ad ſolem ipſum, a quo proceſſit, rapit, ſublevat. *tom.* 1. 410. D

Diligere.

Quomodo diligendus Deus.
Ad imitationem lapidis repellentis obicem, ut liberior exin ad centrum pergat; vel reciſæ rupis celerrime ad ima labentis. *tom.* 1. 831. D
Deus dat gratis amorem ſuum, pro eodemque repromittit & gloriam.
Compar. Sicut ſi favus mellis apponatur famelico, quem ut facilius comedat, aureus illi condonetur nummus; aut etiam quum valde ſitienti promittitur pretium, ut poculum bibat. *tom.* 1. 826. A
Regnum cœlorum pollicetur Deus diligentibus ſe.
Simil. Regis, vel Imperatoris, Regni ſui conſortium exhibentis dilectoribus ſuis. *tom.* 2. 846. E

Discipuli.

Diſcedente Chriſto turbabantur Diſcipuli;
Sicut longius recedente Patre, tota ſeorſim lacrymatur familia *tom.* 1. 583. C
Chriſtus autem conſolatur eos.
Compar. Sicut Pater aggreſſurus iter domeſticorum temperat luctum. 1. Pandendo eis utilitatem diſceſſus. 2. Subſtituendo in eorum curam vel filium, aut fratrem. 3. Certificando illos de abſentiæ brevitate. *tom.* 1. 584. A 596. B

Dives.

De divitiis ſuis ſtulte gloriatur dives.
Sicut plagatus de emplaſtris; vel ſicut inflatur lac, appoſito igne breviter duraturo. *tom.* 1. 353. B & D
Dives avarus.
Comparatur ementi domum, ſive hæreditatem, quam citius relinquendam. *tom.* 1. 806. C

Divitiæ.

Divitiæ mundi fallaces ſunt.
Sicut luceringa noctu ſplendens; in luce autem diei vermiculus turpis apparet. *tom.* 2. 433. C
Polluunt animam.
Compar. Sicut auro vel argento quantumcumque fulgido, tangentium fœdantur manus. *tom.* 2. 435. E
Divitiarum amator.
Alteri ſimilis, qui glabratos piſcium oculos, ceu margaritas quæreret, cuſtodiretque. *tom.* 1. 805. A

Dolor peccatorum.

De peccatis dolendum;
Sicut dolere ſolet mater unigenito viduata filio. *tom.* 1. 436. E 453. B
Conſideratione bonitatis Dei, & ingratitudinis noſtræ perquirendus dolor.
Compar. Avium more, qui in gyrum volantes, rapiuntur ad altum. *tom.* 1. 454. A
Peccator dolens.
Puellulos imitetur, qui ut matrem flectant, recurrunt ad lacrymas. *tom.* 1. 413. C
Peccator indolens.
Uxori comparatur, quæ mortem conjugis plorare neſcit. *tom.* 1. 453. D
Dolor peccatorum minime procraſtinandus.
Compar. Sicut ægrotus, &c. *tom.* 1. 502. B Vel luti macula in pallio. *tom.* 1. 564. D

E

Ecclesia.

Eccleſiæ ſtatus, ſub annum maxime 1543., qualis?
Comparatur ruinoſæ domui, aut potius navi, quæ, amiſſo clavo, in profundum mergitur. *tom.* 1. 300. A
In æthera conſcendente Chriſto, refloruit Eccleſia.
Sicut in vere, aſcendente ſuper Zenith ſole, herbis floribuſque vernat tellus. *tom.* 2. 239. E

Eleemosyna.

Omnia quæ ſuperſunt, vel inaniter repoſita ſunt, in pauperum uſus diſpergantur.
Compar. Si enim agricolæ pauperes concredunt ſemina terræ, collectaque diſpergunt, quantumvis ſciant multis haud ſemel ſubeſſe infortuniis; a fortiori, &c. *tom.* 1. 802. B
Vitam æternam promittit Deus eleemoſynam pauperibus eroganti.
Similitudo Imperatoris centuplum repromittentis ei, qui benigne excipiet domeſticorum ſuorum quempiam, diplomate regio communitum. *tom.* 2. 506. C
Vide Pauper.

Elisabeth.

Ejuſdem filii ſui prophetabat ſpiritu.
Sicut in conſonantibus citharis evenire ſolet; ut unius chorda pulſata, concinis alia contremiſcat in altera cithara. *tom.* 2. 284. D

Epidemia.

Tribulationum omnium maxima.
Comparatio ſuccidentis falcis, relate ad ſecurim amputantem. *tom.* 1. 628. C

Eremus.

Sancti in Eremo quoque juvabant Eccleſiam.
Sicut in domo validus ignis tecta diſrumpit, foraſque emittit flammas. *tom.* 1. 767. B

Eucharistia, seu Communio Sacra.

Deus per carnem Chriſti divinitatem ſuam communicat homini.
Compar. Sicut carbone uno ſuccenſo, perplures alii cum eodem immixti, ſuccenduntur, inflammantur. *tom.* 1. 718. A *tom.* 2. 71. B

F

Fides.

Catholica fides certiſſima, divinis quippe ſulta teſtibus, ſeu Trinitatis teſtimonio.

Compar. Sicut authenticum maxime haberetur inſtrumentum illud, in quo deſcribendo, Tabellionis officium gereret Epiſcopus Loci, pro teſtibus autem forent Summus Pontifex, Imperator, &c. *tom.* 1. 695. E

De rebus fidei non eſt petenda ratio.

Sicut Regi, ſe quidpiam vidiſſe teſtanti, mox creditur, inconſulta ratione. *tom.* 1. 694. D 706. E *tom.* 2. 266. B Vel ſicut pro ducatis centum viro fideli in mutuum datis, non poſtulatur pignus. *tom.* 1. 485. B

Fides unita intellectui.

Comparatur ſcripturæ in ſubtiliſſimis membranis exaratæ, quæ radi omnino, delerique haud unquam poteſt. *tom.* 1. 693. B 705. B

Fides & intellectus per creaturarum ſcalam in Deum conſcendunt, ſola autem fides ſecreta rimatur Dei.

Compar. Sicut Dominus & ſervus una ſimul ſociantur in via, regiæque ſcalam conſcendunt ambo, interiora vero perluſtrare loca ſolius Domini eſt. *tom.* 2. 615. E

FILIUS DEI.

Filius Dei gratis a Patre donatus eſt mundo; hic autem ſummo pretio mundum ipſum redemit.

Compar. Sic aſſolet liberalis mercator mercimonia vendere; emptori pauperi pretio modico, divitibus ſummo. *tom.* 2. 167. E

FINIS.

Notitia finis vitæ neceſſaria.

Sicut pro Sagittario ſignum. *tom.* 1. 903. C

G

GENUS.

Genus David illuſtratum fuit a Chriſto, non autem e converſo.

Compar. Sicut, quum Rex de communibus parentibus in regnum conſcendit, genus quidem totum gloriatur de Rege, non Rex de genere. *tom.* 2. 386. A

GRATIA DEI.

Gratiæ Dei hominibus dantur juxta qualitatem perſonarum, officiorumque, &c.

Sicut Imperator prudens in diſtribuendis dignitatibus, &c. *tom.* 1. 761. C

Homo ſine gratia Dei

Ceu pulvis tenuiſſimus eſt, inconſtans prorſus & obcæcans. *tom.* 2. 555. D

GUBERNATIO.

Viri ſancti gubernantur a Deo;

Sicut equus a ſeſſore dirigitur. *tom.* 2. 463. A

H

Imago Dei in homine nunc eſt,

Sicut imago Regis in nummo aureo. *tom.* 1. 890. A 891. C

Homo brutaliter vivens

Comparatur navi ſine gubernaculo. *tom.* 2. 643. D

I

INFERNUS.

Inferni pœnas contemplari debet peccator, non autem quæ vana ſunt.

Secus namque ut Regis proditor haberetur, qui in carcere de emptionibus ageret ac venditionibus, dum actu in platea patibulum paratur. *tom.* 1. 904. C

INIMICUS.

Propter Deum diligendus.

Compar. Sicut duo filii inter ſe ſe diſcordes, præciente patre vel ſupplicante, diligerentur ad invicem. *tom.* 1. 234. E

INTENTIO.

Rectitudo intentionis in operantibus neceſſaria.

Sicut clavi firmitas in navi itinerante. *tom.* 1. 269. C

S. JOANNES BAPTISTA.

Antequam Chriſtum præcederet, ſeipſum præceſſit.

Compar. Muſicorum inſtar citharædorum, qui conceptam animo harmoniam conſonantibus modulantur citharis. *tom.* 2. 284. C

Joannis miſſio neceſſaria fuit, ut per illam Orbis ad fidei veritatem amplexandam aptior fieret.

Compar. Sic homo diutiſſime in obſcuro occluſus carcere, ſolares nequit inſpicere radios, quin prius candelæ lumine adjuvetur. *tom.* 2. 723. D

Vitæ ſuæ perfectio quanta.

Sicut diei claritas obſcurat ſidera, ita & Joannis vita aliorum merita Sanctorum. *tom.* 2. 722. E

JONAS.

Indictam a Deo legationem invitus explebat, divinæ ſat conſcius commiſerationis.

Exemplum de famulo, cui ſic præcipiatur a domino ſuo: Vade ad inſolentem filium, dicque ei; ne amplius domum redeat, &c. Famulus autem eundo ſubmurmurans ait: Ob unam tandem lacrymulam filii, leo pater vertetur in agnum. *tom.* 1. 288. A

Jonæ prophetia verax fuit, non ſecuta etiam Ninive ſubverſione.

Quemadmodum ſi conſiliarius Regis intimus ad futurum aliquid prænunciaret, ſed re ipſa nihil efficiatur, verum adhuc dixiſſe fateremur, quia &c. *tom.* 1. 290. D

JUDÆI.

Judæi ſtupidi erant ad miracula Chriſti, inſidias etenim cogitabant in illum.

Compar. Sicut qui in feneſtra meditatur quidpiam, prætereuntes videat quaſi non videat. *tom.* 1. 293. C

JUDICARE.

Stultiſſimus eſt qui relicto conſcientiæ ſuæ judicio, vulgi ſenſum exquirit;

Compar. Sicut ille, qui oculum habens perſpicacem, ab hallucinantibus peteret, rogaretque: Quid eſt quod manu teneo? *tom.* 1. 108. C

JUDICIUM FINALE.

Judicium Dei timere debet peccator.

Sicut latro, vel homicida quam primum capiendus, ac coram judice de ſuo crimine redarguendus. *tom.* 1. 460. A

Appropinquante Judicio, rerum facies perturbabitur tota.

Compar. Sicut ſerena prius aqua, ingruente tempeſtate, in monſtruoſos excitatur fluctus. *tom.* 1. 15. D

Paulatim interibit Orbis.

Compar. Sicut ægrotus, ingraveſcente morbo. *tom.* 1. 17. E

Tunc ſecreta cordium pandentur omnia.

Compar. Sicut Imago, quæ non videbatur prius, incenſo demum cernitur lumine. *tom.* 1. 782. D Vel ſicut in ſolis radio notæ fiunt atomi, quæ ab oculis non videbantur prius. *tom.* 1. 7. A

Deus, licet unus ſit, in Judicio tamen varius apparebit; probis ſcilicet Agnus, improbis Leo.

Compar. Sicut in humanis, unus, idemque Judex in familiam & amicos benevolus eſt, in facinoroſos vero metuendus valde. *tom.* 1. 11. E

Indiculus Comparationum Notabiliorum.

L

Labor.

Mundanus homo inaniter laborans,
Comparatur iis, qui multo cum ſudore prægrandem ſcopulum propellere conantur; vel civitati populoſæ, quæ impenſis multis, nullaque prorſus compellente neceſſitate, altiſſimum montem complanare velit. *tom.* 2. 316. C Araneis item, quarum tela facili rumpitur vento. *tom.* 1. 203. A

Libertas.

Hominis libertas adjuvatur quidem gratia Dei, non autem cogitur ad operandum.
Comp. Sicut oculus, ut videat, adjuvatur lumine. *tom.* 2. 660. A Vide Arbitrium.

M

Malum.

Malum in mundo illuſtrat bonum, ſic diſponente Deo.
Comp. Sicut nigrum oppoſitum albo, facit albius. *tom.* 1. 783. B Sic & nævulus in mulieris facie &c. Vel ſicut a bono muſico conſonantiæ falſæ, propter artem fiunt optimæ. *tom.* 1. 784. A

Maria Magdalena.

Multos pro Chriſto perpeſſa labores, ſolitudinem petit, ut Sponſum inibi jucundiſſime contempletur.
Compar. Sicut cerva venenatis transfixa ſagittis, viſcerumque ſuccenſa calore, algentis aquæ ſolatia quærit. *tom.* 2. 854. D

Maria Virgo.

Maria Virgo magnificans Deum.
Compar. Sicut pictura pictorem. *tom.* 2. 294. E
Maria V. ſemper immaculata fuit, etſi multas in hac vita peccati pœnas ſuſtinuerit.
Compar. Quemadmodum Luna ex natura ſua tota candida eſt, quamvis in medio obſcura nobis appareat, propter diaphaneitatem. *tom.* 2. 5. D
Ejus Virginitas ſimul & maternitas, profundiſſima myſteria ſunt.
Compar. Tanquam margaritæ, quæ in profundo maris cum ſint, nonniſi a peritis adinveniri queunt. *tom.* 2. 414. A
Maria V. glorioſior extitit, nullas paſſa tentationes, quam ſi tentata Dæmonem ſuperaſſet.
Exemplum de duobus Principibus, quorum unus ab hoſte nullo invaditur, quia bellicoſiſſimus; alter autem invaditur, ſed victor manet. Primus porro laudabilior ſecundo, magis quippe metuendus. *tom.* 1. 254. A Item Aquila victrix magis eſt, quum a nullis attingitur avibus, quam ſi accipitrem ſterneret invadentem. ibidem.
Maria Virgo precibus ſuis Deum traxit e cœlo.
Compar. Sicut captari ſolet unicornis, oppoſita ei puella pulchra. *tom.* 2. 24. B
Salvatorem edidit;
Sicut ſtella fulgorem; aut vernans roſa placidiſſimum mittens odorem. *tom.* 2. 31. D
Maria V. quammaxime lætata eſt, dum nato filio, Mundi Reginam ſe ſe conſpexerat, hominumque Advocatam.
Compar. Quemadmodum incredibili exultaret gaudio quis noſtrum, ſi panderetur ei infallibilibus ſignis prædeſtinatio ſua. *tom.* 2. 42. D
Maria V. poſt partum Virgo permanſit.
Compar. Sicut flos, odorem emittens, decorem ſervat priſtinum. *tom.* 2. 17. A
Ejus humilitas ſingulariter placuit Deo.
Sicut in imagine perfecta, particularitas quædam annotatur; Unus quippe laudat oculos, veſtes alter, &c. *tom.* 1. 815. A
Dominicæ Reſurrectionis ſpes ſolabatur illam.
Compar. Sicut cum, turbida nocte, inſperatum oritur emiſphærio lumen. *tom.* 1. 529. A
Tribulatus recurrat ad illam.
Compar Infantium more, qui, dum ab aliquo læduntur, vel deterrentur, ad matres fugiunt. *tom.* 1. 615. C
Maria V. Filium unigenitum ardentiſſime diligebat.
Compar. Si enim Matres, ob amoris magnitudinem, garrientes etiam, deformeſque diligunt natos; quid ni? &c. *tom.* 2. 394. C

Misericordia.

Miſericordia Dei, quæ peccatorem ſublevat, præſervat & juſtum.
Comparatio Patris, geminos habentis filios, quorum unum detinet, ne cadat, alterum autem poſt lapſum, levat. *tom.* 1. 420. D

Monialis.

A ſæcularibus curis ſe ſe abſtineat.
Ad imitationem apum in ſolo alveo mellificantium. *tom.* 2. 649. E & ſeq.

Mors.

Parificat omnes.
Compar. Sicut in luſu latrunculorum, quo expleto, omnes in burſa pares; Rex & populus. *tom.* 1. 895. B

Mundanus.

Homo mundanus
Comparatur hydropicis, aſſidue bibentibus, ſemperque ſitientibus. *tom.* 2. 841. B

Mundus.

Scholæ comparatur, in qua omnes parvuli ſumus. *tom.* 2 782. A
Figura hujus mundi mendax.
Ad inſtar ſcenæ, vel comœdiæ, in qua plures videntur Reges, milites, &c., nec tales ſunt. *tom.* 2. 481. B

N

Nativitas.

Chriſti nativitas cum gaudio celebranda.
Sicut in natalitiis Principum &c. *tom.* 2. 95. B
Ex Virgine naſcitur Chriſtus.
Sicut ſol ex auroræ gremio rutilans oritur, radiiſque feneſtram penetrans vitream, integram prorſus relinquit. *tom.* 2. 31. C

O

Operari.

Fides ſine operibus ad ſalutem non ſufficit.
Compar. Sicut in famulo nomen ſervi abſque labore. *tom.* 2. 231. B
Valor operis ex gratia Dei.
Sicut valor auri ex colore & fulgore. *tom.* 1. 174. C Vel ſicut parietis viſio per lucem habetur. *tom.* 2. 659. E
Fructus operis debetur Deo.
Compar. Sicut hortus, totum quod producit, hortulano fructificat. *tom.* 1 543. C

Oratio.

Juſtorum oratio ſemper impletur a Deo, licet quandoque oppoſitum fieri videatur.
Comparatio plagati hominis, chirurgum ad ſe vocantis, ut ſanetur; dum curatur autem, ingraveſcente

te dolore, rejicit illum, adjuvantem neſciens. *tom.*2. 663. D

ORDO.

Rerum ordo in Orbe neceſſarius.
Compar. Sicut in inſtrumentis chordarum unio. *tom.*1. 782. C
Malum ipſum, propter ordinem Univerſi, pulchrificans eſt.
Compar. Sicut vas aureum æſtimaretur magis, ſi Rex confractam videns anſam, ejus loco pretioſum lapidem juberet apponi. *tom.* 1. 784. A

P

PASTOR ECCLESIÆ.

Oves ſuas cuſtodire debet;
Sicut ſanguinis Chriſti diligenter admodum ſervaretur, in vaſe collectus. *tom.* 1. 571. E

PATERFAMILIAS.

Spiritualem negligens domeſticorum curam, fidem negat.
Compar. Sicut, ſi quiſpiam, corruente domo, pacificus adhuc ſederet ad menſam, clamantibuſque, ut ſtatim exeat, non præſtaret aurem. *tom.* 1. 72. D

PAUPER.

Abundantia divitum cum damno proximorum diſplicet Deo.
Comparatio. Sicut ægre ferret Pater juſtus, quod unus duntaxat ex decem filiis hæreditatem omnem uſurparet ſibi, relictis fratribus. *tom.* 1. 589. A
Dives in pauperem crudelis;
Comparatur uxori bene nummatæ, conjugem ſuum de Turcarum tyrannide redimere nolenti, ob amorem pecuniæ. *tom.* 2. 500. A
In pauperibus ſpiritu cœleſtis ineſt beatitudo, in ſpe ſcilicet.
Compar. Sicut in parvo vilique ſemine, radix, folia, fructuumque ſapor virtualiter continentur. *tom.*2. 434. B

PAUPERTAS.

Regnum cœlorum in paupertate latet;
Sicut in caſtanea viridi, quæ corticem habet amarum, dulcedo intus deliteſcit. *tom.* 2. 433. B

PECCATOR.

Deus prolabentem ſublevat peccatorem.
Compar. Ut Mater filium ambulare docens, cadentemque in ſinum recipiens. *tom.* 1. 169. B
Chriſtus pro peccato mortuus, deterrere debet peccatorem.
Compar. Sicut publicus formidaret latro, ſi filium Regis cerneret, pro levi furto furca ſuſpendi. *tom.*1. 55. C
Quomodo peccator exire debet a peccato;
Compar. Quemadmodum ſi comburatur domus, &c. *tom.* 1. 413. A
Totaliterque exeat neceſſum eſt:
Compar. Ut enim febris non redeat, evacuandus humor. *tom.* 1. 217. C
De peccatis doleat peccator;
In ſimilitudinem mulieris recens nuptæ, mortuum plorantis virum. *tom.* 1. 413. A
Commotio voluntatis in peccatore diſponit quidem ad ſalutem, ſalus vero ipſa a ſolo Deo eſt.
Comparatio hominis intra cellam obſcuram degentis, qui poteſt utique per aperitionem feneſtræ videre lumen, non autem lucem ipſam creare. *tom.* 1. 319. B
Peccatorum inſenſibilitas;
In bobus figuratur ad macellum ductis, qui tum vident, quum jam ferrum perfodit jugulum, aut malleus caput percutit. *tom.* 1. 602. C
Multifariam Deus peccatorem vocat:
Sicut citharædus bonus diverſas tangens chordas, harmoniam facit. *tom.* 1. 318. D
Peccator induratus difficillime ſuſcitatur.
Sicut ægrotus diutina nimium laborans febre. *tom.* 1. 435. C
Peccator recidivus indignus efficitur miſericordia Dei;
Comparaturque filio, qui de Turcarum manibus a Patre ſuo, magniſque ſumptibus, ereptus, eidem iterum ſe ſe objicit ſervituti. *tom.* 1. 383. A
Peccator conſuetudinarius;
Aſſimilatur trabi, quæ nullimode flectitur; vel alteri, qui in puteum mergitur, in imoque figitur. *tom.* 1. 799. D
Peccator idem contemptor Dei efficitur.
Compar. Sicut nauta, maris tempeſtate victus, habenas laxat, navemque dimittit liberam. *tom.* 1. 182. A
Peccator pro modica voluptate gloriam amittit ſempiternam, ſervuſque fit Dæmonis.
Compar. Sicut Regina pulchra, marito Rege contempto, cum mancipio Æthiope pro vili pretio recedens, ignominiis traditur &c. *tom.* 1. 455. B

PECCATUM.

Nedum peccati radix evellenda eſt, ſed abigenda procul;
Compar. Sic, ut domus aliqua dicatur perdita, ſubruitur primo, indeque lapides hac illac diſperguntur. *tom.* 1. 853. C

PERFECTUS.

Diabolus perfectos viros lubentius aggreditur;
Compar. Non aliter piſcator avidus perituſque, grandiores ineſcare curans piſces, minoribus contemptis. *tom.* 2. 762. B

PŒNITENTIA.

Pœnitentia a confeſſariis impoſita pronis animis acceptanda eſt.
Compar. Ægroti pro ſalute corporis, de medicorum conſilio, ignis cauterium &c. ultro ſuſtinentis. *tom.*1. 140. B
Qui ad ſenium uſque pœnitentiam protrahit;
Mulioni par eſt, qui beſtias habens quatuor, unam tantummodo ac macriorem toto pondere gravaret. *tom.* 1. 149. C Aſſimilatur item ludenti in tabula latruncularia, qui ſibi ab alio auferri ſinit partes omnes, cogitans in fine lucrari. *tom.* 1. 150. A

PRÆCEPTUM.

Præcepta dei mundanis hominibus difficilia videntur.
Compar. Sicut puero decrepitiſque ſenibus onus modicum. *tom.* 1. 231. C

PRÆDESTINATIO.

Nemini Deus injuriam facit, prædeſtinando unum, reprobando alterum.
Compar. Sicut ſi latrones plures ad furcam ducantur, piuſque Rex e feneſtra reſpiciens, illorum quoſdam commiſeratus liberet, reliquos autem ſuſpendendos velit. *tom.* 2. 556. D

PROFECTUS SPIRITUALIS.

Qui in via Dei proficere negligunt;
Comparantur Jumentis, tectis oculis aquarias rotas circumtrahentibus, in eodemque curriculo per dies ſingulos adlaborantibus. *tom.* 2. 464. C

PROSPERITAS.

Mundi proſperitas male convenit juſto.
Comparatio. Sicut homini triſti vel carcerato, cantilenæ

tilenæ, jocus, &c. tormentum adferunt potius quam ſolamen. *tom.* 2. 774. D

PROXIMUS.

De bono proximi gaudendum, ſicut de proprio.
Compar. Patris inſtar ac Matris de filiorum honore lætantium. *tom.* 1. 203. D

Q

QUIES.

Magdalenæ quies ejuſdem meriti eſt, ut Marthæ labor; optima idcirco eligenda pars; prima ſcilicet.
Compar. Sicut colonus eligeret potius ad menſam Domini ſedere, ludere, adquieſcere, quam vineam excolere; unum idemque promiſſum pretium in veſpere recepturus. *tom.* 2. 329. B

R

RATIO.

Regula eſt humanorum actuum.
Compar. Sicut auriga in curru; Gubernator in navi; oculus in corpore. *tom.* 1. 586. C Sicut item rotarum motus in horologio &c. *tom.* 1. 588. B

REDEMPTIO.

Redemptionis opus ſupplicari haud potuit, nec emereri.
Exemplum de Ruſticis, carceri mancipatis, Regemque ſtultiſſime ſupplicantibus, ut ipſis ſolutis, Filium ſuum vellet in carcere colligari. *tom.* 2. 86. C

REGNUM.

Chriſtus in Regno Cœlorum expectat nos; properandum ergo;
Comparatio Regis, pauperem quemdam aut exulem ad ſe vocantis, regnique ſui conſortem facere cupientis &c. *tom.* 2. 239. B

REPREHENSIO.

Peccatoris malitia, reprehenſionem fugientis.
Compar. In Ericio figuratur, qui dum apprehenditur conſpicitur totus, ſed ictu oculi, ſeipſum in ſphæram colligens, ſubtractis introrſus pedibus, abſconditoque capite, tenentis manus dexterrime evadit. *tom.* 1. 111. B

RESURRECTIO.

Dominicæ Reſurrectionis dies cum gaudio celebranda.
Compar. Sicut vernaculi, familiaque univerſa, exaltato Domino, jucundantur, gratulantur. *tom.* 1. 526. D

S

SACRIFICIUM.

Judæorum ſacrificia accepta erant Deo, non ratione ſui, ſed propter ſignificationem.
Compar. Sicut anulus ſponſæ propter ſignum, &c. *tom.* 1. 170. C

SANCTI.

In hac vita afflicti lætabuntur in alia.
Comparantur radici, quæ in hyeme vivit, ſed deformiter; vere autem accedente, ejus virtus dignoſcitur palam. *tom.* 2. 456. D
Sancti, quam honorentur a Deo.
Similitudo Regis, amicum ſuum gradatim ſublimantis. *tom.* 2. 819. C
Sanctorum exempla ad pie vivendum proſunt magis, quam lectio ſacra.
Compar. Sicut geometricæ ſcholæ tyrones, artis præcepta facilius intelligunt per figuras in tabula depictas, quam edocentium vocibus. *tom.* 1. 303. B

SCIENTIA.

Euangelicæ legis ſcientia, poſtulat opus & exercitium.
Exemplum de pictore optimo, aut medico ſapientiſſimo; quorum utique vana eſſet ſcientia, ſi nunquam proderetur in opere. *tom.* 1. 212. A

SENSUS.

Senſus hominis mundi ſolatia quærunt; pœnitentiæ rigoribus contrariantur.
Comparatio puerorum, in ludis ſemper oblectamenta quærentium, ſecus &c. *tom.* 1. 257. E
Senſus cautiſſime cuſtodiendi.
Non aliter quam ſi totus theſaurus Regis uni Præſidi fortalitii arietati traderetur cuſtodiendus; inimici autem aſtarent undique, ut per porticus furarentur, &c. *tom.* 1. 395. C

SEPULCHRUM.

In ſepulchro quærebatur Chriſtus.
Sicut iteratis vicibus drachma aurea perquiri ſolet in arca. *tom.* 1. 532. B

SPES.

Abſque bonis operibus inanis prorſus.
Comparatio Agricolæ fructum expectantis ſine ſemine. *tom.* 1. 174. B

SPIRITUALE.

Vir ſpiritualis, lapſum timeat.
Compar. Vas etenim aut patera eo facilius frangitur, quanto ſubtilius opus. *tom.* 2. 421. C
Paſſiones carnales excutiendæ ſunt, ut animus ad ſpiritualia rapiatur.
Compar. Sicut accipitres, depoſito oculorum capitio, pediciſque ſolutis, cum impetu volitantes feruntur in prædam. *tom.* 2. 40. E
Viri ſpirituales ad omne bonum feruntur affectu potius, quam rationis conſilio.
Compar. Sicut mater unigenito filio graviter ægrotanti, non rationis ductu, ſed amoris impulſu præſtat opem. *tom.* 2. 646. A

SPIRITUS SANCTUS.

Præſentia Spiritus Sancti in hominibus dignoſcitur, fervoris igne ac devotionis.
Compar. Sicut præſentia ſolis, aeris claritate, & calore. *tom.* 1. 677. C

SUPERBIA. SUPERBUS.

Superbia corporis quomodo mortificanda.
Compar. Sicut arrogantes nonnulli deprimi ſolent, objecta illis originis ac ſtirpis vilitate. *tom.* 1. 658. E
Flagella Dei neceſſaria ſunt ad ſuperbiam compeſcendam.
Compar. Sicut pro inſolenti filio aut ſervo caſtigatio frequens, ac jejunium. *tom.* 1. 816. C
Superbus homo
Comparatur exactoribus Regis, qui redditibus alienis, ideſt regiis ſuperbientes valde, in equis puta, mulis, faſtibuſque; in carcere demum miſerrime pereunt. *tom.* 1. 763. C
Comparatio Sanctorum ſuperbis prodeſt.
Sicut videre eſt in ruſticis, qui, cum habeant in vicis ſuis pauperiores ſe, criſtas erigunt; in conſpectu autem civium humiliantur prorſus. *tom.* 1. 820. E

T

TENTATIO.

Diabolus tentat homines, juxta cujuſque inclinationem, ſeu paſſionem.

Com-

Indiculus Comparationum Notabiliorum.

Compar. Sicut piſcatores tructarum, pennas apponunt papilionem affingentes aut crabronem, ut facilius iſtæ infigantur hamo. *tom.* 1. 737. C

Viri potiſſimum ſpirituales tentationibus ſubſunt.

Compar. Quemadmodum domus illæ dumtaxat a furibus perforantur, in quibus theſaurus putatur abſconditus. *tom.* 1. 248. E

Deus, ingruente tentatione, protegit confugientes ad ſe.

Compar. Sicut aquila in altiſſimo nido pullos collocat, quo venenatum nullum irrepere poſſit. *tom.* 1. 279. E

Qui vexatur a Dæmone, ad Crucifixum fugiat, in ejuſque abſcondatur plagis.

Compar. Sicut avis parva, accipitrem metuens properantem, in foramine petræ recluditur. *tom.* 2. 177. B

Theologia.

Schola theologica in Eccleſia Dei

Comparatur Areæ, ubi frumentum a palea ſecernitur. *tom.* 2. 790. D

Timere. Timor.

Vir juſtus quo magis videt præmia quæ ſperat, eo amplius hæc timet amittere.

Compar. Sicut qui pergit ad patriam ſuam, dum huic propinquior eſt, tum celerioribus currit greſſibus, ut &c. *tom.* 1. 862. E

Tribulatio.

Probat hominem.

Compar. Sicut, an liquor bonus aut malus ſit, ex odore dignoſcitur, per revolutionem citius emanante. *tom.* 1. 628. B

Tribulatio purificat homines.

Compar. Sicut aurum & argentum per conflatorem; rubiginoſaque arma fabri arte unguntur oleo, ferroque poliuntur. *tom.* 2. 682. D

Per tribulationem homo expurgatur a vitiis.

Compar. Sicut veſtis diu thecis incluſa, nimioque reſperſa pulvere, pro more virgis percutitur, ut priſtinam exin reſumat puritatem. *tom.* 2. 679. A

Tribulationis utilitas, contemptus mundi.

Comparatio ægroti nihil aliud appetentis, quam valetudinem &c. *tom.* 2. 776. A

Pro tribulatione ipſa, gratiarum actio debetur Deo.

Compar. Sicut & vas aureum ab artifice tonſum, politumque, grates utique rependeret ei, ſi polleret ſenſu. ibid. B

Trinitas.

Divinarum Trinitas perſonarum in eſſentia una.

Aſſimilatur ſoli, cujus una ſubſtantia tres habet formas; lucem, ſplendorem, calorem. *tom.* 2. 780. A

Vel ſicut in una ignis ſubſtantia, lux ut ſupra, &c. *tom.* 1. 637. C

Vel etiam ut in anima potentiæ tres. *tom.* 1. 712. B

Myſterium Trinitatis quomodo pertractandum.

Compar. Sicut qui profundiſſimum tranſiturus fluvium, aut torrentem, ſi dies eſt, utitur baculo, noctu autem lumen quærit, quo vadum appareat. *tom.* 1. 681. B

V

Verbum Divinum.

Verbum Divinum unitur carni;

Compar. Sicut una planta trunco alterius inſeritur; vel ſicut accidens unitur ad ſubjectum. *tom.* 2. 89. A

In Verbo incarnato vita omnis ſpiritualis & chriſtiana deſcripta eſt;

Compar. Sicut in charta forma domus delineari ſolet; ut cernat oculus, quod non capit auris. *tom.* 2. 381. E

Verbum Dei, in utero Virginis caro factum, a Dæmonis poteſtate mundum liberavit.

Compar. Sic Reges terræ, quum tyrannus quiſpiam in regno ſuo dominari cœpit, caſtrum aliquod taliter occupant, ut ablatum totum ad integrum recuperetur. *tom.* 2. 297. B

Ab illo pendent creaturæ omnes, tanquam exemplari.

Compar. Sicut imago ſpeculi ab objecto; radius a luce. *tom.* 2. 65. E

Verbum a prædicando.

Verbum Dei in corde retinendum.

Compar. Sicut cibus, tum corpori utilis, quum detinetur in ſtomacho; aut ſemen per hyemem totam in terra latens, &c. *tom.* 1. 211. B

Reprehenduntur ii, qui in audiendo verbo Dei, ornatum potius verborum amant, quam ſenſum.

Exemplum de Procuratore, cui Rex litteras mitteret pro negotio arduo ſolicite pertractando; ille autem negotii immemor, characteres laudaret ſolos, &c. *tom.* 1. 211. A

Veritas.

Dum arguitur, lucet magis.

Sicut ferrum confractione ſplendidius, aurumque igne rutilantius fit. *tom.* 1. 798. D

Vox.

Vox Dei quomodo audienda.

Compar. Sicut a matre clamor filii jam diu abſentis. *tom.* 2. 880. B

Et recipienda.

Sicut a conchiliis ros cœli recipitur, per quem exin margaritis abundant. *tom.* 1. 873. A

Finis.

IN TOMO PRIMO.

Pag.	lin.	Errata.	Corrige.
		Epiſtolæ nuncupatoriæ	
5	4	nulli	nullis
XV	28	ab	ob
	45	menti	momenti
XXIV	14	ſeviebat	ſæviebat
XXXII	48	aliquod	aliquid
121	14	cogno-gnoſcere	cognoſcere
162	*ult.*	aventus	adventus
190	52	cuſtodiam	cuſtodem
317	32	perfecte	perfectæ
346	32	donum	domum
380	63	aliquot	aliquod
420	51	ſubſtractione	ſubtractione
421	1	ibi	ubi
		in notis	
464	1	anima	animæ
546	22	*paſſionis*	*paſſiones*
640	36	deferunt	defecerunt
644	59	videndi	vivendi
645	34	ora	hora
662	4	ed	ſed
685	48	poſuit	poſuerit
706	20	obediendia	obedientia
724	36	quomodo	quo
786	27	triſtia	triſtitia
813	36	contremeſcet	contremiſcet
		in notis	
822	3	duobus	duabus
855	21	ſeipſe	ſeipſum

IN TOMO SECONDO.

Pag.	lin.	Errata.	Corrige.
61	33	quedam	quædam
75	25	de ſommo	de ſomno
118	*penult.*	habetudo	hebetudo
168	43	emoliri	emolliri
183	48	contremiſciſmuſque	contremiſcimuſque
193	*penult.*	æſtruas	æſtuas
213	34	ortum	hortum
237	26	*omne*	*omnes*
274	50	terrebilius	terribilius
321	21	habent	habet
	41	ſanctus	ſanctum
324	5	fontem	pontem
343	15	gigenti	gignenti
348	38	PELLICIENTES	PELLICIENTIS
388	6	conſiglio	conſilio
393	47	participiat	participat
414	3	poſiti	poſitæ
488	58	ut latius	ut altius
591	32	habetes	hebetes
604	18	*rebrobaverunt*	*reprobaverunt*
608	8	ſpirituli	ſpirituali
624	16	naruram	naturam
695	47	rumpini	rumpimini
773	38	deletionem	delectationem
	39	perducunctatur	perducuntur
797	60	proprie	propriæ
814	42	*tuus ſuum*	*tuus ſum*
845	28	igitor	igitur
847	28	meis	mei
896	34	*Prephetas*	*Prophetas*
905	37	*inveniter?*	*invenitur?*
	39	*ſuavitur*	*ſuaviter*

Juan Perez.



ESTANTE 4.°
Tabla 4.ª
N.° 64

4

21
118

S. THOMÆ
A VILLANOVA

I. I

5.629